R. PUSTET & CO.
New York & Cincinnati, Ohio.

220,77
T

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN

UNIVERSAM S. SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

Tom. II.

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN

UNIVERSAM S. SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

CUI

PRÆTER SACRORUM BIBLIORUM TEXTUM AD EXEMPLAR VATICANUM EXACTUM

ADCEDUNT

PROLEGOMENA LEVINI LEMNII ET FRANCISCI RUEI

ET NOTATIONES QUAMPLURIMÆ

P. ZACHARIÆ ET P. JOSEPHI BRUNENGO

QUI PRÆSTANTISSIMUM OPUS

AUXERUNT, CORREXERUNT, ILLUSTRARUNT

Tomus II.

ALMA COLLEGE
220.7
LIBRARY
T516
Alma, California

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

TAURINI

EX TYP. PONTIF. ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

1882

3269

R. P. JACOBI TIRINI S. J.

IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM

COMMENTARIUS

LIBER JUDICUM

CAPUT I.

Tribus Juda cum tribu Simeon plurimas gentium urbes expugnant. Othoniel, obtenta Cariath Sepher, in præmium accipit Axam filiam Caleb. Chananæi plurimis locis contra Dei decretum non expelluntur, sed tributarii conservantur.

1. Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli?

ỳ. 1. *Post mortem Josue,* cum nemo unus illi successisset qui tribubus omnibus ut generalis dux præesset, sed *majores* administrarent rempublicam: per quos intelligo tum *principes* et magistratus supremos *singularum tribuum:* tum etiam *Sanedrim* 70 seniorum, de quibus vide Numerorum 11, v. 14, communi omnium consensu coacta sunt *comitia* in *Silo,* teste Procopio, ubi erat tabernaculum fœderis, Josue 18. Et quia satis constabat, Chananæos residuos debere a singulis tribubus bello paullatim exscindi, dubitabatur tamen, quænam id tribuum prima aggrederetur, prudentissimo consilio decreverunt, consulendum super hac re Dominum. Itaque per *Phines* sacerdotem summum, inquit Josephus [1], seu per *urim et thummim,* de quo dixi Exodi 28, consulunt Deum, *Quis ascendet ante nos,* seu quænam tribuum prima bellum inferet Chananæo? *et erit dux,* id est auctor et inchoator *belli?* Respondet per eumdem internuntium Dominus, *Judas,* seu tribus Juda, primo loco *ascendet.* Dictum, factum; sed in belli societatem vocavit *Judas Simeonem fratrem suum,* hoc est tribum Simeonis, quia hæc tribus intra sortem et sinum tribus Judæ recepta fuerat, Josue 19, vers. 1, ac proinde communes erant utrique tribui hostes. Prima expeditio et victoria fuit adversus urbem *Bezec,* quæ fulgur et coruscationem significat. Cujus regem seu dominum, *Adonibezec* ex fuga retractum, quo alios ipse mulctarat olim infami supplicio, ipsum quoque jam mulctant Judæi. Nam 70 reges seu regulos diversarum provinciarum vel urbium, diversis bellis sibi subjugatos, ad ostentationem potentiæ, victoriarumque suarum, simul et ad oblectationem crudelis animi sui suorumque convivarum, coegerat ille sub mensa sua, præcisis ante pedum manuumque supremis digitis, instar canum decidua fragmina ore colligere, atque ita convivantibus ludos dare. Sed crudeli et sævo tyranno justam hic talionem reddit Deus: qua resipuisse eum, veramque Dei fidem amplexum esse, probabiliter putat Serarius. Sed nimio animi dolore ex tanta fortunæ mutatione mortem cito oppetiit, in obsidione urbis Jerosolymitanæ paullo post ab iisdem Judæis vi captæ, et ob

(1) Lib. 5 Antiq., cap. 1.

2. Dixitque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi terram in manus ejus.

3. Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, ut et ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

4. Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum: et percusserunt in Bezec decem millia virorum.

5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, et pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum ac Pherezæum.

6. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum,

7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci: ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est.

8. Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.

9. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, et ad meridiem, et in campestribus.

10. [1] Pergensque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Cariath Arbe), percussit Sesai, et Ahiman, et Tholmai:

11. Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath Sepher, id est, civitas litterarum.

12. Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, et vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

13. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam suam conjugem.

14. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes?

15. At illa respondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da et irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, et irriguum inferius.

16. Filii autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de Civitate palmarum, cum filiis Juda, in deser-

nuperam defectionem (nam capta semel fuerat a Josue sub initium ingressus in terram sanctam, Josue 12, v. 10) promiscua omnium incolarum cæde atque incendio pessime mulctatæ. Quod intellige non de arce Jerosolymitana in monte *Sion* (nam hæc ante tempora Davidis numquam potuit Jebusæis extorqueri, 2 Reg. 5, vers. 7), sed de inferiore urbe: de qua plura dixi Deuter. 33, v. 12, et Josue 18, v. 28.

De Hebrone, de Calebo, et Othoniele quæ hic dicuntur, exposui Josue 14 et 15, ubi per prolepsin narrabantur. Porro Othoniel videtur in omnibus his expeditionibus primas in tribu sua Juda partes egisse, unde et tempus præfecturæ illius 40 annorum inchoatur a morte Josue.

(1) Jos. 15, vers. 14.
(2) In Jos. 15, q. 5. (3) In Jos. 15.

ỳ. 11. *Civitas litterarum* — Sic vocabatur quod inibi tamquam in celebri Academia, *litteræ* egregie *tractarentur*, inquit Lyranus, Abulens.[2] et Driedo. Addit Arias, ibi publicam fuisse *bibliothecam:* Masius[3], etiam *archivium* veterum a diluvio monumentorum. Sic hodie celeberrima Hispaniæ regum sedes cum *Mantua* diceretur, jam Arabico nomine vocatur *Madrid*, id est *mater scientiæ*, quia Mauri illic celeberrimas scholas olim habebant; ita Franciscus Lopez [4].

ỳ. 16. *Filii Cinæi cognati Moysi* (quinam hi sint dixi Numerorum 10, sub finem), *ascenderunt de Civitate palmarum*, id est, ex agro *Jericho* [5]; *in desertum sortis Juda* — Sed cur ex amœnis palmetis et agro fœcundo migrant in

(4) In Funebr. Hispan. Imperat., pag. 87.
(5) Deut. 34, vers. 3, et 2 Par. 28.

tum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo.

17. Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, et percusserunt simul Chananæum qui habitabat in Sephaath, et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema.

18. Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.

19. Fuitque Dominus cum Juda, et montana possedit: nec potuit delere habitatores vallis quia falcatis curribus abundabant.

20. Dederuntque Caleb Hebron, [1] sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac.

21. Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem.

22. Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.

23. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur,

24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam.

25. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, et omnem cognationem ejus, dimiserunt.

26. Qui dimissus, abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem.

27. Manasses quoque non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor, et Jeblaam, et Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis.

28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, et delere noluit.

29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.

30. Zabulon non delevit habitatores Cetron et Naalol: sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est ei tributarius.

31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, et Sidonis, Ahalab, et Achazib, et Helba, et Aphec, et Rohob:

32. Habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, et Bethanath: et habitavit inter Chananæum habitatorem terræ: fueruntque ei Bethsamitæ et Bethanitæ tributarii.

34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent:

35. Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Ajalon et Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius.

36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu Scorpionis, petra, et superiora loca.

solitudinem? Nempe inchoabant ex tunc vitam solitariam, quæ veteris testamenti monastice quædam et anachoretice fuit, quæque Jeremiæ 35 a Deo valde laudatur et stabilitur, ut dixi Numeror. 10; ita S. Hieron. et Serarius [2].

℣. 35. *Et aggravata est manus domus Joseph* — nempe supra Amorrhæum. Cum enim hic non pateretur Danitas sat anguste commorantes quiete agere, neque hi resistendo illi essent; auxilio Danitis

(1) Num. 14, vers 24; Jos. 15, vers. 14.

fuerunt Ephraimitæ et Manassæi filii Joseph; et compressos Amorrhæos sibi tributarios fecerunt, fœdi lucri cupiditate, cum ex divino decreto debuissent eos stirpitus exscindere. In quo etiam reliquæ omnes tribus peccarunt, ideoque et per eosdem quibus ignave pepercerunt, puniti sunt.

℣. 36. De *Ascensu Scorpionis*, vide quæ dixi Num. 34, v. 4.

(2) Hieron. epist. 3 ad Paulinum; Serar. lib. 3 Trihæreseon c. 9, et l. 5 Mincrval., c. 13 et seq.

CAPUT II.

Angelus divina beneficia propalam Israeli commemorat. Flet populus, eumque pœnitet ingratitudinis. Sed a morte Josue et singulorum judicum relabitur semper in pejora.

1. Ascenditque angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris: et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum:

2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: et noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis?

3. Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra: ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam.

4. Cumque loqueretur angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt.

5. Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrymarum: immolaveruntque ibi hostias Domino.

6. [1] Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam:

7. Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, et seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, et noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israel.

8. Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum et decem annorum,

9. Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas.

10. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel.

11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim.

12. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos: et ad iracundiam concitaverunt Dominum,

13. Dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth.

℣. 1. *Ascenditque angelus Domini de Galgalis* — Verisimillime idem qui in *Galgalis* apparuerat Josue cap. 5, puta Michael princeps Synagogæ et Ecclesiæ Dei; ita Theodoretus et Serarius [2], ideoque aptissime, ex Galgalis ascendisse videri voluit, ut tot tantorumque beneficiorum illic acceptorum, et renovati per circumcisionem fœderis memoriam refricaret ingratis.

Ad locum flentium — Hebraice *Bochim*, quod *flentes* significat: nempe a fletu, quem angelus sua cohortatione excitarat, inditum nomen loco, ut patet v. 5. Quem locum in vicinia *Silo* fuisse colligitur ex eodem versu, quo dicitur, populum *ibi hostias immolasse Domino*: atqui non licebat tunc temporis alibi quam in *Silo* hostias immolare, cum esset ibi tabernaculum fœderis: ergo.

℣. 13. *Baal* — Ab aliis *Bal*, vel mollius *Beel*, *Bel*, *Belus* vocatur, significatque *Dominum* vel *dominatorem*: et accommodatur sæpe cuilibet falso deo. Subinde tamen pro uno particulari sumitur, sicut *urbs* commune nomen *Romæ* protiant, putantes, Angelum illum vivente Josue apparuisse. Horum sententiam refellit P. Limpenius de *S. Josue*, § 27.

(1) Jos. 24, vers. 28.
(2) Sed tamen post Josue mortem, contra quam Theodoretus, Abulensis, Torniellus, Salianus sen-

14. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis:

15. Sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, et juravit eis: et vehementer afflicti sunt.

16. Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt,

17. Fornicantes cum diis alienis, et adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

18. Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium.

19. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, et multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, et viam durissimam, per quam ambulare consueverunt.

20. Iratusque est furor Domini in Israel, et ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, et vocem meam audire contempsit:

21. Et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, et mortuus est:

22. Ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, et ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.

23. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, et cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

prium factum videmus. Apud *Tyrios Hercules* per *Baal* designari videtur ex 2 Machab. 4, vers. 19. Alias fere *Jupiter* sic vocatur, qui et *Nemrod Saturni* filius, ut dixi Genes. 10. Sed ordinarie, ut dixi, est commune nomen omnium deorum. Sæpe tamen pro varietate vel locorum, vel eventuum, vel etiam deorum, aliquid additur illi communi nomini, quo unum ab altero distinguatur, v. g. *Beelphegor, Beel-zebub, Baal-pharazim.* Aliquando plurali numero unus idemque Deus *Baalim* vocatur, ob simulacrorum ejus multitudinem, inquit S. August. [1], vel potius, honoris causa, more Hebræorum, qui etiam verum Deum plurali nomine. *Elohim* vocare solent. Sic *Astaroth* plurali numero hic vocatur vel *Venus*, ut vult Sanctius ex Macrobio et Giraldo [2]: vel potius *Juno* regina dearum, secundum S. Augustinum pro *Astoreth* vel *Astarthe*. De hac plura vide apud Serarium hic q. 2, qui etymologiam ejus nominis ab *astris* deducit, et *Esther* reginam idem esse vult quod *stellam*.

℣. 16. *Suscitavit Dominus judices* — id est vindices populi ac defensores. Erat enim primarium istorum apud Judæos officium, fere ut Dictatorum apud Romanos, bella adversus hostes gerere, nihilo tamen minus etiam jus populo dicebant. Eratque hic magistratus perpetuus, seu ad vitam: monarchicus quidem, sed magna ex parte etiam aristocraticus, ut patebit ex sequentibus. A Josepho [3] nunc *Archontes*, nunc *Monarchi*, nunc *Imperatores* vocantur. A S. Scriptura subinde *Salvatores* dicuntur, ut hic c. 3, vers. 9 et 15, et 2 Esdræ 9. Fuerunt porro judices universim quatuordecim, Othoniel, Aod, Samgar, Barach, Gedeon, Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, Samuel, judicaruntque populum Israel per annos 377 [4].

Petes, an omnes hi judices sancti sint ac beati? Ambigit Fevardentius: sed ambigere nos non sinit Ecclesiasticus, qui c. 46, v. 13, dicit *judices* hos *singulos suo nomine laudandos, et cum viris gloriosis ac sanctis* habendos. Et Apostolus ad Hebræos 11, vers. 32, quatuor *judices* de quibus dubitari potuisset, de eximia fide egregie commendat.

(1) Q. 16. (2) Sanctius in 3 Reg. 11, v. 5; Macrob. l. 1 Saturn., c. 1; Lilius Girald. Synt. 13.

(3) Lib. 5, c. 2 et 9, et lib. 11, c. 5.
(4) Chron. cap. 18.

CAPUT III.

Israel dum gentibus, quibus pepercerat, sociatur, sceleribus earumdem contaminatur: et etiam per easdem affligitur. Sed resipiscens semel iterumque per Othoniel, et Aod, et Samgar liberatur.

1. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et omnes qui non noverant bella Chananæorum:

2. Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem præliandi:

3. Quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, et Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath.

4. Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.

5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi:

6. Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, et servierunt diis eorum.

7. Feceruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth.

8. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusam Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.

9. Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem:

10. Fuitque in eo Spiritus Domini, et judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, et tradidit Dominus in manus ejus Chusam Rasathaim regem Syriæ, et oppressit eum.

11. Quievitque terra quadraginta annis, et mortuus est Othoniel filius Cenez.

12. Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu ejus.

13. Et copulavit ei filios Ammon, et Amalec: abiitque et percussit Is-

℣. 8. *Chusam Rasathaim* — q. d. *Chusam* regem *duplicis mali* Judæis auctorem, nam et corpus libertate, animum religione spoliabat. A Josepho [1] vocatur *Chusarthes rex Assyriæ*, pro eo quo Noster habet, *rex Mesopotamiæ*, vel, ut Hebræus, *Syriæ duorum fluminum:* quia *Mesopotamia* duos inter fluvios *Tigrin* et *Euphraten* jacet, unde et *Interamnis Syria* vocari solet. Procopius vult hunc regem non solius Assyriæ aut Mesopotamiæ, sed et totius Syriæ dominum fuisse. De *Othoniele*, qui tyrannum hunc devicit, vide Numerorum 32, et Josue 15.

(1) Lib. 5 Antiq., cap. 3, 4.

℣. 12. Mortuo *Othoniele*, deflexerant iterum ad idola Hebræi: et *confortavit Dominus adversum eos Eglon regem Moab* — non jubendo, suadendo, impellendo, aut simili modo excitando ad injustum bellum, ut volunt Calvinistæ; sed primo, augebat illi vires, animos, consilium, arma, socios, milites, et alia quibus alioquin inferior erat Hebræis. Secundo, minuebat ex altera parte vires et animos Hebræorum, eisque terrorem ac formidinem immittebat: et forte hoc ipsum innotescere fecit regi Moab. Tertio submovebat impedimenta omnia, quæ a bello Hebræis inferendo Moabitas remorari potuissent; dabat prosperos belli successus, destituendo Hebræos solita

rael, atque possedit Urbem palmarum.

14. Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem et octo annis:

15. Et postea clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab.

16. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo subter sagum in dextro femore.

17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis.

18. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant.

19. Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o rex. Et ille imperavit silentium: egressisque omnibus qui circa eum erant,

20. Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.

21. Extenditque Aod sinistram manum, et tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre ejus

22. Tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt.

23. Aod autem, clausis diligentissime ostiis cœnaculi, et obfirmatis sera,

24. Per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo.

25. Expectantesque diu donec erubescerent, et videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum.

26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, et pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath:

27. Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente.

28. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus no-

ope cælesti, etc. Quæ omnia justis de causis, et in bonum finem faciebat Deus: et erant ex se indifferentia, poteratque et bene et male illis uti rex Moab. Et licet prævideret Deus, illum pro mala sua voluntate, et alieni imperii ambitu male usurum, ad bellum Hebræis injuste inferendum; voluit tamen illum sibi suæque malitiæ relinquere, ut hac via Hebræi debitas luerent pœnas. Potuisset quoque Deus aperte ac directe illi tamquam tortori vel militi suo præcipere, ut bellum Hebræis inferret, eosque puniret: sed tunc debuisset ei suam hanc voluntatem indicare, neque fuisset bellum istud injustum. Ita de Nabuchodonosore docet Abulensis ex S. August. [1] et S. Thoma. Vide quæ de Pharaonis indu-ratione dixi Exodi 7.

℣. 15. *Filii Jemini* — Id est Benjaminii, seu de tribu Benjamin, ut alibi [2] probabo.

℣. 28. *Occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab* — Utili sane prudentique consilio, ne Moabitæ, qui in tractu Jerichuntino (ubi aula erat Eglonis regis) habitabant, in Moabitidem profugere, et inde subsidia accersere possent.

Nota, pro tyrannicidio probando, quasi cuivis privato liceat, frustra allegari hoc Aodi exemplum: cum constet primo, hunc non fuisse hominem privatum, sed principem populi Israelitici, a Deo o-

(1) De Gratia et Lib. arb., cap. 20, 21, etc.

(2) Esther 1, vers. 2.

stras. Descenderuntque post eum, et occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab: et non dimiserunt transire quemquam:

29. Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos et fortes viros; nullus eorum evadere potuit.

30. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel: et quievit terra octoginta annis.

31. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere: et ipse quoque defendit Israel.

mnium Domino ad id munus evectum, ut dicitur hic v. 15. Deinde, jussum ab eodem Deo occidere publicum hostem, et violentum regni invasorem. Unde et verum dixit vers. 20: *Verbum Dei habeo ad te, o Rex,* teste S. Augustino [1], Lyrano, Arboreo [2] et aliis. Et S. Thomas [3] dicit, *Aod hostem potius interemisse, quam populi rectorem tyrannum.* Porro [4] alibi diserte docet, *non licere privata præsumptione* occidere tyrannum, *sed* solum *publica auctoritate.* Et articulus iste Hussiticus, *Quilibet tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici,* damnatus est a Concilio Constantiensi: et jam damnatur ab omnibus Orthodoxis.

℣. 31. *Samgar* — Hic est tertius judex: sed brevissima fuit ejus principatus duratio, ut patet ex initio cap. seq. Occasionem inchoandi belli Philisthæis or-

tam fuisse putat Serarius ex morte fortissimi principis *Aodi,* cujus, quamdiu vixit, metu numquam ausi fuerant se movere: jam mortuo, tentare voluerunt variis latrociniis Judæos, ecquid ipsis animi superesset. Ergo prædas ex insidiis agere, homines in servitutem abripere, et forte *Samgari* in agro aranti boves eripere. Ipse strenue obniti, vim vi repellere, cumque alia ad manum arma non essent, *vomere sexcentos viros* humi sternere, uti postea *Samson* mandibula asini millenos viros. Atque ita compressa Philisthæorum in ipso limine audacia.

Notat Eusebius, tempore Aodi *Troem* condidisse urbem Trojam: *Minossem* regnasse in Creta: *Erichthonium* Athenis: *Pelopem* apud Argos: *Rhadamanthum* in Lycia: *Cadmum* Thebis: hujusque nepotem *Bacchum* in India.

(1) Q. 20. (2) Theosophiæ l. 1, c. 24. (3) Lib. 1 de Regimine principis, c. 6. (4) Opusc. 20.

CAPUT IV.

Debbora prophetissa et Barac adversus Sisaram principem militiæ Jabin regis Chanaan feliciter dimicant. Profugum Sisaram occidit Jahel uxor Haber Cinæi.

1. Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod,

2. [1] Et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat in Hasoreth gentium.

3. Clamaveruntque filii Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos.

4. Erat autem Debbora prophetis

℣. 4. *Debbora prophetis judicabat populum* — An ergo etiam illa de numero Judicum fuit? Affirmant SS. Hieronymus et Ambrosius [2], Cajetanus, Genebrardus et quidam alii. Sed respondeo,

jus quidem populo dixisse, sed absque jurisdictione seu potestate judiciaria. Non enim princeps erat aut domina populi, sed solum prophetissa: quo nomine plurimi responsa ab illa quærebant, et

(1) 1 Reg. 12, vers. 9. (2) Hieron. ad Furiam; Ambr. de Viduis.

uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.

5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium.

6. Quæ misit et vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, et duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon.

7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus, atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua.

8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.

9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, et perrexit cum Barac in Cedes.

10. Qui, accitis Zabulon et Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo.

11. Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moysi: et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, et erat juxta Cedes.

12. Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoem, in montem Thabor:

13. Et congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison.

14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo.

15. [1] Perterruitque Dominus Si-

litium suarum compositionem : eoque magis, quod reliquos Israelitarum judices soliis suis deturbassent Jabin et Sisara tyranni, feminam vero eamque simplicem et laudatam facile tolerabant. Ita Rabbini, Abulensis, Arias, Munsterus quoque et Tremellius. Ita de Dejoce scribit Herodotus [2], ex sola sapientiæ opinione judicem apud Medos egisse prius quam rex fieret.

℣. 5. *Hæc sedebat* pro tribunali, vel etiam habitabat *sub palma* aliqua famosa *inter Rama et Bethel* — quæ ex eo tempore dicta fuit *palma Debboræ*, vel *Debbora*. Porro viduane fuerit Debbora quum ibi judicaret, an adhuc conjugata, disputant S. Ambros. et S. Hieronymus, illo urgente *viduam* fuisse, hoc negante. Quid si dicamus, inquit Serarius, fuisse tum a viri thoro sejunctam? Sic quoad vinculum matrimonii vere fuisset *uxor:* quoad usum vero, potius vidua. Ita sentiunt quidam citati ab Aria et Abulensi.

℣. 6. *Quæ misit et vocavit Barac* — qui divinitus illi per angelum, cujus mentio cap. seq., v. 23, vel per prophe-

ticum lumen, dux populi designatus fuerat. Sed quis iste *Barac? Maritus Debboræ,* inquit ex Rabbinis Nangiacus, et compilator historiæ Ecclesiasticæ. Genebrardus *patrem;* et Ambrosius *filium* Debboræ facit. Sed facile. hi omnes refelluntur, quod *Barac Nephthalita* fuerit: *Debbora* vero *Ephraimitis,* ut hic dicitur vv. 5 et 6. Et cur rem tantam tacuisset Scriptura? Virum privatum fuisse, nec magnæ potentiæ affirmat Abulensis: crediderim etiam pium fuisse. Sed an sat forti animo, fere dubitem, maxime, cum videam adversus divinum imperium per Debboram ipsi expositum nonnihil hæsitasse, et forsan ex nimia prudentia humana in obediendo cunctatum esse. Quare merito etiam a Debbora reprehenditur, et magna gloriæ suæ parte ad *feminam Jahelem* devolvenda puniendus prædicitur. Sed hanc qualemcumque, certe levem, culpam facile mox abolevit tot aliis insignibus obedientiæ fortitudinisque actibus, qui hoc et sequenti capite commemorantur.

(1) Ps. 82, vers. 10. (2) Lib. 1.

saram, et omnes currus ejus, universamque multitudinem, in ore gladii, ad conspectum Barac: in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret,

16. Et Barac persequeretur fugientes currus, et exercitum usque ad Haroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet.

17. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Azor, et domum Haber Cinæi.

18. Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, et opertus ab ea pallio,

19. Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, et operuit illum.

20. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: et cum venerit aliquis interrogans te, et dicens: Numquid hic est aliquis? Respondebis: Nullus est.

21. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter et malleum: et ingressa abscondite et cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, et mortuus est.

22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, et ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, et clavum infixum in tempore ejus.

23. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel:

24. Qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

ỳ. 17. *Erat pax*, sed coacta metu potentissimi tyranni, *inter Jabin regem, et domum Haber Cinæi* — Quinam sint Cinæi vide supra cap. 1, et Numerorum cap. 10.

Sed unde familiæ huic religiosæ pax a barbaro et impio tyranno? Nempe stupebat rex ad tantam illorum virtutem, morum innocentiam animi in adversis tranquillitatem. Et vel sic ostendere voluit Deus, unde Israelitis tot tantæque adversitates et plagæ, cum proximi tyranno Cinæi, quod a cultu Dei non recessissent, plena pace, magnoque regis favore atque amicitia florerent: Israelitæ vero, etsi a tyranno remotiores, quia tamen a divinis legibus avulsi essent, durissimo tyranni jugo et mille injuriis opprimebantur.

Petes secundo, Si *pax erat inter regem et domum Haber*, quo jure *Jahel* uxor *Haber* occidit *Sisaram*? Sed jam dixi, nonnisi coactam fuisse pacem. Deinde arctior sanctiorque pax erat Cinæis cum Israelitis a quibus tot beneficiis aucti fuerant. Denique sat constabat Jaheli hanc esse Dei voluntatem tum ex arcano ejusdem instinctu, tum ex prophetia Debboræ, vers. 6, et sequentibus: tum ex recenti et prodigiosa victoria. Unde tenebatur communem reipublicæ suæ hostem quem sinu fovebat, vel prodere, vel perdere. Ita Abulensis, Arias, immo et Josephus.

CAPUT V.

Canticum triumphale et gratiarum actionis Debboræ et Barac post victoriam.

1. Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes:

2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

3. Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

4. Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis.

5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel.

6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ: et qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

7. Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.

8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit: clypeus et hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.

9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.

10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini.

11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini et clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum.

12. Surge, surge, Debbora, surge, surge, et loquere canticum: surge Barac, et apprehende captivos tuos, fili Abinoem.

13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.

14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

15. Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso contra se Ruben magnanimorum reperta est contentio.

16. Quare habitas inter duos ter-

℣. 4. *Domine, cum exires de Seir* — Id est Idumæa, q. d. Quando tu Deus insidens arcæ quasi throno tuo nobiscum ambulabas in deserto, cui Idumæa adjacet, statim ad conspectum tuum tantus passim metus ac tremor omnibus incussus est, ut non homines modo, sed et cæli et nubes et ipsi montes, ac præ omnibus mons Sinai, metu tui tremuerint, dissoluti ac liquefacti sint. Vide Exodi 19.

℣. 6. *In diebus Samgar,* seu ex eo tempore, quo, mortuo Aod, judex fuit Samgar, usque ad *dies Jahel,* hoc est, usque ad præsens tempus, quo Sisara occisus est manu Jahel, *quieverunt semitæ* — publicæ, id est viæ rectæ et regiæ teri non potuerunt, propter cædes et latrocinia quibus infestabantur.

℣. 8. *Si apparuerint* — Hebraismo, pro, *non apparuerunt,* q. d. Usque eo nos oppresserat tyrannis Jabin, ut *in quadraginta millibus Israelitarum,* qui partim e tribu Nephthali et Zabulon collecti erant a Barac, partim ex reliquis tribubus, vix invenire esset *clypeum* aut *hastam:* sed debuerint armari fustibus, ligonibus, vomeribus, et quasi inermes adversum Sisaram prodire. Unde et soli Deo, quo duce ille profligatus est, omnis victoria et triumphus debetur.

℣. 14. *Ex Ephraim* — Id est, Josue, qui erat Ephraimita, primus superavit Amalecitas, Exodi 17.

Et post eum futuro tempore surget alius *ex Benjamin* — puta rex Saul, qui eosdem deleat, ita Chaldæus et Rabbini. Nisi malis, duas hasce tribus hic speciatim laudari, quod pugnantibus aliis adversus Sisaram, ipsæ irruerint in Amalecitas, qui Sisaræ suppetias ferre tentabant. Sic laudantur et *principes Machir,* idest præcipuæ familiæ *Manassæorum*[1], et aliæ tribus, quod strenuam huic bello operam navarint. Soli perstringuntur Danitæ, Aseritæ, Galaaditæ seu Rubenitæ, quod studiis propriis et commodis privatis vacarint, neglecto communi bello.

℣. 16. *Quare,* o Ruben, *habitas inter*

(1) Gen. 50, vers. 22, et Num. 26, vers. 29, et Deut. 3, vers. 15, et Josue 13, vers. 31, etc.

minos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

17. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, et in portubus morabatur.

18. Zabulon vero et Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanac juxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes.

20. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos.

22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium.

23. Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini: maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

24. Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo.

25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.

26. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans.

27. Inter pedes ejus ruit: defecit, et mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis.

28. Per fenestram respiciens, ulu-

duos terminos? — Chaldaice, quare medius hærebas et dubius inter terminos hostium et Israelitarum, exspectans belli eventum; ut, si vinceret Sisara, te illi conjungeres: sin Barac, illi adhæreres? Nempe divisio, seu dissensio fuit inter principes tuos: magnanimos scilicet illos, qui *sibilos* et balatus *gregum* suorum *audire* maluerunt, quam sonitum buccinæ Barac.

℣. 20. *De cælo dimicatum est* — q. d. Licet deessent hæc humana subsidia, non defuerunt cælestia.

Stellæ manentes in ordine et cursu suo — id est, non turbatæ, ut nuper imperante iis stationem Josue [1], sed prosequentes ordinarium cursum suum, causarunt tantas tempestates ac procellas grandinum, ventorum, fulgetrorum, ut omnes copiæ hostiles turbarentur, frangerentur ac contererentur: Deo interim et angelis, quorum opera hæ tempestates ciebantur, Judæos ubique protegentibus et in hostes animantibus. Simile habes sub Samuele, 1 Reg. 7, et Imp. Theodosio contra Eugenium et Maximum tyrannos, teste Eusebio. Et similia fingit quoque Plato [2] in suo bello Atlantico. Ita Joseph., Abulensis et Lyranus. Addunt Rabbini [3], *omnia et quæ in cælis, et quæ in terris, pugnasse contra Sisaram* pro Judæis.

℣. 23. *Maledicite terræ Meroz* — Urbs erat prælii loco vicina, fortissimis viris referta: quibus, quia ad sacrum hoc bellum juvare noluerunt, dira jubet ab omnibus imprecari: jubet, inquam, non tam sua, quam *angeli Domini* auctoritate, qui Debboram ipsam afflabat, et cantici hujus auctor et dictator erat, inquit Arias. Abulensis S. Michaelem intelligit, qui toti bello tamquam princeps præfuit, et hostes contrivit; et jam maledicta jacit in eos qui juvare debuerant, sed metu vel malitia detrectarant. Hujus vero maledictionis effectus nullus quidem memoriæ proditus est: sed videtur locus ingratitudine tanta infamis, vel stirpitus excisus, vel saltem æterna oblivione sepultus fuisse: nam nulla deinceps vel in sacris, vel profanis historiis mentio fit urbis *Meroz* aut *Merozitarum*; ut videantur simul cum suo scelere sepulti fuisse.

(1) Cap. 10 Josue, vers. 11.
(2) Initio Timæi, et in Critia.
(3) In Tract. *Beracoth*, qui est Thalmudici Sederis primi primus.

labat mater ejus: et de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29. Una sapientior ceteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit:

30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur.

31. Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

32. Quievitque terra per quadraginta annos.

CAPUT VI.

Relapsis in priora scelera Israelitis, et jam a Madian oppressis, Gedeon variis signis a Deo decernitur liberator: qui occasione destructæ aræ Baal, nomen inde Jerobaal sortitur.

1. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis,

2. Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca.

3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, ceterique orientalium nationum:

4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos.

5. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, et camelorum, quidquid tetigerant devastantes.

6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.

7. Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.

8. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis,

9. Et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum.

10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam.

11. Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,

12. Apparuit ei angelus Domini, et ait: Dominus tecum, virorum fortissime.

13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian.

14. Respexitque ad eum Dominus, et ait: [1] Vade in hac fortitudine tua,

(1) 1 Reg. 12, vers. 11.

et liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te.

15. Qui respondens ait: Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.

16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: et percuties Madian quasi unum virum.

17. Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me.

18. Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum.

19. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hœdum, et de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei.

20. Cui dixit angelus Domini: Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper funde. Cumque fecisset ita,

21. Extendit angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos; ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit: angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.

22. Videnque Gedeon quod esset angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi angelum Domini facie ad faciem.

23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri,

25. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem,

℣. 17. *Da mihi signum quod tu sis* — Hoc est, signo aliquo proba, te talem esse, cui divinam opem, victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi merito debeat. Nesciebat enim angelum esse: sed neque an propheta esset, certo constabat. Porro signum quod hic petit Gedeon, dedit illi paullo post angelus, nempe ignem tactu scipionis sui miraculose e petra productum, quo sacrificium quod Gedeon attulerat, absumptum fuit. Patet ex Hebræo.

Petes, an licuerit Gedeoni non sacerdoti, utpote ex tribu Manasse, sacrificium offerre, et quidem extra locum tabernaculi? Respondeo, Gedeonem hic non sacrificasse, sed solum ministrum egisse, afferendo et componendo victimam in altari ex imperio et præscripto angeli, qui scipione suo ignem e petra educens, ultimam proximamque operam sacrificio impendit. Ac proinde sacerdotis partes hic egit angelus, Deo omnium Domino sic jubente. Unde, quod vers. 18 Gedeon dicit, se *sacrificium* allaturum et *oblaturum* angelo; non nisi materialiter accipi potest: nam formaliter afferebat illud Gedeon pro munere convivali, quo ex intentione Gedeonis serviret pro prandio, sed voluntate angeli conversum fuit in sacrificium. Ita Theodor. [1], Cajetanus, Arias et Serarius [2].

Nota tamen, cum nocte sequenti jussit Deus Gedeoni ut taurum sibi in eadem petra [3] immolaret, cum ipso etiam *Gedeone* dispensasse, ut sacerdotii munere fungeretur, offerretque holocaustum procul a loco tabernaculi: sicut postea dispensavit cum Samuele [4], Elia [5], et aliis quibusdam. Nam, ut optime notat sanctus Augustinus [6], *Ita Deus legitima illa* sacrificiorum *constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret.* Unde poterat, quandocumque placeret, extra legis suæ limites, jus sacrificandi dare quibus vellet seu hominibus, seu angelis, et quocumque loco aut tempore aut modo vellet.

℣. 25. *Taurum annorum septem* — Chaldaice, *taurum pinguefactum annos septem*, forte ut mactandus apud Ægyptios *Apis* plures annos saginari consuerat, ita Rabbini, Theodoretus et Isidorus.

(1) Quæst. 12.
(2) Vide et Bolland. tom. 1 Sept. *in Comm. de S. Gedeone*, num. 15 seq.
(3) Vv. 25 et 26.
(4) 1 Reg. 9 et 16.
(5) 3 Reg. 18.
(6) Quæst. q. 36.

destruesque aram Baal, quæ est patris tui: et nemus, quod circa aram est, succide:

26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.

27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit.

28. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat.

29. Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia.

30. Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, et succidit nemus.

31. Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus.

32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus.

33. Igitur omnis Madian, et Amalec, et orientales populi congregati sunt simul: et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael.

34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se

35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum: et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephthali, qui occurrerunt ei.

36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es,

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, et

Addit Arias, priorem *taurum* vocari hic *patris Gedeonis* taurum, quod ei proprius esset, ejusque solius nomine destinatus sacrificio Baal. Posteriorem vocari *alterum taurum*, scilicet publicum, et publico totius urbis nomine in sacrificium ei demum Deo devotum, cujus ope jugum Madianiticæ servitutis depelli contingeret: unde et tot præcise annis saginatus fuerat, quot eadem servitus durarat; saginandus quoque diutius, si hæc diutius durasset, unde et *annuarius* taurus vocabatur, eo quod servitutis annos annis æquaret suis.

¥. 37. *Si ros in solo vellere fuerit* — Duo nova signa petit Gedeon, non ex infidelitate, ut putat S. Thomas [1] et Abulensis (jam enim *Spiritus Domini*, nempe fortitudinis, *induerat* eum, v. 34), sed ex magna in Deum fiducia, ad suorum quoque commilitonum ad se undique confluentium fidem et spem erigendam. Ita Origenes, Isidorus, Lyranus, Arias, Cajetanus et colligitur ex epist. ad Hebræos 11, v. 32.

Symbolice, Gedeon petit primo loco, *sibi* tamquam vili velleri *rorem* gratiæ et opis cælestis: posteriore, eamdem gratiam petit et *terræ* reliquæ, id est, suis omnibus commilitonibus.

Allegorice, ros cælestis doctrinæ, electionis et gratiæ, quæ prius solum vellus Judaicæ Synagogæ humectarat, postea exsiccatis et reprobatis Judæis humectavit fœcundavitque universam gentilitatis terram. Ita Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus et Theodoretus [2]. Aliter alibi S. Ambrosius [3], Rupertus et Procopius, conformiter Psalmo 71, v. 6. *Ros in vellere* est Christus in uterum

(1) 2. 2., q. 97.
(2) Orig. hom. 8; Hieron. ad Paulinum; S. Ambros. proœmio in l. 1 de Spiritu sancto; Aug. I. de Unit. Eccl., c. 5; Theod. q. 14.
(3) De Viduis, post initium.

in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.

38. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit.

39. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.

40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat: et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

Virginis sine hujus corruptione aut dolore, silenter et tranquille Spiritu sancto irrorante delapsus. Vide de his fusius *Guilielmum Mennens* toto libro tertio *Aurei velleris*, qui putat *Philippum Burgundiæ* Ducem cognomento *Bonum*, cum nobilissimum *Aurei velleris Equitum* Ordinem tertio Idus Januarii anno Christi 1430 instituerat, non minus ad hoc *Gedeonis vellus*, quam ad illud *Jasonis* fabulosum *e Colchide*, mentem intendisse, nimirum ut nobilissimi Heroes illi Ordini adscripti meminissent se veros præstare Gedeones, et Baalis aras ac lucos, Turcicas moscheas et hæretica conventicula exscindere, et Madianitas omnesque Dei hostes extirpare deberent. Idem innuit Franciscus Harræus [1], et aperte affirmat Adrianus Barlandus.... [2].

(1) Lib. de Ducibus Brabantiæ.
(2) Lib. de Duc. Brabant., c. 90.

CAPUT VII.

Probatis ad aquas militibus quibuscum ad bellum progrederetur, Gedeon omine bono ex Madianitæ cujusdam somnio animatus, noctu irruit in confertos hostes, non nisi trecentis sociis comitatus, solisque tubis, lagenis ac lucernis armatus: fugat omnes mutuis se vulneribus conficientes: duos principes Oreb et Zeb captos interficit.

1. Igitur Jerobaal qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad; erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi.

2. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Israel, et dicat: Meis viribus liberatus sum.

3. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica: [1] Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversi sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt.

4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur.

5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.

6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt, a-

℣. 7. *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos* — Ut antea timidi, sic nunc intemperantiores rejecti a bello, certissima impedimenta victoriarum, et pestes castrorum. Cum enim

(1) Deut. 20, vers. 8; 1 Mach. 3, vers. 56.

quas, liberabo vos, et tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.

8. Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, et descende in castra: quia tradidi eos in manu tua:

10. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.

11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ.

12. Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris.

13. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: et in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit.

14. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, et omnia castra ejus.

15. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit: et reversus est ad castra Israel, et ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

16. Divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum.

17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar

duo sint modi e fluentibus aquis bibendi: unus, ut commode in genua procumbat bibiturus, et prostrato corpore caput in ipsas aquas inclinet, sicque instar bovis uno quasi spiritu, quantum libuerit potet: alter, ut pedibus erectis, sed corpore incurvato bibiturus, vola manus quantum potest aquæ hauriat, et id sursum ad os ferat, et lingua instar canis tum elambat; certum est, qui posteriore hoc modo bibunt, fortiores sese magisque temperantes præbere, eo quod in defatigatione et siti, qua non minus quam alii torquentur, ne hoc quidem sibi pauxillulæ aut quietis, aut refocillationis indulgere velint, ut genibus inflexis, et ore propius admoto aquas commodius, quietius, abundantius hauriant. Ita fere Lyranus, Arias, Serarius.

℣. 14. *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis* — Uti somnium Madianitæ non fuerat humanum, fortuitum aut naturale, neque a dæmone, sed a Deo immissum: ita et explicatio illius non nisi angelicæ suggestioni aut divinæ revelationi ascribenda est; quia alioqui non potuisset Gedeon illa solide niti, aut per illam certo confirmari; ita Arias et Abulensis. Est alioquin inter hunc panem subcinericium, et Gedeonem nonnulla quoque similitudo, inquit idem Arias: nam ut *panis hordeaceus*, qui ex vilioribus est, sub cinerem cito coctus, visus est e terra et statione Israelitarum sublime raptim tolli, volvique identidem ac revolvi, tandemque in Madianitarum castra devolvi, regium tabernaculum petere, ferire, prosternere: ita Gedeon in speciem abjectus, et vix de nomine notus, subito et tumultuarie pauculis in unum coactis copiis, exitio certissimo Madianitis futurus prænuntiatur. Et Hebræi, qui hactenus fuerant quasi panis et esca Madianitarum, deinceps gladius eorumdem et exitium devorantium se futuri dicuntur. Ita S. August., Abulensis et Lyranus.

℣. 16. *Dedit lagenas vacuas* (has v. 20 vocat *hydrias*, puta testaceas) *ac lampades* — Sic vocantur omnes lucernæ,

partem castrorum, et quod fecero sectamini.

18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate, Domino et Gedeoni.

19. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, et complodere inter se lagenas.

20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis:

21. Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt:

22. Et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. [1] Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant,

23. Fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse, persequebantur Madian.

24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas atque Jordanem usque Bethbera.

25. [2] Apprehensosque duos viros Madian, Oreb et Zeb, interfecit Oreb

non modo quæ oleo, aut alia humida materia constant, sed etiam quæ dura et concreta, ut sunt cereæ, et oleaginæ, piceæ faces aut tædæ. Erant ergo *lampades* Gedeonis, lignei torres ex pino, cedro vel cypresso, pice, cera vel resina obliti, qui facile ignem fovebant, et vento magis accendebantur, ita Arias et Serarius.

℣. 22. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris* — Hebraice, *immisit gladium uniuscujusque in proximum suum, in totis castris.* Madianitæ enim putantes jam Hebræos in mediis suis castris grassari, præ pavore, mœrore et ira quisque sibi vicinum hostem esse existimans, gladio aut hasta trajiciebat, et qui fugiebant, alios quoque sequentes fugientes arbitrabantur hostes esse, suoque jugulo imminere. Insequebantur enim Hebræi continuo tubarum undique personantium clangore, et ignium collucentium fulgore, et conclamantium ex omni parte strepitu: neque ullum turbatis Madianitis aut disquirendi, aut quid agendum esset, statuendi spatium dabatur. Simili pene stratagemate narrat Dio [3], Pompejum in nocturna cum hoste formidolosissimo Mithridate pugna innumerabiles illius copias turbasse, fugasse, contrivisse. Et etiamnum in bello moris est, quam potest quisque maximum terrendo turbandoque hosti ciere strepitum, armorum concussione, manuum pedumque pulsu, tympanorum, tubarum, bombardarum minorum majorumque mugitu ac reboatu.

℣. 25. *Oreb et Zeb* — Hi duo e quatuor Madianitarum regibus seu ducibus capti ab Hebræis circa vada Jordanis, nomen ab infelici morte sua locis ubi occisi sunt indiderunt, *Oreb in Petra, Zeb in Torculari*, ad quod forte latebræ causa confugerat. Reliqui duo principes *Zebee et Salmana* cap. seq. capti et occisi sunt. Hanc victoriam comparat Abulensis cum ea quæ Josaphato regi cælitus data fuit 2 Paralipom. 20. Multisque nominibus præferenda illi ceteroqui gloriosissimæ pugnæ illorum etiam *trecentorum Lacedæmoniorum*, qui *Leonida* duce ad Thermopylas numerosissimo sese *Xerxis* exercitui objecerunt, et viginti millibus contrucidatis, morti demum omnes ad unum ipso in loco succubuerunt. Nam nostri trecenti Gedeonii supra centum hostium millia, ut cap. seq. dicetur, et quidem solis tubis ac tædis interne-

(1) Psalm. 82, vers. 10.
(2) Psalm. 82, vers. 12; Isa. 10, vers. 26.
(3) Lib. 36.

in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, ca-

cioni dederunt, ne vel uno suorum desiderato aut læso.

Allegoricum de Christo et de Ss. Eucharistia, et moralem de virtutibus heroicis sensum Gedeonicæ victoriæ, lampadum, tubarum et panis subcinericii pita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.

vide apud Origenem, Gregorium, Leonem Castrium, Joannem Osorium [1] et Serarium.

(1) Orig. hom. 9; Greg. l. 30 Moral., c. 17; Leo Castr. in c. 10 Isaiæ; Osor. serm. de expedit. contra hær. et de reditu Hispan. e bello Angl.

CAPUT VIII.

Tribum Ephraim, quod putaret se contemptam, in Gedeon insurgentem, blandis ipse verbis compescit. Incolas Soccoth et Phanuel sibi insultantes male perdit. Conflat ephod aureum, generat filios 70 ex diversis uxoribus: et unum Abimelech ex concubina. Relabitur Israel in idololatriam.

1. Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, et prope vim inferentes.

2. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Abiezer?

3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb et Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.

4. Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris qui secum erant: et præ lassitudine, fugientes persequi non poterant.

5. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt: ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian.

6. Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee et Salmana in manu tua sunt, et idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes.

7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee et Salmana in manus meas, conteram carnes

℣. 2. *Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer?* — Id est, pauculæ personæ a vobis Ephraimitis captæ et cæsæ, puta *Oreb et Zeb*, reges Madianitarum, nonne jure merito pluris æstimandæ sunt, quam omnes reliqui Madianitæ quos ego cum meis contribulibus cecidi? Ita Abulensis et Arias. Ergo blande, humiliter ac modeste se suosque deprimens vir sapientissimus æque ac fortissimus, et quiritatores rixatoresque illos tollens, sedavit iras, compescuit jurgia, conciliavit offensos.

℣. 5. *Soccoth*, et vers. 8 *Phanuel* — Erant hæ duæ civitates in tribu *Gad*. Prior *Soccoth*, id est *tabernacula* vocabatur, quod Jacob e Mesopotamia rediens, suique fratris Esau gratiam quærens, *tabernacula* ibi fixisset, Gen. 33, v. 17. Posterior *Phanuel*, id est *videns Deum*, quod idem *Jacob* ibidem Dominum vidisset, cum eoque luctatus fuisset, Genesis 32, vers. 30. Justissime autem punivit horum incolas Gedeon, quod barbara immanitate etiam frustum panis negassent duci militique tam præclare de ipsis merito, jam fame pene deficienti. Neque hoc modo, sed insuper amaro quoque sarcasmo ridebant ducem suum, quasi obtenta jam victoria, et quidquid antea fecisset, nihil aut leve foret: quod vero adhuc tentabat, nempe assequi et capere duces Madianitarum fugitivos, inane ac ridiculum esset.

vestras cum spinis tribulisque deserti.

8. Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth.

9. Dixit itaque et eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.

10. Zebee autem et Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

11. [1] Ascendensque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur, ad orientalem partem Nobe et Jegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, et nihil adversi suspicabantur.

12. Fugeruntque Zebee et Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.

13. Revertensque de bello ante solis ortum,

14. Apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum et seniorum Soccoth, et descripsit septuaginta septem viros.

15. Venitque ad Soccoth, et dixit eis: En Zebee et Salmana, super quibus exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee et Salmana in manibus tuis sunt, et idcirco postulas ut demus viris, qui lassi sunt et defecerunt, panes.

16. Tulit ergo seniores civitatis et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.

17. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis.

18. Dixitque ad Zebee et Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor? Qui responderunt: Similes tui, et unus ex eis quasi filius regis.

19. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ: vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem.

20. Dixitque Jether primogenito suo: Surge, et interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

21. Dixeruntque Zebee et Salmana: Tu surge, et irrue in nos: quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, [2] et interfecit Zebee et Salmana: et tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.

22. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon: Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian.

23. Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos

℣. 23. *Non dominabor vestri* — Negat se admissurum dominatum regium, quem illi in tertiam usque stirpem offerebant, *Judex* ergo esse non detrectabat Gedeon, immo mansit tota vita: sed hujus erant limitata jura: neque enim quidquam publicum (si bellum excipias) suo solius arbitratu, sine consensu synedrii agere aut decernere poterat *judex*. At qui dominium habet absolutum, quale hic deferebat populus Gedeoni, nullis nisi divinis adstrictus legibus, quidquid collibitum esset, immensa quadam licentia statuebat ac faciebat. Sed maluit princeps prudentissimus, jus et imperium divinum in populo Dei inviolatum illibatumque servare, et odiosum regni munus, quod jam tum a nonnullis appeti forte cœperat, et Samuelis [3] ævo palam postulatum fuit, magno excelsoque animo repudiare; major sane repudiato diademate, quam arrepto vel admisso evadere potuisset. Et notat prudenter Plato [4], *ubi viri boni sunt, non secus illic pugnari ne quis princeps fiat, quam alibi ut quis fiat.*

(1) Osee 10, vers. 14. (2) Ps. 82, vers. 12. (3) 1 Reg. 6 et 8. (4) In Politia sua.

filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.

24. Dixitque ad eos: Unam petitionem postulo a vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant.

25. Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda:

26. Et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, et monilibus, et veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, et præter torques aureas camelorum.

27. Fecitque ex eo Gedeon ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam.

28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

29. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, et habitavit in domo sua:

30. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores.

31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

32. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, et sepultus est in sepulcro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.

33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum:

℣. 27. *Fecit ephod* — De forma et materia hujus vestis dixi Exodi 28. Sed cum varii essent *ephodes,* puta vel *politicus,* quo David [1] indutus tripudiavit ante arcam, vel *ecclesiasticus* aut sacer: et hic vel *pontificalis* [2], vel *sacerdotalis* [3], vel *Levíticus* [4]; quæritur, qualis hic fuerit, quem fecit Gedeon? Respondeo, *Ecclesiasticum* fuisse, et *pontificali* similem quoad formam, sed materia solidiore: nam ex auro totus erat, et gemmis. Videtur vero Gedeon in publico eum posuisse ut esset monimentum victoriæ per Dei oraculum et opem cælitus acceptæ. Forte etiam in memoriam sacerdotii sibi extra ordinem a Deo concessi, cap. 6, vers. 26, quando jussus est erigere altare juxta domum suam, et tauros in eo immolare, voluit hanc vestem pontificalem in familia perpetuo extare. Forsan et per Ephod significatur hic omne genus vestium sacerdotalium cum omni supellectile ad sacrificandum necessaria. Et his vestibus etiam ipse subinde usus est in sacrificiis Deo istic offerendis: frustra enim calceus, cujus numquam est usus. Vide Serarium ex S. Aug., Theodoreto et Abulensi [5].

Fornicatusque est omnis Israel in eo — Hebraica et Græca, *post Gedeonis mortem* id factum dicunt, cum posteri ejus illud tam nobile monimentum vel adorarunt quasi idolum, ut et æneo serpenti [6] Moysis post contigit, vel certe transtulerunt ad Baal eo exornandum, et oracula sic ab eo exprimenda: ut solebat pontifex Judæorum suo *ephod* indutus oracula reddere. De quo vide Exodi 28.

Et factum est Gedeoni in posteris ejus, seu *omni domui ejus in ruinam* — ut patebit c. seq. Neque enim peccavit [7] in his ipse Gedeon, ut patet ex jam dictis: sed peccarunt posteri illius qui re adiaphora et optima, et optimo fine constituta, impie abusi sunt. Hinc vers. 32 dicitur Gedeon *quievisse in senectute bona:* et arguuntur Judæi ingratitudinis erga illum, vv. 34 et 35, et Apostolus ad Hebr. 11, Gedeonem inter sanctos ac beatos recenset, et expressum Christi typum gessisse docent S. Aug., Isidorus [8] et alii.

(1) 2 Reg. 6, vers. 14, et 1 Par. 15, vers. 27.
(2) Exodi 28, vers. 6.
(3) 1 Reg. 22, vers. 18.
(4) 1 Reg. 2, vers. 18.
(5) Aug. q. 41; Theod. q. 16; Abul. 23 et 24.
(6) 4 Reg. 18, vers. 4.
(7) Qui Gedeonem peccasse putant, a Bollandianis refelluntur tom. 1 Sept. in Comm. de S. Gedeone § 6.
(8) Aug. serm. 108 de Temp.; Isidor. c. 3, 4, 5, 6.

34. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum:

35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon, juxta omnia bona quæ fecerat Israeli.

CAPUT IX.

Abimelech, occisis 70 fratribus suis, imperium sibi tyrannice vindicat: sed in expugnanda turri Sichem, a muliere fragmine molæ opprimitur.

1. Abiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, et locutus est ad eos, et ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens:

2. Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate, quod os vestrum et caro vestra sum.

3. Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, et inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.

4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes et vagos, secutique sunt eum.

5. Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum: remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, et absconditus est.

℣. 1. *Abimelech filius* Gedeonis, non ex primaria aliqua uxore quæ familiam administraret, et cujus filii paterna gauderent hereditate: sed ex secundaria uxore et inferioris ordinis, quæ alias concubinæ vocabantur, ut dixi Genesis 25, v. 6. Cum enim Gedeon, tamquam *judex et princeps* totius populi, sæpius ab urbe sua *Ephra*, ubi præcipuæ illius uxores degebant, abesse, et in Sichimis adesse cogeretur, delegit et in Sichimis sibi uxorem, sed, ut dixi, secundariam, seu concubinam, quam Josephus [1] *Drumam* vocat: quæ quia ex ea urbe oriunda erat, ibique parentes suos propinquosque omnes habebat, et reliquis uxoribus non æque cara futura esset, relicta est a Gedeone in Sichimis in domo paterna. Ex hac matre natus *Abimelech*, maxima crudelitate et tyrannide jugulatis 70 fratribus suis, principatum vi rapuit: neque contentus titulo judicis, etiam rex audire voluit, vv. 6, 18 et 22. Sed revera non nisi tyrannus fuit, typus Antichristi, et aliorum hostium Ecclesiæ Dei.

℣. 5. *Occidit fratres suos super lapidem unum* — Putat Arias, lapidem hunc idolo *Baalberith*, id est *Deo fœderis* [2] seu *pacti*, velut altare, sacrum fuisse; statutum vero seu erectum, et dedicatum a tyranno Abimelech eodem loco, quo ante fuerat ejusdem idoli ara, quam confregerat ac disturbarat pater ejus Gedeon cap. 6. Nempe ulcisci voluit Abimelech dæmoni factam injuriam, et sacrilegii paterni damnatos publica judicum sententia 70 filios, ad numen læsum hac sacra victima placandum, omnes in eo altari jugulatos immolavit. In eumdem finem videntur Sichimitæ eidem Abimelecho præcise 70 *argenti pondo*, verius *talenta*, ex sacro ejusdem idoli thesauro appendisse, ut ad singulorum fratrum, qui erant 70 caput demetendum, cederet talentum unum. Habes de similibus fratricidis Ocho Persarum rege, qui 80 fratres suos, et Phrahate Parthorum qui 30 fratres una cum patre suo jugulavit, apud Justinum [3]; et nostra ætate de Othomannis Amurathe, Selymo, Bajazethe et aliis apud Bozium [4].

(1) Lib. 5, cap. 9.
(2) Infr. vers. 46.
(3) Lib 10 et 42.
(4) De Signis Eccles lib. 12, c. 6 et 9.

6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, et universæ familiæ urbis Mello : abieruntque et constituerunt regem Abimelech, juxta quercum quæ stabat in Sichem.

7. Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, et stetit in vertice montis Garizim : elevataque voce, clamavit, et dixit: Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus.

8. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis.

9. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear?

10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, et super nos regnum accipe.

11. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cetera ligna promovear?

12. Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis.

13. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cetera promoveri?

14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos.

15. Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.

16. Nunc igitur, si recte et absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, et bene egistis cum Jerobaal, et cum domo ejus, et reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis,

17. Et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,

18. Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, et interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, et constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit:

19. Si ergo recte et absque vitio egistis cum Jerobaal, et domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, et ille lætetur in vobis.

20. Sin autem perverse: egrediatur ignis ex eo, et consumat habitatores Sichem, et oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, et de oppido Mello, et devoret Abimelech.

21. Quæ cum dixisset, fugit, et abiit in Bera : habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.

22. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis.

v. 8. *Ierunt ligna* — Pulcro hoc apologo docet *Joatham*, quam stulte egerint Sichimitæ, cum sceptrum regium, quod pii prudentesque omnes hucusque merito recusarunt, in impium parricidam contulerunt, a quo nihil præter spinas et flammas et extremum interitum exspectare possint.

Nota, *arborem* hic esse *hominem*, sed *inversam*, et consilii ac rationis capacem. *Oliva, ficus, vitis*, inter bonas laudatasque arbores omnium præstantissimæ ac fœcundissimæ, designant homines *imperio* omni ex parte *dignos*, sed qui zelo perfectioris cultus Dei, et studio propriæ salutis, illud contemnunt, sibique vacare præoptant. *Rhamnus* vero, qui vix lignum est, sed spinæ tantum exiles et pungentes, significat *imperio ineptos*, sed superbia ac sævitia plenos tyrannos; qui cum nil norint nisi pungere, stimulare et affligere subditos, simulant tamen se velle sua umbra eos protegere, solari ac refocillare. Quod si quis vel tantillum contra mutiat, subito flammas jaculantur et ignes, etiam in *cedros Libani*, id est, in nobilissimos, in potentissimos, in optimos quosque. Sed fere tum contingit, ut tyranni eodem quod in suos excitant incendio, etiam ipsi afflentur et pereant, uti hic Abimelech et Sichimitis eventurum Joatham ominatur et minatur. Pro morali vide Basilium et Theodoretum [1].

(1) Basil. hom. de humilitate; Theod. q. 10.

23. Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech et habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari,

24. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, et effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, et in ceteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant.

25. Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium: et dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech.

26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, et transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem,

27. Egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvasque calcantes: et factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, et inter epulas et pocula maledicebant Abimelech,

28. Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Jerobaal, et constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?

29. Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, et veni.

30. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde,

31. Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, et oppugnat adversum te civitatem.

32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, et latita in agro:

33. Et primo mane oriente sole, irrue super civitatem; illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris.

34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, et tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis:

35. Egressusque est Gaal filius Obed, et stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, et omnis exercitus cum eo de insidiarum loco.

36. Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis.

37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ descendit, et unus cuneus venit per viam quæ respicit quercum.

38. Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris? Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne hic populus est, quem despiciebas? Egredere, et pugna contra eum.

39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, et pugnavit contra Abimelech,

40. Qui persecutus est eum fugientem, et in urbem compulit: ceciderunteque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis:

41. Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal et socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari.

42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech,

---

℣. 23. *Misit Dominus spiritum pessimum* — dissensionis, inquit S. Augustinus: adeoque et ipsummet diabolum, quem non permissive tantum, sed et imperative potest dici misisse Deus, tamquam lictorem suum, ut et Abimelecho regnum eriperet et vitam, simulque Sichimitas debitis pœnis plecteret: ita sanctus Augustinus [1], Cajetanus et Arias.

(1) Quæst. 49.

43. Tulit exercitum suum, et divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Videnque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, et irruit in eos

44. Cum cuneo suo, oppugnans, et obsidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur.

45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret.

46. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, et ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.

47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos,

48. Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: et arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite.

49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo et igne mille homines necarentur, viri pariter et mulieres, habitatorum turris Sichem.

50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.

51. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, et omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, et super turris tectum stantes per propugnacula.

52. Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: et appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur:

53. [1] Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum ejus.

54. [2] Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.

55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas:

56. Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.

57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, et venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

(1) 2 Reg. 11, vers. 21.
(2) 1 Reg. 31, vers. 4; 1 Paral. 10, vers. 4.

CAPUT X.

Exstincto Abimelech, Thola dux creatur. Huic quoque defuncto Jair succedit. Israelitæ in idololatriam relapsi traduntur puniendi Philisthæis et Ammonitis. Sed mox pœnitentibus opitulatur Deus, exprobrata prius fœda ingratitudine eorum.

1. Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim:

℣. 1. *Surrexit dux Thola* — non proprio marte, vel vi, vel fraude, ut tyrannus *Abimelech*, sed solemni populi electione. Qua via et alii deinceps hunc subsecuti,

2. Et judicavit Israelem viginti et tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.

3. Huic successit Jair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti et duos annos,

4. Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad.

5. Mortuusque est Jair, ac sepultus in loco cui est vocabulum Camon.

6. Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis, Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philisthiim: dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum.

7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim et filiorum Ammon.

8. Afflictique sunt, et vehementer oppressi per annos decem et octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad:

9. In tantum, ut filii Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam et Benjamin et Ephraim: afflictusque est Israel nimis.

10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim.

11. Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptii et Amorrhæi, filiique Ammon et Philisthiim,

12. Sidonii quoque et Amalec et Chanaan, oppresserunt vos, et clamastis ad me, et erui vos de manu eorum?

13. Et tamen reliquistis me, et coluistis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem.

14. Ite, et invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ:

15. Dixeruntque filii Israel ad Do-

judices facti sunt, ita Abulensis. Sub hujus judicis annum 3 notat Eusebius, Herculem, in Libya regnantem, Antæum Neptuni filium, qui hospites secum palæstra dimicare compellebat, ulnis elisum interemisse: et hydram quoque (quam Plato callidissimam sophistriam fuisse asserit) confecisse: aliaque heroica certamina consummasse, de quibus fuse Apollodorus, Hyginus et Pausanias [1].

Vir de Issachar — Petes, Quomodo ergo *Thola* dicitur hic fuisse nepos *Gedeonis* ex fratre *Phua*, cum constet Gedeonem fuisse de tribu Manasse [2]? Respondeo, cum S. Augustino [3], *Gedeonem* et *Phuam* ex diversis quidem patribus diversarum tribuum natos fuisse, sed ex una eademque matre. Potuisse enim feminas nubere viro alterius tribus, quando ea occasione hereditates non transferebantur in alteram tribum, dixi Numerorum ult.

℣. 4. *Jair. Ex nomine ejus sunt appellata oppida Jair* — Dices, Num. 32, vers. 41, dicitur *Jair filius Manasse* occupatis vicis *Galaaditidis*, eos appellasse *villas Jair*. Respondeo, Senior ille *Jair* prior indidit istis vicis illam nomenclaturam, et forte villas ut erant sine muris reliquit: posterior, qui muris illas cinxit et in oppida evexit, eamdem comprobavit ac roboravit, et celebriorem fecit.

℣. 6. *Diis Sidonis*, puta *Astarthe* [4], et *Moabitarum Chamos* [5]: et *Ammonitarum*, itidem *Chamos* [6] et *Moloch* [7]: denique et *Philisthæorum Dagon* [8]. Horum omnium idolorum nefario cultui se manciparant Israelitæ ante tempora *Jephte*.

(1) Plato in Entydmo; Appolloď. lib. 2; Hygin. c. 31; Pausanias l. 5, etc.
(2) Judic. 6.
(3) Aug. q. 47.
(4) Judic. 2, vers. 13, et 3 Reg. 11, vv. 5 et 33.
(5) Ibid. et Num. 21, vers. 29.
(6) Jud. 11, vers. 24.
(7) 3 Reg. 11 supr. Jerem. 49 et Amos 1.
(8) Jud. 16, et 1 Reg. 5.

minum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos.

16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo : qui doluit super miseriis eorum.

17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria : contra quos congregati filii Israel, [1] in Maspha castrametati sunt.

18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos : Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

℣. 18. *Qui primus cœperit dimicare, erit dux* — non in bello hoc solo, sed et postea super tota *Galaaditide*. Et sic quidem decreverant hi principes, et primo bellum aggredi ausuro principatum quasi præmium proposuerant. Sed cum ne hoc quidem præmio quisquam præsentium auderet adire tantum discrimen; communi consensu *Jephte* jam factis recentibus et fama clarum ad id munus evocandum censuerunt.

(1) " Vers. 17. In *Maspha*, hæc voce significat *Speculam*, quoniam locus sublimis erat et inde procul despectus. Vide Marianum et Menochium. „

CAPUT XI.

Jephte judex deligitur. Hic, legatione missa ad regem Ammonitarum, conatur variis rationibus ab injusto illum bello deterrere : sed cum frustra id fieret, armis eum aggreditur, et superat. Mox voti reus, filiam suam unicam Deo sacrificat.

1. Fuit illo tempore Jephte Galaaditesvir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad.

2. Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.

3. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob : congregatique sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et quasi principem sequebantur.

4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel.

5. Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de terra Tob :

6. Dixeruntque ad eum : Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon.

7. Quibus ille respondit : [1] Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei, et nunc venistis ad me necessitate compulsi?

8. Dixeruntque principes Galaad ad Jephte : Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, et pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.

℣. 2. *De altera matre natus* — Id est, non ex vera et legitima uxore, sed *meretrice*, ut dicitur vers. 1. Erat ergo *Jephte* nothus et spurius : divino tamen instinctu, ut effecta monstrarunt, ad principatum a Galaaditibus electus fuit, atque ita per dispensationem in lege Deuteron. 23, in Ecclesiam Dei, seu ad jura populi Israelitici admissus. Id merebatur pietas illius et morum probitas, animi magnitudo, rerum gerendarum industria, et, qua præ omnibus tunc egebant Israelitæ, bellandi peritia. Exempla plurium spuriorum, qui non obstante vitio natalium egregia fucrunt indole, factisque clarissimis ac dignitatibus insignes, habes apud Laertium, Plutarchum, Athenæum et Serarium [2].

(1) Gen. 26, vers. 27.

(2) Athen. c. 13; Serar. hic q. 3.

9. Jephte quoque dixit eis: Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?

10. Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus.

11. Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.

12. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?

13. Quibus ille respondit: [1] Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam.

14. Per quos rursum mandavit Jephte, et imperavit eis ut dicerent regi Ammon:

15. Hæc dicit Jephte: Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon;

16. Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades.

17. [2] Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades,

18. Et circuivit ex latere terram Edom, et terram Moab: venitque contra orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: [3] Arnon quippe confinium est terræ Moab.

19. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium.

20. Qui et ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, et fortiter resistebat.

21. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius,

22. Et universos fines ejus, de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem.

23. Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, et tu nunc vis possidere terram ejus?

℣. 11. *Locutus est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha* — Id est, repetivit solemne pactum, de expeditione adversus Ammonitas suscipienda, si populus vicissim, ut promiserat, ipsum imposterum pro suo duce et principe admitteret. Repetivit, inquam, *coram Domino*, id est, in publico populi conventu, qui locum Dei tenet. Pacto hoc solemniter confirmato, mox per legatos expostulat cum rege Ammonitarum de injusto adversus Judæos bello.

℣. 23. *Deus Israel subvertit Amorrhæum* — Prima hæc est ratio qua conatur Jephte deducere regem Ammonitarum ab injusto bello: quia nempe terras Amorrhæorum, quas Judæis Ammonita volebat eripere, dono dedit Judæis Deus terrarum et regnorum omnium dominus. Secunda erat, præter istas Amorrhæorum terras nihil obtinebant Judæi quod esset Ammonitici vel Moabitici regni. Vetuerat enim Deus terras horum occupari Numerorum 21, et Deuteronomii 2 et 3. Tertia, Amorrhæorum terras a Judæis occupatas, numquam vel amica, vel armata manu repetiit rex Moabitarum *Balac*, qui tamen apud eos optimus,

(1) Num. 21, vers. 24. (2) Num. 20, vers. 14. (3) Num. 21, vers. 13.

24. Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem:

25. [1] Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod jurgatus sit contra Israel, et pugnaverit contra eum,

26. Quando habitavit in Hesebon, et viculis ejus, et in Aroer, et villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?

27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter Israel et inter filios Ammon.

28. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios mandaverat.

29. Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini, et circuiens Galaad, et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon,

30. Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,

31. Quicumque primus fuerit e-

et potentissimus, et sapientissimus habebatur, et ad quem longe potiori jure spectare videbantur, quam ad Ammonitas. Quarta, quia præscriptione fere trecentorum [2] annorum jam stabilitum erat jus et possessio Israelitarum. Sed frustra argumentis disceptabat cum armato. Itaque et ipse militem colligit, neque exspectat ut Ammonita transeat in fines Israeliticos, sed præoccupat ipse, et suos in Ammonitidem inducit. Sed prius quam manus consereret,

v. 30. *Votum vovit Domino* — nempe instinctu Spiritus sancti, quo dicitur hic dotatus fuisse. Unde dico cum S. Anselmo et Serario et Saliano, non peccasse Jephte cum vovit se in holocaustum vera et perfecta crematione immolaturum Deo, quicumque victori domum reduci primus gratulabundus occurreret, etsi foret domesticorum gratissimus, etsi foret uxor, etsi filia unigenita. Et vero victoria tam illustris intuitu et merito hujus voti cælitus concessa, indicio est votum istud Deo singulariter placuisse [3]. Ob easdem causas, et quia nemo dissuasit, nemo sese opposuit, nemo contradixit, immo sanctus Paulus ad Hebræos 11, probat et laudat, videtur Deo eximie placuisse ipsa etiam expletio voti et realis immolatio filiæ, quam fecit parens per ignem. Ne-

que enim possum comprobare sententiam quorumdam Rabbinorum et nostri sæculi hæreticorum, quos secutus est Lyranus et Mariana, qui dicunt non occisam, sed metaphorice immolatam fuisse, id est virginitatem toto vitæ tempore ad instar Nazarææ servare jussam [4]. Timent enim, inquit Genebrardus, isti Rabbini, ne, si realem hic mactationem admittant, typum dent Christianis Filii Dei a Patre cælesti in monte Calvariæ sacrificati, qualis olim ejusdem typus fuerat Isaac in monte Moria ab Abrahamo immolandus si neci subtractus non fuisset. Nempe voluit Deus auctor et dominus vitæ omnium, etiam extare in re difficillima exemplum plenæ obedientiæ, et quidem in sexu fragiliore, non solum quoad voluntatem et resignationem animi, ut fuerat illud Isaaci, sed etiam reipsa et quoad executionem. Voluit item Christo filio suo, non solo affectu, sed et reipsa morituro, præire typum, in quo realis et ultroneæ mortis tolerantia omnibus conspicua et illustris esset. Et hæc de reali filiæ immolatione, est sententia veterum Judæorum, Chaldæi Paraphrastæ, Josephi, Tertullïani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Nazianzeni, Epiphanii, Chrysostomi, Theodoreti, Sulpicii, Isidori, Procopii, S. Thomæ, Cajetani [5], et fere

(1) Num. 22, vers. 2.
(2) Chron. c. 24.
(3) Vide Annatum *in Apparatu;* et Schwartium *Colleg. histor.*, tom. 2, q. 12.
(4) Nempe vulgatum est, sterilitatem ab Judæis probro feminis verti consuevisse. At sterilitatem cum virginitate minime confundendam, hancque apud ipsos Hebræos in honore habitam ostendit P. Martin pag. 106 seqq. *Explan. Locor. Script. difficil.*
(5) Joseph. l. 5, c. 9; Tertull. l. 3 contr. Marcion.; Ambr. l. 3 de Virginit.; August. hic q. 49; Hieron. in c. 7 Jerem.; Nazianz. orat. 20; Epiph. hæres. 55; Chrys. hom. de Jephte; Theod. q. 19; Sever. Sulpicius l. 1; Isidor. c. 7; Procop. hic S. Thom. 2. 2., q. 84, art. 2; Cajet. hic.

gressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.

32. Transivitque Jepthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus.

33. Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, et usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis; humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel.

34. Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris; non enim habebat alios liberos.

35. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait: Heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero.

36. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.

37. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.

38. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.

39. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, et consuetudo servata est:

40. Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, et plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.

omnium Christianorum [1]. Et licet quidam Patrum, ut Tertullianus, Ambrosius, Procopius et S. Thomas, censeant peccasse hic Jephte, S. Augustinus vero et Hieronymus dubitent; reliqui tamen constanter laudant et probant ob rationes supra dictas. Quin et ob tantam animi fortitudinem, qua tenera hæc virguncula, solo religionis amore, in patrem, et in patriam pietate grataque victoriæ cælitus partæ memoria, crudeli gladio jugulum, flammis corpusculum tam prompta, tam læta tradidit, immensis eamdem laudibus omnes extollunt: et illi tam celebratæ *Iphigeniæ*, Marcellique et Marii et Erichthæi immolatis [2] filiabus, omnibusque illis virginibus quas ἀρκτευομένας [3] vocabant: item Pyladi et Oresti, et invidendis Dionysio tyranno Pythagoræis [4] illis, reo et vadi, ambobus pro altero mori certantibus, longe præferunt hanc *Seilam* (sic enim a Philone vocatur), quin et *Isaaco* ipsi eam conferunt Severus Sulpicius, Ambrosius [5], Serarius et alii.

(1) Eamque inter recentiores propugnarunt citatus Martin, Natalis Alexander *in 4 mundi ætatem*, diss. 19, Calmetius *diss. de voto Jephte*. Sunt tamen viri nostris temporibus eruditissimi, qui contra pugnant. Hos inter consule Gilletum *in 5 Judaic. Antiquit. lib., adnot.* 6, atque Attigny t. 3 *Novor. Monum. hist. critices, etc.*, p. 111 seqq.

(2) Plutarch. in Parallelis.

(3) Rhodiginus lib. 26, cap. 19.

(4) Cicero Tuscul. 5.

(5) L. 3 Offic. c. 12.

CAPUT XII.

Ephraimitæ injuste adversus Jephte tumultuantes ad 42 millia cæduntur. Vita functo succedunt judices Abesan, Elon et Abdon.

1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio; nam transeuntes contra aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra fi-

℣. 1. *In Ephraim orta est seditio* — In Hebræo insinuatur, omnes Ephraimitas ad seditionem et bellum convolasse. Nempe, nimia gloriæ cupiditas, et rerum

lios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.

2. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi et populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, et facere noluistis.

3. Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, et tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium?

4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, et habitat in medio Ephraim et Manasse.

5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum:

6. Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

7. Judicavit itaque Jephte Galaadites Israel sex annis: et mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.

8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem:

9. Qui habuit triginta filios, et totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, et ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel:

10. Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem.

11. Cui successit Ahialon Zabu-

bene a Galaaditis gestarum invidia Ephraimitas ad hæc arma concitarunt, ut nuper eosdem contra Gedeonem, cap. 8. Et mox addunt turpe mendacium, cum fingunt se in societatem Ammonitici belli vocatos non fuisse: cum vocati a Jephte fuissent, sed ipsi venire detrectassent, ipsumque in magno vitæ periculo fœde desertum reliquissent. Unde coactus sum, inquit Jephte, *animam* seu vitam *meam ponere in manibus meis*, id est maximo discrimini [1] exponere. Nihilominus insultabant Ephraimitæ, et amaro sarcasmo exprobrabant Galaaditis, *Fugitivus est Galaad de Ephraim*, id est, Galaaditæ non possunt resistere solis Ephraimitis, sed eos primo aspectu fugiunt viles, ignavi servi, nulliusque aut animi, aut roboris; quid facient miselli, undique conclusi duabus nobilissimis potentissimisque duorum fratrum tribubus, Ephraim et Manasse? Ita fere Lyranus, Vatablus et Cajetanus. Facile fuit Ephraimitis sic insultare Galaaditis necdum bello accinctis, sed inexspectato illorum incursu ex agris ad oppida fugere coactis: sed postquam armatos senserunt, et suorum quadraginta duo millia prostratos viderunt, cito fastum suum arrogantiamque et audaciam, sed magno suo damno et luctu posuerunt. Ab hac Ephraimitarum insigni clade videtur loco ubi illa contigit, nomen inditum, *Silva* seu *saltus Ephraim*, 2 Regum 18, v. 6.

(1) Simile 1 Reg. 19, et Job 13, et Ps. 118.

℣. 8. *Post* Jephte *judicavit Israel Abesan de Bethlehem*— Maldonatus [2] putat hic agi de *Bethlehem Zabulonica*, de qua Josue 19, v. 15. Sed alii verisimilius dicunt, e *Bethlehem Juda* oriundum fuisse hunc Judicem. Non tamen inde necessario sequitur, quod tradunt quidam Rabbini, hunc Abesan esse *Booz* maritum Ruth, abavum Davidis regis. Licet facile admittam coævum illi fuisse, sicut eidem etiam coævus fuit Priamus, Trojanorum rex ultimus: et ut Abesan 60 proles, sic Priamus 50 numerabat: et fere sub idem tempus, quo et Troja secundo excisa a Græcis fuit, uterque extinctus videtur.

(2) In cap. 2 Matth., vers. 1.

lonites: et judicavit Israel decem annis:

12. Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.

13. Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Illel, Pharathonites:

14. Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum. Et judicavit Israel octo annis:

15. Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

CAPUT XIII.

Israelitæ rursus in idololatriam lapsi, Philisthæis servi fiunt. Samson nascitur, vivit Nazaræus, et incipit ulcisci injurias illatas Israeli.

1. Rursumque [1] filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.

2. Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem.

3. Cui apparuit angelus Domini, et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis: [2] sed concipies et paries filium:

4. [3] Cave ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quidquam comedas:

5. Quia concipies, et paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.

6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere:

7. Sed hoc respondit: Ecce concipies et paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ.

8. Oravit itaque Manue Dominum, et ait: Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.

9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset angelum,

10. Festinavit et cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram.

11. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum.

12. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit?

13. Dixitque angelus Domini ad

v. 4. *Cave ne immundum quidquam comedas* — Jubet angelus ut etiam ipsa Samsonis mater Nazarænam agat vitam usque ad filii partum. Unde jubet abstinere non solum a *vino et sicera*, sed etiam ab omni cibo vinoso, v. g. uvis, vel coctis aut conditis cum uvis: nam hæc omnia Nazaræis erant inhibita, ac proinde respectu illorum *immunda*. Vide plura Numerorum 6, et Levit. ultimo.

(1) Sup. 10, vers. 6.
(2) Gen. 16, v. 11; 1 Reg. 1, v. 20; Luc. 1, v. 31.
(3) Num. 6, vv. 3, 4.

Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se:

14. Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo: et quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

15. Dixitque Manue ad angelum Domini: Obsecro te ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hœdum de capris.

16. Cui respondit angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod angelus Domini esset.

17. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?

18. Cui ille respondit: [1] Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

19. Tulit itaque Manue hœdum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipse autem et uxor ejus intuebantur.

20. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram.

21. Et ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum Domini esse,

22. Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

23. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura dixisset.

24. Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit eum Dominus.

℣. 16. *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino* — An ergo licuit *Manue* homini profano, utpote de tribu *Dan*, holocaustum offerre Domino, et offerre extra atrium tabernaculi, in loco profano? Respondeo, cum Abulensi, Deum hic dispensasse in utroque, ut supra c. 6, cum Gedeone. Dispensationis vero interpres et nuntius erat angelus: quem licet Manue etiam tum ignoraret angelum esse, credebat tamen *sanctum* ac *Dei Prophetam* esse, cui merito fides habenda esset. Putat probabiliter Serarius [2] hunc angelum fuisse *Michaelem*, et plurimas ob causas quas enumerat, nomen ejus *(Quis ut Deus?)* esse *admirabile*, chaldaice, *arcanum*: et sane talia sunt omnium angelorum nomina. Addit Cajetanus, angelum non nomine solo, sed magis re ipsa se hic valde *mirabilem* exhibuisse, ac proinde vers. 19 ipsum vocari *Qui facit mirabilia*. Nam primo, angeli ministerio, inquit Cajetanus, et Scipionis contactu, inquit Josephus, erupit e saxo ignis vehemens, et absumpsit hœdum et libamina apposita. Secundo, qui homo putabatur, subito sursum in cælum ascendere visus est. Tertio, cum voraci flamma ex saxo sursum elata simul in cælum illæsus ascendit. Quarto demum, abjecto quod assumpserat corpore, vel in elementa e quibus illud compegerat resoluto, intuentium oculis se subtraxit. Cur vero hæc omnia? Varias congerit causas Serarius: sed hæc potissima. Ut re ipsa indicaret angelus, se sacrificium illorum piorum conjugum in cælum quasi secum deferre, ut Deo, cujus unius honori oblatum fuerat, repræsentaret. Simulque allegorice præsignaret Christum, cujus etiam nomen Isaiæ 9, v. 6 est *admirabilis*: et non solum offeret ipse sacrificium, sed etiam offeretur ipsemet in sacrificium tum cruentum in flamma et tormentis crucis: tum incruentum et illæsum in Eucharistia.

℣. 24. *Samson* — Id est *sol lætitiæ*, ut exponit Arias: vel, ut alii, *parvus sol*. Sicut enim ab *isch*, id est *vir*, derivatur *ischon*, *parvulus vir*: ita a *schemesch*, *sole*, deducitur *schimson*, *parvus sol*. Hoc nomen dicit S. Jo. Chrysostomus puero inditum *a Deo*; nempe mater admonitu angeli, vel interna inspiratione didicit, gratum Deo fore si hoc nomine puer vocaretur: præsignabatur enim isto nomine, Israeli altissimis involuto tenebris peccati, mœroris et servitutis, ortum jam esse solem, parvulum quidem, sed lætum, qui nova luce omnes recreet,

(1) Gen. 32, vers. 29.

(2) In cap. 5 Josue, et cap. 13 Judicum.

cavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, et benedixit ei Dominus.

25. Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa et Esthaol.

tenebras pellat, omnia vivificet. Unde et apte *Samson* typus est Christi, veri et magni solis justitiæ, Malachiæ 4, vers. 2. Ita S. August., Beda, Arias et Serarius.

CAPUT XIV.

Samson uxorem ducit Philisthæam: leonem dilacerat: in cujus ore postmodum reperto melle, fingit ex eo ænigma, quod in nuptiis proponit sodalibus. Hi solutionem explscantur ex uxore Samsonis, qui ansam inde arripit hostilitatis exinceps in Philisthæos exercendæ.

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim,

2. Ascendit, et nuntiavit patri suo et matri suæ dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.

3. Cui dixerunt pater et mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.

4. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, et quæreret occasionem contra Philisthiim; eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli.

5. Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, et rugiens, et occurrit ei.

6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: et hoc patri et matri noluit indicare.

7. Descenditque et locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus.

8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, et ecce exa-

℣. 3. *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis* — Hebraice et græce, *quia hæc recta est in oculis meis.* Recta, inquam, ad finem mihi a Deo propositum assequendum; placetque mihi non quoad corporis speciem dumtaxat, sed quoad quæsitam etiam populi mei libertatem, ac rixæ, et inde vindictæ occasionem. Sciebat enim Samson seu monitu angeli, seu interno Dei instinctu, divinam esse voluntatem, ut hanc ex Philisthæis uxorem posceret, ut indicatur v. 4 et explicant S. Ambrosius [1], Cajetanus, Arias, et ex hæreticis Vermilius, Chytræus, Junius et Tremellius. Dispensabat ergo hic Deus in lege *de alienigena non ducenda* [2], neque peccabat Samson alienigenam exposcendo. Parentes tamen non tenebantur primo statim initio fidem habere filio, hoc Deo placitum esse asserenti: sed cum tandem sua constantia, aliisque argumentis plenam parentibus fidem ejus rei fecisset, nec justam ultra haberent ansam de filii vanitate aut falsiloquentia metuendi, desiderio illius, et divino nutui obsecuti sunt. Ita Abulensis. Addit Guilielmus Alabaster [3], legem illam quæ Judæorum cum alienigenis nuptias vetabat, mystice per *leonem* designatam, et a Samsone dilaceratam fuisse vers. 6; dilaceratam, inquam, quoad verba, et *mel*, id est spiritalem sensum et fructum inde collegisse.

(1) Initio l. 2 de Spiritu sancto, et epist. 70.

(2) Num. 36.

(3) Cap. 17 Apparatus.

men apum in ore leonis erat ac favus mellis.

9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum et matrem, dedit eis partem, qui et ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat.

10. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, et fecit filio suo Samson convivium; sic enim juvenes facere consueverant.

11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo.

12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas:

13. Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, et ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus.

14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo; nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.

15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, et suade ei ut indicet tibi quid significet problema: quod si facere nolueris, incendemus te, et domum patris tui: an idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis?

16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, et querebatur dicens: Odisti me, et non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo et matri nolui dicere: et tibi indicare potero?

17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis.

18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, et quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.

19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, et percussit ibi triginta viros: quo-

℣. 18. *Quid dulcius melle? quid fortius leone?* Addit ex Josepho S. Ambrosius, subjecisse Samsonem, *Quid muliere perfidiosius? Si non arassetis in vitula mea* — Id est, si non investigassetis astutia et dolo explicationem ænigmatis mei ex uxore mea, quæ juvenili lascivia, imprudentia et inconstantia sua secretum ut proderetur effecit; numquam id assecuti fuissetis.

Nota, solere etiam naturaliter apes enasci ex boum peremptorum cadaveribus, teste Democrito et Magone et aliis apud Columellam, item Plutarcho, Virgilio, Ovidio et Eusebio [1]. Quid ni potuerint et ex leonis cadavere subnasci? maxime si dicamus, vim divinam concurrisse, ad materiam mysterio subministrandam?

Allegorice enim S. Augustinus [2] per *mortuum leonem* intelligit *Christum mortuum*, e quo et examen *apum* seu *Christianorum*, et nobilissimum *redemptionis* humanæ, et dulcissimum *Eucharistiæ mel* prognatum est.

℣. 19. *Iratus nimis Samson* — nimirum et *uxori* suæ, a qua nefarie proditus, et *sodalibus*, a quibus vafre circumventus fuerat: et *civitati* toti, a qua prætextu honoris fuerant ei dati tales nuptiarum socii, et tam egregii simplones: sic enim tales vocat Fulgentius [3], forte a συμπυλεῖν, *circuire*, quod cum sponso mensas et convivia toto nuptiarum tempore simul obirent. Hos Scriptura nunc *amicos* [4], nunc *filios sponsi* [5], nunc *filios nuptiarum* [6] vocat: et Arias dicit,

(1) Columella l. 9, c. 14; Plutarch. in Cleomene; Virg. 4 Georg.; Ovid. l. 15 in Metamorph.; Euseb. in Chronico de Eumelio.
(2) Serm. 107 de Temp.
(3) Lib. de Priscis verbis.
(4) Joan. 3, vers. 29.
(5) Matth. 9, vers. 15.
(6) Marc. 2, vers. 19.

rum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui:

20. Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus et pronubis.

toto nuptiarum tempore ab omni publico onere, atque etiam ab indicto jejunio immunes fuisse, et Christum huc allusisse cum Matth. 9 dicit, *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?* Et sunt isti iidem quos v. seq. Noster vocat *pronubos*.

Allegorice verus Samson Christus propter perfidiam iratus synagogæ merito illam deseruit.

CAPUT XV.

Trecentis vulpibus et faculis Samson Philisthæorum segetes succendit. Ligatus dum traditur Philisthæis, fractis funibus sola asini maxilla mille viros prosternit in loco. Siti enecto dens maxillæ copiosam aquam subministrat.

1. Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens:

2. Putavi quod odisses eam, et ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ junior et pulcrior illa est, sit tibi pro ea uxor.

3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala.

4. Perrexitque et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio:

5. Quas igne succendens, dimisit,

¶. 4. *Cepit trecentas vulpes* — Et facile fuit, in regione vulpium feracissima, tempore anni commodissimo, a juvene robustissimo et venandi peritissimo, junctis sociorum operis, uno alterove die trecentas capere vulpes. Si potuit Julius Cæsar Romæ in spectaculum dare leones quadringentos, Pompejus sexcentos; Probus Imp. mille struthiones, mille damas, mille cervos, mille apros, mille ibices, mille oves feras, tot ursos, tot leones, lœnas, leopardos Lybicos, Syriacos, et tot alia monstra: si ad unius monstri Heliogabali monstrosas delicias ex una urbe Roma brevissimo tempore colligi potuerunt decem millia pondo aranearum et muscarum, decem millia murium, mille mustelæ, mille sorices, teste Lampridio, Plinio et Vopisco [1]; difficile fuerit Samsoni cogere trecentas vulpes?

Et faces ligavit in medio — Hebraice, *respicere fecit*, id est obvertit, *caudam ad caudam, et inter duas caudas facem unam posuit*, seu funibus alligavit. Binas ergo et binas junxit vulpes suas Samson, et ignitis titionibus piceis, cedrinis vel cupressinis armatas, ex opportunis hinc inde locis immisit in segetes jam maturas Philisthinorum: et hoc stratagemate pene totam illius anni messem absumpsit una cum vinetis et olivetis. Una vulpecula Carseolana, si Ovidio [2] credimus, errore puerili paleaceo igne segetibus illato, integros agros jam ad messem albos exussit; quid tot vulpium paria tot titionibus armata fecisse putamus? Videntur vero Philisthæi in execrationem tanti facinoris non solum in sponsam Samsonis adulteram, ejusque parentes igne sæviisse, ut hoc cap. narratur: sed etiam in vulpes ipsas exinceps quotannis animadvertisse, et ardentes faces tergis illarum adligasse, cum risu et sannis totius populi, donec, post multam in circo cursitationem facibus iisdem prædustæ conciderent. Et hunc eumdem morem Romæ quoque in Aprili servari solitum, Serarius [3] non ab illa Carseolana, ut vult Ovidius, sed ab his Samsonis

(1) Lamprid. in Heliogab.; Plinius l. 8, c. 16; Vopisc. in Probo.

(2) Lib. 4 Fastor.

(3) Hic q. 7.

ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, et comportatæ jam fruges, et adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque et oliveta flamma consumeret.

6. Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, et alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim, et combusserunt tam mulierem quam patrem ejus.

7. Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, et tunc quiescam.

8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam.

9. Igitur ascendentes Philisthiim in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus.

10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson, venimus, et reddamus ei quæ in nos operatus est.

11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

12. Ligare, inquiunt, te venimus, et tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson, Jurate, ait, et spondete mihi, quod non occidatis me.

13. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, et tulerunt eum de petra Etam.

14. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, et Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt et soluta.

15. Inventamque maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros,

16. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, et percussi mille viros.

17. Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius, Ramath-lechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.

18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, et ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam

vulpibus ortum traxisse putat; atque ex Oriente (ut pleraque alia) in Occidentem, e Palæstina Romam translatum fuisse.

Tropologice SS. Ambros. et Augustino[1] vulpes sunt fraudes hæreticorum: qui blanda facie promittunt salutem; sed caudis suis ignem æternum secum trahunt.

℣. 8. *Percussit eos ingenti plaga* — Nempe, insidiabatur Philisthæis quocumque poterat loco, irruebatque in obvios quantumcumque multos, et prosternebat et jugulabat omnes promiscue: *ita ut stupentes suram femori imponerent*, quod intensæ et anxiæ cogitationis signum est. Cumque cernerent Philisthæi se quantumcumque multos uni Samsoni prævalere non posse, collecto maximo exercitu, tribum Juda aggrediuntur, quod eo divertisset Samson, nimirum ad *petram* seu rupem vicinam urbi *Etam*, quæ erat in tribu Juda, quam postea Roboam[2] novis ædificiis ac propugnaculis auxit.

℣. 16. *In maxilla asini percussi mille viros* — Hæc est tertia clades illata Philisthæis a Samsone. Notat Lyranus, Cajetanus, Abulensis et Arias (et patet ex versu sequenti) Samsonem canticum hic concinnasse pulcherrimum, cujus initium fuerit hic versus, et aliis subsequentibus intercalatus.

(1) S. Ambr. et S. Aug. sup.

(2) 2 Paral. 11, v. 6.

atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.

19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem.

20. Judicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis.

℣. 19. *Egressæ sunt aquæ* ex dente molari mandibulæ. Nempe, fluebant e terra aquæ, sed per loculamentum seu mortariolum dentis molaris. Et quia orante et Deum invocante Samsone obtentæ fuerant hæ aquæ, vocatus est locus ille *Henhakore*, id est *fons invocantis*. Et ita vocatur *usque in præsentem diem*, quo liber hic Judicum conscribebatur. Quin verisimile est, extare etiam hoc nostro seculo eumdem fontem. Nam certum est, quingentis abhinc annis adhuc extitisse, ut testis est Michael Glycas [1], qui vixit tempore Joannis Comneni, Alexii Imp. filii: et disertis verbis affirmat hunc *fontem in hodiernum usque diem in Eleutheropolis suburbano conspici, et fontem maxillæ nuncupari*. Quis vero ex eo tempore fontem illum vel arefecit æstus? vel quod lutum obstruxit? vel quæ manus evertit?

Tropologice, etiam vilissimo instrumento posse et solere Deum, si serio invocetur, maxima quæque patrare, neque umquam in necessariis deesse, docet sanctus August. [2] ex SS. Scripturis [3] et historiis [4] passim obviis.

(1) L. 2 Annal.

(2) Lib. 4 Doctr. Christ., cap. 15.
(3) Gen. 21, vers. 19; Exodi 15, vers. 25; Num. 20, vv. 8, 11; Sap. 11, vers. 4; Psalm. 77 et 104, etc.
(4) Euseb. l. 5, c. 5; Tertull. Apolog. cap. 5; Xiphilino in Antonino et Baronio tom. 2, etc.

CAPUT XVI.

Portas urbis Gazæ Samson suis humeris in montem defert: a Dalila sua proditur, excæcatur, illuditur: sed injuriam hanc moriturus ulciscitur morte 3000 Philisthæorum.

1. Abiit quoque in Gazam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.

2. Quod cum audissent Philisthiim, et percrebuisset apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.

3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.

4. Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila.

℣. 4. *Amavit mulierem, in Valle Sorec* — quod significat *vitem*, sed *lectissimam* ac *generosissimam*, unde Jeremiæ 2, vers. 21, *Plantavi te Sorec*, Noster vertit, *vineam electam*. Et hæc vallis eadem est quæ Numerorum 13 vocatur *vallis botri*: et est vicina *torrenti Sorec*, qui duas tribus *Dan* et *Simeonis* intersecat, in quo torrente eunuchum Candacis baptizatum narrat Adrichomius [1]. Juxta hunc torrentem, et in hac valle *Sorec* habitabat meretrix *Dalila*. Neque enim ausim cum S. Jo. Chrysostomo, Cassiano, S. Ephrem, Severo Sulpicio et Pererio [2]

(1) In Dan n. 37.
(2) Chrysost. hom. 17 ex variis in Matth.; Cassian. collat. 17, c. 20; Ephrem serm. adv. improb. mulieres, tom. 1; Sev. Sulp. in hist. Sacra; Pererius in Gen. 31, disp. 1.

5. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, et disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, et quo modo eum superare valeamus, et vinctum affligere; quod si feceris, dabimus tibi singuli mille et centum argenteos.

6. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, et quid sit quo ligatus erumpere nequeas?

7. Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus, necdum siccis et adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines.

8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum,

9. Latentibus apud se insidiis, et in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stupæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: et non est cognitum in quo esset fortitudo ejus.

10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, et falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas.

11. Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, et aliorum hominum similis.

12. Quibus rursum Dalila vinxit eum, et clamavit: Philisthiim super te Samson; in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.

13. Dixitque Dalila rursum ad eum: Usquequo decipis me, et falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, et clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno, extraxit clavum cum crinibus et licio.

15. Dixitque ad eum Dalila: Quo modo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.

16. Cumque molesta esset ei, et per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est.

17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines.

affirmare, eam fuisse Samsoni uxorem. Quomodo enim ausi fuissent Philisthæi principes tam fidenter, et primo aggressu, et sola spe lucelli sollicitare uxorem ad prodendum maritum, et talem, tantumque maritum? quomodo toties et tam diu latuissent tot armati, in domo propria Samsonis, nec ipso, nec ullo familiarium aut famulorum conscio? quare ad illam excurreret Samson, et non potius illam ad se domum suam traduceret tantus princeps? Hæ et aliæ rationes convincere videntur, non uxorem fuisse, sed meretricem, et quidem e pauperioribus. Ita Josephus, Ambrosius, Hieronymus, Abbas Joachim, Abulensis et Serarius [1], et alii, qui ob easdem pene rationes dicunt eam natione non Judæam, sed Philisthæam fuisse.

(1) Ambr. epist. 70; Hieron. epist. 126 ad Evagrium; Joachim p. 3 in Apoc.; Abul. q. 7 et 10; Serar. q. 5.

℣. 17. *Si rasum fuerit caput meum*, etc. — Hinc patet, fortitudinem Samsonis fuisse qualitatem supernaturaliter membris illius inditam, sed a crine tamquam a signo dependentem: nam hoc expresso pacto eam illi Deus donarat, si Nazaræus perseveraret et comam aleret. Idque resciverat ipse vel ex parentibus,

18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum, ac mandavit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia quam promiserant.

19. At illa dormire eum fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, et rasit septem crines ejus, et cœpit abigere eum, et a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit:

vel ex angelo, vel ex interno Dei afflatu. Et certe ad comprimendam animi superbiam securius latebat tam eximium robur sub crinibus, hoc est sub re vilissima, debilissima, stupidissima. Ita S. Jo. Chrysostomus, Ambrosius, S. Ephrem, Joachim Abbas, Auctor mirabilium S. Scripturæ, qui falso putatur esse S. August., et Serarius et alii [1].

Petes, si Samsoni absque sua culpa, per vim, vel per morbum invito ac nolenti fuissent adempti crines, an Deus robur illud supernaturale membris ejus nihilominus subtraxisset? Respondeo, negative: cum enim crines in Nazaræis nonnisi exterior Dei cultus essent, et interioris cultus, devotionis et consecrationis nudum indicium ac signum; quamdiu interiora illa perstabant integra, non auferebantur dona ea, quæ propter interiora illa potissimum dabantur. Cum igitur non propter signum, sed propter rem signatam; non propter capillos, sed propter interiorem animi religionem ac cultum, datæ Samsoni vires fuerint; mansissent illi salvæ, si absque illius assensu et peccato (quod hic intercurrit) ablati fuissent capilli, et ipse animo constans in cultu nazaræatus perstitisset, quod quia miser meretriciis inductus blanditiis non præstitit, merito viribus illis spoliatus est: ita Cajetanus, Abulensis, et fere alii jam citati auctores. Pater Martinus de Roa et Serarius [2] putant, hanc Samsonis comam a Dalila præsectam, Gentilibus occasionem dedisse comminiscendi fabulam de purpurea *Nisi* Megarorum regis sub hoc idem tempus imperitantis *cæsarie* seu *coma*, adeo (ut fingebant) divina, ut quamdiu eam retineret, vinci ipse non posset, neque regnum ejus ab alio occupari. Sed *Scylla* ejus filia, turpi *Minois* urbem *Megara* tum obsidentis amore capta, dormienti patri comam abscidit, et sic patrem et patriam hosti prodidit. An ovum ovo similius? Vide Pausaniam, Servium, Ovidium et Apollodorum [3], qui et aliam similem tragœdiam narrat de *Comethone* Pterelai filia, quæ et ipsa *Amphitryonis* amore infatuata, aureum de patris capite capillum prosecuit, et fœda perfidia parentem et solum natale perdidit. Neque tamen Amphitryon Comethonem, neque Minos Scyllam ad nuptias suas, quas parricidali suo scelere ambæ venabantur, admiserunt; sed pedibus vinctam hanc in mare præcipitem, illam pluribus aliis tormentis excruciatam commeritæ neci dederunt. Quid nostræ acciderit Dalilæ post fœdam proditionem incertum. Depensæ quidem illi pecuniæ a quinque satrapis vers. 18. Sed quis dubitet, quin diris agitata conscientiæ furiis, suorum pœnas dederit flagitiorum, et vel propriis manibus, exemplo proditoris Judæ, cujus typum gessit: vel alienis, ut facile se dare potuit occasio, neque solent amari proditores.

℣. 19. *Septem crines*, id est, septem *cincinnos*, quibus constabat, et in quos distincta erat universa Samsonis cæsaries, *rasit* Dalila, sed manu *tonsoris*. Narrat Herodotus [4], manu unius rasas multorum una dormientium maxillas: quanto facilius radi potuit unius in septem quasi catenulas collectus capillus? Et forte in cibis papaverea et soporifera quædam ei miscuit perfidum scortum, vel alia carotica et somnifica adhibuit;

(1) Mirum est, Gilletum *in 5 Judaic. Ant. lib., admot. 7*, sensisse, hæc Samsonem dixisse non quod ita esse plane crederet, sed solum conjiceret ex angeli monito vetantis, matrem ejus ipsi capillos tondere. Nam quod Gilleto incredibile videtur, eo dementiæ Samsonem venisse, ut Dalilæ id aperiret de quo minime dubitasset, certo honoris, vitæque discrimine, Gilleti quoque sententiæ offi-cit. Nam non minus id incredibile videtur de homine, qui probabilibus argumentis collegisset, capillis totam suam vim inesse.

(2) De Roa l. 5 Singularium, c. 7; Serar. hic quæst. 16.

(3) Pausan. in Atticis; Servius in 1 Georg.; Ovid. lib. 8 Metamorph.; Apollod. 2 et 3 Bibliotheca.

(4) Lib. 2.

20. Dixitque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, et me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus.

21. Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt.

22. Jamque capilli ejus renasci cœperant,

23. Et principes Philisthinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes: Tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.

24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, et occidit plurimos.

25. Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.

26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, et recliner super eas, et paululum requiescam.

27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, et erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto et solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson.

28. At ille invocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.

29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, et alteram læva tenens,

30. Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim: concussisque fortiter

ut sæpe ab ejusmodi mulierculis factitatum, ex Apulejo, Virgilio, Cæsario et aliis demonstrat Martinus Delrio [1].

℣. 30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim* — Oratio hæc partim *votiva* est, partim *concessiva*. Nam vovet ut moriantur Philisthæi qui e porticibus et tecto seu solario templi prospectabant. Concedit autem, ut ipse eadem cum ipsis ruina templi obruatur; q. d. Opto et rogo Philisthæos obrui ruina templi: et hoc ut fiat, non recuso quin et ego cum iis simul obruar: *Quemadmodum princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit*, ut inquit Cajetanus. Unde patet, non peccasse hic Samsonem: sed egregium heroicæ fortitudinis actum exercuisse: et hoc nomine merito laudari a S. Paulo ad Hebræos 11. Neque etiam proprie aut directe sese occidit: sed solum indirecte et permissive; eadem clade, quam juste inferebat hostibus et ipse evadere non poterat, sese involvi permittendo: ita Cajet., Lyranus, a Victoria [2], Soto, Lessius [3], Serarius et alii Doctores. Addit S. Augustinus [4], ipsum speciali Dei instinctu id fecisse: ut colligitur ex pristino supernaturali robore hunc in finem illi jam pœnitenti cælitus restituto. Quin et martyrem facit sanctus et vetus auctor Bachiarius [5]. Quod vero collisu duarum tantummodo medianarum columnarum prosterni potuerit tam vastum templum, nulli mirum videbitur, qui meminerit theatri Curionis uni solummodo nixi columnæ, et alterius amphitheatri nonnisi duabus suffulti: de quo Plinius [6], *Quid enim*, ait, *miretur quisquam in hoc primum? Inventorem, an inventum? Artificem, an auctorem? Ausum aliquem hoc excogitare et jubere, an suscipere et parere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabilique*

(1) L. 3 disq. Magic. p. 1, q. 2.
(2) Relectione de Bello.
(3) De Justitia.
(4) Lib. 1 de Civit., cap. 26.
(5) Epist. ad Januar. de recipiendis lapsis.
(6) Lib. 36, cap. 15.

columnis, cecidit domus super omnes principes, et ceteram multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.

31. Descendentes autem fratres ejus et universa cognatio tulerunt corpus ejus, et sepelierunt inter Saraa et Esthaol in sepulcro patris sui Manue: judicavitque Israel viginti annis.

sede. Ecce populus universus binis cardinibus sustinetur, periturus momento luxatis machinis. Hæc Plinius. Et viderat sæpius olim Samson formam illius templi, noratque columnarum et crassitiem et intervallum. Et justus erat prætextus quo a famulo peteret, illis potius crassioribus columnis, quam aliis tenuioribus inniti: nam homini fesso, quo crassius, in quod recumbat, fulcrum occurrit, eo gratius et ad quietem aptius est.

Allegorice Samsonem in ortu, in pueritia, nuptiis suis, leone, apibus, asini maxilla, et fonte ex ea prognato, Gazæis portis, coma detonsa, exoculatione, pistrino, templi Dagon eversione, et omnibus vitæ suæ gestis, et maxime ultronea stupendaque morte Christum præfigurasse, notius est quam ut debeam commemorare. Sed fuse commemorat Serarius [1] ex S. Augustino, Ruperto, Beda et alliis SS. Patribus. Idem ex eodem sancto Augustino, Eusebio, Philastrio [2] et aliis, docet, *Herculem*, de quo tam multa, tam stupenda Gentiles, non alium fuisse, quam nostrum Samsonem. Sane tempus quo fuisse Herculem Plutarchus, Apollodorus, Diodorus Siculus [3] et pene omnes Græci affirmant, item rerum gestarum similitudo, ut alia omittam, illi sententiæ valde favent. Vide etiam Pererium in Genesis 49, ubi etiam exponit qua ratione Samson ex vaticinio patriarchæ Jacob, fuerit Philisthæis *coluber in via, cerastes in semita*, etc. ut ibidem explicui.

(1) Hic q. 40 et seq.
(2) Serar. hic q. 36; S. Aug. l. 18 de Civ., c. 19; Eusebius in Chron.; Philastr. de Hæres., c. 8.

(3) Plutarch. in principio Thesei; Apollod. l. 2; Diod. l. 4, c. 3.

CAPUT XVII.

Mater Michæ conflat filio idolum: cui ille primo filium suum, deinde Levitem Bethlehemiticum præficit sacerdotem.

1. Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas,
2. Qui dixit matri suæ: Mille et centum argenteos, quos separaveras tibi, et super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, et apud

¶. 1. *Eo tempore*, scilicet, quo aliquid horum contigit quæ toto libro Judicum recensentur. Nam secundum Josephum, Lyranum, Abulensem, Masium et Riberam [1] hæc Michæ historia contigit paullo post mortem Josue, ante primum judicem Othonielem, et colligitur ex c. sequenti, vers. 30. Et hoc verisimilius est, quam quod Arias, et Gramaye, et Serar. [2] cum plerisque Novatoribus volunt, accidisse post mortem Samsonis, eodem ordine quo hic recensetur. Est vero hæc historia. Vidua quædam dives, sed superstitiosa et idololatrica, certo domus loco seposuerat, vel (ut Serarius putat verti posse) filio in depositum tradiderat mille et centum siclos argenteos, seu florenos Belgicos, qui faciunt scuta Italica vulgatæ monetæ 440. Hanc pecuniam filius ejus Michas vel clam surripuerat, vel depositam apud se nolebat matri reposcenti reddere. Mater in furem acrius invecta, *jurat*, id est diris devovet furem, mille capiti ipsius pestes, ærumnas, mortes ac gehennas imprecando. Michas his territus, matri nummos redhibet: sed mox ipsa jubente, curat inde confici *sculptile atque conflatile*; hoc est, statuas

(1) Joseph. l. 5, c. 2; Lyran. et Abul. hic 15 et 16; Masius in 19 Josue, vers. 47; Ribera in Os. 10.

(2) Hic q. 14.

me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.

3. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi et vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, et faciat sculptile atque conflatile: et nunc trado illud tibi.

4. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, et dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, et fecit ephod et theraphim, id est, vestem sacerdotalem, et idola: implevitque unius filiorum suorum manum, et factus est ei sacerdos.

6. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

7. Fuit quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus: eratque ipse Levites, et habitabat ibi.

8. Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, et declinasset parumper in domum Michæ,

9. Interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, et vado ut habitem ubi potuero, et utile mihi esse perspexero.

10. Dixitque Michas: Mane apud me, et esto mihi parens ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem duplicem et quæ ad victum sunt necessaria.

11. Acquievit, et mansit apud hominem, fuitque illi quasi unus de filiis;

12. Implevitque Michas manum ejus, et habuit puerum sacerdotem apud se:

13. Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.

duas argenteas, unam sculptam et dolatam: alteram opere fusili conflatam. Curat item *ephod*, id est vestem sacerdotalem, sub qua comprehenduntur omnes aliæ vestes sacræ, et supellectilia ad sacrificium necessaria. Atque ita fecit sibi *theraphim*, id est idola e quibus divinatio et futurorum prænotio petebatur. Colligitur ex v. 5, cap. seq., et Ezech. 21, vers. 21, Zach. 10, vers. 2. Et Rabbini passim explicant, *theraphim*, esse *imagines futura prænuntiantes*. Ita Serarius [1].

Porro ad sacrificia his idolis offerenda Michas duorum dicitur hic *implevisse manus*, id est duos creasse sacerdotes. Nam, ut ex Levitico [2] colligitur, ut quis sacerdotio initiaretur, opus erat duplici manus impletione, una *oleo* sacro, quo manus inungebantur, altera *sacrificio* seu victima, quam manu tenebat et Deo offerebat qui sacerdos initiabatur. Porro primo loco in sacerdotem delegit Michas *unum* seu primum *filiorum suorum*, id est primogenitum suum, cui jure naturæ deberi videbatur hæc prærogativa. Secundo, ad idem munus pretio conduxit Levitam quemdam nomine Jonatham [3] habitatione Bethlehemitam, ex cognatione Juda, ut est hic in Hebræo; nam maternum genus trahebat ex tribu Juda, conformiter iis quæ dixi cap. ult. libri Numerorum. Eratque hic Jonatham (quod magis mirere) nepos Moysis, filius Gersam [4], vel, ut jam Hebræa et Chaldæa legunt, Gersom, primogeniti filii Moysi, ut patet Exodi 2, vers. 22, nobilissimi ac sanctissimi ducis impius et degener nepos: ut solent summorum quandoque virorum filii aut nepotes evadere perditissimi. Exempla vidimus in Cain, Ismaele, in filiis Heli, Samuelis et aliis. Vide Lampridium [5]. Porro cum sacrificus hic idololatra nepos Moysis dicatur fuisse etiam tum *adolescens* [6] cum hæc acciderent; colligi inde videtur, hæc non diu post mortem Josue contigisse, ut Josephus et alii supra citati contendunt.

(1) Quæst. 5.
(2) Levit. 3, vers. 24 et 27, et c. 9, vv. 3, 9, 13.
(3) Cap. 18 Judic., vers. 30.
(4) Exod. c. 18, vers. 3.
(5) De Commodo in principio.
(6) Cap. 17, vers. 7.

CAPUT XVIII.

Sexcenti viri de tribu Dan dum sua dilatatum eunt pomœria, ex itinere suum Michæ idolum cum sacerdote eripiunt, et in captam recens urbem Lais transferunt.

1. In diebus illis non erat rex in Israel, et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea: usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat.

2. Miserunt ergo filii Dan, stirpis et familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa et Esthaol, ut explorarent terram, et diligenter inspicerent: dixeruntque eis: Ite, et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim, et intrassent domum Michæ, requieverunt ibi:

3. Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ, utentesque illius diversorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti?

4. Qui respondit eis: Hæc et hæc præstitit mihi Michas, et me mercede conduxit, ut sim ei sacerdos.

5. Rogaverunt autem eum ut consuleret Dominum, ut scire possent an prospero itinere pergerent, et res haberet effectum.

6. Qui respondit eis: Ite in pace: Dominus respicit viam vestram, et iter quo pergitis.

7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum, securum et quietum, nullo ei

℣. 1. *Tribus Dan usque ad illum diem non acceperat sortem* — nempe satis amplam, et tantæ multitudinis capacem: nam Amorrhæi bonam partem sortis Daniticæ etiam tum occupabant, ut dicitur Judicum 1, vers. 34. Alioqui certum est ex Josue 19, vers. 40, non minus Danitas, quam reliquas tribus suam in Palæstina sortem accepisse, sed, ut dixi, magna ex parte adhuc habitatam ab Amorrhæis.

℣. 7. *Juxta consuetudinem Sidoniorum* — Id est, Sidoniis similes quoad opes, delicias, altam pacem et securitatem, forsan etiam moribus et institutis Sidoniorum utebantur *Laitæ*. Alioqui *procul a Sidone* aberat *Lais*, utpote sita ad radices Libani cis *Orientalem* Jordanis fontem, ut alibi dixi: *Sidon* vero ad *Occidentis* latus maritimum. Et quia rerum omnium ferax erat terra, nec vicinorum indiga, ideo dicitur hic *populus Lais a cunctis hominibus separatus* fuisse, seu nihil cum aliis populis negotii aut commercii habuisse, cum omnibus carere posset, quod extremæ felicitatis indicium est. Porro quæ hic vocatur *Lais*, Josue 19, vers. 47, dicitur *Lesem:* cum vero a Danitis occuparetur, ab ipsis dicta fuit *Dana* [1]. Posterioribus temporibus, a fonte *Paneade*, vocata fuit *Paneas:* a *Philippo* Herodis Ascalonitæ filio, qui illam amplificavit et exornavit, in Tiberii *Cæsaris* honorem appellata est *Cæsarea Philippi:* paullo post a rege Agrippa, cum et ipse illius proferret pomœria, in *Neronis* honorem dicta fuit *Neronia* et *Nerodias:* teste Josepho, et S. Hieronymo [2]: hodie a Turcis vocari solet *Belina* vel *Belinas*, inquit Adrichomius [3]. Estque eadem urbs, in qua ab Hæmorrhoissa tactu fimbriæ Christi curata, Matthæi 9, in ejus beneficii memoriam excitata fuit Christi statua, tot postmodum nobilitata miraculis, quæ narrant Eusebius, Nicephorus [4] et alii.

(1) Hic vers. 29 et Josue 19, vers. 47.
(2) Joseph. l. 18 Ant., c. 3, et l. 2 Belli, cap. 8; Hieron. in Isaiæ 24, et Jerem. 4; Ezech. 27 et 28; Daniel. 11, et Amos 8.
(3) In Nephthalim num. 37.
(4) Euseb. l. 7 Hist., c. 14; Niceph. l. 7, c. 15.

penitus resistente, magnarumque opum, et procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum.

8. Reversique ad fratres suos in Saraa et Esthaol, et quid egissent sciscitantibus responderunt:

9. Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam et uberem: nolite negligere, nolite cessare; eamus, et possideamus eam, nullus erit labor.

10. Intrabimus ad securos, in regionem latissimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum qui gignuntur in terra.

11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan, idest de Saraa et Esthaol, sexcenti viri accincti armis bellicis,

12. Ascendentesque manserunt in Cariathiarim Judæ: qui locus, ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit, et est post tergum Cariathiarim.

13. Inde transierunt in montem Ephraim. Cumque venissent ad domum Michæ,

14. Dixerunt quinque viri, qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais, ceteris fratribus suis: Nostis quod in domibus istis sit ephod, et theraphim, et sculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.

15. Et cum paululum declinassent, ingressi sunt domum adolescentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: salutaveruntque eum verbis pacificis.

16. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, stabant ante ostium.

17. At illi qui ingressi fuerant domum juvenis, sculptile, et ephod, et theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, et sacerdos stabat ante ostium, sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus.

18. Tulerunt igitur qui intraverant, sculptile, ephod, et idola, atque conflatile. Quibus dixit sacerdos: Quid facitis?

19. Cui responderunt: Tace, et pone digitum super os tuum: venique nobiscum, ut habeamus te patrem, ac sacerdotem. Quid tibi melius est, ut sis sacerdos in domo unius viri, an in una tribu et familia in Israel?

20. Quod cum audisset, acquievit sermonibus eorum, et tulit ephod, et idola, ac sculptile, et profectus est cum eis.

21. Qui cum pergerent, et ante se ire fecissent parvulos, ac jumenta, et omne quod erat pretiosum,

22. Et jam a domo Michæ essent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt,

23. Et post tergum clamare cœperunt. Qui cum respexissent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas?

24. Qui respondit: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem, et omnia quæ habeo, et dicitis: Quid tibi est?

25. Dixeruntque et filii Dan: Cave ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas.

26. Et sic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores se essent, reversus est in domum suam.

27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem, et quæ supra diximus: veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt,

28. Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii. Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursum exstruentes habitaverunt in ea,

29. Vocato nomine civitatis Dan,

juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur.

30. Posueruntque sibi sculptile, et Jonathan filium Gersam filii Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ.

31. Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.

℣. 30. *Posuerunt sibi* Danitæ *sculptile* Michæ *in Dan, usque ad diem captivitatis suæ* — Id est, ut versu sequenti dicitur, usque ad tempus quo arca Dei Silunte educta fuit, et magna cum Israelitarum strage, a Philisthæis capta et abducta. Nam tunc temporis ut cæsi, ita et capti plurimi ex omnibus tribubus, ut patet ex 1 Regum 4, v. 10 et Psalmo 77, vers. 61, ubi de hac Israelitarum clade loquens, *Tradidit*, inquit, *in captivitatem virtutem eorum, et pulcritudinem eorum in manus inimici.* Ita Lyranus, Abulensis, Vatablus, Arias, Ribera, Genebrardus, Moncæjus [1], Emmanuel Sa, Serarius, et etiam plerique Novatores cum Rabbinis.

Nota, in locum idolorum Michæ, quæ Samuelis tempore verisimiliter eversa et confracta sunt; post mortem Salomonis surrogasse impium Jeroboam *vitulum* suum *aureum* in eadem urbe Dan metropoli ejusdem tribus: quæ tantorum monstrorum sedes et thronus fuit.

(1) Ribera in Oseæ 10; Genebr. in Chronico; Moncæjus l. 1 de Vitulo, c. 16.

CAPUT XIX.

Uxore Levitæ Ephratæi, a Gabaonitis, qui erant tribus Benjamin, propudiosa libidine extincta, maritus, cadavere in 12 partes dissecto, reliquas omnes tribus evocat ad infandum facinus ulciscendum.

1. Fuit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda:

2. Quæ reliquit eum, et reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus.

3. Secutusque est eam vir suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, et secum reducere, habens in comitatu puerum et duos asinos: quæ suscepit eum, et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus,

4. Et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter.

5. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit; quem tenuit socer, et ait ad eum: Gusta prius pauxillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris.

℣. 2. *Quæ reliquit eum* — scilicet maritum, cujus zelotypiam ferre nolebat diutius, inquit Josephus. S. Ambros. [1] putat, familiari re aliqua, ut in matrimoniis frequenter accidit, offensam *concubinam* (sic enim vocari solent secundariæ uxores, ut dixi Genesis 25) noluisse diutius illius conjugium: ac proinde paternas ædes repetiisse, ut alterum a parente maritum deposceret. Ita etiam Lyranus, Serarius et alii.

Nota ex cap. sequenti vers. 28, quo dicitur, *Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus fuisse domus Dei*, seu pontifex, tum cum hæc contingerent, certo colligi, hæc contigisse paullo post mortem Josue, ante Mesopotamicam servitutem. Ita [2] Hebræi, et Josephus, Genebrardus, Abulensis, Lyranus, Vincentius [3] et Serarius.

(1) Lib. 3 Officior., cap. de fortitudine.
(2) In Seder-Olam. (3) In Spec. Hist.

6. Sederuntque simul, ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur.

7. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, et apud se fecit manere.

8. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul.

9. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, et propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, et duc lætum diem, et cras proficisceris ut vadas in domum tuam.

10. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus: sed statim perrexit, et venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, et concubinam.

11. Jamque erant juxta Jebus, et dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum, et maneamus in ea.

12. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa:

13. Et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama.

14. Transierunt ergo Jebus, et cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin:

15. Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, et nullus eos recipere voluit hospitio.

16. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro et de opere suo vesperi, qui et ipse de monte erat Ephraim, et peregrinus habitabat in Gabaa; homines autem regionis illius erant filii Jemini.

17. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis: et dixit ad eum: Unde venis? et quo vadis?

18. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Juda, et pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: et nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere;

19. Habentes paleas et fœnum in asinorum pabulum, et panem ac vinum in meos et ancillæ tuæ usus, et pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.

20. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas.

21. Introduxitque eum in domum suam, et pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.

22. Illis epulantibus, et post laborem itineris, cibo, et potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est, absque jugo), et circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: [1] Educ virum qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo.

23. Egressusque est ad eos senex, et ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum: et cessate ab hac stultitia.

(1) Gen. 19, vers. 5.
(2) Jud. 3, vers. 15, et 1 Reg. 9, etc.

℣. 16. *Erant filii Jemini* — Id est Ben-jaminitæ. Nam Benjamin sæpe vocatus *Jemini* in Scripturis [2].

24. Habeo filiam virginem, et hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, et vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.

25. Nolebant acquiescere sermonibus illius: quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane.

26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit.

27. Mane facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: et ecce concubina ejus jacebat ante ostium, sparsis in limine manibus.

28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur: Surge, et ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam.

29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.

30. Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus: ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus sit.

℣. 25. *Eduxit ad eos concubinam suam* — Et quidem licite, ut olim *Lot filias* obtulit *suas*, Gen. 19, nempe ut majus fœdiusque peccatum evitarent. Non tamen id eis licuisset, si uxor vel filiæ non consensissent ut sic traderentur. Vide Cajetanum, Abulensem et Serarium.

℣. 29. *Cadaver uxoris in duodecim partes concidens* — Neque in hoc peccavit Levita, cum non ad dehonestandum corpus, sed ad honorem defunctæ resarciendum, id fecerit, nempe ut hac via provocaret 12 tribus ad tanti sceleris vindictam: ita Abulensis et alii [1].

(1) Aliquid amplius hic agnoscit P. Martin p. 124 seqq.; putat ergo, Levitam anathemati eo ritu universas Tribus devovisse, nisi ejus uxorem ulciscerentur. Confer 1 Reg. 11, vv. 1 seqq.

CAPUT XX.

Infandum scelus ulcisci volentes undecim tribus a Benjaminiis semel iterumque cæduntur, fuganturque: sed tertio committentes, tribum Benjaminiam penitus exscindunt, solis sexcentis reliquis qui in solitudinem profugerant.

1. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, et pariter congregati, quasi vir unus, [1] de Dan usque Bersabee, et terra Galaad, ad Dominum in Maspha:

2. Omnesque anguli populorum,

℣. 1. *Egressi sunt filii Israel in Maspha* — Quadruplex erat *Maspha*, inquit hic Serarius. Hoc loco de Benjaminia sermonem esse totus contextus demonstrat. Nam et Silo, ubi tabernaculum fœderis erat, quo et Israelitæ jam convenisse dicuntur vers. 18 vicina erat illi *Masphæ*: eidem quoque vicina erat *Gabaa* quam bello petebat. Solebatque Benjaminia hæc *Maspha* frequenter comitium esse, 1 Regum 7 et 10, Jerem. 40, et 1 Machab. 3. Ubi etiam propter hanc *Masphæ* et *Siluntis* viciniam, unus locus pro altero usurpatur dum dicitur: *Locus orationis erat in Maspha ante in Israel.*

(1) Osee 9, vers. 9.

et cunctæ tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum.

3. (Nec latuit filios Benjamin, quod ascendissent filii Israel in Maspha). Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset,

4. Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti:

5. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.

6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, et tam grande piaculum factum est in Israel.

7. Adestis omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis.

8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum:

9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur.

11. Convenitque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio:

12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est?

13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur et auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum:

14. Sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, et contra universum populum Israel dimicarent.

15. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa,

16. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes: et sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

17. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, et paratorum ad pugnam.

18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est in Silo: consuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester.

19. Statimque filii Israel surgen-

Forte etiam ex Maspha videri eminus poterat tabernaculum Siluntinum: ut qui istic adessent, censerentur coram tabernaculo adesse, et ante arcam orare.

℣. 16. — *Sic fundis lapides jacientes, ut capillum quoque possent percutere* — Licet hæc hyperbolica videantur Cajetano et Abulensi: facile tamen credet qui meminerit quæ de *Cambyse* tradit Herodotus: de *Indo* Arianus: de *Merione Cretensi* Themistius: de *Persa*, et *Lido jaculatore* Zosimus: de *Commodo* Imp. Herodianus: de *Balearicis* Strabo: de aliis Lipsius, Villalpandus [1], et alii.

(1) Herod. lib. 3; Arianus in Alexandr.; Themist. orat. 6; Zosimus in Aureliano et in Tacito; Herodian. in Commodo; Strabo l. 3; Lipsius l. 4; Poliorc. Dial. 2; Villalp. t. 2, p. 2, etc.

tes mane, castrametati sunt juxta Gabaa:

20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt.

21. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.

22. Rursum filii Israel et fortitudine et numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt:

23. Ita tamen ut prius ascenderent et flerent coram Domino usque ad noctem: consulerentque eum, et dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite ad eos, et inite certamen.

24. Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent,

25. Eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa: et occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent.

26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, et obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas,

27. Et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei,

28. Et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras.

29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa:

30. Et tertia vice, sicut semel et bis, contra Benjamin exercitum produxerunt.

31. Sed et filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, et fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo, et cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum

℣. 21. *Filii Benjamin occiderunt de filiis Israel viginti duo millia* — sequenti die rursus alia 18,000. Cur vero permiserit Deus, etiam rite consultus, tanta strage affligi Israelitas tam æquam causam foventes; cur sanctissimos reges Josiam, Oswaldum Anglorum, Ludovicum Gallorum, Sebastianum Lusitanorum, tam infeliciter pugnare sit passus: et in genere, cur toties permittat variis adversitatibus et ærumnis affici etiam maxime probos et justos, pulcre explicant Origenes, Augustinus, Salvianus, Gregorius, Ephrem, Bernardus, sancta Brigitta, Antonius Gevara et Serarius [1]. In particulari de his Israelitis videtur Scriptura quatuor insinuare causas tantæ cladis. Prima est, ut scelera quibus jam varie contaminati erant, prius expiarentur: inter alia, etiam idololatria, non illa Michæ tantum c. 17 et 18, sed longe vulgarior et plurium, supra cap. 2 et 3 explicata: ita Procopius. Secunda, quia filii Israel *sua fortitudine ac numero* nimis *confidebant*, ut hic dicitur v. 22. Quo eodem et Tertia indicatur causa, nempe *temeritas* maxima, dum contempto hoste, et neglecta disciplina militari, locum ad pugnam ineptum deliguntur, utpote inferiorem ipsa urbe Gabaa: et sequenti nihilominus die, in eodem loco, stulta vel audacia, vel contumacia pugnare voluerunt. Et has ob causas notat Plutarchus etiam cæsum a Julio Cæsare Pompejum, viribus alioquin et numero longe superiorem. Quarta denique indicatur vers. 26 et sequentibus, ut major in populo excitaretur erga Deum religio, pietas, et animi demissio. Quod notant etiam ipsi Rabbini: et luculente comprobavit eventus.

(1) Orig. hom. 14 in Num.; August. l. 5 de Civ. Dei; Salvian. de Providentia; Greg. l. 6, epist. 51, et l. 7, ep. 3, et l. 21 Moral., c. 3; Ephrem tom. 1, serm. de patientia; Bern. serm. 27 in Cant.; S. Brig. l. 4, c. 15, et l. 5 passim; Gevara in fine tom. 2 Episi; Serar. in c. 2 Tobiæ.

una ferebatur in Bethel, et altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros:

32. Putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.

33. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœperunt,

34. Et ab occidentali urbis parte procedere. Sed et alia decem millia virorum de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus.

35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium.

36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant.

37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, et Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii.

38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent.

39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, et instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris),

40. Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere; Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, et flammas in sublime ferri:

41. Qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt,

42. Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus; sed et hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis.

43. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa.

44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem et octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores.

45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: et pergebant ad petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, et in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, et interfecerunt etiam alia duo millia.

47. Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in di-

ỳ. 45. *Petra Remmon.* — Josepho dicta *Roob*, urbs erat in prærupta petra, distans Jerosolymis 15 milliaribus, non longe a *Gabaa* Saulis patria, inter septemptrionem et orientem, ita S. Hieronym., Adrichomius et alii. Erat et altera *Remmon*, in tribu Simeonis, Josue 19, v. 7, quæ limes erat tribus Judæ ad *austrum*, sicut altera limes erat ad *aquilonem*, ut alibi [1] dicam.

(1) Zach. vers. 10.

versis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi.

47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, et fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor.

48. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis, a viris usque ad jumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

CAPUT XXI.

Ne prorsus interiret tribus Benjamin, instaurari jubetur ex 400 virginibus in cæde civium Jabes Galaad reservatis, et ex aliis ducentis virginibus Siluntinis.

1. Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, et dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.

2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, et in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, et magno ululatu cœperunt flere, dicentes:

3. Quare, Domine Deus Israel, factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis?

4. Altera autem die diluculo consurgentes, extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocausta, et pacificas victimas, et dixerunt:

5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

6. Ductique pœnitentia filii Israel super fratre suo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata est tribus una de Israel,

7. Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias nostras.

8. Idcirco dixerunt: Quis est de

℣. 4. *Extruxerunt altare* (utique alterum ac diversum ab altari Moysi et Siluntino) *obtuleruntque ibi holocausta et pacificas victimas* — Sed quo jure, cum ex Levit. 16 et Josue 22 constet non licuisse aras erigere et sacrificare extra locum tabernaculi fœderis? Respondeo, hoc altare in ipso tabernaculi loco erectum fuit. Et hoc licuisse, docet recte Abulensis. Poterant enim, etiam ordinarie, plura altaria in loco tabernaculi erigi, si victimarum numerus ita exegisset, uti legimus fecisse Salomonem 3 Regum 8, v. 64. Extra vero locum illum id non licuit, nisi ex privilegio et speciali dispensatione, qua subinde viris sanctitate ac prophetia spectatissimis id indultum legimus; v. g. *Gedeoni*, Judicum 6, *Manue*, Judicum 13, *Samuelis* in Ramatha, in Galgala, in Bethlehem, 1 Regum 7, 11 et 16, *Davidi* in area Ornan Jebusæi, 2 Reg. 24, *Eliæ* in *Carmelo* monte, 3 Regum 18, et aliis, in quibus locum non habebat ratio legis id vetantis, puta periculum idololatriæ, cum essent viri sanctitate ac prophetia spectatissimi, ut dixi: ita Abulensis, Cajetanus et Serarius.

℣. 7. *Omnes in commune juravimus, non daturos nos* Benjaminitis *filias nostras* — singulis nostrum proprias: sed non juravimus, non daturos nos illis communi decreto filias aliorum: aut non permissuros, vel non suasuros, ut vi vel dolo rapiant. Hinc neque Benjaminitis peccatum fuit hic raptus, partim quia consilio vel decreto superiorum ob finem honestum factus est: partim quia non

universis tribubus Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha? Et ecce inventi sunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuisse.

9. (Eo quoque tempore cum essent in Silo, nullus ex eis ibi repertus est.)

10. Miserunt itaque decem millia viros robustissimos, et præceperunt eis: Ite, et percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum.

11. Et hoc erit quod observare debebitis: [1] Omne generis masculini, et mulieres quæ cognoverunt viros, interficite, [2] virgines autem reservate.

12. Inventæque sunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ nescierunt viri thorum, et adduxerunt eas ad castra in Silo, in terram Chanaan.

13. Miseruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, et præceperunt eis, ut eos susciperent in pace.

14. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, et datæ sunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas simili modo traderent.

15. Universusque Israel valde doluit, et egit pœnitentiam super interfectione unius tribus ex Israel.

16. Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt,

17. Et magna nobis cura ingentique studio providendum est, ne una tribus deleatur ex Israel.

18. Filias enim nostras eis dare non possumus, constricti juramento et maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus suis uxorem Benjamin.

19. Ceperuntque consilium, atque dixerunt: Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad septentrionem urbis Bethel, et ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lebona.

20. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, et latitate in vineis.

21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, et rapite ex eis singuli uxores singulas, et pergite in terram Benjamin.

22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, et adversum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miseremini eorum: non

valde invitis filiabus aut illarum parentibus contigit. Quin nullo modo inviti fuissent, si perjurii periculum abesse scivissent, ut revera aberat. Nam juramentum, cum non obstringat ultra mentem jurantis, certumque sit hunc necessitatis casum, quo defectu sponsarum integra tribus excidenda esset, Israelitis cum jurarent, non venisse in mentem; certum item est, eo casu illos ad id obstrictos non fuisse. Quia tamen erronea conscientia putabant sese obstringi, prudenter ad raptum suadendum diverterunt; ita Lyranus, Cajetanus, Arias et Serarius.

Nota, raptum Siluntinarum præcessisse raptum Sabinarum a Romanis circiter annos 700, quot scilicet ab Othoniele primo Judice effluxerunt usque ad Romulum, cujus tempore Sabinas rapuere Romani. Et videtur uterque raptus contigisse paullo ante æquinoctium autumnale, Sabinarum 14 Kalendas Septembris, ut tradit Livius et Plutarchus: Siluntinarum vero in Scenopegiis, mense quoque Septembris; nam tum temporis commodum erat propter latas frondes *latitare in vineis*; quod hic vers. 20 raptoribus præscribitur.

(1) Num. 31, vv. 17, 18.

(2) " Vers. 11. *Virgines autem reservate:* nempe non apud Judæos solum, sed et apud alias nationes leges vetabant, virgines morte mulctari. Vide P. Martin p. 1, p. 132 seq. „

enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, sed rogantibus ut acciperent, non dedistis, et a vestra parte peccatum est.

23. Feceruntque filii Benjamin, ut sibi fuerat imperatum: et juxta numerum suum, rapuerunt sibi de his quæ ducebant choros, uxores singulas, abieruntque in possessionem suam, ædificantes urbes, et habitantes in eis.

23. Filii quoque Israel reversi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in Israel: sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

LIBER RUTH *

CAPUT I.

Elimelech Bethlehemita, urgente fame, cum uxore Noemi et duobus filiis in terram Moab concedit. Eo mortuo cum utroque filio, vidua Noemi cum Ruth nuru sua in Bethlehem remigrat.

1. In diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum uxore sua, ac duobus liberis.

2. Ipse vocabatur Elimelech, et uxor ejus Noemi: et duo filii, alter Mahalon, et alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi.

3. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi: remansitque ipsa cum filiis.

4. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis.

5. Et ambo mortui sunt, Mahalon

* Veteres Rabbini, B. Isidorus, Abulensis, Eugubinus, Arias, Genebrardus, Driedo, Sixtus Senensis, Fevardentius et Serarius [1] faciunt hujus libelli auctorem *Samuelem*, quod vellet, posteris constare de Davidis a se in regem uncti prosapia, simulque et *Christi* ex *Davide* orituri. Recenset autem hic patrem, avum et proavum Davidis, puta *Jesse*, *Obed* et *Booz*. Cujus parens cum fuerit *Salmon;* et hic cum Josue et reliquis Israelitis ingressus sit terram sanctam; subducto temporum calculo, dicendum videtur hanc Ruth historiam contigisse sub tempora *Barach et Debboræ*, ut colligunt Abulensis, Vigeneræus, Torniellus et Funccius. Vel potius sub *Abimelecho* tyranno, ut optime probat Salianus [2], qui cum Lyrano, Genebrardo, Catharino, Jansenio, Rabbinis et aliis citatis a Serario, tres dicit sibi mutuo succedentes eodem nomine Booz vocatos fuisse [3].

℣. 4. *Uxores Moabitidas* — Moabitis est Arabiæ pars, teste Plinio: cujus metropolis hebraice *Selha*, græce et latine *Petra* vocabatur, quod rupibus ac præcipitiis extrorsum muniretur. Eam hodiernam esse Turcarum *Mecham* opinatur Bellonius. Ab ea metropoli nomen regioni toti fuit *Arabia Petræa*. Ex hac urbe *Petra* Ruth et Orpham oriundas fuisse affirmant quos citat Abulensis, Vatablus, Arias, qui proinde cum S. Hieronymo, illud Isaiæ 16, vers. 1, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti*, explicant de nostra *Rutha*, quæ oriunda ex urbe *Petra* produxit *Obed* avum Davidis et Christi.

Petes, an filii Noemi potuerint sine peccato uxores ducere Moabitidas in ido-

(1) Isid. c. 11 de Offic. Eccles.; Abul. hic c. 4, q. 88; Eugub., Fevard, Serar. hic; Arias in cap. 5 Isaiæ; Genebr. l. 1; Driedo l. 1 de Catal. S. Script. c. 3; Sixtus Sen. l. 1 Biblioth.

(2) Sal. anno mundi 2741; Catharin. l. contr. Cajetanum; Jansen. c. 6 Concordiæ; Serar. in c. 4, q. 19; Plin. l. 5, c. 11 et 24; Bellon. l. 2, c. 53, et l. 3, c. 1; Abul. q. 16; Hieron. in illud Isaiæ.

(3) Verum P. Josephus Khell Soc. Jesu in egregia, quam de *Epocha Historiæ Ruth* Vindobonæ edidit 1757, dissertatione, anno Jairi XII, epocham peregrinationis Elimelechi cum uxore et filiis cœptæ constituit, reditum vero Noemi et nuptias Boozi anno primo Jephthe.

videlicet et Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito.

6. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Moabitide: audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, et dedisset eis escas.

7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru: et jam in via revertendi posita in terram Juda,

8. Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis et mecum.

9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt,

10. Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.

11. Quibus illa respondit: Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?

12. Revertimini filiæ meæ, et abite: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali; etiamsi possem hac nocte concipere, et parere filios,

13. Si eos expectare velitis donec crescant[1], et annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, et egressa est manus Domini contra me.

14. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est: Ruth adhæsit socrui suæ;

15. Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea.

16. Quæ respondit: Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.

17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, si non sola mors me et te separaverit.

18. Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere:

19. Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noemi.

20. Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (id est, pulcram), sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.

21. Egressa sum plena, et vacuam

lolatria perseverantes, ut has perseverasse colligitur ex vers. 15. Respondeo, cum Ruperto Tuitiensi[1], illos non lege, sed necessitate excusatos fuisse a peccato. Juvenes erant: ætatis fervor, prolisque amor conjugium suadebant: et in peregrino solo Israelitides nullæ, sed solæ Moabitides. Et sperare poterant, successu temporis ad Judaicam religionem conversum iri.

℣. 11. *Revertimini filiæ meæ* — Non jubet, sed solum ex urbanitate id eis liberum esse vult; q. d. Nolo, mea unius causa, e solo patrio, e domibus, a parentibus, ab amicis et notis in alienam terram ad alienos et ignotos emigretis; et pauperiem, liberorum orbitatem, et alios casus, qui peregrinantibus ac inopibus comites esse solent, subire cogamini. Nolo etiam, mea solius causa religionem mutetis, ne forte malorum, quæ Judaicam fidem amplexis, sed minus in ea constantibus, evenire solent, ignaræ, et scandalum aliis, et vobis exitium, et mihi probrum creetis: ita Abul. Cajet. et Serarius.

℣. 21. *Egressa sum plena* — scilicet liberis, marito, nummis, vigore, pulcritudine, honore, gratia et favore. His o-

(1) Lib. 1 in Matth.

reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens?

22. Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

mnibus jam *vacuam reduxit me Dominus.* Pia matrona pie admodum vacuitatis seu orbitatis omnis suæ, Deum (a quo omnia pendent) auctorem agnoscit: ideoque, ut decebat, æquo animo, patienter atque hilariter fert omnia.

CAPUT II.

Ruth pressa egestate, spicas in agro Booz affinis sui colligens gratiam apud eum invenit: et læta vesperi ad socrum reversa frumentum, et reliquias ciborum ei affert.

1. Erat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, et magnarum opum, nomine Booz.

2. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade, filia mea.

3. Abiit itaque, et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

4. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5. Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella?

6. Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi de regione Moabitide,

7. Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: et de mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.

℣. 1. *Elimelecho erat consanguineus Booz* — Rabbi Josue apud Raschi [1] dicit, Booz fuisse Elimelechi nepotem ex fratre illius. Sed male addit, eumdem esse cum *Abesan* nono in ordine Judicum, ut fuse refellit Abulensis et Serarius.

℣. 2. *Colligam spicas* — Nota ex Levitici 19 et 23, item Deuteron. 24 Judæis præceptum fuisse, dum segetes demeterent, aliquid spicarum in usus pauperum relinquerent, quæ fiebant primi pauperis occupantis, sive indigena is esset, sive advena. Voluit tamen Ruth v. 7 rogare præfectum agrorum, id sibi bona ipsius gratia liceret. Sed hoc fecit ex singulari modestia et humanitate: forsan et ignara erat ejusmodi privilegii, inquit Abulensis. Apud Christianos, ad quos sola moralia transierunt, neque ulla spicarum jussa relictio, neque ipsis agrorum dominis, aliisve divitibus vetita relictarum collectio, licet probrosum atque inhumanum foret, eas pauperibus quando adessent præripere: ita S. Thom. et Institutiones Juris, et Digesta [2]. Erat ergo spicilegium istud inopiæ certum argumentum: honestum tamen, minimeque probrosum, quia laboriosum. Et vero suadet ratio, dum vires annique sinunt, omnem adhibendum laborem et industriam ad vitæ necessaria conquirenda, prius quam ad mendicandum sese accingat egenus et pauper, ut pulcre docet Muretus [3].

(1) Cap. 3.

(2) S. Thom. 1. 2., q. 103, 104, 105; Instit. lib. 2, tit. 1. § *Hoc amplius* et *Qua ratione;* Digest. lib. 4, tit. 7 Pro derelicto.

(3) Lib. 13, c. 1 Var. lection. de robustis mendicis.

8. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed jungere puellis meis,

9. Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, et bibe aquas, de quibus et pueri bibunt.

10. Quæ cadens in faciem suam et adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem?

11. Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: et quod reliqueris parentes tuos, et terram in qua nata es, et veneris ad populum, quem antea nesciebas.

12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas.

13. Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.

14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, et comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, et congessit polentam sibi, comeditque et saturata est, et tulit reliquias.

15. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam:

16. Et de vestris quoque manipulis projicite de industria, et remanere permittite, ut absque rubore colligat, et colligentem nemo corripiat.

17. Collegit ergo in agro usque ad vesperam: et quæ collegerat virga cædens et excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.

18. Quos portans reversa est in civitatem, et ostendit socrui suæ: insuper protulit, et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

19. Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, et ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata: et nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.

℣. 12. *Sub cujus confugisti alas* — Recte sub Dei Israel alas confugit Ruth, cum relictis diis Moab, in Judæorum religionem transiit, ut velut implumis et tenella avicula in nido Dei confoveretur, contra solis seu tentationum æstus, contra rapacissimos inferorum vultures ac milvos, contra omnes aerias tempestates protegeretur.

℣. 14. *Intinge buccellam tuam in aceto* — Jam ante de potu prospexerat Booz Ruthæ. Neque leve munus erat, in calida regione, ubi magna dulcium aquarum [1] penuria, tempore messis torrido et siticuloso, quantum vellet frigidæ aquæ concedere. Sed hic non stetit liberalitas; etiam *panem* addit, quo designatur omne genus cibi, et *acetum*, seu embamma vel pulmentum aceto conditum. Sic enim Chaldæus vertit. Quamquam et merum acetum ad stomachum jacentem, fastidientem, aut nauseantem recreandum, vel ad æstuantem refrigerandum, fessumque refocillandum valeat plurimum, teste Plinio [2] et medicis. Ac vero id etiam hodie in deliciis habent Italiæ Hispaniæque rustici et messores, quibus *posca* (acetum est aqua mixtum) etiam gratissima et utilissima: et in navibus ac triremibus etiam nautæ utuntur. Vide Christophorum a Vega, Aetium, Bellonium [3] et alios medicos. Pro *polenta*, cujus partem detulit Ruth socrui suæ Noemi, vertunt aliqui *far tostum*, seu *aristas tostas*; Lyranus *granatum*, id est cibum e novis granis tostis vel frixis confectum: quem qui gustarunt, palato gratissimum asserunt.

(1) Patet Genes. 26 et 28; Exodi 2; Num. 20; Deut. 2, etc. (2) Lib. 23, cap. 1. (3) Vega l. 2 de Arte medendi; Aetius serm. 1, Tetrall. 6; Bellon. l. 2 Observat., c. 69.

20. Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo.

21. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur.

22. Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.

23. Juncta est itaque puellis Booz: et tamdiu cum eis messuit, donec hordea et triticum in horreis conderentur.

℣. 20. *Eamdem gratiam,* id est benevolentiam et beneficentiam, *quam præbuerat vivis,* Elimelecho ejusque filiis, *servavit et mortuis* — cum illorum memoria et intuitu, nobis eorum uxoribus tam benigne facit.

CAPUT III.

Ruth obsecuta socrus suæ consilio, ad pedes affinis sui Booz dormientis recumbit, et nuptias verecunde postulat: lætoque responso accepto, sex modios hordei ad socrum defert.

1. Postquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, et providebo ut bene sit tibi.

2. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, et hac nocte aream hordei ventilat.

3. Lavare igitur, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et descende in aream; non te videat homo, donec esum potumque finierit.

4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque et discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, et projicies te, et ibi jacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.

5. Quæ respondit: Quidquid præceperis faciam.

6. Descenditque in aream, et fecit omnia quæ sibi imperaverat socrus.

7. Cumque comedisset Booz, et bibisset, et factus esset hilarior, is-

℣. 2. *Hac nocte* sequenti *ventilat,* pro ventilare decrevit, *aream hordei* — id est hordeum quod in area jam tritum et aggestum jacet. Nam *messione* peracta, et siccatis manipulis succedebat *excussio* seu *tritura:* deinde *ventilatio,* qua a palea grana secernantur, et fit vel triturræ ad ventum expositione, vel vannatione, vel e latere in latus, per palas ac ventilabra dejectione, ut ex Homero docet Eustachius, Varro et Columella [1]. Solent autem, invecta pene messe in horrea, epulæ quædam exhiberi operariis ad eos excitandos recreandosque: de quibus Cato [2] ait: *Eo die quo daps fiebat* (sic vocabatur ejusmodi epulum) *feriæ bubus et bubulcis, et qui dapem facient.* Unde et ab Ovidio [3] *vacuna* appellantur, quod post invectos fructus vacarent tum agricolæ a laboribus. Hanc vero feriarum et epularum occasionem putabat Noemi opportunam Ruthæ fore ad animum Booz jam exhilarati commodius expugnandum.

℣. 4. *Ipse autem dicet tibi quid agere debeas* — Sperabat enim Noemi, quod Booz, audita Ruthæ justissima nuptiarum postulatione, concessurus eas esset extemplo, etiam ipsa illa nocte. Vult tamen, ex sapienti sapientis Boozi consilio totam pendere, ut nonnisi legitime seu ex legum præscripto res peragatur.

(1) Eustach. in Iliad. ν; Varr. l. 1, c. 51 et 52; Colum. l. 2, c. 21.

(2) Cap. 131 de Re rust.

(3) Ovid. 6 Fast.

setque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, et discooperto pallio a pedibus ejus se projecit.

8. Et ecce, nocte jam media expavit homo, et conturbatus est: viditque mulierem jacentem ad pedes suos.

9. Et ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

10. Et ille: Benedicta, inquit, es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta juvenes pauperes sive divites.

11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.

12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.

13. Quiesce hac nocte: et facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus; dormi usque mane.

14. Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, et dixit Booz:

℣. 9. *Expande pallium*, seu stragulum, *tuum super famulam tuam* — Hebraice et græce est, *extende alam tuam*, estque proverbium, quo implorat Boozi auxilium, defensionem ac tutelam, non qualemcumque, sed matrimonialem, quæ uxori a marito debetur. Et vero solent tum olim, tunc nunc quoque, Judæi in nuptiis suis, cum sponsus fidem dat sponsæ, partem vestimenti sui imponere sponsæ: ita Lyranus, Vatablus et Serarius. Est ergo modesta verecundaque petitio conjugii. Unde Chaldæus vertit, *vocetur nomen tuum super ancillam tuam, ut accipias me in uxorem.*

℣. 10. *Priorem misericordiam posteriore superasti* — Priorem misericordiam Ruthæ vocat Booz eam benignitatem quam in defunctum maritum, et viventem adhuc socrum contulit hactenus: posteriorem vero, quam conferre nunc satagebat, novis nuptiis filios defuncto excitando, nomenque ipsius ad posteros propagando. Nam hoc in magnis bonis, sicut contrarium in magnis malis, tum ponebatur. Addit et novum aliud encomium, quod vidua juvencula non virum aliquem marito defuncto superinduxerit in patria sua, juvenem sive divitem, sive pauperem: sed, relictis omnibus, exulatum in Judæam venerit, ibidemque se matrimonio jungere studuerit non cuilibet, sed ei a quo posset restitui in familia extinctum alioqui mariti nomen.

(1) S. Thom. 2. 2., q. 154, a. 4, et q. 169, a. 2, et Cajet. ibid.

Petes, an Noemi et Ruth non peccarint tam periculosis utentes modis ad nuptias Boozi extorquendas. Lyranus Noemi graviter accusat, Rutham propter solam ignorantiam excusat. Sed respondeo, neutram peccasse, eo quod hoc omni apparatu et lenocinio non aliud quam legitimum matrimonium aut intenderint, aut postularint, confisæ sat probatæ tum senis Boozi, tum Ruthæ continentiæ. Fas autem est, aptis verborum, gestuum, aliorumque generum signis ad matrimonium ineundum honeste invitare, ut docet S. Thomas, Cajetanus [1], Abulensis et alii. Ferebat quoque tunc matrimonii natura, tulitque etiam diu apud Christianos ante Tridentinum Concilium, ut occulto consensu seu clandestino posset contrahi. Eaque propter potuisset illa ipsa nocte inter Booz et Ruth matrimonium conciliari et consummari, nisi remoram injecisset alterius major propinquitas.

Petes secundo, quomodo saltem in eo non peccavit Noemi, quod alterius propinquioris nuptias non prius sollicitarit? Respondeo, forte ipsa hoc ignorabat: vel, si scivit, ominabatur, quod evenit, eam illius propinquioris vel duritiam, vel fastum fore, ut, etiamsi ei deferretur, recusaret tamen et aspernaretur paupercule Ruthæ conjugium. Vide S. Ambrosium, S. Hieronymum, Auctorem operis imperfecti in Matthæum, Theodoretum, Fevardentium [2] et Serarium.

(2) Ambr. l. 3 de Fide, c. 5; Hieron. et Auctor. imp. in l c. Matth.; Theod. apud Fevard. hic p. 236.

Cave ne quis noverit quod huc veneris.

15. Et rursum, Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, et tene utraque manu. Qua extendente, et tenente, mensus est sex modios hordei, et posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem,

16. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti, filia? Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo.

17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, et ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam.

18. Dixitque Noemi: Expecta, filia, donec videamus quem res exitum habeat; neque enim cessabit homo, nisi compleverit quod locutus est.

CAPUT IV.

Booz coram judicibus civitatis, evocato altero affine propinquiore, sed illo juri propinquitatis renunciante, adit possessionem Elimelechi defuncti, et Ruth nurum illius accipit in uxorem, ex qua gignit Obed avum Davidis regis.

1. Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum prætierire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, et sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, et sedit.

2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic.

3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide:

4. Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis, eme, et posside; sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam; nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es: et me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam.

5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere: ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua.

℣. 1. *Cum vidisset propinquum prætierire* — forte in agrum ad messores exeuntem, vel inde redeuntem.

Petes, Quare Samuel libelli hujus auctor nominare illum noluit? Respondeo, Videtur hac nominis æterna oblivione merito voluisse mulctare virum ingratum ac superbum: et qui sui nominis adeo studiosus esset, ut de propinqui defuncti nomine nihil omnino laborarit, ipsamque illius viduam Ruth contempserit, indignus ipse censetur qui proprio nomine posteris innotesceret.

℣. 3. *Partem agri fratris*, id est, propinqui, *nostri Elimelech vendet*, necessitate coacta *Noemi* — scilicet nomine Ruthæ nurus suæ, quæ quod vellet secundum legem Deuteron. 25 mariti vita functi cognatorum alicui nubere, atque ita filios illi suscitare, poterat vel ad vitam suam proventibus agri frui, vel ea conditione vendere, ut saltem quamdiu primogenitus ex ipsa nasciturus, ejus agri possessionem non adiret, esset dominium vel ususfructus penes emptorem.

Petes, Quis, peregrinante Elimelecho in Moabitide, agrum illum tenebat, colebat, metebat? Respondeo, Verisimiliter alicui elocatum fuisse, qui pro annorum illorum sterilitate aliquid saltem quotannis penderet: ita Abulensis et Lyranus.

6. Qui respondit: Cedo juri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo; tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

7. [1] Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo: hoc erat testimonium cessionis in Israel.

8. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.

9. At ille majoribus natu, et universo populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, et Chelion, et Mahalon, tradente Noemi:

10. Et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis.

11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, et majores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israel: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem:

12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, [2] quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.

13. Tulit itaque Booz Ruth, et accepit uxorem: ingressusque est ad eam, et dedit illi Dominus ut conciperet, et pareret filium.

14. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non

℣. 6. *Cedo juri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo* — Hebraice, Chaldaice et Græce, *corrumpere*; q. d. Mihi et uxor, et filii multi sunt, qui possessiones meas et posteritatem ac nomen satis tuebuntur: ad hos si e juvencula Ruth plures accederent filii (nam præter primogenitum, propinquo substituendum, reliqui omnes pari cum prioribus jure censebuntur mei filii et heredes), jam meæ possessiones nimium dissecarentur et disperderentur, forsan et litibus involverentur.

℣. 7. *Solvebat homo calceamentum suum* — Nota. Præter *excalceationem religiosam*, qualem præcepit angelus Moysi ad rubum, Exodi 3, itemque Josue prope Jericho, Josue 5, duplex reperitur in Scripturis *excalceatio politica*. Una *in pœnam*, quæ describitur Deuter. 25, quæ ex lege præscripta erat, cum nollet frater germanus fratri defuncto semen suscitare: nam inter solos fratres proprie dictos locum habebat: fiebatque etiam invito, et cum consputatione faciei; et erat valde probrosa. Altera non in pœnam aut probrum, sed in contractus solemnitatem ac firmamentum adhibebatur, ut apud nos *clavium traditio*. Et talis fuit hæc propinqui Booz *excalceatio*, ad confirmanda hæc sua pacta conventa. Neque fiebat hæc ex legis præscripto, sed ex sola *consuetudine*, ut hic dicitur. Et loco illius jam in contractibus majoris momenti utuntur Judæi *symbolo lintei*, teste Rabbi Elia [3], qui emptionem sic initam dicit inde vocari *emptionem sudar*, vel emptionem *linteatam*. Vide de his fuse Abulensem et Serarium.

Petes, Quomodo licuit Boozo ducere Rutham Moabitidem, cum Deuteron. 23 Moabitis *in æternum* negetur aditus in Ecclesiam Dei? Hanc ob causam dicit Beza [4] Boozum peccasse. Sed Respondeo, legem illam non de feminis, sed de solis viris ita statuisse. Nam solorum virorum, inquit S. Augustinus [5], culpa fuerat, ob quam pœna ista Moabitis inflicta esset, ut colligit ex Num. 22. Addit Abulensis et alteram causam, nempe, quod nati ex matre Moabitide, sed patre Judæo, non erant nec censebantur Moabitæ, sed Judæi: nam filii referri solent ad genus et stirpem patrum, non vero matrum suarum.

(1) Deut. 25, vers. 7. (2) Gen. 38, vers. 29.
(3) In Thisbi, verbo *Kanab*.
(4) Lib. de Repudiis.
(5) In Deut. q. 35.

est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel;

15. Et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriat senectutem; de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.

16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, et dicentes: Natus est filius Noemi: vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

18. Hæ sunt generationes Phares: [1] Phares genuit Esron,

19. Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab,

20. Aminadab genuit Nahasson, [2] Nahasson genuit Salmon,

21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,

22. Obed genuit Isai, Isai genuit David.

ỿ. 17. *Isai patris David* — non primo, sed septimo loco ex eo prognati, ut dicitur I Paralip. 2, vers. 13. Vide quam promptum sit Deo, plebejos vulgaresque homines, etiam ad summum evehere fastigium dignitatis, cum e paupercula, extera et obscurissima muliercula Ruth, tot tantosque reges, adeoque et ipsum quoque Regem regum Christum proseminari voluerit? Unde et ab Hebræis *Ruth* vocari solet *Emah malcuth*, id est, *mater regni*, puta Judaici [3].

Allegorice Booz Christum Dominum, Ruth Ecclesiam præfigurasse; Moraliter, perfectissimarum virtutum exemplar fuisse, docent Dionysius Carthusianus, Hugo Victorinus, Fevardentius et Serarius ex SS. Ambr., Hieronym., Chrysost., Petro Damiano [4] et Isidoro. Sed præ omnibus elegantissime Lud. de Puente, in priori parte Ducis sui spiritualis.

(1) 1 Par. 2, vers. 5, et 4, vers. 1; Matth. 1, vers. 3.

(2) " Vers. 20. *Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz.* Non improbabile aliqui putant, loquitur Ostius, omitti hic parentes aliquot medios, ob distantiam temporum inter Nahasson et Booz; et excitat quoque videre Jansenium cap. 7 in Concord. Evang. „

(3) Hebr. in Juchasin, fol. 10 *b*.

(4) Ambr. l. 3 de Fide, c. 5; Hier. procœmio in Osee, et lib. 5 in Isaiæ, c. 16; Chrysost. hom. 3 in Matth.; Damian. l. 8, epist. 14 ad soror.

LIBER I. REGUM

Continet stirpem, gesta et mortem prophetæ Samuelis et regis Saulis: et pleraque Davidis. Quæ per tempora ordine distributa videre licet in Chronico c. 26 et 27.

CAPUT I.

Stirps Samuelis, quem Anna mater voto et precibus obtinet a Deo: et ablactatum offert pontifici Heli in Silo, ut serviat æternum Domino.

1. Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrathæus:

2. Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi.

3. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exerci-

℣. 1. *Vir Ephrathæus* vocatur *Elcana*, seu Ephraimita [1], non quod genus duceret ex tribu *Ephraim* (nam erat ex tribu *Levi*, ut aperte dicitur 1 Paralipomenon 6, vers. 33), sed quia in civitate Levitica *Rama*, sita in tribu *Ephraim*, natus erat et educatus. Quo modo in Actis Apostolorum multi Judæi appellantur *Cretes*, *Arabes*, *Græci*, etc. ea solum de causa, quod in *Creta*, *Arabia*, *Græcia* nati vel educati essent, vel domicilium fixissent. Ponitur vero *Rama* hic in numero duali *Ramathaim*, quod duplex esset civitas, sed duabus constans partibus, quarum una videtur inferiori loco sita fuisse, altera superiori, et quasi in monte, unde additur hic *Sophim*, id est *specula:* ut designetur, Elcanam ex ea urbis parte ortum traxisse quæ superior erat, et quasi *Specula*, longe lateque quidquid circum actitaretur, detegere posset. Stephanus Ragusinus, citatus a Duce Razivilio [2], putat hanc *Ramatha* illam esse civitatem, quæ subsecutis temporibus, præfixa littera A, dicta fuit Arimathia, cujus civis fuit ille Josephus, qui Christum Dominum e cruce deposuit. Tempore S. Hieron [3]. nominabatur *Remphtis:* hodie *Ramula* a Turcis vocatur, in qua præcelsæ turres, in quibus lampades perpetuæ, inquit Saligniacus [4], et ex eo Serarius.

℣. 3. *Ascendebat statutis diebus* — ter in anno, puta in festo *Paschæ*, *Pentecostes* et *Scenopegiæ*, ut statuit Deus Deuter. 16. *Ascendebat*, inquam, etiam proprie dicto *ascensu:* nam licet *Ramatha* in monte sita esset, ut jam dixi: *Silo* tamen, ubi tabernaculum erat jam inde a temporibus Josue, longe altiori loco erat, teste Adrichomio, qui ait: *Silo mons altissimus est omnium in circuitu Jerusalem; atque adeo supereminet universis terræ sanctæ montibus.*

(1) Patet Judic. 12.
(2) Dux Razily. et Olicæ epist. 2, f. 129.
(3) Lib. 1 contr. Jovinian.
(4) Cap. 3, tit. 6

tuum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini.

4. Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes:

5. Annæ autem dedit partem unam tristis; quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus.

6. Affligebat quoque eam æmula ejus; et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus:

7. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: et sic provocabat eam; porro illa flebat, et non capiebat cibum.

8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?

9. Surrexit autem Anna postquam comederat et biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini,

10. Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter,

11. Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus.

12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus.

13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam,

14. Dixitque ei: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.

15. Respondens Anna, Nequa-

℣. 4. *Venit ergo dies* — unus ex tribus jam dictis.

Et immolavit Elcana — scilicet hostiam *pacificam:* nam ex ea sola redibat bona pars ad offerentem. In *holocausto* totum igni absumebatur: *hostiam pro peccato* totam sibi sacerdotes ex lege vendicabant: ex *pacifica* vero solus adeps Deo adurebatur, armus et pectusculum sacerdoti cedebat; quidquid erat reliquum, reddebatur offerentibus, ut ex eo epularentur cum quibus vellent, dummodo in urbe sacra, et loco mundo, ut dixi Levitic. 7 et Deuteron. 12. Ex his victimis pro numero capitum divisis distribuebat paterfamilias cuique convivæ partem seu portionem suam. Sed hanc suam portionem *Anna*, licet primaria uxor Elcanæ et domina familias, quia a Phenenna secundaria uxore, et perpetua æmula, ob sterilitatem (ut olim *Sara* ab *Agar*) amaris probris lacessita, animo indignante, stomacho fastidiente capere non poterat.

℣. 11. *Dabo eum Domino* — At Levitæ, qualis futurus erat quicumque nasceretur Annæ masculus, de jure addicti erant ministerio Domini, ut sacerdotibus ministrarent in templo. Respondeo, Sed nonnisi a 25 ætatis anno, usque ad 50, ut expresse decernitur Numeror. 4 et 8. Anna vero filium suum æterno devovet templi servitio, seu *omnibus diebus vitæ ejus.* Insuper addit, *Novacula non ascendet super caput ejus,* id est, perpetuo erit Nazaræus, instar alterius Samsonis, Judicum 13. Sed de Nazaræorum institutis vide Levitici ult. et Numer. 6. Porro potuit Anna suo voto perpetuam sibi necessitatem imponere, numquam filium a templi servitio vel nazaræatu revocandi: sed non potuit cogere filium, ne, cum plenum habuerit rationis usum, si vellet, aliter de se, vitæque modo statuere posset. Neque enim filii tenentur vota parentum, quæ personalia dicuntur, implere. Unde prudens mater infra v. 28 dicit, se *eum commodasse* seu dedisse *Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus,* id est quamdiu vita et voluntas ejus tulerit.

quam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

16. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris et mœroris mei, locuta sum usque in præsens.

17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.

18. Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.

19. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino: reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam: et recordatus est ejus Dominus.

20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel: eo quod a Domino postulasset eum.

21. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum,

22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter.

23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum: precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte.

24. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus:

25. Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli.

26. Et ait Anna: Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum.

27. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.

28. Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, et ait:

℣. 20. *Samuel* — q. d. *Sam ou El* [1], id est, *posuit ipsum Deus*, scilicet in rerum natura, et quasi genuit; cum nempe fœcundam reddidit Annæ vulvam ante prorsus sterilem, vocavit autem eum hoc nomine mater, *eo quod a Domino postulasset eum*, et consequenter *impetrasset eum*; q. d. Eo quod nullo humano, sed solo divino beneficio sibi obtigisset. Simulque intendebat pia mater, ut *Samuel*, quoties suum hoc audiret nomen, recordaretur se Deo tamquam præcipuo parenti debere et quod esset, et quod viveret; atque ita libentius perpetuas Nazaræi status molestias sustineret.

(1) שמו אל.

CAPUT II.

Annæ canticum in gratiarum actionem: quæ tres alios filios et duas filias generat. Porro Heli pontifici ob scelera filiorum, nimiamque ipsius in illos indulgentiam prædicitur excidium domus, et pontificatus amissio.

1. Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

2. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.

3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.

4. Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.

5. Repleti prius, pro panibus se locaverunt: et famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: et quæ multos habebat filios, infirmata est.

℣. 1. *Exaltatum est cornu meum* — id est potentia, pulcritudo et gloria mea, metaphora ab illis animantibus sumpta, quibus hæc omnia præstat præfixum fronti cornu.

Dilatatum est os meum super inimicos meos. Hactenus pudor sterilitatis, cum hæc illi pudor exprobraretur, Annæ linguam constrinxerat, et os obstruxerat: jam cum se tam nobili prole decoratam videt, læta *in salutari* Dei, id est, ob salutem a Deo sibi concessam; liberrime linguam expedit, fauces et os dilatat, non solum ad depellendam a se contumeliam, sed et ad insultandum, si vellet, hostibus suis. Quia cælitus aucta tanto filio, multo potiori jure poterat suam commendare fortunam, quam posset suis omnibus prolibus æmula Phenenna.

℣. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia* — Jubet, ab insolenti spiritu, inflatisque verbis, quibus hactenus assueverunt, imposterum abstineant, et *vetera* seu antiqua dicteria, nescio quid superbum resonantia, commutent cum nova cantilena qua Deo laudem et gloriam omnem transcribant.

Quia Deus scientiarum, Dominus est, id est, exactissime novit omnia cognoscibilia: *et ipsi præparantur cogitationes* — Id est, divinis ejus oculis omnia etiam intima cordium perinde patent, atque patere posset oculis regis imago aliqua in ejus gratiam vivis expressa coloribus, vel ludi theatrales ipsis oblectando præparati. Neque oculis tantum divinis, sed et manibus, seu potentiæ ac providentiæ divinæ patent et subjacent omnia: neque enim solum intuetur, sed et appendit et numerat, et condignis præmiis prosequitur omnia, nihil impunitum relinquens quod malum, nihil non numeratum quod bonum deprehenderit. Quod mox probat exemplis, primo, ab *arcu* seu robore militari, v. g. in Josue, Samsone, Goliath et Davide. Secundo, a *repletione,* seu divitiis, v. g. Job et Ruth. Tertio, a fœcunditate miraculosa, v. g. Saræ, Rachelis et Annæ. Unde pro *donec,* in Hebræo est, *usque adeo ut et sterilis pariat,* etc. Tradent vero Hebræi (ut refert S. Hieronym. [1] et ex eo Vatablus, Abulensis, Jansenius et historia Scholastica) cum primum natus est Samuel, interiisse Phenennæ primogenitum, et alios eodem ordine deinceps omnes. Quarto, exemplum desumit a *morte.* Quinto, ab *inferis,* vel proprie sumptis: vel pro extrema miseria et calamitate, quæ morti vel inferis opinione vulgi comparari solent. Sexto, a *paupertate.* Septimo, ob *humili* seu vili statu. Octavo, a *pulvere et stercore,* seu sordido et hominibus execrabili vitæ genere: ut Josepho, Davidi, Mardochæo, et mille aliis ad *solium* inde evectis contigit. Quarum omnium mutationum et quasi metamorphoseon hæc verissima propriissimaque causa est, quæ hic insinuatur.

(1) In Tradit. Hebr. super l. 1 Regum.

6. [1] Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

7. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat.

8. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat; Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.

9. Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

10. Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu christi sui.

11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.

12. Porro filii Heli filii Belial, nescientes Dominum,

13. Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua,

14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum; et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi; sic faciebant universo Israeli venientium in Silo.

15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.

16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens ajebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines a sacrificio Domini.

18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo.

19. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem.

20. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

21. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios, et duas filias: et magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

22. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli: et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi:

23. Et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?

24. Nolite, filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.

℣. 8. Quia *Domini sunt cardines terræ* — Id est, a divina potentia sic omnia humana facillimo nutu vertuntur, et susdeque feruntur, ac si terra suos haberet cardines super quos nullo negotio illam, et omnia in illa contenta Deus quamcumque vellet in partem raperet ac versaret: sicut in cælo, quia cardinum illius Dominus est pro libito illud, et omnia in illo fixa astra, perpetuo rotatu circumfert et volvit, quæque mane vel meridie attollit, vespere deprimit.

℣. 22. *Cum mulieribus,* quæ consecratæ Deo *observabant ad ostium tabernaculi,* nutus et imperia sacerdotum, quid nempe per ipsas curatum vellent. De his egi Exodi 38, v. 8.

(1) Deut. 32, vers. 39; Tob. 13, vers. 2; Sap. 16, vers. 13.

25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus.

27. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis?

28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me: et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel.

29. Quare calce abjecisti victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei?

30. Propterea ait Dominus Deus Israel: [1] Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui, ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

31. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.

32. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel: et non erit senex in domo tua omnibus diebus.

℣. 25. *Si autem in Dominum peccaverit vir*, eo præsertim modo quo vos peccatis, profanandum tabernaculum Domini incesto concubitu et meretriciis sordibus, conculcando sacrificia, legesque omnes divinas atque ita, quantum in vobis est, tollendo e medio omnia præsidia, quibus ex instituto Dei, venia et misericordia peccatoribus extorqueri solet; his, inquam, sublatis, et a vobis penitus eversis, *quis orabit pro vobis* — id est, quis subministrabit aliud sacrificium, aut orationem solemnem, qua vobis placetur Deus, et a peccatis expiemini? ita Gaspar Sanctius.

Et non audierunt: quia voluit Dominus occidere eos — Particula *quia*, non denotat hic proprie dictam causam, vel directam et absolutam intentionem Dei: sed solum conditionatam, indirectam et improprie dictam. Neque enim impulit illos Deus in peccatum, aut vi præcipites egit (ut blasphemant Calvinistæ), sed tantum subtraxit illis, utpote indignis extraordinaria et indebita auxilia, quibus peccatum quod punire voluit, et peccato debitum decretumque supplicium effugerent. Ita S. Hieronym., S. Augustinus, S. Thomas, et Doctores Scholastici [2], et nos in c. 45 Geneseos.

℣. 29. *Quare calce abjecisti*, id est, pro vili et abjecto habuisti victimas et sacrificia mihi consecrata? nempe, Tu per filios tuos. *Ut comederetis primitias omnis sacrificii* — id est, prima omnia et præcipua, seu optima et pinguissima, quæque Deo adoleri debebant: hæc enim puer sacerdotis fuscinula ex ollis præripiebat, neque sinebat Deo offerri, sed in liberos sacerdotis usus secernebat.

℣. 31. *Præcidam brachium tuum* — Id est, robur et potentiam sacerdotalem, qua tua Ithamaris familia nunc prævalet cognatæ et æmulæ familiæ Eleazari, recens ea gloria spoliatæ. Pro quo

Nota ex Josepho [3], dignitatem pontificiam, quæ in posteris Eleazari primogeniti Aaronis hæserat usque ad quartam stirpem, puta *Phinees, Abizue, Bocci* et *Ozi*; sub tempora parentis Heli (forte propter inertiam aliorum in administrandis rebus sacris) ita Deo per expressum Prophetam (ut vers. 30 insinuatur) jubente, translatam fuisse ad alteram Aaronis secundogeniti, puta Ithamaris, stirpem: e qua primus *Heli* eam assecutus

(1) 3 Reg. 2, vers. 27.
(2) S. Hieron. epist. ad Hedibiam tom. 3, q. 10, et in cap. 1 ad Rom.; S. Aug. tom. 10, serm. 88 de Temp.; S. Thom. 1 p., q. 23, a. 3; DD. Scholastici ibid.
(3) Lib. 5 Antiq., cap. ult.

33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit.

34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: In die uno morientur ambo.

35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet: et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram christo meo cunctis diebus.

36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

est, tenuitque etiam manu posterorum suorum usque ad initium regni Salomonis; nam Heli successerunt *Phinees*, *Achitob*, *Achimelech* et *Abiathar*[1]. Hunc vero *Abiathar* ob conspirationem cum Adonia Salomon pontificatu exuit, et Sadoco, qui erat ex posteris Eleazari primogeniti Aaronis eamdem dignitatem restituit, *ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum in Heli in Silo*. Et de hoc Sadoco loquitur hic Deus vers. 35 cum dicit, *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem coram christo meo*, id est, coram Salomone, ceterisque regibus eum secuturis: *Et ædificabo ei domum fidelem*, seu constantem, id est efficiam, ut in ejus familia et posteris dignitas pontificalis stabiliter permaneat. Et sane permansit, ut ex Ezechiele, et Josepho [2] constat, saltem toto tempore regum Judæ, usque post eversam a Chaldæis Jerosolymam, et verisimiliter usque ad tempora Herodis, cujus tempore quia omnia erant venalia, forte etiam ex posteris *Ithamaris* aliquis rursus irrepsit. Vide quæ dixi Numer. 25, vers. 12. Ex quibus patet, nullum hic sermonem esse de Samuele, quia licet hic speciali indulto Dei [3] sacerdos fuerit, tamen cum non nisi Levita natus esset; hinc summus sacerdos seu pontifex numquam fuit, multo minus ejus filii vel posteri: ut prolixe probat Abulensis, Genebrardus, Hugo, Dionysius, Lyranus, Cajetanus, et ex antiquis S. Hieronym. [4] et sanctus Augustinus, licet hi aliquando [5] etiam putarint Samuelem fuisse summum pontificem: uti et putarunt Gregorius, Eucherius, Angelomus, Primasius et Haymo in hunc locum.

(1) 3 Reg. 2, vers. 27.
(2) Ezech. 40, vers. 47; Joseph lib. 10 Antiq., cap. 1.
(3) Vide Judic. 6, vers. 17.
(4) Hieron. l. 1 contra Jovinian.; Aug l. 2 Retract., c. 44, et in Quæst. veteris et novi Testamenti, q. 46.
(5) Hieron. in 1 ad Cor. 1; Aug. ib., c. 55, et in Psalm. 98, et contr. Faustum, c. 33, et de Civ. lib. 17, c. 5.

CAPUT III.

Samuel quater a Domino evocatus, etiam ipse admonetur de malis domui Heli imminentibus. Quæ mox Heli refert Samuel, et paullatim toti Israeli prophetiis suis innotescit.

1. Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis: non erat visio manifesta.

2. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre:

3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.

4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego.

5. Et cucurrit ad Heli, et dixit: Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit.

6. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, et dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te, fili mi: revertere, et dormi.

7. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini.

8. Et adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli,

9. Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: et ait ad Samuelem: Vade, et dormi: et si deinceps vocaverit te, dices: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo.

10. Et venit Dominus, et stetit: et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

11. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.

12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam, et complebo.

13. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos.

14. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum.

15. Dormivit autem Samuel us-

℣. 3. *Lucerna Dei,* seu candelabrum tabernaculi septiceps, *antequam extingueretur* — Periphrasis est noctis, q. d. Cum adhuc lucerent omnes lucernæ in tabernaculo: nam hæ tantum noctu omnes ardebant, mane pleræque extinguebantur, ut dixi Exodi 25. Porro sic distinguenda hic Scripturæ verba, ut nova clausula inchoetur ab his verbis, *Lucerna Dei,* etc. ut nunc distinguunt Biblia Sixtina, patet ex editione LXX Interpretum, et Chaldaica paraphrasi, et antiquioribus Latinis et Græcis exemplaribus: item S. Hieronymo [1], Abulensi, Lyrano, et Historia Scholastica. Innuit vero Scriptura, tempus quo Samuel a Deo vocatus, et spiritu prophetico primum afflatus est, fuisse post mediam noctem, sed ante auroram, cum nemo adhuc ne sacerdotum quidem ingressus esset tabernaculum, seu Samuel solus adhuc cubaret in parte templi, seu ædificii vicini templo, unde prospectus patebat in templum. Cum ergo sciret Heli, nullum eo temporis articulo in templo adesse, qui vocare posset Samuelem, quod lampades necdum essent extinctæ, quas sacerdotes ad primum suum ingressum sub auroram extinguere debebant recte conjectavit v. 9 Samuelem non ab alio, quam a Deo vocatum fuisse.

℣. 7. *Porro Samuel necdum sciebat Dominum* — ea scilicet scientia seu cognitione, qua Prophetæ solent, qui Deum peculiari quodam modo familiarem habent, ejusque vocem etiam sensibiliter audiunt, et ut talem agnoscunt.

℣. 13. *Judicaturus domum ejus in æternum* — Id est, puniturus peccata, et ulturus injurias ab Heli et filiis ejus mihi illatas.

℣. 14. *Juravi, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis usque in æternum* — Hic *iniquitas* sumitur pro *pœna iniquitatis:* quæ in tribus quatuorve consistebat, ut patet ex c. præc. Primo, quod qui orti essent vel orituri ex Heli, non perventuri essent ad annos seniles, sed plerique morituri etiam antequam illis accederet virile robur. Id impletum non modo in *Ophni* et *Phinees,*

(1) In Tradit. Hebr. ad hunc locum.

que mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.

16. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit: Samuel, fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum.

17. Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaveris me; hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi.

18. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.

19. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.

20. Et cognovit universus Israel, a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.

21. Et addidit Dominus ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli.

filiis Heli, sed et vel maxime in Achimelech ejus pronepote, qui una cum 85 aliis sacerdotibus et tota urbe sacerdotali Nobe 1 Reg. 21 jubente Saule gladio excisi sunt. Secundo, quod dignitate pontificali spoliandi essent, eamque ad æmulam sibi familiam postliminio remigraturam visuri essent, sine spe umquam ejus recuperandæ. Tertio, quod, licet in minorum sacerdotum numero ipsi adhuc censendi essent, id tamen non tam honori ipsis, quam dolori et probro futurum: neque ad aliud magis serviturum, quam ut doleant *oculis*, et *invidia* contabescant, alienam nunc spectantes gloriam quæ sua ante fuerat, nec recuperari posset. Quarto, quod ex tantis opibus ad eam indigentiam devolvendi essent, ut æmulis suis mendicato supplicaturi essent pro *buccella panis*. Hæ, inquam, pœnæ, quas cap. 2 recensuit, hoc jam 3 cap. dicuntur æternum adhæsuræ posteris Heli, neque ullis *muneribus* aut *victimis* divertendæ. Usquè adeo displicet Deo sacrorum contemptus, maxime in sacerdotibus.

CAPUT IV.

Israelitæ a Philisthæis semel iterumque cæduntur: arca capitur: duo filii Heli occiduntur: et ipse Heli fractis cervicibus occumbit, et nurus ejus in partu extinguitur.

1. Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam: et egressus est Israel obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est juxta Lapidem adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec,

2. Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: et cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.

3. Et reversus est populus ad castra: dixeruntque majores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.

4. Misit ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubim: erantque duo filii Heli

℣. 1. *Juxta Lapidem adjutorii* — Id est, ad eum locum qui paucis post annis ex ope cælitus submissa vocatus est *Lapis adjutorii*, ut dicitur infra c. 7, v. 12, quo eodem nomine per prolepsin hic jam quoque vocatur.

cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees.

5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra.

6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra.

7. Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes:

8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto.

9. Confortamini, et estote viri, Philisthiim: ne serviatis Hebræis, sicut et illi servierunt vobis: confortamini, et bellate.

10. Pugnaverunt ergo Philisthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum: et facta est plaga magna nimis: et ceciderunt de Israel triginta millia peditum.

11. Et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees.

12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspersus pulvere caput.

13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi: et ululavit omnis civitas.

℣. 7. *Venit Deus in castra* — Sic de *arca* censent Philisthæi, quia Deus supra arcam, quasi supra solium regium residere vulgo spargebatur, ut dixi. Vel quia imaginabantur virtutem divinam arcæ inclusam aut affixam esse, ut de spiritu in idolis suis vivente nugabantur, ita Abulensis. Versu sequenti vocant *deos sublimes*, alio duplici errore; uno, quo pro multitudine et varietate operationum fingebant multos et varios deos: altero, quo æstimabant, Deos Judæorum ideo sublimiores ac potentiores esse, quod locis sublimibus et montosis præessent. Sicut et Syri 3 Regum 20, vers. 23, dicebant, *Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos.* Ubi vide plura hac de re.

℣. 12. *Currens vir de Benjamin* — Pseudo-Philo Biblicus et Abulensis ex traditione Hebræorum scribunt, hunc tam tristis cladis primum nuntium fuisse Saulem filium Cis. Addit idem Philo, duos *Heli* filios *Ophni* et *Phinees* occisos a *Goliath Hethæo*, quem postea singulari certamine *David* prostravit.

℣. 13. *Heli sedebat super sellam* — utique pontificiam, *ante postes* tabernaculi seu in vestibulo, ubi thronus erat pontificius, e quo ipse tamquam summus pontifex et judex totius Israelis, solebat populo responsa dare. Ex hac sella v. 18 resupinus excidens Heli, fregit sibi cervices.

Petes, An cum morte temporali, mortem quoque subierit æternam? Ita videntur sentire S. Augustinus, Gregorius [1], Eucherius et Beda. Sed respondeo, Contrarium verisimilius esse. Quia, ut ait Theodoretus et Abulensis, fuit vir eximius, toti populo carus ob vitæ morumque integritatem: qua factum, ut et divino decreto (quod audivimus cap. 2, vers. 30) et populi communi conspiratione, suprema pontificatus simul et judiciariæ potestatis dignitas illi uni extra ordinem collata sit, cum neutra deberetur familiæ illius. Quod vero nimia conniventia ab illo peccatum est, id tunc factum videtur cum ad eam ætatem esses provectus, in qua neque rem sacram, neque politicam curare posset: cum et filii quoque ea essent ætate, qua non facile a parente jam decrepito sese officii sui severius admoneri paterentur. Quod si etiam tum desierat per ætatem aut judicis, aut pontificis officio fungi, et jam filii tam nomen, quam munus sibi a parente transcriptum publice obibant; levior hoc quoque ex capite fuerit culpa

(1) S. Aug. l. 17 de Civ., c. 4; Greg. l. 2, c. 3, et Pastoral. p. 2, c. 6.

14. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, et venit, et nuntiavit Heli.

15. Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi ejus caligaverant, et videre non poterat.

16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi?

17. Respondens autem ille, qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, et ruina magna facta est in populo: insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees: et arca Dei capta est.

18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir, et grandævus: et ipse judicavit Israel quadraginta annis.

19. Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: et audito nuntio quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus, et vir suus, incurvavit se et peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.

20. In ipso autem momento mortis ejus dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit.

21. Et vocavit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo et pro viro suo;

22. Et ait: Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

parentis. Ut ut est, in senili ætate sat superque otii habuit, ut dolere de peccatis, et vitam in melius commutare potuerit. Quod et fecisse, vel inde patet, quod æquo animo per Samuelem corripi se passus sit, et vir tantus, tam grandis ætate ac dignitate tantillum puerum non respuerit, quod item cum durum sibi suæque familiæ vaticinium audisset, in nutum placitumque Domini totum se religiosissime consignari. Denique quod cum audiit cæsum populum, et mortes filiorum suorum, tulerit fortissime; cum vero intellexit arcam testamenti captam a Philisthæis, exanimatus dolore decidit e sella: quod signum est, bonum senem nihil habuisse pietate ac religione charius, ita Theodoretus, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Serarius et Sanctius.

℣. 21. *Vocavit puerum Ichabod* — id est, *Ubi gloria?* scilicet Israelis? q. d. Capta arca, periit omnis nostra gloria, qua præ omnibus gentibus gloriabamur Deum nobis singulariter adesse, et ad præsentiam arcæ certissimo opitulari: nunc translata ad hostes arca, simul omne præsidium, omne robur, omnis bona fortuna, omnis spes libertatis ab Israele translata est.

CAPUT V.

Dagon coram arca semel iterumque corruit, præcisis in limine capite ac manibus: Philisthæi vero gravissimis plagis, ubicumque arca esset, puniuntur.

1. Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam [1] a Lapide adjutorii in Azotum.

2. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon.

3. Cumque surrexissent diluculo

℣. 2. *Statuerunt* arcam *juxta Dagon* — Utique honoris ac religionis ergo:

(1) " Vers. 1. *A Lapide adjutorii.* Est anticipatum nomen; nam solum postea a Samuele sic vocatus est cap. 7, vers. 12. Quæ deinceps nominantur civitates, sunt nominatissimæ apud Philisthæos, unde provinciæ ipsæ nomen acceperunt. "

Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum.

4. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen:

5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.

6. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos: [1] et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus. Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate.

7. Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum.

8. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel.

9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis ma-

quia magnum in arca numen latere existimabant, ut c. præced. ex illorummet verbis audivimus.

℣. 5. *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo* — non illo sublimi, e quo solebat adorari: sed humi seu in pavimento, in quod dejectus erat: cum enim e gravi collisu a trunco corpore resiliissent manus et caput versus limen templi rotata, truncus tamen ipse in eo loco mansit quem cadens primum occupavit.

Nota. *Dagon* hebraice piscem significat. Erat enim idolum ab umbilico ad imas usque partes specie piscis: superiore vero parte, specie humana: quales in femineo sexu *Nereides* seu *Sirenes*, in virili *Tritones* descripserunt Poetæ, quorum unus ita canit, *Desinit in piscem mulier formosa superne* [2]. An vero Dagon muliebrem habuerit, an virilem formam, incertum est. Qui putant, *Jovem* fuisse quem *Arotrium* vocant, seu *Aratorium*, ab aratro, quod adinvenisse dicunt, ut Euseb. [3], Arias, et quidam alii; *virilem Tritonum* formam illi concedunt. *Femineam* vero *Sirenum* habuisse contendunt quotquot *Venerem* fuisse autumant, v. g. Abulens., Lyranus, Scaliger [4], Serarius, Sanctius, et alii complures a Cælio Rhodigino [5] citati: qui ex Plinio, Ovidio, Manilio, Luciano et Herodoto docent [6], Venerem, utpote e mari ortam, ubi pisces degunt (unde et *Aphroditis* vocatur) sæpe in piscem figmento poetarum conversam fuisse: et apud *Ascalonios* in Palæstina pro primario numine, et nobilissimo templo coli solitam, alio nomine *Dercetum*, et *Atergatim* dictam, quod esset facie hominis, reliquo corpore in piscem desinente, quod et nomine *Dagon* significatur. Neque ab hac sententia (quam probabiliorem puto) dimovere nos debet, quod *Dagon* hic et alibi non *Dea* sed *Deus* dicatur: quia usitatum est, ut per syllepsin terminatio virilis femineam quoque in se concipiat. Et ipsa Venus apud Virgilium lib. 2 Æneid. *Deus* vocatur: *Descendo, ac ducente Deo tela inter et hostes, Expedior.* Et pluribus exemplis idem docent Macrobius, Horus Apollo, et Ammonius [7]: qui addunt, etiam nonnullos deorum γυνάνδρους credito fuisse, id est qui viri simul essent atque mulieres.

℣. 9. *Fecerunt sibi sedes pelliceas* — id est, pulvillos e pellicea materia, plumis et simili mitiori tomento suffartos,

(1) Psalm. 77, vers. 66.
(2) Horat. in Arte poetica.
(3) Lib. 1 de Præpar., cap. 7.
(4) In Manilii lib. 4.
(5) Lib. 23 Antiq. lect., cap. 5.
(6) Plinius l. 5, c. 23; Ovid. l. 4 Metamorph.; Manilius l. 4; Lucian. l. de Syria Dea; Herodot. lib. 1 et 2.
(7) Macrob. l. 3 Saturnal., c. 8; Horus Ap. l. 1, c. 12; Ammon. l. de Interpretatione.

gnæ nimis : et percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, et fecerunt sibi sedes pelliceas.

10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes : Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum.

11. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, qui dixerunt : Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro.

12. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei : viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium : et ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cælum.

ut et sine dolore commodius sederent, et extantia seu effluentia intestina colligerent ac sustentarent. Hos enim pulvillos pro subligaculis (quibus alioqui carebant et Hebræi [1] et Palæstini), læso corpori adnectebant, tum ob rationes jam dictas, tum ut emplastra, et alia medicamenta cohiberent ne deciderent.

(1) Vide Sanctium hic.

CAPUT VI.

Philisthæi arcam cum votivis donariis ad Israelitas remittunt. Qua excepta a Bethsamitis, nec sat reverenter inspecta, plurimi etiam illorum puniti sunt morte.

1. Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.

2. Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes et divinos, dicentes : Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt :

3. Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis reddite ei pro peccato, et tunc curabimini : et scietis quare non recedat manus ejus a vobis.

4. Qui dixerunt : Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi :

5. Juxta numerum provinciarum Philisthinorum, quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos : quia plaga una fuit omnibus vobis, et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram ; et dabitis Deo Israel gloriam : si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra.

6. Quare aggravatis corda vestra,

℣. 5. *Si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris* — Hinc conjicere posse videmur, non solos homines a fœdis hæmorrhoidibus, excidentibusque intestinis vexatos ; neque solos agros a muribus exesos ; neque solum *Dagon* primarium Philisthinorum numen terræ allisum et confractum fuisse : sed insuper etiam alios Philisthinorum deos promiscue ad adventum arcæ ex loco suo deturbatos, in humum dejectos, mutilatos, contritos fuisse. Sicut et olim, cum tot plagis flagellaret Deus Ægyptum, non in homines solos, et in *deos* eorum, seu in idola sæviit. Nam, ut patet Numerorum 33, v. 4, etiam in diis eorum exercuit ultionem. Quo sensu Exodi 12, 12 etiam dicitur, *In cunctis diis Ægypti faciam judicia*. Et Christo ingrediente Ægyptum, corruisse dicuntur

sicut aggravavit Ægyptus et Pharao cor suum? [1] nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt?

7. Nunc ergo arripite et facite plaustrum novum unum: et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi.

8. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: et dimittite eam, ut vadat.

9. Et aspicietis: et siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minime: sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.

10. Fecerunt ergo illi hoc modo: et tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi.

11. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quæ habebat mures aureos et similitudines anorum.

12. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes: et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed et satrapæ Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames.

13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent.

14. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.

15. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et capsellam quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, et immolaverunt victimas in die illa Domino.

16. Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa.

17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum:

18. Et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis.

19. Percussit autem de viris Beth-

omnia idolorum simulacra, ut Isaias prædixerat cap. 19. Porro quod hic dicitur, *mures demolitos* fuisse *terram*, nulli supra fidem videbitur, qui apud Plinium [2] legerit, pluribus aliis gentibus idem ex simili *murium* incursione contigisse, et ex Cyaro Cycladum insula incolas a *muribus* esse fugatos: et a *talpis* (quod magis mirandum) urbem integram in Thessalia suffossam fuisse.

℣. 18. *Secundum numerum urbium Philisthiim*, puta quinque urbium jam ante nominatarum; *quinque provincia-rum* — id est, quæ urbes præerant quinque provinciis seu satrapiis Philisthinorum. Porro aurum unde mures hi conflati sunt, corrogatum fuerat *ab urbe murata usque ad villam*, id est ex omnibus totius Palæstinæ civitatibus ac vicis, sive vallati essent mœnibus, sive a muris nudi, et aperti. Cum enim nullus locus a murium strage fuisset immunis, nullus etiam a sacro donario ad communem pestem delendam secludi aut volebat, aut debebat. Sicut olim cum in deserto Hebræi, conflarent aureum vitu-

(1) Exod. 12, vers. 31.

(2) Lib. 8, cap. 29, et lib. 10, cap. 65.

samitibus, eo quod vidissent arcam Domini: et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna.

20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis?

21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, et reducite eam ad vos.

lum, ex omnium promiscue mulierum inauribus id conflari voluerunt, Exodi 32, vers. 2.

Usque ad Abel magnum — Abel *luctum* significat. A subsecuto enim Bethsamitarum luctu, ob ingentem cæsorum stragem versu sequenti, sic vocatur hic lapis iste in agro urbis sacerdotalis [*Bethsames*, in quo primum ex plaustro deposita est arca, et in quo super ligna plaustri combustæ sunt vaccæ. Erat autem hic lapis non mobilis, aut e latumiis erutus, sed vivus, et terræ e qua emerserat, adhuc infixus, vel rupi (cujus pars erat) affixus. Hunc lapidem tradunt, teste S. Hieronymo [1], Hebræi, fuisse aram in qua sacrificarat olim Abraham. Unde Bethsamitæ sacerdotes jure putarunt, sibi quoque licere in eadem jam sacrificare, ob antiquam loci sanctitatem, et recens miraculum, quo vaccæ nullo nisi Deo ductore, ad eum locum arcam detulissent. Et verisimile est, licuisse sacerdotibus coram arca, quocumque illa loco esset, sacrificium offerre. Sed *vaccas* hic offerunt, quod in holocausto non licuit. Respondeo. Non licuit in solemni et ordinario sacrificio, loco et tempore a lege definitis. Sed hic omnia fiebant extra et præter ordinem: et Deus hoc ipso quo vaccas ductu suo solius eo adegerat, censebatur eas ad victimam sibi delegisse, et ad aram destinasse.

Petes, quod ergo fuit Bethsamitarum peccatum, propter quod a Deo mox cæsi hic dicuntur quinquaginta millia et septuaginta de plebe? Respondent Hebræi, eo quod aperuerint arcam, et in eamdem inspexerint (sic enim habet textus Hebræus, et ita vertit Pagninus, et Tigurini), et forte explorandi causa, an Philisthæi, apud quos toto septimestri exularat, nihil ex arca sustulissent, nihil indecens intulissent. Sed quia istud videndi studium plus curiosæ intemperantiæ, quam pietatis habebat, neque debebat nisi a primis sacerdotibus adhiberi, propterea tam severo tam multorum supplicio punitum merito fuit. Sed puto, inspectionem arcæ non potuisse tam brevi tempore in tam multos cadere: et tanto supplicio dignos etiam fuisse quotquot arcam, quæ a Philisthæis cooperta suis velis ut capta, ita jam remissa fuerat, denudarunt, et denudatam curiosius aspexerunt. Nam sub pœna mortis id vetitum erat etiam Levitis, Numer. 4 et alibi. Ita Lyranus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Cajetanus, Serarius et Sanctius.

(1) In Tradit. Hebr.

CAPUT VII.

Deducitur arca in domum Abinadab in Gabaa. Et Samuelis hortatu Israelitæ totis animis addicunt se cultui divino: unde præclaram de Philisthæis victoriam referunt, orante pro ipsis Samuele.

1. Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custoditet arcam Domini.

℣. 1. *In Gabaa* — Hebraice, id est *in colle* seu loco sublimi, in civitate *Cariathiarim*. Patet ex 1 Paral. 13, v. 6, ubi quæ hic *Gabaa* dicitur, *Collis* appellatur.

Eleazarum filium Abinadab jam de-

2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus); et requievit omnis domus Israel post Dominum.

3. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: [1] Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et præparate corda vestra Domino: et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim.

4. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli.

5. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum.

6. Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath.

7. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum.

8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum.

9. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino: et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus.

10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: [2] intonuit autem Dominus fra-

crepiti, *sanctificaverunt, ut custodiret arcam* — Cum enim *Achitob* seu *Abiathar* (erat enim binomius filius Phinees, nepotulus Heli), cui pontificatus debebatur, esset admodum infantulus, elegerunt, unxeruntque hunc *Eleazarum*, qui vices illius tantisper suppleret. Erat enim et ipse Levita, ut inquit Josephus, et forte ex nobilissimo Levitarum trunco, ex Aaronis posteris sacerdos.

℣. 2. *Et requievit omnis domus Israel post Dominum* — id est, novo fœdere sociata est Domino [3]. Cum enim variis hucusque animorum motibus agitarentur Judæi, et quidam in hanc, quidam in alias religiones propenderent; tandem opera Samuelis, cujus apud omnes erat singularis auctoritas, quinque totis viginti annis in id omnibus persuadendum incubuerat effectum ut omnes uno animo, uno studio, unum Deum cæli delegerint, in cujus obsequio et cultu gradum figerent stabilem et certum. Et hoc protestantur insigni hieroglyphico.

℣. 6. *Hauserunt aquam, et effuderunt in conspectu Domini* — designantes, ita a se abjici, antiquam impietatem, et omnem *Baalis et Astaroth* (de quibus dixi Judicum 2, v. 13) id est, omnium idolorum execrandam memoriam, ut non minus excedant ab animo, quam aqua ex vase, ex quo ita defluit, ut nullus ejus vel sapor, vel odor, vel color, vel humor vasi adhærescens maneat, sed tota perit et vanescit. Symbolum hoc est animi vere pœnitentis, qui nihil apud se residuum manere patitur vitæ morumque priorum, quorum jam pœnitet et pudet; ita Sanctius.

℣. 10. *Intonuit Dominus fragore magno* — Addit Josephus [4]: *Terra sub pedibus intremuit, nonnulli in improvisos hiatus prolapsi: alii fulminibus crebris attoniti, et ignitis fulguribus oculos ac manus semiustulati, ut ne arma quidem retinere possent.* Ex Ecclesiastici 46, ubi de hac re sermo est, colligimus etiam *Tyrios* et qui Tyriorum suberant imperio, hac eadem clade involutos fuisse, quos nempe Philisthæi viris et viribus utcumque exhausti, in subsidium advocarant. *Intonuit* enim *de cælo Dominus, et contrivit principes Tyriorum, et omnes duces Philisthiim* [5]. Ex hoc tempore, anno a reducta arca vigesimo, ætatis vero suæ 32, Samuel stabilem sibi sedem in Masphath constituit, ubi judex jus diceret, et princeps

(1) Deut. 6, vers. 13; Matth. 4, vers. 10.
(2) Eccli. 46, vers. 20.
(3) Simile habes Isa. 7, vers. 2.
(4) Lib. 6 Antiq., c. 2. (5) Eccli. 46, v. 20.

gore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel.

11. [1] Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, et percusserunt eos, usque ad locum qui erat subter Bethchar.

12. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et inter Sen: et vocavit nomen loci illius', Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis.

14. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, et terminos suos: liberavitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel et Amorrhæum.

15. Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ:

16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath, et judicabat Israelem in supradictis locis.

17. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, et ibi judicabat Israelem: ædificavit etiam ibi altare Domino.

rempublicam moderaretur: sic tamen ut subinde per annum pro commodo reliquarum tribuum excurreret in *Bethel et Galgala*, ut et ibi conventus ageret, jus diceret, lites componeret, ut infra v. 16 insinuatur.

℣. 14. *Eratque pax inter Israel et Amorrhæum* — Neque enim solum Philisthæorum jugum excussit Samuel, recuperavitque oppida ante deperdita: sed insuper, omnes etiam alios vicinos populos, qui hic Amorrhæorum, quasi reliquis præcellentium, nomine comprehenduntur, coegit a bellis abstinere, quibus pene omnibus seculis Israelem infestare solebant. Et ex hac tam alta pace et aureo otio forte contigit, quod, cessante ubique bellico timore, armorum quoque ut usus, ita et fabricatio cessaret, nullaque nova arma conflarentur, et vetera in rem rusticam converterentur: ut mirum non fuerit, sub initium regni Saulis nulla pene toto Israele arma reperta fuisse. Neque vero permiserunt Philisthæi, cum sub id tempus iterum Israelitis a Deo delapsis prævalere inciperent, ut armis semel nudati, rursus nova cuderent: quin nec fabrum ullum ferrarium ipsis permisere, non modo qui lanceas, hastas aut enses cuderet, sed neque qui rustica instrumenta, ligonem puta, falcem, securim aut vomerem vel de novo conficeret, vel obtusa acueret, vel confracta instauraret: sed cogebantur in oppida Philisthinorum ad ea curanda excurrere, ut infra habemus in fine c. 13. Sed frustra fuisset omnis hæc inhibitio, nisi longa pace jam ante desiissent sponte et arma cudi, et fabrilia exerceri.

℣. 17. *Ædificavit* Samuel *ibi altare Domino* — quia ibi plerumque morabatur, et frequentius sacrificabat. Id vero quo jure licuerit Samueli, dixi cap. ult. libri Judicum.

(1) Eccli. 46, vers. 21.

CAPUT VIII.

Occasione avaritiæ filiorum Samuelis, petunt Israelitæ regem sibi præfici, more gentilium. Et licet ex Samuele intelligerent quam dura sint regum imperia, persistunt tamen in petitione sua.

1. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel.

2. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel: et nomen secundi Abia, judicum in Bersabee.

3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium.

4. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha.

5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis: [1] constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes.

6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.

7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.

8. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, et præ-

℣. 3. *Filii* Samuelis *perverterunt judicium* — muneribus et avaritia corrupti. Timebant, credo, ne in se unis verum non esset vetus proverbium, *Heroum filii noxæ:* quo significatur, magnorum parentum filios valde ab illorum moribus ut plurimum degenerare, seque *indignos* præstare (ut ajebat Demosthenes) *qui ex illustri stirpe procreentur:* et quod Ælius Spartianus [2] dicebat, *melius parentibus* fuisset, *de rebus humanis sine posteritate discedere.*

Petes, cum usque adeo in Heli punierit Deus filiorum peccata; cur non etiam a Samuele exegit pœnas eorum quæ filii in subdito sibi populo admiserunt? Respondeo, cum S. Gregorio et Theodoreto, quia plura et graviora fuerunt peccata filiorum Heli: nam templum profanabant, religiosas feminas constuprabant, sacrificiorum ritus et ordinem pervertebant: at Samuelis filii non nisi munera accepisse dicuntur, et, dum suis commodis et avaritiæ student, judicia pervertisse. Accedit, quod Samueli peccata filiorum comperta aut nota non fuerint quemadmodum Heli. Nam Samuel in *Ramatha* jus dicebat, illam aquilonarem Judææ partem sibi reservans administrandam; filios vero in Bersabee collocarat, et australem illis plagam demandarat, ut hic dicitur vers. 2. Unde facile poterant illorum procul absentium scelera parentem optimum latere.

℣. 7. *Audi vocem populi in omnibus* — Id est, conniveas postulatis a populo: neque graviter feras, te ab illis, quorum saluti tanto studio, tanto zelo hactenus serviisti jam videri contemptum: cum ego ipse qui Deus illorum sum, nihilo minus ab ipsis contemnar, quia nempe spreta ratione illa gubernationis quam ipse præscripsi, aliam ipsi urgent ad exemplum et imitationem Gentilium, ut postularant vers. 5. Qua ratione nolunt amplius *me* regnare super Israelem, sed diabolum, quo auctore leges illæ barbaræ Gentilium regum et tyrannorum in orbem invectæ sunt. Unde patet, non peccasse Judæos, quod regem peterent; nam Deuteronomii 17 facta illis fuerat ejus petendi potestas, sed quod peterent *regem*, qualem *universæ habent nationes*, id est, qui populum regat non ex nutu Dei, seu illis legibus, quas regibus Israelitis si quando crearentur, Deus præscripserat Deuteronom. 17, sed pro suo beneplacito, et peregrinis aliis institutis quæ auctore diabolo barbaræ et idololatræ nationes usurpant. Hoc est enim quod exprobrat ipsis tum hoc et seq. c., tum vel maxime cap. 12, vers. 12, *Videntes*, inquit, *quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis*, id est, nolumus exinceps legibus aut optimatum, aut tuis, aut divinis regi, sed unius arbitrio et placito prout moris est apud Ammonitas et alias gentes. His conformiter jubet Deus:

℣. 9. *Prædic eis jus regis* — Hoc est, explica cæco populo, quale *jus* usurpaturus sit rex quem similem regibus aliarum nationum sibi præfici postulant. Nempe qui non communi consilio, sed suo solius arbitratu rem versaret publicam: non tam populi commodis, quam suæ gloriæ, suo lucro, suæ libidini stu-

(1) Osee 13, vers. 10; Act. 13, vers. 21.

(2) In Severo.

dic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.

10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem.

11. Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcursores quadrigarum suarum,

12. Et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum.

13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas.

14. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis.

15. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis et famulis suis.

16. Servos etiam vestros, et ancillas, et juvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo.

17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.

18. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super nos,

20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis.

21. Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini.

22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

deret. Et vero tales Hebræis reges ut plurimum obtigisse, nisi manifestum est ex jugo gravissimo, quod et Salomon et Roboam et Jeroboam, et fere omnes alii reges subditis imposuere. Hinc optime docet S. Thomas [1], non agi hic de jure vero, aut justo, sed de injusto et usurpatitio, quali solent uti qui nullis legibus frænari, sed omnia pro libito facere volunt; ita S. Greg., Cajet., Abulensis et Vatablus.

(1) Lib. 3 de Regim. princip. c. 11, et 1. 2. q 105, a. 1 et 2.

CAPUT IX.

Stirps Saulis; qui dum de perditis asinis consulit Samuelem, ab ipso intelligit, se regem fore Israelis.

1. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore.

2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo; ab humero et sursum eminebat super omnem populum.

3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim,

4. Et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant: sed et per terram Jemini, et minime repererunt.

5. Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum

qui erat cum eo: Veni, et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et solicitus sit pro nobis.

6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit; nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.

8. Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.

9. (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque, vadens consulere Deum: Venite, et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.)

10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei.

11. Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est videns?

12. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.

13. Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat

℣. 6. Samuel vocatur *vir nobilis*, non tam natalibus, quam prophetia et judiciaria dignitate: famosus quoque et illustris rebus bene gestis, ut domitis Palæstinis, pace et otio reipublicæ partis, etc.

℣. 7. *Quid feremus ad virum Dei?* — An ergo talis erat de Samuele opinio, ut non putaretur gratis officio suo fungi velle? ita ex sententia Hebræorum sentit Josephus, S. Hieron. et Theodoretus. Sed indignum hoc, nimisque probrosum viro tam integro, tam continenti. Quare dico, Saulem quæsivisse munusculum Samueli, non ut pretium divinationis aut prophetiæ, sed ut signum subjectionis et observantiæ erga superiorem suum. Quo modo nemini ad Persarum reges vacuis a dono manibus accedere licebat, ita Cajetanus et Sanctius. Unde et modestiam notare est Samuelis, qui cum judex et princeps esset totius populi, sic tamen sese gerebat, ut neminem accedere volentem puderet cum munusculo quantumcumque vili et tenui accedere; v. g. cum modico panis e *sitarciis*, vel simili xenio in *sportula*, vel *quarta parte stateris* argentæi, id est *denario* [1], seu drachma una, quæ æquivalet regali argenteo Hispanico, vel uni Julio Italico. Longe aberat Samuel, ut a subditis optima quæque sibi dono afferri juberet; longius, ut immania imponeret tributa ad domos eburneas excitandas, ad regias mensas fovendas; longissime vero, ut agros, vineas, messes decimaret, raperet, vi faceret suas, quod nonnulli regum subsecutorum fecisse leguntur.

Nota. *Sitarciæ* Græcis significant demensum illud quod vel militibus, vel viatoribus, vel operariis, in certos dies vel hebdomadas dari solet. Sed hic metonymice ponitur res contenta pro continente, nempe pro mantica vel sacculo viatorio cui tale demensum imponi solet. Sic e contra, *sportula*, qua proprie, ut sonat, est fiscella aut cistula, accipitur hic et alibi passim pro *xenio* seu *munere* sportula contento. Sic in Jure vocantur *sportulæ* illa donaria quæ judicibus offerri solent a litigantibus, quia moris erat ea in sportulis offerre, ita Abulensis.

℣. 12. *Sacrificium est hodie in excelso* — Erat hoc excelsum extra urbem Rama, urbi tamen vicinum, ut patet ex vers. 25 ubi dicitur, de excelso descendisse in urbem.

Nota. Pro variis occasionibus, ut in Gedeone [2], Manue [3], et aliis [4] vidimus, etiam Deo probante variis locis erecta sunt varia altaria, in quibus non raro sacrificia offerri consueverant, ut dixi Judicum ult. Ut plurimum tamen ad id

(1) Proleg. de Ponderibus.

(2) Judic. 6. (3) Judic. 13. (4) Judic. ult.

excelsum ad vescendum: neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, et deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

14. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum.

15. [1] Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul, dicens:

16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel: et salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus videntis.

19. Et respondit Samuel Sauli dicens: Ego sum videns: ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane: et omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi.

20. Et de asinis quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel? nonne tibi et omni domui patris tui?

21. Respondens autem Saul ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

22. Assumens itaque Samuel Saulem, et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati: erant enim quasi triginta viri.

23. Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsun apud te.

24. Levavit autem cocus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede: quia de industria servatum est tibi, quando populo affuturum: ut hic fiebat: jam enim finibus imminebat *Naas* rex Ammon, et *Philisthæi* prævalebant Israeli.

deligi solebat locus non in valle, depressus aut obscurus, aut arboribus opacus, more Gentilium, qui lucis ac tenebris gaudebant: sed in colle, aut simili loco sublimi et excelso: unde et *excelsum* vocabatur ejusmodi locus, ut *excelsum Gabaon* 3 Reg. 3 et alia alibi.

℣. 16. *Quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me* — At cap. præced. vers. 18 negarat Deus, auditurum se populi clamorem, cum in afflictione ad se clamarint. Respondeo, cum clamarint *a facie regis* nimis duri et violenti, negat se illos auditurum: id est, cum dure et aspere habendi erunt a regibus, quos instar aliarum nationum sibi deposcebant: ipsis enim *quod intriverant* merito *excidendum*. Sed numquam negarat se populo suo ab externis hostibus afflicto vel periclitanti, cælesti

℣. 21. *Filius Jemini* — Id est, ex tribu Ben-Jeminia: quam hic vocat omnium tribuum *minimam*, scilicet numero capitum, nam propter infandum scelus quod in uxorem Levitæ admiserant in Gabaa, pene excisa fuerat tribus Ben-Jeminia, Judicum 20, adeo ut vix nomine *tribus* inter ceteras exinceps censeatur. Cum enim divulsæ essent decem tribus et secutæ Jeroboamum, et duæ tribus adhærerent Roboamo, scilicet *Juda et Benjamin*, 2 Paral. 11, neque tribus Benjamin umquam divulsa fuerit a tribu Juda: passim tamen omnibus fere Scripturæ locis dicitur *sola tribus Juda* secuta domum David, v. g. 3 Regum 11 et 12, et 4 Reg. 17, et alibi; Ben-Jeminia tribu nomine suo quasi exuta, et tribui Judæ inserta.

(1) Act. 13, vers. 21.

pulum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

25. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saul in solario: stravitque Saul in solario, et dormivit.

26. Cumque mane surrexissent, et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, et Samuel.

27. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, et transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

CAPUT X.

Ungitur Saul in regem a Samuele; prophetat inter prophetas: sorte declaratur rex: plerisque adgratulantibus; reliquis obloquentibus.

1. Tulit [1] autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce, unxit te Dominus super hereditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem.

2. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: et intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, et dicit: Quid faciam de filio meo?

3. Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini.

4. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum.

5. Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum: et cum ingressus fueris ibi urbem, obvium

℣. 1. *Lenticula*, græce *lecythus*, significat quodcumque vas seu guttum, oleo aut alteri liquori effundendo aptum. Sic *cornu* designat omne vas in quo liquor aliquis continetur, quacumque illud sit forma, quacumque ex materia. Neque inter *cornu* Samuelis, 1 Regum 16, quo unctus est David, et *lenticulam*, qua hic Saul, ullum fuit discrimen; neque plus olei in ungendo Davide, quam in Saule absumptum; neque ex alio aut majore vase David inunctus, quam Saul: ut fuse probant Abulensis et Sanctius.

Nota, regum unctionem, licet nulla (quod sciam) lege in Scripturis imperetur, adhiberi tamen solitam passim etiam ante hæc tempora, ut colligitur ex parabola Joatham, Judicum 9. *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem.* Quin et Deo jubente adhibitam hic Sauli constat ex initio cap. 15 hujus 1 lib. Regum, ubi dicit *Samuel ad Saul: Me misit Dominus ut ungerem te in regem.* Sic et David cap. 16, et Jehu l. 4, c. 9 eodem jubente inuncti sunt: et alii omnes reges inungi consueverunt, et quidem, cum haberi poterat, *oleo sacro*, quod in tabernaculo asservabatur, et quo summus sacerdos seu pontifex inungi debebat. Patet 3 Reg. 1, *Sumpsit Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem.* Designabatur autem hac cæremonia, non minus reges, quam sacerdotes, Deo sacros, et cælestium donorum unctione plenos esse debere.

℣. 5. *Venies in collem Dei* — hebraice, *in Gabaa*, quod collem significat. Hæc civitas erat in colle sita, tribus Benjaminiæ, in qua civitate natus et educatus

(1) Act. 13, vers. 21.

habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes.

6. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium.

7. Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

8. Et descendens ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te), ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias.

9. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa hæc in die illa.

10. Veneruntque ad prædictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei: et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum.

11. Videntes autem omnes qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num et Saul inter prophetas?

12. Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? Propterea versum est in proverbium: [1] Num et Saul inter prophetas?

13. Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum.

14. Dixitque patruus Saul ad eum, et ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem.

erat Saul [2]. Patet ex adjuncta hic *statione* seu præsidio militari *Philisthinorum*, quam stationem Jonathas filius Saul infra cap. 13 dicitur percussisse *in Gabaa Benjamin*. Ad distinctionem vero alterius civitatis *Gabaa*, vocatur hæc patria Saulis *Gabaa* seu *collis Dei*, verisimiliter quia in ea erat cœtus et veluti schola Prophetarum; qualis erat etiam in *Najoth*, in *Ramatha*, ut infra cap. 19 dicitur; itemque in *Bethel*, et *Jericho*, ut patet l. 4 Reg. c. 2 et 6.

Petes, quinam dicuntur hic *prophetæ?* Respondeo, qui divinis laudibus celebrandis vacabant. Patet ex 1 Paral. 15, ubi *Chonenias* dicitur præfuisse *prophetiæ ad præcinendam melodiam*, et vocatur *princeps prophetiæ*, id est melodiæ, *inter cantores*, et c. 25 dicitur rex David et magistratus politicus varios constituisse, *qui prophetarent* seu canerent *in citharis, et psalteriis, et cymbalis*. Ex quibus vel solis instrumentis patet hic agi non de *prænunciatoribus futurorum aut absentium*, sed de cantoribus musicis et psaltis. Ita Chaldæus hic, Abulens., Lyranus, Torniellus [3], Hugo, Historia Scholastica, et Sanctius. Quia tamen in ejusmodi prophetantium seu divina psallentium collegiis erant etiam plerumque aliqui, qui divino Spiritu afflati futura prædicebant, absentia et occulta revelabant, aliaque stupenda patrabant; hinc merito S. Augustin., Theodoretus et S. Thomas [4] putant hic agi de talibus proprie dictis Prophetis. Sed alterum est verisimilius.

℣. 11. *Num et Saul inter Prophetas?* — tam rusticus, tam incultus, tam perite jam tractat musica instrumenta?

℣. 12. *Et quis pater eorum?* — scilicet Saulis et famuli ejus, et forte etiam aliorum quorumdam qui se illi ex via socios junxerant, et simul cum ipso prophetabant: ut pluribus accidisse etiam impiis, legimus infra cap. 19. Stupent ergo et attoniti quærunt, unde illis hæc ars et scientia? quasi dicant: Non habent eam a parentibus ignaris musicæ, rusticis, incultis, et longe alienis ab omni ingenua atque urbana disciplina. Unde res admiratione est plena, et prodigio similis, nec nisi de cælo profecta, quod filii illorum jam ad psalterium et sonos musicos rusticam manum suam et agrestem vocem tam concinne, tam suaviter attemperent. Ita Hugo, Cajetanus et Lyranus.

(1) Infr. 19, vers. 24. (2) 1 Reg. 11, vers. 4. (3) Anno 2545, num. 14.

(4) S. August. in Psalm. 103; Theodoret. q. 24; S. Thom. 2. 2., q. 172.

15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha:

18. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægyptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos.

19. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris: et dixistis: [1] Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, et per familias.

20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Benjamin.

21. Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis: Quæsierunt ergo eum, et non est inventus.

22. Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi.

23. Cucurrerunt itaque et tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum.

24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait: Vivat rex.

25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, [2] et scripsit in libro, et reposuit coram Domino: et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

26. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa: et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

27. Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

(1) Sup. 8, vers. 19.

(2) " Vers. 25. *Et scripsit in libro.* R. Levi ben Gerson ait, hoc libro egisse illum de Regis auctoritate, ac potestate in populum. Alii vero putant, illum hoc libro non tam egisse de jure: quam de more, seu potius abusu regiæ potestatis. Sed verisimilius est, nihil aliud eo libro fuisse comprehensum, quam quod supra legimus cap. 8, 10 seq.„

CAPUT XI.

Saul impulsu Dei populum adversus Ammonitas convocat: vincit regem eorum Naas, liberat Jabes Galaad, et iterato rex inauguratur.

1. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi.

2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum

℣. 1. *Naas pugnare cœpit* — Jam ante in Judæos expeditionem pararat, ut patet ex c. seq. vers. 12. Sed videntur Judæi tunc cum illo talibus qualibus conditionibus transegisse. Jam mense uno post electum Saul in regem, forsan arrepta hinc occasione, bellum redintegrat tyrannus.

℣. 2. *Eruam,* inquit, *omnium oculos dextros* — Cur potius quam *sinistros?* Respondet Josephus [1]: Ut omnes ad bellum

(1) Lib. 6 Antiq., cap. 5.

fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel.

3. Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel: et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: et locuti sunt verba hæc, audiente populo: et levavit omnis populus vocem suam, et flevit.

5. Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes.

6. Et insilivit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis.

7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus.

8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Juda triginta millia.

9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes, qui lætati sunt.

10. Et dixerunt: Mane exibimus ad vos: et facietis nobis omne quod placuerit vobis.

redderet inutiles, ad colendos vero agros, ad pecora pascenda, ad alia viliora ministeria relinqueret utiles. Nam ad hæc sufficit oculus sinister: in bello autem prorsus necessarius est dexter, cum scuto dum pugnant sinistrum milites tegant, nec nisi dextro hostem videre, declinare, aut ferire possint. Non ergo probri solius illorum, sed et sui commodi causa volebat Naas Judæos dextro oculo privare.

Tropologice S. Gregorius, oculum dextrum, quo cælestia et æterna intuemur, eruere studet diabolus, relicto solo sinistro, quo carnalia et peritura spectemus.

℣. 5. *Ecce Saul veniebat sequens boves de agro* — Quid regi cum bobus et aratro? Respondeo, nihil illo mense occurrerat quod regiam sedulitatem aut præsentiam requireret. Et propter obmurmurantes non paucos, forte regii sceptri æmulos, voluit re ipsa docere, sese, quantumcumque electum ac designatum regem, magis delectari rusticana vita, quam regia: neque nisi necessitate coactum, ab aratro ad sceptrum prosilitum. In quo sane heroicus et vere regius eluxit animus, quod fortunæ adeo blandienti non succubuerit, sed forti constantique robore dominari perrexerit.

℣. 6. *Insilivit Spiritus Domini in Saul* — *Spiritus* in Scripturis fere accipitur pro affectione animi, sive in bonum, sive in malum. Hinc sæpe audimus, spiritum ardoris, iræ, furoris, fornicationis, zelotypiæ, obstinationis, etc. Hoc vero loco sumitur pro dono Spiritus sancti, puta virtute fortitudinis et zeli pro patria. Unde Chaldæus dicit, *Spiritum fortitudinis inditum illi a Domino.* Quo impulsus, utrumque bovem, quo ararat, concidit in frusta, ad exemplum Levitæ qui cadaver uxoris a Gabaonitis compressæ in duodecim partes dissecuerat, Judicum 19, et simili pene consilio ac successu omnes tribus Israel adversus insolentem et barbarum hostem brevissimo tempore ad arma coegit [1].

℣. 8. *In Bezech* — Hæc est illa urbs, in qua, Judic. 1, regnabat ille tyrannus, qui ab eadem urbe vocatus fuit *Adoni-Bezech,* id est *dominus Bezech.*

(1) Gilletus *in Joseph. Judaic. ant. lib.* 6, *adnot.* 2, quum animadvertisset, Josephum pro *sic fiet bobus ejus,* quod habet vulgata, ita Saulis minas referre, ut quod bobus, id inobedientibus ipsis facturum se rex testaretur; conjicit in Hebræo textu fuisse libecaro (quod nomen generale est, sumiturque interdum pro omni animato sive homine sive jumento); id autem ab Amanuensibus corruptum, facillima litterulæ mutatione, scriptumque *libekaro bovi.* Certe, inquit, plurimos hæ Saulis minæ non adfecissent, ut qui bobus carebant: atqui tamen Saulis minis perterriti omnes in Ammonitas processerunt. Contra et merito sane P. Martin contendit p. 1 *Explan. difficil. Script. locor.*, pag. 135 seq., cædem boum a Saule peractam religionis nescio quid habuisse, et Israelitas frustis illis acceptis veluti anathemati fuisse subjectos. Confer illum *citato loco,* et pag. 119 seq.

11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter.

12. Et ait populus ad Samuelem: [1] Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos.

13. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum.

15. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

(1) Supr. 10, vers. 27.

CAPUT XII.

Samuel coram universo populo suam probat innocentiam vitæque integritatem: sed populum insignis erga Deum ingratitudinis arguit: et cælesti prodigio dicta sua confirmat: hortaturque omnes ut Deo constantes adhæreant.

1. Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem.

2. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, et incanui: porro filii mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum.

3. [1] Loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis.

4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam.

5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis christes manent, qui quod mearum est partium, ipsi præstabunt, et si quid cuipiam debere deprehendar, meo nomine redhibebunt.

Nota. Samuelem, dum vitam hic suam frequenti populo, palam judiciis omnium examinandam præbet, non hoc solum spectasse, ut ipse innocens comprobaretur, sed insuper, ut formam novo regi Sauli tum præsenti, rempublicam bene administrandi præscriberet: et ut major quoque sibi libertas esset, populum ob sua flagitia et in Deum ingratitudinem severius increpandi; quod facit a vers. 7 usque ad finem c. Vide sanctum Joann. Chrysostomum [2].

(2) Hom. in illud Apostoli, *Utinam tolerassetis aliquantulum*, tom. 3.

†. 2. *Nunc rex graditur ante vos* — q. d. Ego jam nunc personam publicam exui, et in Saulem *christum* Domini, seu recens unctum regem transtuli. Porro defunctus magistratu, rationem ejusdem obiti jam publicam constare volo, vosque ut idem velitis, adjuro: sic enim habet Josephus: Inquirite, num quid contra jus et æquum fecerim: num lucri cupiditate vitulum aut bovem, addunt LXX, *vel calceamentum*, cujusquam acceperim. Tantum enim abest, talia amem vel retinere studeam, ut prorsus horream et contemnam, velimque integre restitui. Et quamvis ego jam senuerim et incanuerim, et mors brevi immineat; tamen *filii mei vobiscum sunt*, et mihi super-

(1) Eccli. 46, vers. 22.

stus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis.

6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti.

7. Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris:

8. [1] Quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum: et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto: et collocavit eos in loco hoc.

9. Qui obliti sunt Domini Dei sui [2] et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos.

10. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi.

11. [3] Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter.

12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: [4] Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.

13. Nunc ergo præsto est rex vester quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem.

14. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini: eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum:

15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros.

16. Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.

17. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias: et scietis, et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

18. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die.

19. Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum

℣. 11. *Misit Dominus Badan* — vel, ut in Hebræo est, *Bedan*, seu *Ben-Dan*, id est *filium Dan*, vel *Danitam*. Sic vocabatur *Samson*, per antonomasiam, quasi Danitarum omnium præstantissimus. Sicut Aristoteles vocatur *Philosophus*, et Paulus *Apostolus*. Ita Chaldæus, Hieronymus, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Vatablus, Cajetanus.

℣. 17. *Numquid non messis tritici est hodie?* — nempe circa Junium, quo, uti et Julio mense, numquam in Judæa pluit, teste S. Hieronymo [5].

℣. 18. *Dedit Dominus voces*, id est tonitrua valde sonora, et *pluvias* — et quæ tonitrua comitari solent fulgura et fulmina, quæ vocantur *tela Dei*, seu a divina manu excussa. Certe ex illo v. 19 sequentis, *Ut non moriamur*, clare patet, non levem fuisse hanc, ad comprobanda dicta Samuelis, immissam a Deo tempestatem, cum et præsentem mortem toti populo intentaret, et vel invitos fateri cogeret, se in tali regis postulatione gravissime peccasse. De quo peccato dixi c. 8, v. 7.

(1) Gen. 46, vers. 5.
(2) Judic. 4, vers. 2. (3) Judic. 6, vers. 14.
(4) Supr. 8, vers. 19, et 10, vers. 19.
(5) In cap. 4 Amos, vers. 7.

Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.

20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro.

21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.

22. Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere vos sibi populum.

23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam.

24. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro; vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit.

25. Quod si perseveraveritis in malitia: et vos et rex vester pariter peribitis.

℣. 21. *Nolite declinare post vana* — id est, ad idola, quæ vere *vana*, immo *nihil* sunt, teste Apostolo 1 Corinth. 8: *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Licet enim sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, seu in repræsentando; nam quod repræsentat, nihil est, quia falsum est: ac proinde nec vere, nec verum repræsentat: et consequenter, vanum et nihil est. Hinc sancta Scriptura et SS. Patres numquam tribuunt nomen *idoli* ulli veræ imagini, sed solis statuis falsorum deorum: immo Synodus septima dicit anathema iis qui *imagines* Christi vel Sanctorum vocant *idola*, uti illas vocant passim Calvinus, Martyr, Illyricus et alii hæretici.

CAPUT XIII.

Victi à Saule Philisthæi maximas copias adversus eum educunt: quibus territi Hebræi sese in antris occultant. Saul, quia non expectato Samuele holocaustum obtulit, reprobatur a Deo.

1. Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel.

2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel: et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Be-

℣. 1. *Filius unius anni* — Id est, sicut parvulus infans unius anni, innocens et sine culpa fuit Saul cum ad solium regni eveheretur: et in eadem innocentia regnavit duobus annis super Israel, nec nisi duobus annis. Ita Chaldæus, Hieronymus, Gregorius, Eucherius, Petrus Damianus, Angelomus, Abulensis, Cajetanus, Lyranus, Procopius, Emmanuel Sa, Torniellus, Salianus. Sed simplicior, et Hebraico textui conformior videtur aliorum expositio, qui dicunt his verbis nihil aliud designari, quam Saulem, quum hoc primum movit bellum Philisthæis, egisse adhuc primum regni sui annum: nam in Hebræo est, *Filius anni*, scilicet unius seu primi, *erat Saul in regno suo: et altero anno regnavit in Israel*, q. d. Hic erat prior annus e duobus quibus universim regnavit in Israele. Nam biennio solo regnasse, et solo biennio contingere commode potuisse quæcumque toto primo libro Regum recensentur, et legenti patet, et fuse et docte demonstrat Gaspar Sanctius. Et hæc est expositio Hebræorum in Seder-Olam[1], et Ariæ Montani, Gerardi Mercatoris, Adrichomii, Constantini Phrygionis, Marianæ[2] et quorumdam aliorum. Argumenta quæ in oppositum afferuntur, vide soluta apud Sanctium, et in Chronicis nostris, c. 26 et 27.

(1) Cap. 15 et 53.

(2) In 2 Reg. 15, vers. 7.

thel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin; porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua.

3. Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

4. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum: et erexit se Israel adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.

5. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven.

6. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus), absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis.

7. Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

8. Et expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo.

9. Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum, et pacifica. Et obtulit holocaustum.

10. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat: et egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum.

11. Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas,

12. Dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.

13. Dixitque Samuel ad Saul: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum;

℣. 3. *Percussit Jonathas stationem*, seu militare præsidium *Philisthinorum, quæ erat in Gabaa* — Hæc Gabaa erat patria Saulis, de qua dixi cap. 10, v. 5, eademque illa erat in qua constuprata fuerat olim uxor Levitæ, Judic. 19, quæ causa fuit excidii totius pene tribus Benjaminiticæ. Hoc vero militare præsidium tum illo, tum aliis pluribus locis in Israelitide disposuerant Philisthæi, quo caverent ne qua ibi vel arma, vel alia bellica instrumenta cuderentur a Judæis. Id enim prudenter inhibuerant, ne forte rebelles, si armis clam fabricatis instrui licuisset, novum quid aut inopinatum molirentur. Hinc vetitæ erant Judæis omnes officinæ ferrariæ, etiam ad rustica instrumenta paranda vel reparanda. Neque tales officinæ permittebantur nisi Philisthæis, qui in variis Judææ locis stationes suas habebant, ad quas se conferre cogebantur Israelitæ si quando vellent retusos ligones, vomeres aut secures recudi, aut novos cudi. Vide quæ supra dixi c. 7, v. 14. Fuit durum hoc, prudens tamen, Philisthinorum consilium, ad Judæos compescendos, et in perpetua servitute continendos. Eodem consilio post usum legimus Nabuchodonosorem [1], ad eosdem Judæos in officio continendos, quando cum Jechonia rege, *omnem* etiam *fabrum*, seu lignarium, seu ferrarium, omnemque *inclusorem*, seu ingeniarium, qui nosset aut urbes munire, aut castra metari, e Judæa transvexit in Chaldæam. Simili consilio dicit Plinius [2], Porsenam regem *in fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit, nominatim* cavisse, *ne ferro nisi in agricultura uterentur.*

℣. 13. *Jam nunc præparasset*, hebraismo, pro confirmasset, stabilivisset, *re-*

(1) Lib. 4 Reg. c. 24; Jerem. 24 et 19.

(2) Lib. 34, cap. 14.

14. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. [1] Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum: et præcepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.

15. Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros.

16. Et Saul et Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philisthiim consederant in Machmas.

17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual;

18. Porro alius ingrediebatur per viam Beth-horon; tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.

19. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel; caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.

20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum.

21. Retusæ itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum.

22. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saul et Jonatha filio ejus.

23. Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas.

gnum tuum — Sic Psalmo 23 dicitur Deus *super maria fundasse* terram, *et super flumina præparasse eam.*

Petes, Quo sensu dicit hic Samuel, Deum Sauli, si jussis suis paruisset, confirmaturum fuisse regnum in posteris *in æternum:* cum illud jam multis ante seculis promissum fuerit tribui Juda? Respondeo, Solum conditionate id de Saule dicitur, absolute vero de tribu Juda. Et quia prævidit Deus, Saulem a conditione deflexurum, potuit certo ante prædecernere ac prædicere sceptrum ab eo tollendum, et in tribum Juda transferendum, et in ea hæsurum usque ad Messiam. Ita DD. Scholastici.

Petes secundo, Quod fuerit tantum Saulis peccatum? et quidem primum peccatum viri antea tam innocentis? Respondeo, Inobedientia, qua, cum jussus esset a Samuele nihil adversus Philisthæos vel sacrificando, vel Deum consulendo, vel pugnando tentare ante expletum diem septimum, quo se Samuel certo affuturum addixerat, seque divinam voluntatem ei manifestaturum: ipse metu inutili prævertit adventum Samuelis. Sed an hoc tam ingens crimen, ut ob hoc privari regno debuerit? quo supplicio in humanis vix ullum gravius habetur? Respondeo, in mandatis divinis non tam spectari debet qualitas vel quantitas materiæ, quam præcipientis majestas ac voluntas. Et vero cum expediret, ut reges quotquot futuri erant in posterum, certo persuasum haberent, in administrando regno, ne vel in re minima a Dei jussis recedendum esse; voluit Deus primum in eo genere peccatum primi regis, ad omnium posterorum exemplum tam gravi supplicio mulctare. Sic primum peccatum primorum parentum; primum primorum sacerdotum, duorum filiorum Aaron profano igne sacrificantium [2]; primum primorum Christianorum Ananiæ et Saphiræ sacrilegium et voti violationem, tam severis pœnis punire voluit, ut quotquot in eo statu secuturi sunt posteri, gravitate pœnæ a simili scelere deterreantur. Ita notavit Isidor. Pelusiota [3], Angelomus, Abul. et Cajetanus.

(1) Act. 13, vers. 22.

(2) Genes. 3; Levit. 10; Act. 5.

(3) Epist. 181.

CAPUT XIV.

Jonathas cum solo armigero suo Philisthæorum stationem aggreditur, cædit et dispergit. Verum post victoriam melle (contra prohibitionem patris quam ignorabat) degustato, vix mortem evadit.

1. Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.

2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, quæ erat in Magron: et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.

3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, [1] qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas.

4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene:

5. Unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Gabaa.

6. Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis.

7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris.

8. Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis,

9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum.

11. Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum: dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant.

12. Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham, et ad armigerum

℣. 2. *Saul morabatur* fixo tentorio *sub malogranato* — Hebraice est *Remmon*, quod *malogranatum* significat. Estque idem locus, ad quem Judicum 20, vers. 47 dicuntur confugisse sexcenti viri, qui ex clade Benjaminia soli reliqui manserant. Erat enim prope *Gabaa*, et locus munitissimus.

℣. 3. *Achias* — Hic erat tunc summus sacerdos, et alio nomine vocabatur Achimelech, pronepos Heli: post paullo a Saule occisus cap. 22. Hic vero, cum in angustiis esset res israelitica, jussu Saulis advexerat arcam in castra, ut infra dicitur v. 18.

℣. 10. *Si dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manus nostras* — Ex hac ratione simul et ex constanti Jonathæ assertione, adeoque et ex eventu rei videtur colligi, ipsum ex divino instinctu *signum* hoc, quasi certum victoriæ omen præscripsisse. Ita Lyranus, S. Thomas [2], Hugo, Abulensis, Cajetanus. Simile habes Genesis 24, vers. 13 in servo Abrahæ, et Judicum 6 in Gedeone: et in profanis historiis apud Herodotum principio l. 5, Virgilium 9 Æneidos, et alios.

(1) Supr. 4, vers. 21.
(2) 2. 2., q. 95, a. 7.

ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: [1] tradidit enim Dominus eos in manus Israel.

13. Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat sequens eum.

14. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.

15. Et factum est miraculum in castris, per agros: sed et omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra: et accidit quasi miraculum a Deo.

16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens.

17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham, et armigerum ejus.

18. Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.)

19. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam.

20. Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certami-

℣. 18. *Applica arcam* — Id est, adhibe, admove præsidium quod arca fœderis subministrat; q. d. Indue ephod, quod juxta arcam adservatur, et per *urim et tummim* [2] coram arca consule Dominum, quid facere debeamus.

℣. 19. *Contrahe manum tuam* — Id est, extensas manus et ad Deum elevatas remitte et contrahe, q. d. Desine sollicitus inquirere de voluntate Dei: jam res ipsa et hostilis clamor loquitur, opem nostram certo deposci, ut et Jonatham periculo, si in aliquo est, eruamus, et hostes turbatos opprimamus, ita Abul. Putat tamen Gaspar Sanctius, aliquid inurbanæ impietatis intercurrisse in hoc facto Saulis, dum responsum divinum quasi minus necessarium non exspectat, sed negligit: et inde natos errores non paucos, nec levia incommoda. Primo, stultum edictum, ne quis ante noctem cibum sumeret, quo lassas exhaustasque cursitando, et pugnando vires vel tantillum instauraret: quo factum, ut non posset populus diu persequi fugientes Philisthæos et illo die debellare. Secundo, immeritam injustamque in filium suum Jonatham mortis latam sententiam. Tertio, sementem infinitorum obloquiorum famelici et murmurantis populi, dum per prata, et saltus melle plenos deducuntur jejuni, nec cibo tamen obvio refici vel inter currendum sinuntur. Quarto, gravius aliud peccatum adversus legem Geneseos 9 et Levit. 17 admissum, videlicet, quod fame pressi, moram non ferentes, carnem animalium nondum expresso sanguine devorarint. Unde S. Jo. Chrys. [3] illud edictum et juramentum Saulis dicit, opus fuisse diaboli, qui illa regis adjuratione laqueos toti populo injecerit, et plenam de hoste victoriam præpedierit.

Verum, si Saul stulte jejunium hoc indixit, cur probavit illud Deus, dum per sortes, violati edicti reum Jonatham manifestavit? Respondeo, Hac manifestatione non probavit Deus stultum edictum, neque etiam reum aut nocentem probavit Jonatham, nisi materialiter tantum: sed primario voluit patefacere, quanta sit vis præcepti et maledictionis, quæ est a superiore potestate, et locum Dei tenente: nam licet injusta et irrationabilis sit, semper tamen suscipienda est et merito timenda. Sic legimus, propter excommunicationem et similes Ecclesiæ minas consenuisse non semel arbores, aruisse segetes, extinctas locustas, lupos fugatos. Secundario voluit etiam hac via partim castigare Jonathæ levitatem, qua et patrem suum et legem a patre latam liberius apud populum incusarat v. 29, partim

(1) 1 Mach. 4, vers. 30. (2) Exod. 28, v. 30. (3) Hom. 14 ad populum.

nis: et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis.

21. Sed et Hebræi qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonatha.

22. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.

23. Et salvavit Dominus in die illa Israel; pugna autem pervenit usque ad Bethaven.

24. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem:

25. Omneque terræ vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri.

26. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus juramentum.

27. Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis: et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.

28. Respondensque unus de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus);

29. Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto:

30. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim?

31. Percusserunt ergo in die illa Philisthæos a Machmis usque in Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis:

32. Et versus ad prædam, tulit oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine.

33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me jam nunc saxum grande.

34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: et occiderunt ibi.

populo toti declarare manifestum tyrannidis exemplum in rege a se recens expetito, ut qui jubeat laborare, et tamen a cibo abstinere: quod ab alio nullo factitatum scirent tyranno. Qui rursum nec proprio parceret filio tam utili, tam necessario reipublicæ: sed propter nullam pene causam vellet illum de medio tollere. Ut ita reipsa discerent, quam stulte regem depoposcerint, qui nutu non Dei, sed suo solius, ceterarum gentium more, omnia administrare vellet. Porro de sortibus, an et quando liceant, vide quæ dixi Josue 7, v. 14 et dicam Prov. 16, v. 33, Actor. 1, v. 26.

℣. 27. *Illuminati sunt oculi ejus* — Nempe qui longa fame et labore caligarant, debilitatis defectisque spiritibus opticis, jam iisdem novo cibo restauratis, etiam ipsi oculi refocillati et sibi redditi sunt: ut quotidie accidit iis qui prolixiore inedia et lassitudine languentibus oculis sentiunt tenebras offundi, sed cibo potuve etiam exiguo statim dispelli: ita Angelomus, Vatablus, Cajetanus.

35. Ædificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.

36. Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

37. Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa.

38. Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi: et scitote, et videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.

39. Vivit Dominus salvator Israel, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

40. Et ait ad universum Israel: Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel, da indicium: quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas et Saul, populus autem exivit.

42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me, et inter Jonatham filium meum. Et captus est Jonathas.

43. Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas, et ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior.

44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris Jonatha.

45. Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonatham, ut non moreretur.

46. Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim: porro Philisthiim abierunt in loca sua.

47. Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philisthæos: et quocumque se verterat, superabat.

48. Congregatoque exercitu, per-

℣. 35. *Ædificavit autem Saul altare Domino* — non solum ad tantæ victoriæ tanto miraculo partæ æternam memoriam, ut vult Abulensis; sed etiam ad sacrificium eucharisticum, seu gratiarum actionis, Deo offerendum pro re tam feliciter gesta. Sic Moyses, Exodi 17, v. 15, cum Amalecitas bello superasset, *ædificavit altare, et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.* Et ipse Saul cap. seq. cum eosdem Amalecitas iterum subegisset, fornicem extruxit, de quo ibi agemus.

Tunc primum cœpit ædificare altare Domino — Id est, istud fuit primum altare inter ea quæ Saul in finem jam dictum plura post construxit, licet Scriptura illorum non meminerit: ita Hugo, Lyranus, Abulensis et Cajetanus. Et ad præsentiam arcæ fœderis, cum cœtu sacerdotum, id omnino licebat.

℣. 47. *Saul confirmato regno* — Hac nova insperataque victoria, bene usus occasione, et accensis omnium animis ad submovendos subjugandosque reliquos omnes vicinos hostes, continuavit tota æstate bellum, et eodem impetu superavit quod supererat Ammonitarum, Moabitarum et Idumæorum, cum Sobæis et Philisthæis: et quod seq. cap. narratur confectum bellum contra Amalecitas (qui pars quædam sunt et ramus Idumæorum,

cussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus.

49. Fuerunt autem filii Saul, Jonathas, et Jessui, et Melchisua: et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, et nomen minoris Michol.

50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: et nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul.

51. Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel.

52. Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

ut patet Genes. 36, v. 12, et dixi Exod. 17, v. 14, et docent Josephus et alii Hebræi cum S. Hieron. [1], Abulensi et Lyrano); hac ipsa quoque prima, vel summum incho-

(1) Joseph. l. 2 Antiq., c. 1; Hieron. in Tradit. Hebr.

ante secunda æstate confectum fuit. Neque difficile erat semestri spatio tot bella conficere, cum promptas volentesque copias ad manum haberet, et hostes essent vicini, neque ad resistendum sat parati: ita fere Gaspar Sanctius.

CAPUT XV.

Saul jussus exscindere funditus Amalec, Agag regem vivum, multamque prædam reservat: unde secundo reprobatur, et regno spoliandus prædicitur.

1. Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel: nunc ergo audi vocem Domini.

2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, [1] quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto.

3. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.

4. Præcepit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda.

5. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

6. Dixitque Saul Cinæo: Abite,

v. 5. *Cum venisset ad civitatem Amalech* — Hæc regia civitas videtur fuisse, ubi Agag suam aulam habebat. Josephus [2] dicit, ex posteris hujus Agag procreatum Aman, quia is Esther 3 dicitur fuisse *de progenie Agag*. Quod si verum est, dicendum, posteros *Agag* metu Judæorum profugisse *in Macedoniam*, nam Aman iste cap. ult. Esther v. 10 dicitur fuisse *gente Macedo*. De *Cinæis* ex Jethro socero Moysis prognatis dixi Num. 10 et Judicum 1.

Petes, Quam misericordiam fecit Jethro filiis Israel cum ascenderent de Ægypto? Respondet Abulensis, occurrisse gratulabundum Moysi, Exodi 18, tradidisseque commodam gubernandi formam: quin et hostias subministrasse quas offerret Moyses Deo, et alia etiam quædam in epulum et viæ solatium saltem genero suo ejusque familiæ. Neque enim verisimile est, virum copiosum ac potentem, ad generum suum, quem per desertam regionem incedere cognoverat, accurrisse vacuum: sed ex gregibus, quos haud procul inde copiosos alebat, subsidium aliquod attulisse. Accedit et aliud beneficium, quod *Hobab* filius Jethro toti Israeli præstitit, Numerorum 10, cum se comitem ducemque viæ tam molestæ, tam

(1) Exod. 17, vers. 8.

(2) L. 10, c. 6.

recedite, atque descendite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.

7. Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti.

8. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii.

9. Et pepercit Saul, et populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quæ pulcra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt.

10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:

11. Pœnitet me quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.

12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec.

13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini.

14. Dixitque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio?

15. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus.

16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.

---

tædiosæ præbuit per tot annos. Ita Hebræi, teste S. Hieronymo [1].

Petes secundo, An restitisse Israeli in via, fuerit tam enorme peccatum Amalecitarum, ut funditus exscindi præ aliis Idumæis ipsi meruerint? Respondeo, Non restiterant tantum via belli consueta, sed valde duriter et inhumane se erga Israelitas habuerant: cum enim commune haberent cum illis genus (utpote ex Esau fratre Jacob procreati) rogarentque illi ut compendii causa per fines ipsorum transire liceret, hostiliter sine justa ulla causa id negarunt, et magno dispendio procul circuire coegerunt, Numeror. 20. Quin et perfide ac fraudulenter aggressi sunt fame enectos et labore confectos, extremum agmen ex insidiis carpentes, Deuteron. 25, v. 18. Quæ ipsorum malitia et crudelitas tantopere Deo displicuit, ut ex tunc mandarit in annales referri istud impium ipsorum facinus, Exodi 17, præceperitque Israelitis, si quando tranquille possiderent terram Chanaan, Amalecitas stirpitus perderent et exterminarent, Deut. 25.

ỳ. 12. *Et erexisset sibi fornicem triumphalem* — cum inscriptione victoriæ recens partæ ex Amalecitis. Erexit autem hunc arcum triumphalem in ea parte montis Carmeli, qui ad funiculum pertinet tribus Juda. Sed Nota, Saulem hunc arcum non Deo auctori victoriæ, sed sibi erexisse, quasi suæ industriæ bellicæque virtuti victoriam adscriberet: ita Lyranus. En indolem animi Deo rebellis. Primo, detrectat parere vicario Dei; secundo, ipsi quoque Deo se præstat inobedientem; tertio, gloriam soli Deo debitam sibi vindicat; quarto, excusat omnia etiam deterrima, aut in alios transfert; quinto, solo populi plausu, et vana gloriola pascitur; sexto, aliena gloria in rabiem, in furorem agitur; septimo, ad cædes promiscuas, etiam suorum intimorum, rapitur; octavo, sacra omnia profanat; nono, dæmoni totus mancipatur; decimo, desperatus, manu propria, occumbit.

(1) In Tradit. Hebr.

17. Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel,

18. Et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.

19. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Dñi?

20. Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, et ambulavi in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci.

21. Tulit autem de præda populus oves et boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.

22. Et ait Samuel: [1] Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quam victimæ: et auscultare magis quam offerre adipem arietum;

23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.

24. Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, et verba tua timens populum, et obediens voci eorum.

25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum.

26. Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus ne sis rex super Israel.

27. Et conversus est Samuel ut abiret: ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et scissa est.

28. Et ait ad eum Samuel: [2] Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.

29. Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam.

℣. 22. *Melior est obedientia, quam victimæ* — Quia *per victimam aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur,* inquit S. Gregorius [3]. Sed causa a priori est, quod per obedientiam pareamus voluntati divinæ, quæ regula est omnium actionum bonarum; a qua proinde deflectere non licet ullo prætextu, ne quidem sacrificii; aut alterius etiam sanctissimi operis nobis liberi. Hinc inobedientia comparatur *ariolationi,* immo *idololatriæ,* hoc est rei summe Deo execrabili maximeque detestandæ. Nam inobedientes, inquit idem S. Gregorius [4], *velut contempto divino altari, ad aras dæmonum responsa captant, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinventionibus credunt et salubribus Prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.* Vide de hoc etiam S. Basilium et S. Bernardum [5].

℣. 28. *Scidit Dominus regnum a te hodie* — Nempe divino decreto suo ac sententia irrevocabili, ex nunc statuit te regno privare. Alludit Samuel ad discissam chlamydis suæ laciniam, dicitque sic discindendum a Saule regnum, et ad alium transferendum. Quin et Hebræi, teste Lyrano, putant, his verbis, datum Sauli a Samuele signum, quo nosse aliquando posset, quisnam esset ille, ad quem sceptrum transferretur: nempe illum qui e regia chlamyde partem aliquando abscinderet, quare cum David id postea fecerit in spelunca, c. 24, dicunt, Saulem memorem mox vaticinii Samuelis exclamasse, *Nunc scio, quod certissime regnaturus sis.*

(1) Eccli. 4, vers. 17; Osee 6, vers. 6; Matth. 9, vers. 13, et 12, vers 7.
(2) Infr. 28, vers. 17.
(3) Lib. 33 Moral., cap. 10.
(4) Supra.
(5) Basil. in Constit. Monast., c. 23; Bern. l. de Dispensat. et præcepto, et l. de Ordine vitæ, et serm. 2 de Resurrect.

30. At ille ait: Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum.

31. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem: et adoravit Saul Dominum.

32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, et tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?

33. Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa.

35. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ: verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

℣. 35. *Et non vidit Samuel ultra Saul* — Id est, numquam amplius invisit aut adivit, officii vel amicitiæ gratia, quo modo antea ipsum videre solebat. Alioqui vidit rursus eum coram se prophetantem infra cap. 19; ita Vatablus et alii Doctores.

CAPUT XVI.

Reprobato Saule, David fratrum suorum minimus, in regem ungitur: a Saule evocatur, ut cithara sua spiritum malum qui exagitabat Saulem, compescat.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.

2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni.

3. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi.

4. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus?

5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium.

6. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est christus ejus?

7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, [1] Dominus autem intuetur cor.

℣. 5. *Sanctificavit Isai, et filios ejus* — id est, mundari seu purificari jussit: quod fiebat secubitu, et lustratione ab irregularitate, si quam forte contraxissent. De quibus sæpius in Levitico.

(1) Psalm. 7, vers. 10.

8. Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

9. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.

10. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.

11. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adduc eum: nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat.

12. Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie; et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim.

13. Tulit ergo Samuel cornu olei, [1] et unxit eum in medio fratrum ejus: et directus est Spiritus Domini a die illa in David, et deinceps: surgensque Samuel abiit in Ramatha.

14. Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.

15. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te.

16. Jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras.

17. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me.

18. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulcrum, et Dominus est cum eo.

19. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis.

20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini, et

℣. 11. *Adhuc reliquus est parvulus* — Non quod ætate puerili esset, aut exiguo corpore (nam mox v. 18 vocatur *vir bellicosus, et fortissimus robore*, erat enim tunc David 28 annorum: ut tradunt Hebræi in Seder-Olam c. 13), sed quia fratrum erat minimus, et comparatione illorum parvus ætate. Sic Ben-jamin Genesis 43, v. 29 a Josepho fratre suo vocatur *parvulus*; cum tamen jam tum decem suscepisset filios, ut constat Genesis 46, v. 21.

℣. 13. *Directus est Spiritus Domini in David* — Dirigi vox est militaris, et significat *intendere aciem*, vel *impetum facere* in aliquem. Ergo *directus est*, idem valet quod *insiliit, Spiritus Domini* sanctus, cum omnibus donis suis, ac nominatim *dono prophetiæ*, et canendi psallendique peritia, item dono fortitudinis tum animi, tum corporis. Nam ab hac demum unctione Davidem et psallere cœpisse, et leonem atque ursum nudis manibus præfocasse, docent S. Gregorius, Rupertus [2], Pseudophilo, et Abulensis. Idem vero *Spiritus Domini* cum donis suis *recessit a Saule* jam sententia divina reprobato, et a regno depulso. Unde nihil ex hoc tempore egit egregium vel rege dignum, quin potius panico suo timore, immo stupore, ad unius Goliath Philisthæi conspectum tota castra complevit.

℣. 14. *Et exagitabat eum spiritus nequam* — Id est *melancholia*, inquiunt Cajetanus et Genebrardus [3] ex traditione Hebræorum. Sed communis est Patrum Doctorumque sententia, Saulem vere fuisse energumenum, id est, obsessum et intus exagitatum a dæmone: qui quia malus in se est, vocatur *spiritus nequam;* quia tamen etiam servus et mancipium est Dei, merito quoque *spiritus Domini* dicitur hic v. 16. Ita Josephus, S. Gregorius [4], Theodoretus, Isidorus, Rupertus, Eucherius, Lyranus, Abulensis, Dionysius, Hugo, Vatablus, Mariana, Vallesius, Serarius et Sanctius.

(1) 2 Reg. 7, vers. 8; Psalm. 77, vers. 70, et 88 vers. 21; Act. 7, vers. 46, et 13, vers. 22.
(2) Greg. hom. in Ezech.; Rup. in l. 1 Reg. c. 28.
(3) Ad annum mundi 3066.
(4) Lib. 2 Moral., cap. 6.

hœdum de capris unum, et misit per manum David filii sui Sauli.

21. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger.

22. Misitque Saul ad Isai, dicens: Stet David in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis.

23. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.

℣. 23. *David citharam percutiebat, et refocillabatur Saul: recedebat enim ab eo spiritus malus* — Sane vim ad sedandas componendasque passiones tum animi, tum corporis, magnam esse in concentu et numeris musicis, sicut est in lituis et tubis ad easdem excitandas inflammandasque, plurimis rationibus et exemplis docent Plutarchus, Seneca, Basilius, Cassiodorus, Vallesius, Mattiolus, Abulensis, Serarius, et Delrio [1]. Consequenter etiam valent ad compescendam agitationem dæmonis, qui passionibus istis et humorum commotionibus sese ingerit, iisdemque utitur ad animum vel occupandum, vel magis exagitandum, ut patet c. 18, v. 10. Sed hæc Saulis refocillatio non a sola melodia proficisci potuit, cum *spiritus malus* dicatur etiam *recessisse* a Saule, seu fugatus fuisse per Davidem, quod nullis sonis quantumcumque numerose modulatis convenire potest. Putarim ergo id potius adscribendum sacris psalmorum et hymnorum verbis, quin et piis precibus ac votis, quibus David pro regis incolumitate Deum interpellabat: pene eo modo quo nunc Ecclesia per preces et sacra verba, per adjurationes et exorcismos expellit cacodæmones ex energumenis. Ita fere Theodoretus, et alii jam citati.

Allegorice S. Prosper et Angelomus per Davidem Christum, per citharam crucem, per nervos seu fides extensa Christi in cruce brachia reliquaque membra intelligunt. Tropologice, dulcedo et suavitas prædicantium perversos animi motus compescit et sedat.

(1) Plutarch. l. de Musica; Seneca l. 3 de Ira, cap. 9; Basil. de libris Gentilium; Cassiod. lib. 2 Variarum, c. 40; Vall. Sacræ Philos., c. 28; Delrio lib. 3 Disquis. Magic.

CAPUT XVII.

Gigantem Goliath sola funda superat David. Fugiunt, cæduntur et castris exuuntur Philisthæi.

1. Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ: et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim.

2. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in Vallem terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim.

3. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos.

4. Et egressus est vir spurius de

℣. 4. *Vir spurius* — seu illegitimus, ex incerto patre gigante, verisimiliter *de stirpe Enakim*, et matre Gethæa. Nam reliquias Enakim seu gigantum permansisse in Geth, constat ex cap. 11 Josue. Et incertum ignotumque fuisse illius patrem vel inde colligitur, quod, cum generis illius et parentum fit mentio in Scripturis [1], numquam patris nomen exprimitur, sed solius matris, nempe *Arapha*. Quod nomen quia videtur aliquam habere similitudinem cum *Orpha* nuru Noemi, hinc Thalmudistæ et quidam alii Rabbini occasionem fingendi ceperunt, hunc Goliathum fuisse filium *Or-*

(1) 2 Reg. 21, vers. 19, et 1 Paral. 20, vers. 4.

castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum, et palmi:

5. Et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamata induebatur; porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat:

6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: et clypeus æreus tegebat humeros ejus.

7. Hastile autem hastæ ejus, erat quasi liciatorium texentium; ipsum autem ferrum hastæ ejus, sexcentos siclos habebat ferri: et armiger ejus antecedebat eum.

8. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen;

9. Si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis.

10. Et ajebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie: Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen.

11. Audiens autem Saul, et omnes Israelitæ, sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant, et metuebant nimis.

12. David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo [1] supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros.

13. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: et nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma.

14. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem,

15. Abiit David, et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.

16. Procedebat vero Philisthæus

phæ [2]. Sed neque nominum magna est similitudo, neque temporum ratio id permittit, cum secundum hunc calculum Goliath esset centenario jam major, ut patet ex dictis cap. 1 libri Ruth.

℣. 5. *Lorica squamata*, seu thorace ex æneis laminis squamatim contextis, *induebatur* — Eratque pondus loricæ *quinque millia siclorum æris*, id est librarum ducentarum et octo [3], cum unciis quatuor, computatis in singulas libras unciis duodecim [4]. Hastæ vero illius *hastile* æquabat crassitie *liciatorium*, seu jugum circa quod textores telam circumvolvunt, sexcentorum siclorum, seu viginti quinque librarum mucrone præferatum.

℣. 15. *David reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem* — Cum psaltes esset regius, et tam necessarius, tam carus Sauli, immo armiger jam illius, ut constat ex cap. præc. cur jussus vel permissus est aula excedere et ad pascua reverti? Respondeo, ex parte Davidis facile est conjectare, pertæsum illum vitæ aulicæ, et impietatis Saulis, quam primum potuit occasionem captasse subducendi se, et ab aulæ strepitu, ad pristinam nemorum quietem revertisse. Ex parte etiam Saulis jam meliuscule habentis, ut putat Serarius, facile fuit veniam obtineri. Et forsan, uti moroso et mutabili erat ingenio, jam amorem converterat in odium, et abscedere coegerat Davidem non satis suo genio respondentem, ita Sanctius. Qui etiam hinc et ex sequentibus colligit, nesciisse fratres Davidis, quando viderunt eum a Samuele inungi, quem in finem adhiberetur illa unctio: sibique persuasisse, inunctum fuisse in Prophetam aut in aliquod aliud sacrum ministerium. Et licet Jose-

(1) Sup. 16. vers. 1.
(2) ערפה הרפה.
(3) Proleg. de Ponderib.
(4) Auctor Gallicæ dissertationis *de Tactica Hebræorum* ait, Goliæ clypeum ex ligno fuisse, sed æreis lamellis contectum. Vide hanc sententiam solide confutatam a P. Martin p. 1 *Explan. locor. Script. difficil.*, p. 138 seq.

mane et vespere, et stabat quadraginta diebus.

17. Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos,

18. Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: et fratres tuos visitabis, si recte agant: et cum quibus ordinati sunt, disce.

19. Saul autem, et illi, et omnes filii Israel in Valle terebinthi pugnabant adversum Philisthiim.

20. Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi: et onustus abiit, sicut præceperat ei Isai: et venit ad locum Magala, et ad exercitum, qui egressus ad pugnam, vociferatus erat in certamine.

21. Direxerat enim aciem Israel, sed et Philisthiim ex adverso fuerant præparati.

22. Derelinquens ergo David vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos.

23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: et loquente eo hæc eadem verba audivit David.

24. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde.

25. Et dixit unus quispiam de Israel: Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.

26. Et ait David ad viros qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus qui exprobravit acies Dei viventis?

27. Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

28. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam, et nequitiam

phus [1] asserat, saltem uni parenti ejus Isai Samuelem de regno filii consilium communicasse; negat id tamen Cajetanus, qui vult soli Davidi id innotuisse. Et hoc puto longe verisimilius.

℣. 17. *Accipe ephi* [2] *polentæ* — Polenta est hordeum adhuc viride, vel certe madefactum, dein siccatum et tostum, denique molis contusum et in farinam comminutum. Ex hoc solent matres-familias domi, milites in castris, pastores ruri, et viatores per iter liba, placentas, et alios varios sibi, recentesque ac delicatos cibos facili negotio parare, admixta vel aqua, vel lacte, vel butyro, vel melle, vel saccaro, vel oleo, vel alio simili condimento. Est vero *ephi* mensura quæ decem viris præ victu diurno sufficiat.

℣. 18. *Et decem formellas casei* — Id est decem caseolos recentes, qui ex forma vasis plus minusve concavi, in quod compinguntur, uti formam seu figuram, sic et nomen suum acceperunt; vocanturque *formæ* seu *formellæ*. De quibus Virgilius,

Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat.

Quos Hispani *requesones* vocant, itali *ricottas*. Ex hac tam sedula Isai cura, ut filiis suis de alimentis prospiciat, colligi posse videtur, Israelitas primis illis regii imperii temporibus non regio sumptu, sed propriis stipendiis militasse. Secus est de Machabæorum temporibus, et deinceps, quibus stipendia a regibus fuere militibus constituta 1. Machabæorum 14, v. 32, et Apostolus dicit [3], neminem suis stipendiis militare.

(1) Lib. 6 Antiq., c. 9.
(2) Proleg. de Mensuris.
(3) 1 ad Cor. 9, vers. 7.

cordis tui: quia ut videres prælium, descendisti.

29. Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est?

30. Et declinavit paululum ab eo ad alium: dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius.

31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul.

32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthæum.

33. Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

34. Dixitque David ad Saul: [1] Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis:

35. Et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos.

36. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur et Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?

37. Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Vade, et Dominus tecum sit.

38. Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica.

39. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea,

40. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit: et processit adversum Philisthæum.

41. Ibat autem Philisthæus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger ejus ante eum.

42. Cumque inspexisset Philisthæus, et vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens, rufus, et pulcher aspectu.

43. Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu

℣. 29. *Numquid non verbum est?* — id est, imperium et mandatum parentis, quo mittor ad castra.

℣. 33. *Quia puer es* — non ætate, sed usu et peritia rei militaris. Patet ex antithesi, *Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*, ubi ætati Davidis opponitur peritia et diuturnus usus rei militaris. Patet secundo, ex v. 38 ubi Saul induit Davidem suis quibus ipsemet uti consueverat vestimentis et armis: atqui Saul procero erat corpore, *altior universo populo ab humero et sursum* [2], ergo et Davidem matura quoque ætate, et corpore procero tum fuisse fateamur necesse est, cui tam proceri hominis vestes et arma aptarentur. Neque David cum illa exueret, negabat quadrare suo corpori, sed solum se non assuevisse ejusmodi armis, neque incedere posse gravatum tanto pondere, et quasi ferreis quibusdam vinculis constrictum. Denique idem colligitur ex eo quod gladio Goliath, utique valde longo et gravi, David expedite uteretur, neque inconcinne cingeretur, infra cap. 21, v. 9; ita S. Jo. Chrysostomus [3], Abulensis, Dionysius et Hugo.

(1) Eccli. 47, vers. 3. 12) 1 Reg. 10, vers. 23.

(3) Hom. de David. et Goliath.

venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis:

44. Dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ.

45. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti

46. Hodie, et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te: et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, et bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel,

47. Et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras.

48. Cum ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi.

49. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philisthæum in fronte: et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram.

50. [1] Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda et lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David,

51. Cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua: et interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum fugerunt.

52. Et consurgentes viri Israel et Juda vociferati sunt, et persecuti sunt Philisthæos usque dum venirent in vallem, et usque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati de Philisthiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron.

53. Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum.

54. Assumens autem David caput Philisthæi, attulit illud in Jerusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo.

℣. 49. *Infixus est lapis in fronte* — Josephus dicit, tam valido ictu adactum lapidem, ut ad cerebrum usque gigantis penetrarit: unde læso cerebro concidit e vestigio exanimis et sine motu, ita Abulensis. Verisimile est superbum gigantem contempsisse quidquid moliretur David, neque curasse galea clausa frontem contegi, cum ab inermi et belli inexperto nihil sibi metueret. Alioqui non erat prudentis sine omni metu esse frontemque nudam objicere fundæ; cum constaret, inter Israelitas non paucos esse fundibularios qui tam certo ictu lapidem jacerent, ut ne vel ad capillum a scopo aberrarent, ut patet ex Judicum 20, v. 16.

Allegorice per Davidem Christum, per Goliath diabolum, per baculum et fundam crucem intelligunt communiter SS. Patres. Moraliter Goliath symbolum est superbiæ, luxuriæ, aliorumque in singulis prædominantium vitiorum, quibus quantumcumque gigantæis prævalere, si vis, potes solo obnisu et meritis Christi. Vide S. Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Rupertum, Eucherium, Bernardum, Angelomum, et fuse S. Gregorium [2].

℣. 54. *Caput Philisthæi* — per plures civitates, quas victor exercitus transibat, circumtulit David, gladio ejusdem aut hastæ infixum. Tandem in urbe Jerosolymitana, quæ jam pridem Judæorum [3] erat, nobile illud trophæum reliquit, ut

(1) Eccli. 47, vers. 4; 1 Mach. 4, vers. 30.

(2) S. Aug Dominica 1 post Trinit. serm. 2; Ambr. l. 1 Offic., c. 35; Chrysost. t. 1, hom. 46 in Genes. et hom. de David.; Rupert., Eucher., Angelomus hic; Bern. Dominica 4 post Pentecosten; Greg. lib. 3 Moral., cap. 31.

(3) Josue 10, vers. 28, et Judic. 1, vers. 8.

55. Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi.

56. Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer.

57. Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu.

58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

Jebusæi, qui urbis illius arcem etiamtum obstinati tuebantur, ex hoc spectro discerent, se quoque ab eodem duce, eadem manu, eadem arte, expugnari posse, uti post novennium expugnata est arx illa ab eodem Davide, 2 Reg. 5.

℣. 55. *De qua stirpe descendit hic adolescens?* — Quomodo id potuit ignorare Saul, cum Davidem haud ita pridem psaltem suum et citharœdum, et armigerum habuerit? Respondet primo, Procopius, Dionysius, Carthusianus et Lyranus, phantasiam Saulis, cum David illi in aula adesset, ex frequenti dæmonis vexatione et vehementiore melancholia perturbatam fuisse: ac proinde nullam ejus memoriam retinuisse. Respondet secundo, Abulensis, id provenisse ex mutatione habitus et vestium; nam qui prius lautiore utebatur cultu, more aulicorum, jam rusticis pellibus, et pastoritio sago indutus erat cum baculo, funda et pera, alius plane ab eo qui fuerat ante. Addit Sanctius, reges non solere vel prope, vel attente, vel otiose intueri, ac consequenter neque nosse famulos suos, neque ullius rei facilius oblivisci, quam obsequii sibi præstiti, maxime si contingat famulos non diu in famulatu perseverare, uti contigisse in Davide diximus v. 15. Nam reip. cura, bellorum perturbatio, et aliæ infinitæ occupationes mentes regum alio rapiunt. Denique responderi posset, non ignotam fuisse Sauli personam Davidis, sed solam stirpem, tribum et familiam: nam de his solis jam inquirit. Et vero intererat plurimum Saulis hæc nosse, cum ex pacto filiam illi suam daturus esset uxorem; ita Mariana et Sanctius.

CAPUT XVIII.

Jonathas arctissimo fœdere jungitur Davidi: sed Saul pessime illum odit: unde et lancea configere nititur, sed frustra. Porro Merobem filiam suam Davidi ante promissam elocat alteri viro: loco tamen illius dat illi juniorem filiam suam Michol.

1. Et factum est cum complesset loqui ad Saul: anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam.

2. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui.

3. Inierunt autem David et Jonathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.

4. Nam expoliavit se Jonathas tu-

℣. 3. *Inierunt David et Jonathas fœdus* — scilicet arctissimæ amicitiæ, quam duo isti principes inter se habere voluerunt perpetuam. De quo fœdere pluribus infra cap. 20. Sed quæ causæ tanti amoris inter filium regis et vilem opilionem? Respondeo, Virtutes insignes atque heroicæ quas Jonathas suspiciebat in Davide. Aderat inter illos duos morum studiorumque similitudo maxima: uterque fortis erat et strenuus: uterque patriæ religionis et Israelitici nominis ac gloriæ studiosus: uterque ingenio candido, non invido, non æmulo, non malo. Ne-

nica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum.

5. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul.

6. Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris.

7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: [1] Percussit Saul mille, et David decem millia.

8. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste: dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?

9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, et deinceps.

10. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies; tenebatque Saul lanceam,

11. Et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete: et declinavit David a facie ejus secundo.

12. Et timuit Saul David, eo quod Dñus esset cum eo, et a se recessisset.

13. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros: et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi.

14. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo.

15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum.

16. Omnis autem Israel et Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos.

que dubitabat Jonathas sceptrum Israeliticum a suo jam rejectitio patre et familia ad alios brevi transferendum: et vero ad quem potius quam ad Davidem, quem Deo tam carum esse sentiebat? Id certe sibi constare clare dicit Jonathas cap. 23, v. 17, et Saul quoque aperte affirmat cap. 24: *Scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel.*

℣. 6. *Egressæ mulieres de universis urbibus* — nempe quæ in transitu erant inter vallem Terebinthi, ubi duello victus fuerat *Goliath*, et Jerosolymam, ubi pro trophæo fixum fuit caput gigantis, ut vidimus cap. præced. Porro virginibus proprium erat, si quid lætum esset, v. g. nuptias et victoriam, vel si quid triste, v. g. funus, vel acceptam cladem: cantu solemni celebrare seu læto, seu lugubri; læta, epithalamio vel epinicio; tristia, epicedio, lesso, næniis.

℣. 7. *David decem millia* percussisse dicitur, quia sublato gigante, reliqua Philisthinorum agmina, quæ multis millibus constabant, abjectis animis, et viribus, et armis, vel internecioni data sunt, vel turpi fuga dilapsa. Neque solum tot millibus hostium ademit animos David: sed et suorum plurimis millibus, quibus metu gigantis animi defecerant, iisdem prostrato gigante eosdem reddidit: ut constat ex cap. præc. atque ita ut hostium mors, sic civium suorum vita fuit David.

℣. 10. *Invasit spiritus Dei malus Saul* — nempe invidia, ira, furore turbatum, quæ passiones viam dæmoni sternunt. Vide c. 16, v. 14 et 23.

Et prophetabat — Id est, more prophetantium, carmina et psalmos seu sacros, seu profanos, sibi antea nec notos, nec auditos, forte etiam lingua ignota, et gestibus inconcinnis, decantabat, ut solent insani et energumeni nunc cantores, nunc concionatores, nunc comœdos agere. Unde Chaldæus vertit, *et insaniebat Saul.*

(1) Infr. 21, vers. 11; Eccli. 47, vers. 7.

17. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

18. Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel ut fiam gener regis?

19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor.

20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei.

21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie.

22. Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.

23. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper et tenuis.

24. Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Hujuscemodi verba locutus est David.

25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex spon-

℣. 19. *Cum deberet dari Merob filia Saul* ex pacto et condicto *Davidi*, sub tempus nuptiarum *data est Hadrieli* — Quæ sane singularis fuit injuria et perfidia, cum sponsam jure belli debitam, et toties ultro oblatam, non jam a spe conjugii, sed ab ipso pene sponsi complexu tyrannus distraheret, et alteri nescio cui in sinum daret. Quæ quidem in casu simili sic affecerunt Samsonis animum, ut non nisi exustis frugibus, olivetis, vineis, et ingenti hostium edita strage conquiescere potuerit, Judic. 15. Sed David, prudenter compresso dolore, dissimulata injuria, devorata ignominia, vindictam uni Deo transcripsit. Quam et suo tempore sumpsit justus judex, cum Saulis omnem familiam exscindi passus est, et nominatim filios omnes hujus *Merob* et *Hadrielis* e patibulis suffigi voluit, 2 Reg. 21, v. 9.

℣. 21. *Dabo ei* Michol secundogenitam meam, *ut fiat ei in scandalum* — Instar alterius *Dalilæ*, quæ suis illecebris prodidit amasium suum Philisthæis. Mihi enim ut obnoxia, sic fida erit filia in Davide prodendo, et quibus voluero viis perdendo. Sic postea Antiochus rex Asiæ filiam suam Cleopatram Ptolemæo regi Ægypti uxorem dedit, ut per eam aditum sibi ad alienum regnum aperiret, Danielis 11, v. 17, *Filiam feminarum* pulcherrimam *dabit ei, ut evertat illud.* Sed ut Cleopatra maluit videri Ptolemæi uxor, quam Antiochi filia: ita quoque apud Michol plus valuit conjugis amor, quam patris observantia.

In duabus rebus gener meus eris hodie — Id est, duplici titulo, duplici merito. Primo, quia gigantem stravisti, cujus præmium erat regia sponsa. Secundo, quia nova victoria ex Philisthæis quærenda, quorum opto cæsorum centum videre præputia, eamdem sponsam tibi quasi dote coemes: neque aliam abs te volo harum nuptiarum dotem. Ita Rupertus, Angelomus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Emmanuel Sa et Sanctius.

Nota, ut apud Romanos, ita et apud Hebræos, nuptias coemptione fieri solitas. Sic Osee [1] emit fornicariam sibi uxorem quindecim argenteis: Jacob Liam et Rachelem duplicis septennii servitute: Christus sanguine suo et 34 annorum labore Ecclesiam sibi sponsam emit Actorum 20. Sic modo jubet Davidi tyrannus, ut sanguinis et vitæ suæ pretio sponsam sibi secundo emat Michol, neque enim poterat sine præsenti vitæ periculo centum Philisthinorum præputia, quæ petebantur in dotem, appendere. Sed cur præputia deposcit Saul, et non capita? Respondeo, ne qua fraus irreperet, neve pro Philisthæis hostibus Israelitas aliosve amicos invaderet David: quod jam facere non poterat, quia Israelitæ carebant præputio, ita Sanctius.

(1) Osee 3, vers. 2.

salia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum.

26. Cumque renuntiassent servi ejus David verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis.

27. Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, et attulit eorum præputia, et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem.

28. Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum.

29. Et Saul magis cœpit timere David: factusque est Saul inimicus David cunctis diebus.

30. Et egressi sunt principes Philisthinorum; a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis.

CAPUT XIX.

Jubet Saul occidi Davidem, sed voce Jonathæ placatus reconciliatur illi: post paullo tamen lancea rursus configere conatur Davidem. Is ope et industria Michol uxoris suæ e manibus satellitum elapsus ad Samuelem profugit, quem prosecutus Saul prophetat cum Prophetis.

1. Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde.

2. Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, mane, et manebis clam, et absconderis.

3. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris: et ego loquar de te ad patrem meum: et quodcumque videro, nuntiabo tibi.

4. Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum: Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde.

5. Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli: vidisti, et lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa?

6. Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.

7. Vocavit itaque Jonathas David, et indicavit ei omnia verba hæc: et introduxit Jonathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius.

8. Motum est autem rursum bellum: et egressus David, pugnavit adversum Philisthiim: percussitque eos plaga magna et fugerunt a facie ejus.

9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua.

10. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa.

11. Misit ergo Saul satellites suos

in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris;

12. Deposuit eum per fenestram; porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est.

13. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, et operuit eam vestimentis.

14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: et responsum est quod ægrotaret.

15. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.

16. Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus.

17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

18. David autem fugiens, salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Najoth.

19. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Najoth in Ramatha.

20. Misit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum prophetarum, vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi.

21. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios: prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul,

22. Abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, et interrogavit, et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei: Ecce in Najoth sunt in Ramatha.

23. Et abiit in Najoth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Najoth in Ramatha.

℣. 13. *Statuam posuit super lectum* — Hebræum *Theraphim* non solum idolum significat, neque semper in malam partem accipitur, ut fingunt hæretici: sed sæpe pro vulgari imagine vel statua seu sacra, seu profana sumitur, ut pluribus exemplis probat Ribera, et alii in illud Osee 3: *Et sine Theraphim.*

Et pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus. — Nota. Capræ in Palæstina fulvas alunt lanas, seu villos. Uti et de ovibus quæ ad Betin, Sibarim, Cratin, Xantum et Scamandrum fluvios pascuntur, tradit Plinius, Martialis, Ovidius et Aristoteles [1]. Unde pellis illa villosa capræ, quæ caput statuæ cingebat, fulvam Davidis cæsariem naturaliter referebat. Addit Josephus, stragulis quoque subjectum fuisse jecur capræ, quod postquam excisum est, solet adhuc aliquamdiu palpitare, ut ex illius motu regii satellites cubare ibi Davidem suspicarentur. Idem tenent Procopius, Theodoretus, Magister historiæ Schol. et Hugo.

Nota secundo. Etsi sciret Michol non posse diu latere has fraudes, voluit nihilominus eis vel ad breve tempus uti, ut Davidi spatium interea fugiendi daret, ita Abulensis.

℣. 20. *Samuel stantem super eos* — Id est, præpositum et præsidentem choro prophetantium. Nam ut supra vidimus c. 10, Samuel certis locis instituerat sacros cœtus et quasi scholas prophetantium, id est Deum sacris hymnis et canticis laudantium, ut ibidem exposuimus. Et videtur Samuel illorum Religiosorum cœtum non præses modo, sed et primus parens et auctor fuisse, ita Sanctius.

(1) Plin. l. 2, c. 103, et l. 8, c. 48; Martial. l. 12, epigram. 100, et l. 14, epigram. 133; Ovid. 5 Metamorph.; Arist. l. 3 hist. Anim., cap. 12.

24. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium: [1] Num et Saul inter prophetas?

ỳ. 24. *Et expoliavit etiam* Saul *ipse se vestimentis suis* — non interioribus, sed exterioribus regiis, quibus a vulgo secernebatur. Et hoc sensu dicitur *nudus tota die illa et nocte* coram Samuele *cecidisse.* Nudus enim vere dicitur tum apud sacros, tum apud profanos auctores, qui sui ordinis ac dignitatis ornamentis exutus est. Sic Isaias c. 20 nudus incessisse dicitur, quia abjecerat vestem prophetalem, seu cilicinam, sine qua citra notam incedere non poterat. Sic David 2 Reg. 6 dicitur nudus ante arcam saltasse, quia paludamento regio spoliatus. Nam nudum omnino omni veste non fuisse vel inde patet, quod ibidem dicatur indutus fuisse *lineo ephod.* Sic Seneca [2] dicit, *male vestitum et pannosum, nudum vocari* solitum: *Sicut,* inquit, *illitteratum* dicimus *non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum.* Et sicut Isaiæ 19 *siccus* vocatur *Nilus,* quando minus habet aquæ quam soleat, aut quam exigat agri Ægyptii necessitas. Et Actor. 27 *jejuni* fuisse scribuntur socii S. Pauli totis quatuordecim diebus, eo quod toto illo navigationis tempore, famem tenui admodum cibo sustentassent. Unde patet, familiari phrasi sæpe aliquem dici talem, cum parum abest ab ea forma, a qua vere et proprie soleat quis talis vocari, ita Lyranus, Abulensis, et alii auctores recens citati, v. 13. Porro *cecidisse* hic dicitur *Saul* tota die ac nocte, quia *more adorantium* sæpe *procidebat* in terram, venerationis et honoris ergo, ut solebant illi prophetantes, ita Sanctius.

(1) Sup. 10, vers. 12.

(2) Lib. 5 de Beneficiis, cap. 13.

CAPUT XX.

Jonathas, repetito fœdere cum Davide, ipsum cum Saule reconciliare conatur, sed frustra. Ergo sagittarum indicio evocatum e latebris Davidem complexus cum lacrymis ultimum ei vale dicit.

1. Fugit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud.

3. Et juravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimmo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur.

4. Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

5. Dixit autem David ad Jonathan: Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum: dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ.

ỳ. 3. *Uno tantum gradu ego morsque dividimur* — Proverbialis est locutio, qualis apud nos, *Quatuor solis digitis a morte disto*; q. d. Quæcumque incuria vel error, etsi levissimus, a me committatur; inferet mihi mortem Saul, cujus tot sunt lictores, tot manus, quot habet suæ potestati atque imperio obsequentes.

6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam: quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis.

7. Si dixerit, Bene: pax erit servo tuo; si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus.

8. Fac ergo misericordiam in servum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti; si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me.

9. Et ait Jonathas: Absit hoc a te: neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

10. Responditque David ad Jonathan: Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me?

11. Et ait Jonathas ad David: Veni, et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum,

12. Ait Jonathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero,

13. Hæc faciat Dominus Jonathæ, et hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te, ut vadas in pace, et sit Dñus tecum, sicut fuit cum patre meo.

14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si vero mortuus fuero,

15. Non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra: auferat Jonathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David.

16. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David: et requisivit Dominus de manu inimicorum David.

17. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

18. Dixitque ad eum Jonathas: Cras calendæ sunt, et requireris:

19. Requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, et sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel.

20. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum.

℣. 19. *In die qua operari licet* — et consequenter, qua liceat tantum itineris ambulando conficere, quantum vel sabbati, vel alterius diei festi solemnitas non permitteret. Hinc patet primo, lapidem hunc *Ezel* (hebraice et chaldaice *viatorium*, id est ad milliare quodque viatoribus indicandum, ut moris in Italia) longius ab urbe abfuisse quam bis mille cubitis, quod sabbati erat iter. Secundo, *Calendas* seu *neomenias*, id est primum cujusque mensis lunaris diem, apud Judæos *festum* fuisse, neque illo licuisse servile aliquod opus facere, aut iter sabbatino prolixius instituere, ut dixi Numer. 28. Ubi etiam præscribuntur variæ et luculentæ oblationes, de quibus non nisi mundi comedere poterant. Et hæc erat causa quæ Saulem contineret, quo minus de causa absentiæ Davidis Calendis ipsis inquireret; cum enim maculæ plurimæ, quæ a sacra mensa removent, intercurrere possent, suspicabatur Davidem ab illarum aliqua pollutum domi suæ remansisse. Unde tertio, patet, convivium hoc Saulis fuisse de sacrificiis pacificis, quæ forte singulis Calendis, pro felici totius mensis decursu Deo offerre consueverat. Nam si communibus cibis mensa instructa fuisset, cum etiam immundis liceret talibus vesci, nullum absentiæ Davidis prætextum ex defectu munditiei vel purificationis habuisset Saul, ita Abulensis.

21. Mittam quoque et puerum, dicens ei: Vade, et affer mihi sagittas.

22. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

23. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum.

24. Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendæ, et sedit rex ad comedendum panem.

25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David.

26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus.

27. Cumque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum?

28. Responditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem,

29. Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis.

30. Iratus autem Saul adversum Jonathan, dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, et adduc eum ad me: quia filius mortis est.

32. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?

33. Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David.

34. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David eo quod confudisset eum pater suus.

35. Cumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, et puer parvulus cum eo,

36. Et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum.

37. Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miserat Jonathas: et clamavit Jonathas post tergum pueri, et ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te.

38. Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad dominum suum:

39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Jonathas et David rem noverant.

40. Dedit ergo Jonathas arma sua puero, et dixit ei: Vade, et defer in civitatem.

41. Cumque abiisset puer, surrexit David de loco qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio: et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius.

42. Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque ju-

ỳ. 42. *Quæcumque juravimus*—supple, rata æternum sunto. Vis enim doloris, intercluso spiritu, plura eloquendi facultatem ademit. Similes aposiopeses seu

ravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum.

43. Et surrexit David, et abiit: sed et Jonathas ingressus est civitatem.

reticentiæ sunt in Scripturis frequentissimæ, ut, *Si David mentiar. Si introibunt in requiem meam. Si dedero somnum oculis meis,* supple perfidus habear, aut plectar; et apud profanos, *Dii vestram fidem,* nempe, obtestor vel imploro. *Mehercule, Mecastor, Medus fidius,* subaudi amet, juvet. Addunt Hebræi, Davidem vim hujus adjurationis et fœderis hic initi, sed postea ex parte læsi, sensisse in nepote suo Roboam. Quia enim David Miphibosetho Jonathæ filio dimidiam hereditatis partem citra certum jus contra pacta hic conventa ademit, 2 Regum 19, dissecuit Deus Roboami regnum, et transtulit majorem partem ad Jeroboam, ita illi.

CAPUT XXI.

David profugus in Nobe urbem sacerdotalem, fame cogente postulat ab Achimelech pontifice panes sanctificatos et gladium Goliath, præsente ibidem Doeg Idumæo. Inde apud regem Achis dementiam simulat ne pereat.

1. Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem: et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum?

2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim: nam et pueris condixi in illum et illum locum.

3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.

4. Et respondens sacerdos ad Da-

℣. 1. *Ad Achimelech sacerdotem* summum. Apparet, tum temporis parenti adfuisse *Abiathar* filium Achimelechi. Nam quod hic de Achimelecho dicitur, idem dicit Christus, Marci 2, 26, factum ab *Abiathar* principe sacerdotum, quia jugulato mox parente ipse factus est princeps sacerdotum: et propter hunc magistratum valde diu obtentum notior erat suo parente, ita Beda, Salianus, Mariana et Emmanuel Sa. Nisi malis cum Jansenio, Toleto, Salmerone [1] et Sanctio dicere, tam parentem, quam filium binomium fuisse, et utrumque nomen (ut et nunc sæpissime fieri videmus) usurpare consuevisse. Quod confirmatur ex 1 Paralip. 15 et 18 ubi regnante Davide dicuntur sacerdotes fuisse, nunc Sadoc et *Abiathar;* nunc Sadoc et *Achimelech.* Sic *Abiathar* pater hujus Achimelechi, c. 22 jam sequenti v. 9 vocatur *Achitob.*

(1) Jans. c. 37 Concord.; Tolet. in Lucæ 6; Salmeron. tom. 8, tract. 14.

℣. 2. *Pueris condixi in illum et illum locum* — Hebr. *Peloni almoni* nihil significat certum: sed utuntur iis vocibus cum volunt indeterminatum quid significare: sicut Hispani per *sulano y zutano*: et Juristæ per *Cajum et Titium.* Porro quod hic dicit David, se *pueris* seu famulis suis *condixisse in* certum *locum,* videtur indicare, monitos jussu Davidis per Jonathan tres quatuorve domesticos præ ceteris fidos, ut extemplo Davidem in urbem Nobe sequerentur, reperturi ipsum tali tempore, tali loco. Atque ita conciliatur hic locus cum Matthæi 12, Marci 2 et Lucæ 6, ubi dicitur David etiam sociis suis de sacris propositionis panibus dedisse. Nam licet solus David pontificem accesserit, quo melius res lateret, non tamen solus comedit panes, sed divisit cum sociis. Ita S. Hieronymus, S. Thomas et Maldonatus in Matthæum, Ambrosius et Toletus in Lucam, et Abulensis et Sanctius in hunc locum.

vid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?

5. Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta; porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

6. [1] Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem; neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.

7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.

8. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgebat.

9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est involutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle; neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum.

℣. 5. *Et fuerunt vasa,* id est corpora, *puerorum sancta,* phrasi Hebræis familiari. Sic Apostolus 1 ad Thessal. 4, *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione:* id est, corpus suum. Corpora vero servorum dicit hic David *sancta* esse, nempe ea sanctitate quam sacrificia in comedente requirunt, id est, nulla macula vel labe polluta. *Porro via hæc polluta est,* nempe qua jam (licet te adhuc inscio) tendo ad Philisthæos, quia speciem externam habet fugæ ad profanos et Gentiles uti homines, sic et ritus et religionem, quæ omnia polluta sunt. *Sed et ipsa* hæc via *hodie,* seu hac vice, *sanctificabitur in vasis* — id est, sancta et munda manebit de facto et reipsa *in* talibus *vasis* seu personis, quæ non animo maligno, sed bona intentione viam hanc ineunt, et numquam ad ritus aut religionem Philisthinorum deflectent, licet tutandi sui causa cogantur ad illos divertere. Summa ergo verborum Davidis est, nullam prorsus immunditiam in se vel in servis suis esse, qua merito repelli debeant ab esu panis sancti. Nam quod sacerdotes non essent, quibus solis licebat vesci illo pane, ut dicitur Levit. 24, v. 9 ex alio capite jam constabat impedimento ipsis non esse, puta propter præsentem egentiam et necessitatem, qua alias præpediretur muneri suo valde urgenti facere satis. Ita fere Sanctius ex S. Hieronymo, Abulensi et Lyrano.

℣. 7. *Intus in tabernaculo Domini* — Hinc colligitur, *tabernaculum Domini* e *Silo* et tribu *Ephraim* sub hoc tempus translatum fuisse in sacerdotalem urbem *Nobe* tribus Benjaminiæ, e qua tribu ortus erat Saul. Porro excisa a Saule urbe Nobe, tabernaculum translatum fuit in *Gabaon,* ut constat ex 1 Paral. 21, v. 29, et 2 Paral. 1, v. 3 unde post a Salomone translatum est in templum Jerosolymitanum, 3 Reg. 8, v. 4. Quod priusquam exscinderetur a Chaldæis, permissus est Jeremias efferre tabernaculum cum arca, et in speluncam posteris ignotam inferre, lib. 2 Machab. 2. Ita Josephus, Ribera, Abulensis, Serarius et Sanctius [2], qui etiam notat, præter hoc *Mosaicum tabernaculum* subinde aliud constructum fuisse ad *arcam* decore conservandam; quod verisimiliter longe minoris molis erat, v. g. in domo *Abinadab,* ubi fuit arca annis 20, ut dicitur 1 Reg. 7, v. 2, et postea aliud rursus tabernaculum Jerosolymis a Davide constructum fuit 2 Par. 1, vv. 3 et 4 (ad quod asyli causa confugerunt Adonias et Joab 3 Reg. 1 et 2) manente tamen eodem illo tempore in *Gabaon* tabernaculo [3] Mosaico.

(1) Matth. 12, vv. 3, 4.
(2) Joseph. l. 8 Antiq., c. 2; Ribera l. 1 Templi, cap 2; Abulens. in 2 Paral. 15; Serarius et Sanct. in 3 Reg. 8, vers. 3.
(3) 1 Paral. 16, vers. 39, et 3 Reg. 3, vers. 4.

10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul: et venit ad Achis regem Geth:

11. Dixeruntque servi Achis ad eum cum vidissent David: Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: [1] Percussit Saul mille, et David decem millia?

12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth.

13. [2] Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.

14. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?

15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

(1) Supr. 18, vers. 7; Eccli. 47, vers. 7.

(2) [a] Vers. 13. *Et immutavit os suum*, etc. David simulavit, obsessum se esse, si P. Martin audimus pag. 150 seqq. Ut ut est, David hac simulatione non peccavit, videtur enim a Deo ad illam permotus; præterea ea Davidis simulatio figura fuit Christi, qui quum Deus esset, alium se esse quasi simulavit, quum carnem nostram adsumpsit; simulatio autem, quæ est alicujus veritatis figura, mendacium non est, neque peccatum, ut docet S. Thom. 2. 2., q. 3, art. 1 ad 1 et 2. „

CAPUT XXII.

David sociis augetur primum in spelunca Odollam; deinde in Maspha Moab: denique in Haret Juda. Quo cognito Saul eum quærit ad necem. Sed prius manu Doeg Idumæi jugulat pontificem Achimelech et omnes sacerdotes Nobe, præter unum Abiathar qui clam ad Davidem profugit.

1. Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc.

2. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.

3. Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab: et dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.

4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum

℣. 2. *Et oppressi ære alieno* — Quo jure hos admisit David in præjudicium creditorum? Respondet Cajetanus, eos solvendo non fuisse.

℣. 4. *In præsidio* — id est in arce, loco munito, quem a rege Moab acceperat in finibus terræ Moab. Et forte idem erat locus qui hic vocatur *Maspha*, id est *specula*, sed terræ *Moab*, ad distinctionem alterius *Maspha* in tribu Juda, ubi Samuel et conventus habuit, et judicium exercuit, supra c. 7. Salianus putat Davidem ideo dici *in præsidio* istic fuisse, eo quod ibi a Rege Saule tutus esset, simul etiam quod Moabitas a Saule tutaretur. Tostatus arbitratur, Davidem ibi cum suis ex præda vixisse, sicut vixit postea cum secundo ad regem Achis in Geth confugisset, excurrisse autem in vicinos Moabitarum inimicos, adversus quos justum ipsis bellum erat, v. g. contra Arabes, Madianitas, Amalecitas, vel Idumæos.

Nota. Dum David in hoc Moabitico præsidio cum suis 400 sociis moratur, en adcurrunt alii ducenti e primis præstantissimisque bellatoribus partim tribus Benjaminiæ, partim tribus Juda, e quibus etiam mox *constituit principes turmarum* suarum, ut dicitur 1 Par. 12.

cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio.

5. Dixitque Gad propheta ad David: Noli manere in præsidio, proficiscere, et vade in terram Juda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret.

6. Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum,

7. Ait ad servos suos qui assistebant ei: Audite nunc filii Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos, et centuriones:

8. Quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie.

9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul, Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob sacerdotem.

10. Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei: sed et gladium Goliath Philisthæi dedit illi.

11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, et omnem domum patris ejus, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem.

12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum, domine.

13. Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis adversum me, tu et filius Isai, ed dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens?

14. Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua?

15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me: ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei, non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande.

16. Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu, et omnis domus patris tui.

17. Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum: Convertimini, et interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David est: scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.

18. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, et irrue in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in

℣. 5. *Dixitque Gad propheta,* a Deo submissus, *ad David: Noli manere in præsidio, vade in terram Juda* — Suspicatur Abulensis, cœpisse regem Moab commoliri dolum aliquem ad evertendum Davidem, et nec opinantem tradendum in manus Saulis, ut capite innocentis fugitivi, mercaretur regis amicitiam. Ex altera parte Deum quoque voluisse Davidem pluribus in terra Juda casibus exercere, et in oculis omnium suorum illustriorem reddere. Forsan etiam voluit, tot Davidis sociis occasionem præripere declinandi ad idola et vitia Moabitarum.

℣. 18. *Trucidavit octoginta quinque viros vestitos ephod lineo* — id est sacerdotes vel Levitas: nam tales soli ordinarie gestabant *ephod lineum,* de quo vide Exodi 28. Et licet extra locum tabernaculi non solerent indui vestibus in quibus Deo ministrabant, ut docet Abulensis et alii: videntur tamen suo ephod, seu alba tunica illa linea, quam sub aliis sacerdotalibus vestibus indutam habebant in tabernaculo, extra illud subinde etiam

sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.

19. Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres, et parvulos, et lactentes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladii.

20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David,

21. Et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini.

22. Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui.

23. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis.

in publico usi fuisse, maxime cum paullo decentius prodire vellent; uti jam prodibant, cum summum pontificem ad palatium et thronum regium comitarentur.

Notanda vero mirabilis sacerdotum horum patientia, qui neque adversus impia tyranni mandata vel linguam acuerint, vel adversus perfidum proditorem Doeg, cum is solus gladium in eos stringeret, ipsi numero 85 ne vel manum unam sui tutandi causa extenderint: sed tamquam sacræ Deo victimæ pro Davidis innocentia, jugulum ultro carnifici præbuerint. Unde et S. Bachiarius [1] non dubitat hos sacerdotes in Martyrum numerum referre. Sed altius etiam oculi divinam providentiam hic considerent, quæ tyrannidem Saulis ita sævire permisit in innoxios, ut tamen eo ipse puniret peccata nocentis Heli et Ophni et Phinees parentum illorum, juxta vaticinium Prophetæ, supra c. 2, v. 31: *Præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.*

℣. 22. *Et ait David, Ego sum reus omnium animarum patris tui* — eo quod ex me licet inscio et innocente sumpsit Saul occasionem cædis illorum. Ita insinuant Hebræa, Chaldæa et LXX. *Bo-*

(1) Tom. 1 Biblioth. sacræ.

narum mentium est, inquit S. Gregorius, *ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.* Cum enim nullam ex rei natura sat idoneam vel Sauli, vel Doego, vel ulli mortalium causam tam crudeliter sæviendi dedisset David; nullam tamen vel vocem iracundiorem in quemquam illorum tyrannorum immittit, sed sibi soli, qui tamen nonnisi per accidens, et prorsus innocenter occasio fuisset, culpam omnem adscribit.

Nota, jugulatis omnibus sacerdotibus familiæ Ithamaris, jure propinquitatis summum sacerdotium devolutum tunc fuisse ad Abiathar filium Achimelechi. Sed quia is æque exosus erat Sauli, et jam fugerat ad Davidem, probabile est quod ait Abulensis, Saulem hanc dignitatem restituisse familiæ Eleazari primogeniti Aaronis; et summum pontificem constituisse Achitobum patrem Sadoc. Qui, mortuo Saule, receptus quidem est a Davide in gratiam, sed in pontificatu non est permissus nisi vicariam operam in Gabaon præstare Abiatharo, qui perpetuo cum Davide Jerosolymis apud arcam mansit: donec a Salomone exauctoratus successorem accepit eumdem Sadoc, qui sibi vicarius ante fuerat. Patent hæc ex 1 Paral. 12 et 16 et 29.

CAPUT XXIII.

David liberat Ceilam a Philisthæis obsessam: et, ne prodatur Sauli a Ceilanis, profugit in desertum Ziph: ubi a Ziphæis proditur, et vero captus fuisset a Saule, nisi is propter subitam Philisthæorum irruptionem, copias suas inde abducere coactus esset.

1. Et annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, et diripiunt areas.

2. Consuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, et percutiam Philisthæos istos? Et ait

Dominus ad David: Vade, et percuties Philisthæos, et Ceilam salvabis.

3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philisthinorum?

4. Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, et vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua.

5. Abiit ergo David, et viri ejus, in Ceilam, et pugnavit adversum Philisthæos, et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna: et salvavit David habitatores Ceilæ.

6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat.

7. Nuntiatum est autem Sauli quod venisset David in Ceilam, et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus urbem, in qua portæ et seræ sunt.

8. Et præcepit Saul omni populo ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David, et viros ejus.

9. Quod cum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod.

10. Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut avertat urbem propter me:

11. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

12. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

13. Surrexit ergo David et viri

℣. 3. *Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus,* arma nempe et Philisthæorum, et regis Saulis: *quanto magis si ierimus in Ceilam?* — Dices, etiam Ceila erat oppidum tribus Juda, octavo milliari ab Hebron, septimo ab Eleuthropoli, teste libro Josue, S. Hieronymo, et Adrichomio [1]. Respondeo, erat, sed in finibus terræ *Juda.* Unde non opponuntur hic loca quasi in diversis sita tribubus, sed quia periculis diversis exposita, quasi dicant: Hic in media Judæa procul a Saule, procul a Philisthæis positi, timemus tamen utrosque; quanto magis si viciniora utrorumque hostium istorum exercitibus loca adierimus? nam Philisthæi jam obsident Ceilam: et copiæ Saulis eo mox ad urbem tutandam advolabunt.

℣. 9. *Cum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum* — Quomodo *clam,* cum universum Israelem armaret in Davidem? Respondeo, Intentio Saulis clam erat aliis et occulta. Nam vulgo præ se ferebat Saul, se arma sumere contra Philisthæos: re vero ipsa contra Davidem ibat.

(1) Josue 15; Hieron. in Locis Hebr.; Adrich. in topographia Judæ.

℣. 12. *Si tradent me viri Ceilæ? Tradent* — supple, nisi inde excesseris. Sed excessit David, atque ita traditus non est. Certissimo tamen sciebat Deus, qui nihil ignorat, et ideo diserte affirmat, traditum iri si in Ceila maneat. Unde colligunt Theologi, Deum certissima scientia ab æterno præscire non solum quæ reipsa et absolute futura sunt, sed etiam quæ quavis conditione posita aliquando futura essent.

Petes, An Ceilani salva conscientia potuerint innocentem Davidem tradere furenti Sauli, ne is Ceilam ferro et igni vastaret, ut paullo ante vastarat Nobe sacerdotalem urbem? Respondeo, Ultro vel sponte tradere non poterant, alioqui contra justitiam et gratitudinem graviter peccaturi, qui mortem innocentis ac bene de se totoque populo meriti directe procurarent. Sin autem in eam necessitatem venissent, ut vel toti civitati pereundum esset, vel David Sauli tradi deberet; tum oportuisset rogare Davidem ut se ipse sponte dederet, et morte sua urbem totam a regis ira et extrema miseria redimeret, debuissetque David in eam deditionem consentire, publicum bonum privato antefereṇdo: quod si re-

ejus quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, et salvatus esset: quam ob rem dissimulavit exire.

14. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: et non tradidit eum Deus in manus ejus.

15. Et vidit David quod egressus esset Saul ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva.

16. Et surrexit Jonathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus ejus in Deo: dixitque ei:

17. Ne timeas: neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et Saul pater meus scit hoc.

18. Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque David in silva: Jonathas autem reversus est in domum suam.

19. [1] Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti?

20. Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis.

21. Dixitque Saul: Benedicti vos a Dño, quia doluistis vicem meam.

22. Abite ergo, oro, et diligentius præparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidier ei.

23. Considerate et videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur: et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Juda.

24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem et viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Jesimon.

25. Ivit ergo Saul et socii ejus ad quærendum eum: et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon; quod cum audisset Saul persecutus est David in deserto Maon.

26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porro David desperabat se posse evadere a facie Saul: itaque Saul et viri ejus, in modum coronæ cingebant David et viros ejus, ut caperent eos.

27. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.

28. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum; propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

cusasset, jam non innocens, sed impius Sauli traderetur. Ita fere Scholastici.

Petes secundo, Quomodo tyrannus pepercit Ceilanis, qui Davidem scientes hostem esse Saulis, ad se tamen evocarant, urbe sua cum honore exceperant, eademque rursus excedere permiserant: ac proinde majore in culpa esse videbantur, quam sacerdotes reliquique cives *Nobe*, quos tamen omnes ferro jam recens exsciderat? Respondeo, Quia Sauli constabat, *Ceilanos* sola necessitate coactos fecisse quæ fecerant. At vero sacerdotes in *Nobe* suspicabatur ultro cum Davide sibi rebelli collusisse, eumdemque armis et commeatu adversus dominum suum instruxisse. Accessit et divina providentia, quæ passa non est Saulem excandescere in *Ceilanos*, sicut in cives *Nobe*, quod in hos, non item in illos incumberet pondus domus Heli. Ita Sanctius et Salianus.

(1) Infr. 26, vers. 1.

CAPUT XXIV.

David in spelunca Engaddi oram chlamydis Saulis, iterum se persequentis, abscindit, Saule salvo abire permisso. Quo nomine reconciliatur Sauli, et liber dimittitur, juramento prius obstrictus de non exscindenda Saulis familia, cum sceptro potitus fuerit.

1. Ascendit ergo David inde: et habitavit in locis tutissimis Engaddi.

2. Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce, David in deserto est Engaddi.

3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt.

4. Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti; eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: porro David et viri ejus in interiore parte speluncæ latebant.

5. Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit oram chlamydis Saul silenter.

℣. 1. *Locis tutissimis Engaddi* — Fuit teste S. Hieron. [1] *Engaddi* urbs olim nobilissima, non longe a mari Mortuo. A qua urbe ager vicinus et adjacens desertum vocantur etiam *Engaddi*. Et in hoc solo agro crescunt frutices illi, quos Cypros vocant, balsamum stillantes pretiosissimum, et quia hi frutices fere similes sunt vitibus, licet viniferi non sint, vites tamen subinde vocantur: unde habes Cantic. 1 de vineis Engaddi. Porro ex hujus agri ubertate simul et amœnitate conjectare licuit quam vere de vicino agro Pentapolitano dictum fuerit Gen. 13 *similem* fuisse *paradiso Domini*. Desertum vero adjacens illi agro Engaddino, ad quod David hic dicitur secessisse, plenum est altissimis montibus præruptisque, immo ita prominentibus, ut ruinam minari videantur, et transeuntibus metum afferant, ne in se immania saxa præcipitent: ita Borcardus et Adrichomius [2].

℣. 4. *Venit ad caulas ovium* — Has puto esse speluncas, in quas turbidis temporibus sua pastores pecora cogebant. Erantque ejusmodi speluncæ valde frequentes in terra Judææ: ad quas confugere solebant tempore incursus hostilis, etiam integri vici vel urbeculæ. Et licet intus essent latissimæ ac profundissimæ, ad primum tamen ingressum subinde sat arctæ erant: unde et difficilis ac periculosa erat in eas irruptio, et pauci plurimos excludere nullo negotio poterant. Et hæc quoque est ratio cur Saul unam illarum ingressus, nullum tamen sexcentorum sociorum Davidis intus latitantium, vel oculis vel auribus perceperit. Nempe intrantibus obscurum locum non videntur neque apparent qui intus latent, etsi qui recens intrant facile ab illis videantur. Collocutionem vero seu potius mussitationem illorum ne perciperet Saul, impediebat strepitus transeuntis exercitus, et equorum et curruum: ita Josephus, Theodoretus et Abulensis.

℣. 5. *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum* — Lyranus et Abulensis id volunt per Samuelem dictum Davidi, quando primum noctu ope Michol uxoris suæ effugerat manus satellitum Saulis. Forte etiam ipsimet Davidi, utpote Prophetæ, Deus id immediate revelavit, quasi diceret: Non est quod desperes, te posse evadere manus Saulis: ego potius illum tradam in manus tuas, ut in eum quidquid libuerit facere possis. Quæ verba

(1) In Locis Hebr. (2) In topogr. Judæ.

6. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.

7. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est.

8. Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere.

9. Surrexit autem et David post eum: et egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex: Et respexit Saul post se: et inclinans se David pronus in terram, adoravit,

10. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?

11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est.

12. Quin potius, pater mi, vide, et cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te; animadverte, et vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam.

13. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.

14. Sicut et in proverbio antiquo dicitur: AB IMPIIS egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

15. Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum.

16. Sit Dominus judex, et judicet inter me et te: et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua.

17. Cum autem complesset David

videtur David etiam sociis quibusdam suis retulisse, confirmandi illos ac bene animandi gratia.

Petes, an illis verbis data illi fuerit a Deo potestas sine peccato occidendi Saulem? Respondeo, ita sentit Cajetanus: et vult Davidem hoc maxime casu quo illum hostiliter ad necem quærebat Saul, antevertere potuisse facinus, et violentum injustumque invasorem de medio tollere. Non tamen minus probabiliter Dionysius, Tostatus et Salianus negant, moralem eam potestatem fuisse Davidi datam. Nam verba solam physicam potestatem innuunt, qualem habet vigilans in dormientem, vel armatus et liber in inermem et vinculis astrictum. Neque regia auctoritate, nisi post alterius mortem, neque alia in Saulem jurisdictione fungi poterat David. Sed neque debebat, latens in spelunca, ibique quietus remanens, censeri actu invadi a Saule, nam tutus jam erat ab illius manibus: unde prævertere tum temporis non fuisset inculpata sui tutela seu defensio, sed hostilis et non necessaria domini sui invasio. Certe David id sibi non licere credidit, etsi Saulem totum esse in quærenda sua morte exploratissimum haberet: nam nec oram quidem chlamydis regiæ præcidit nisi conscientia remordente v. 6. Porro S. Jo. Chrysost. [1] in laudem hujus facti pulcherrimam homiliam conscripsit, cujus titulus est, *quod David magnificentius sibi throphœum erexerit parcendo Saule, quam occidendo Goliath.* S. Ambrosius [2] virtutem hanc Davidis majorem esse ostendit quam philosophia Ethnicorum vel optare vel suspicari posset. Et judicio etiam M. Tullii [3], qui parcit hosti, non cum summis modo Heroibus conferendus, sed et Deo quam simillimus censendus, qui improbos homines sibique inimicos gravissimis quotidie casibus eripit, nec tamen ipsi vel gratias habent, vel beneficium agnoscunt. Agnovit tamen hic Saul, et addit:

(1) In fine tom. 1. (2) Lib. 3 Offic., c. 2. (3) Cicero pro Marcel. de Julio Cæsare.

loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, et flevit:

18. Dixitque ad David: Justior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me.

20. Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.

21. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel:

22. Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

23. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: et David et viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

℣. 21. *Nunc scio quod certissime regnaturus sis* — Sciebat vero, non tam ex præcisa ora chlamydis suæ, ut supra c. 15, v. 28 dixi Hebræos opinari: quam ex singulari illa Dei erga Davidem providentia, qua ipsum et regiis virtutibus dotabat, et ubique in adversis tutabatur, omnibusque hostibus superiorem, Israelitis vero admirabilem, earum ac desiderabilem reddebat: ita Abulensis.

CAPUT XXV.

Moritur Samuel. David ingrato Nabal mortem minatur, sed egregia Abigail uxoris ejus oratione placatur. Quæ, mortuo deinde marito, fit uxor Davidis, uti et Achinoe. Michol vero prima Davidis uxor a Saule alteri marito Phalti traditur.

1. Mortuus [1] est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan.

2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria millia, et mille capræ: et accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo.

3. Nomen autem viri illius erat Nabal: et nomen uxoris ejus Abigail; eratque mulier illa prudentissima et speciosa: porro vir ejus [2] durus, et pessimus, et malitiosus: erat autem de genere Caleb.

℣. 1. *Mortuus est Samuel,* quatuor mensibus ante obitum Saulis, inquiunt Hebræi in Seder-Olam [3], *et congregato* ad ejus funus *universo Israele,* id est pluribus ex singulis tribubus, post solitos planctus *sepelierunt eum in domo sua,* seu solo natali, *in Ramatha* — Unde diu post, viri sancti ossa Constantinopolim translata, ibidemque in magna veneratione habita; scribit S. Hieron., Nicephorus et Procopius [4], qui addit, a Justiniano Imperatore magnificum ibidem monumentum in honorem Samuelis constructum fuisse.

(1) Infr. 28, vers. 3; Eccli. 46, vers. 23.

(2) " Vers. 3. *Durus et pessimus,* etc. LXX *cynicus;* quo etiam nomine illum designat Josephus. Neque tamen putato, quod Clericus et Budæus *Hist. Eccles. Ant. Test.* somniant, e Cynicorum schola habitum ab Josepho, et LXX Nabalem. Nam et Cynici multo recentiores fuere Nabale, nec quæ de ejus opibus v. 2 narrantur, satis apte Cynico homini convenirent. Nemrod iisdem LXX interpretibus κυνηγος dicitur; num et ille Cynicus philosophus? Venatorem utrobique designari verisimile est, ut notat Gilletus *in 6 Judaic. Antiq. lib., adnot.* 5; vel *caninum,* ut habet Arabs interpres, sævus scilicet, et furens homo. "

(3) Cap. 13.

(4) S. Hieron. contra Vigilant.; Niceph. lib. 14, cap. 10; Procop. l. 5 de Ædificiis Justiniani.

4. Cum ergo audisset David in deserto quod tonderet Nabal gregem suum,

5. Misit decem juvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice.

6. Et dicetis: Sit fratribus meis, et tibi pax, et domui tuæ pax, et omnibus, quæcumque habes, sit pax.

7. Audivi quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo.

8. Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David.

9. Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: et siluerunt.

10. Respondens autem Nabal pueris David, ait: Quis est David? et quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos.

11. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint?

12. Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat.

13. Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo: et secuti sunt David quasi quadringenti viri: porro ducenti remanserunt ad sarcinas.

14. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro: et aversatus est eos;

15. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, et non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto;

16. Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges.

17. Quam ob rem considera, et recogita quid facias: quoniam completa est malitia adversum virum tuum, et adversum domum tuam, et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.

18. Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos:

19. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicavit.

20. Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David et viri ejus descendebant in occursum ejus, quibus et illa occurrit.

21. Et ait David: Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, et non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: et reddidit mihi malum pro bono.

22. Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem.

℣. 18. *Quinque sata polentæ* — Quid sit *polenta*, dixi c. 17, v. 17. De *sato* vide Prolegomena de Mensuris.

℣. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat* — Hæc imprecationis apud Hebræos frequentissima est formula, qua hic videtur David imprecari aliquid sibi valde adversum, hostibus vero suis prosperum ac lætum; q. d. Det hostibus meis Deus, ut sint in acie adversum me

23. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram,

24. Et cecidit ad pedes ejus, et dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: et audi verba famulæ tuæ.

25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti.

26. Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi: et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quærunt domino meo malum.

27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: et da pueris qui sequuntur te dominum meum.

28. Auferiniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ.

superiores, ut me de vitæ statu dejiciant, etc. nisi totam hodie familiam Nabal exscidero. Peccat haud dubie David, sic jurando, magisque peccasset juramentum complendo. Neque enim capite luere debebat Nabal seu incivilitatem et ingratitudinem in negandis alimentis Davidi: seu contumeliam tam in ipsum, quam in socios, quasi fugitivos et rebelles, sparsam. Et ut scelus fuisset capitale, non debebat a Davide, sed a publico et legitimo magistratu puniri: David enim licet jussu Dei jam privatim unctus esset, et designatus in regem a morte Saulis, nondum tamen publice a populo admissus vel acceptatus erat. Quod si David præter Nabalem, etiam innocentem illius familiam ferro, ut jurarat, delere constituerit, quænam, obsecro, species honestatis obtendi poterit tantæ crudelitati? Ita Cajetanus, Dionysius, Abulensis et Sanctius, contra Theodoretum, qui contendit abfuisse peccatum ab hoc Davidis et consilio et juramento.

℣. 28. *Faciens enim faciet*, id est certissime faciet, *Dominus tibi domum fidelem* — id est familiam et stirpem regiam tibi stabiliet; q. d. Non solum tu rex futurus es, sed et stabile manebit regnum in tua familia. Atqui minime decet, regem ac personam tam sublimem, privatas persequi inimicitias adversus impotentes subditos, aut injurias proprias ulcisci. Sic Imperator factus Hadrianus, a vindicta mox destitit illius, quem privatus insectabatur, unde occurrenti dixit, *evasisti:* neque enim potest privatas injurias honeste persequi imperator. Et Ludovicus XII ex Duce Aurelianensi factus rex Galliæ, cum quidam suggereret, ut vindictam sumeret de acceptis ante injuriis, sapienter magnificeque respondit: Non pertinet ad regem Galliæ injurias ulcisci quas Dux Aurelianensis accepisset.

℣. 29. *Erit anima*, seu vita tua *custodita quasi in fasciculo viventium* — seu in numero et congregatione eorum quos Deus tutela sua conservat vivos et incolumes adversus quamvis machinationem aut vim hostilem. Et quidem ita contigit Davidi: nam et innumeris præliis implicitus; et infinitis variorum insidiis appetitus, semper ope divina incolumis evasit.

Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ — Id est, quicumque tibi et Deo (cui tu militas) adversantur, quantumcumque sibi potentes ac sapientes videantur, quia tamen destituti sunt tutela divina, stabiles numquam erunt aut securi; sed sicut lapis aut excutitur ex funda et procul abjicitur, aut, si in funda maneat, continuo

30. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel,

31. Non erit tibi hoc in singultum, et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris: et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

32. Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum.

33. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea.

34. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal, usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

35. Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam.

36. Venit autem Abigail ad Nabal: et ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, et cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis: et non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane.

37. Diluculo autem cum digesisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, et emortuum est cor ejus intrinsecus, et factus est quasi lapis.

38. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est.

39. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo, et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem.

40. Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, et locuti sunt ad eam, dicentes: David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem.

41. Quæ consurgens adoravit prona in terram, et ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.

42. Et festinavit, et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellæ ierunt cum ea, pedissæque ejus, et secuta est nuntios David: et facta est illi uxor.

43. Sed et Achinoam accepit David de Jezrahel: et fuit utraque uxor ejus.

44. Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

in ea rotatur, et sus deque volvitur: sic impii isti in perpetua anxietate ac turbine versantur, ac tandem eo projiciuntur, ubi mortem subeant sempiternam.

℣. 37. *Et emortuum est cor* Nabal *intrinsecus*— quia nempe, cognito ex uxore malo, quod sibi ipse sua imprudentia accersiverat, vixque prudentia uxoris depulerat, tanto correptus est horrore ac stupore, ut omnem sensum amiserit, et instar lapidis obriguerit. Quod sæpe in subito metu aut dolore contigisse legimus; et poetæ de *Niobe* fingunt, quod, audita cæde filiorum, conversa sit in lapidem, id est instar lapidis obriguerit, sensu et mente destituta. Postquam vero Nabal totos decem dies alienus a sensibus, caudex potius quam homo transegisset, nova alia plaga, puta morbo maligno ac læthali, a Deo percussus, infelix interiit. Sideratum fuisse dicit Josephus, seu noxii sideris afflatu extinctum, nulla morbi causa extrinsecus apparente.

CAPUT XXVI.

David iterum a Ziphæis apud Saulem delatus, hastam et scyphum dormienti regi subducit, rege intacto. Quod ubi Sauli innotuit, culpam agnoscit, spondetque Davidi omnem securitatem.

1. Et [1] venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis.

2. Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph.

3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum,

4. Misit exploratores, et didicit quod illuc venisset certissime.

5. Et surrexit David clam, et venit ad locum ubi erat Saul: cumque vidisset locum in quo dormiebat Saul, et Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum ejus,

6. Ait David ad Achimelech Hethæum, et Abisai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum.

7. Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul jacentem et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput ejus: Abner autem et populum dormientes in circuitu ejus.

8. Dixitque Abisai ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, et secundo opus non erit.

9. Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?

10. Et dixit David: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit:

11. Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini; nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeamus.

12. Tulit igitur David hastam, et scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, et abierunt: et non erat quisquam, qui videret, et intelligeret, et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.

13. Cumque transisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos,

14. Clamavit David ad populum, et ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis, Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, et inquietas regem?

15. Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti dominum tuum regem?

℣. 10. *Nisi Dominus percusserit eum* — morbo scilicet. Tria genera mortis hic tangit David, ex morbo, ex senectute, ex casu, v. g. in bello. Sic Cicero, sic Servius [2] ex triplici causa mortem contingere dixerunt, natura, fato (secundum Stoicos) et casu.

(1) Supra 23, vers. 19.

(2) Cic. in Consolat.; Servius in 4 Æneid. sub fin.

ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem, dominum tuum.

16. Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini; nunc ergo vide ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

17. Cognovit autem Saul vocem David, et dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? Et ait David: Vox mea, domine mi rex.

18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis.

20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israel ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus.

21. Et ait Saul: Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis.

22. Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis, et tollat eam.

23. Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem: tradidit enim te Dominus

ỳ. 19. *Si Dominus incitat te* — Id est, si non malus genius quo agitaris, si non invidia et æmulatio qua tu cum tuis laboras, sed voluntas et nutus summi Dei te movent ad me persequendum; per me licet, nihil abnuo, non recuso mortem.

Odoretur Deus *sacrificium* — quod ipsi de me, tamquam expetita ab ipso victima lubens et ultro offero in odorem suavitatis. Volupe erit mihi, si ita Deus exigat, ad aras regio cultro jugulari. Verum hoc Deus non exigit, sed filii hominum maledicti; v. g. Doeg Idumæus, et Ziphæi, et similes alii, qui me modis omnibus perditum vellent: et jam *ejecerunt me* ab *hereditate Domini*, id est ex terra Israel, quam Dominus populo suo in hereditatem dedit. Et dicunt, *Vade, servi diis alienis.* Non quod disertis verbis id dicerent, sed reipsa cogebant ita facere, saltem quantum ex se erat. Cum enim per ipsos nusquam Davidi liceret in toto regno Israelitarum tuto consistere, cogebatur vel ad Philisthæos, vel ad Ægyptios, vel ad Moabitas confugere, quod erat ex natura rei, præsens discrimen adire deserendi Deum verum, et idololatriam amplectendi. Neque tamen hac tanta impietate, et spiritali meo meorumque exitio contenti, insuper odio acti diabolico, urgent te ut gladio tuo sanguinem haurias meum. Sed quo tuo bono, quo honore, o Rex? quin potius quanto tuo probro ac dedecore? Perinde enim est ac si sordidum *pulicem* manu regia conteras, vel imbellem *perdicem* tremulam et pavitantem per avia et invia prosequaris. Carpunt hic hæretici Latinum interpretem, quod voculam *persequitur* hic passive usurpet, ut idem sit, quod *persecutionem patitur*. Sed hoc ipso produnt suam antiquitatis ignorantiam; nam constat multa verba *deponentia* apud priscos grammaticos terminationem habuisse *passivam*. Sicut enim teste Sanctio et Serario [1], Ennius apud Nonium dicere ausus est, *Criminat:* Accius, *Miserarent et Contempla:* Turpilius, *Proficisceret:* Pacuvius, *Moderant:* alii, *Miro, osculo, tuto, populo, perscruto, etc.* ita videntur iisdem et similibus vocibus in terminatione passiva, passive quoque uti consuevisse. Unde patet, nostrum interpretem, quando *persequitur* passive usurpat, non majorem sibi licentiam assumpsisse, quam in aliis verborum similium significationibus aut formis antiqui assumpserunt.

(1) In c. 2 Judith.

hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini.

24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Dñi, et liberet me de omni angustia.

25. Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu fili mi David: et quidem faciens facies, et potens poteris. Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum.

CAPUT XXVII.

David inconstantiæ Saulis fidere non ausus, ad Achis regem Geth revertitur, a quo urbem Siceleg impetrat, e qua plurimas in dies prædas ex Amalecitis et aliis vicinis locis agit.

1. Et ait David in corde suo: Aliquando incidam una die in manus Saul: nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philisthinorum, ut desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus ejus.

2. Et surrexit David: et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.

3. Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri ejus; vir et domus ejus; et David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis et Abigail uxor Nabal Carmeli.

4. Et nuntiatum est Sauli quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quærere eum.

5. Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum?

6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc.

7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium.

8. Et ascendit David, et viri ejus, et agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti.

℣. 3. *Vir et domus ejus* — Apud Hebræos *vir* aliquando valet universale signum, ut idem sit quod *quilibet*. Ergo *vir et domus ejus*, idem est quod, *omnes socii Davidis cum familiis suis*. Quas una secum ad Philisthæos traduxerunt, quod putarent, eas parum tutas fore in Judæa ab ira, furore et insidiis Saulis, qui commode in uxores et liberos acerbitatis suæ virus evomuisset, quod in absentes conjuges et parentes concepisset.

℣. 6. *Dedit ei Achis Siceleg* urbem, et quidem non ad inhabitandum solum, sed et ut in Davidis dominium cederet. Unde subditur, ideo *Siceleg factam esse regum Juda*. Ex quo apparet eximia hujus regis liberalitas et humanitas: ut non sine causa David jam secundo ad hunc potius, quam ad alium quempiam Philisthinorum satrapam, sibi confugiendum putarit: ita Salianus [1].

Petes, cur potius ad Philisthæos juratos Israelitarum hostes, quam ad Ammonitas, Idumæos, Tyrios vel Sidonios Israelitis tunc confœderatos transfugit David? Respondeo, quia confœderati noluissent hominem fugitivum regi Sauli repetenti denegare, ne forte molem belli in se traherent. At vero a Philisthæis, quibuscum acre Sauli bellum erat, nec petere tale quid ausus fuisset, nec si peteret, impetrasset. Immo vel ea maxime de causa Davidem Philisthæi libenter excepturi erant, et armis defensuri, quod Saulis esset inimicus; ita Abulensis.

℣. 8. *Agebant prædas de Gessuri, et de Gerzi, et de Amalecitis* — Non in has

(1) Anno mundi 2979.

9. Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem: tollensque oves, et boves, et asinos, et camelos, et vestes, revertebatur, et veniebat ad Achis.

10. Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat David: Contra meridiem Judæ, et contra meridiem Jerameel, et contra meridiem Ceni.

11. Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adversum nos: Hæc fecit David: et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philisthinorum.

12. Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi servus sempiternus.

urbes involabant, sed in *pagos*, ut sequitur, harum urbium.

Nota, non agi hic de *Gessur* trans Jordanem, contermina Syriæ, ac propterea vocata *Gessur Syriæ;* cujus regis filiam David postea duxit uxorem, ex eaque suscepit *Absalonem* et *Thamarem*, 2 Regum 3, v. 3, ad quem ut avum maternum confugit etiam Absalon c. 13 et 15; sed de altera Gessur cis Jordanem vicina Amalecitis, meridiem versus.

Petes, quo jure apud hos populos prædas agebat David, immo et promiscuas cædes, nullo sexus aut ætatis discrimine? Resp., jure legis divinæ [1], qua et Amalecitæ, et omnes incolæ terræ promissæ, etiam parvuli et feminæ, occidi jubentur.

Dices, David necdum erat rex. Respondeo, sed erat dux et chiliarcha constitutus a Saule. Et licet Saul Davidem odisset et persequeretur, gratum tamen et ratum habebat tum Saul, tum omnis populus, quod David communes hostes exscinderet: ita Cajetanus et Abulensis. Posset etiam cum Saliano dici, Davidem, qui pontificem et ephod apud se habebat, consulto Domino speciale ab eo mandatum de vicinis illis Judææ hostibus exscindendis accepisse [2].

℣. 11. *Non vivificabat* — Idem est, quod *occidebat*. Phrasi Hebræorum, apud quos ille dicitur aliquid accipere, qui nihil amittit: et contra. Sicut latrones dicunt se vitam dedisse cui illam non ademerunt. Sic Actorum 7, *Ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur*, id est, ne in vita servarentur. Et 2 Regum 8, *Mensus est David duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum*, id est, David sententia lata definivit, quinam essent vel occidendi vel in vivis conservandi. Sic sæpe in Scriptura *sanctificari* ponitur pro *non polluere*, etc.

(1) 1 Reg. 15; Deut. 20, 25, etc.

(2) Hæc debuisset ante animadvertere Bælius, quam in suo Lexico Davidem propterea diris insectaretur. Gilletus *in Joseph. ant. Judaic. lib.* 6, *adnot.* 6, contendit, Hebræum textum omnino contrarium indicare, atque esse reddendum: *nec viros nec mulieres captivas faciebat, ut adduceret in Geth.* At hoc est nodum scindere, non solvere, deque Vulgata Nostra editione male mereri, nulla ad id cogente necessitate.

CAPUT XXVIII.

Philisthæi ingentes copias adversus Saulem armant. David se jungit Achis regi Geth. Saul per pythonissam jubet suscitari Samuelem, ex quo mortem suam suorumque in crastinum discit.

1. Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut præpararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad David: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, et viri tui.

2. Dixitque David ad Achis: Nunc

℣. 2. *Nunc scies*, seu experientia dices, *quæ facturus est servus tuus* — Consulto nil certi affirmat David regi Achis, eo quod necdum statuisset, quid

scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

3. [1] Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos et ariolos de terra.

4. Congregatique sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam: congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe.

5. Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor ejus nimis.

6. Consuluitque Dñum, et non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas.

7. Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem [2] pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor.

8. Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse, et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi: Divina mihi in pythone, et suscita mihi quem dixero tibi.

9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, et quo modo eraserit magos et ariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar?

10. Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non

in prælio facturus esset, sed rem totam divinæ voluntati (quam per pontificem Abiathar et ephod inquisiturus esset) permittere decrevisset: ita Burgensis, Tostatus, Sanctius et Salianus. Deus vero sua providentia sic consuluit famæ et conscientiæ sui clientis, ut utraque salva, neque pugnarit contra Saulem, neque datam Palæstino regi fidem violarit, ut videbimus cap. sequenti.

℣. 6. *Non respondit ei* Dominus *neque per somnia* — De his responsis vide quæ dixi Genesis 40.

Neque per sacerdotes — Hebraice, *neque per urim*, de quo vide Exodi 28. Non respondit, inquam, Dominus, seu quod *ephod* pontificale tum deesset, sublatum ab Abiatharo, et ad Davidem delatum, c. 23, v. 6. Seu quod (si aliud postea *ephod* concinnarunt, ut vult Abulensis) Deus tam impium hominem responso suo dignatus non sit.

Neque per prophetas — qui juxta *Gabaa* patriam Saulis plurimi erant, c. 10 supra.

℣. 7. *Mulierem habentem pythonem* — id est dæmonem familiarem, a quo impetret ex pacto quidquid petat. *Pythius* proprie Apollo vocabatur, quod pythona serpentem sagittis confecisset. Unde quotquot ab Apolline quasi afflati seu illustrati secreta suis maleficiis revelabant, *Pythii*, vel *Pythiæ*, vel *Pythonissæ* vocabantur. Id vero faciebant variis modis, ut docet Abulensis, puta vel per signa, sine verbis, v. g. exhibendo in speculo, vel in circulo effigiem ejus quem quæris. Vel per nuda verba, ex pala annuli, vel alia ex recula responsando. Vel per cadavera, vel per arreptitios, vel per ventrem proprium oracula fundendo, dæmone in concluso ibi aere voces quas vult efformante. Unde et *Ventriloquæ*, et *Necromantici*, et *Magi* vocantur. Vide de his plura apud Delrionem [3].

℣. 9. *Tu nosti quomodo Saul eraserit magos et ariolos de terra* — Prælustre et laudandum factum: ita lege jubente Exodi 22, v. 18. Suspicor autem vel Samuelis auctoritate et consilio eos a Saule sublatos fuisse sub initium regni illius: vel certe, cum jam ipse a maligno exagitaretur spiritu, voluisse hac maleficorum victima placare sibi Deum, dæmonemque ex suo corpore exigere. Et vero videtur Deus in mercedem ejus operis, Saulem posteriori vitæ tempore ab obsidente cacodæmone liberum reliquisse: neque enim mentionem amplius audimus istius maligni spiritus, in Saulem antea toties irruentis. Congruum quippe videtur eum a dæmone liberari, qui regnum totum ab illis infernalibus mancipiis expurgaret: ita Salianus.

(1) Supr. 25, vers. 1; Eccli. 46, vers. 23.
(2) Levit. 20, v. 27; Deut. 18, v. 11; Act. 16, 16.
(3) Lib. 4 Magiæ, cap. 2, q. 6, sect. 2, etc.

eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

11. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

12. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

13. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

14. Dixitque ei: Qualis est forma ejus? Quæ ait: Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit.

15. Dixit autem Samuel ad Saul: [1] Quare inquietasti me ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in

℣. 12. *Tu es Saul* — Unde hoc rescivit pythonissa? Respondeo cum Josepho et Abulensi, Samuelem id ei indicasse.

℣. 13. *Deos vidi ascendentes de terra* — Hebraica phrasi pluralis numerus pro singulari ponitur, ad designandam personæ de qua agitur dignitatem. Sic Exodi 32 de vitulo aureo, qui unicus erat, dicitur, *Hi sunt dii tui*, et passim *Elohim* seu *dii* pro uno *Deo* in Scripturis ponitur. Insinuat ergo pythonissa, eum qui apparebat, tanto esse splendore, ut non aliquis ex hominum numero, sed Deus ipse esse videretur. Quod et Saul optime intellexit, cum in singulari rogat: *Qualis est forma ejus?* Et mulier quoque relicto jam plurali numero respondet, *vir senex ascendit amictus pallio*, nempe prophetico, quale dudum lacerarat Saul, cap. 15, v. 27. Dubitare an verus fuerit Samuel, saltem secundum animam, pene temerarium jam putarim, cum Ecclesiastici 46 diserte dicatur, postquam *dormivit, notum fecisse regi Sauli finem vitæ suæ, et exaltasse vocem suam de terra in prophetia*, etc. Quæ in hunc solum locum quadrare possunt.

Petes, an probabile sit, arte magica suscitatum fuisse verum Samuelem? Respondeo, nulla ratione; sed sola virtute et imperio Dei id factum, præveniente Deo conatus mulierculæ. Sicut volente Balaamo maleficiis suis a dæmone responsa extorquere, prævertit Deus, et per os illius benedixit Israeli. Sic Ochozia mittente qui consulerent Beelzebub idolum Accaron, prævenit Deus responsionem diaboli, misso Elia qui mortem regi prædiceret. Ita plerique Hebræi apud Abulensem, et S. Ambrosius, Basilius, Justinus, Tertullianus, Josephus, Augustinus, Isidorus, S. Thomas, Lyranns, Bellarminus, Suarez, Delrio [2], Serarius et alii. Non ergo obsecutus est Deus magiæ, sed impedivit: nam ne dæmon responderet, prævenit Samuel. Quin et in punitionem tentatæ magiæ videtur Deus tam tristem tamque vicinam cladem Sauli manifestari jussisse. Qua utinam ille ad resipiscentiam seriamque pœnitentiam, ut poterat, usus fuisset! Porro *de obitu suo* (verba sunt Josephi) *præmonitus* Saul *a propheta* Samuele, *noluit tamen* mortem *vitare, et ob vitæ cupiditatem exercitum hosti prodere, atque hoc modo regiam majestatem dehonestare: sed cum liberis totaque familia periculo se objiciens, pulcrum existimavit in prælio pro subditis pugnando cadere, et filios in ejusdem laudis societatem assumere, potius quam superstites relinquere, incertum qualesnam futuros*, regno in aliam familiam translato. *Existimavit enim, loco posteritatis perpetuam laudem et immortalem memoriam sibi futuram* [3].

(1) Eccli. 46, vers. 23.

(2) Ambr. c. 1 in S. Luc.; Basil. epist. 80; Justin. cum Tryphone; Tertull. l. 3 carm. contra Marcion.; Joseph. 6 Antiq., c. 15; August. ad Simplicianum l. 2, q. 3; S. Thom. 1 p., q. 89, a. 8; Bellarm. de purgat. l. 2, c. 6, et de Christo l. 4, c. 11; Suarez t. 2, disp. 42; Delrio sup. et q. 26.

(3) Quæ hic a Tirino prudentissime docentur, integra dissertatione confirmata habes ab Abbate Artigny, tom. 6 *Novorum monument. Historicæ critices*, etc. art. 83. Vide eumdem etiam tom. 3, p. 118 seqq., ubi varias AA. opiniones persequitur. Adi etiam Calmeti Dissertationem. Leo quidem Allatius improbo labore in Syntagmate *de Engastrimitho* conatus est suadere, Samuelis apparitionem dæmonis fuisse figmentum; verum id, etsi nonnullis Patribus, atque Eustathio Antiocheno cum primis placuisse video, non facile adducar ut credam.

manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam.

16. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad æmulum tuum?

17. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David:

18. Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec; idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

19. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu et filii tui mecum eritis: sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.

20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

21. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde), dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, et posui animam meam in manu mea, et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me.

22. Nunc igitur audi et tu vocem ancillæ tuæ, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter agere.

23. Qui renuit, et ait: Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et sedit super lectum.

24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, et festinavit, et occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma.

25. Et posuit ante Saul et ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam.

CAPUT XXIX.

Cum David se suosque junxisset copiis regis Philisthæi Achis, ægre id ferunt reliqui satrapæ, jubeturque domum remitti et in Siceleg reverti.

1. Congregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec: sed et Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Jezrahel.

2. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis et millibus: David autem et viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis.

℣. 1. *Super* seu juxta *fontem in Jezrahel* — Castra Israelitarum erant in monte Gelboe e regione *Sunem*, in tribu *Issachar* ad plagam meridionalem, et protendebantur usque ad *fontem Jezrahel*, qui erat ad radicem montis: Philisthæorum vero castra erant ad septentrionalem plagam circa montes *Hermon*, et urbes *Sunam* et *Aphec*. Vallis autem *Jezrahel* intermedia erat inter utrumque exercitum. Ceterum cum et *universa Philisthæorum agmina* [1] ex una parte, et *universus* [2] *Israel* ex altera parte hic convenisse dicantur; certo colligitur, supra quadringenta utrimque millia, id est simul octingenta millia, convenisse. Nam contra solos Ammonitas gentem multo minorem, haud ita pridem eduxerat Saul *trecenta* [3] *millia filiorum Israel, et virorum Juda triginta millia.* Neque ullam ex eo tempore cladem Judæi acceperant.

℣. 2. *David et viri ejus* sexcenti *erant in novissimo agmine cum Achis* — Erat hoc non ignaviæ, sed virtutis et auctoritatis signum. Propriæ enim imperato-

(1) Cap. 29, vers. 1. (2) Cap. 28, vers. 4. (3) Cap. 11, vers. 8.

3. Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, vel annis, et non inveni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, usque ad diem hanc?

4. [1] Irati sunt autem adversus eum principes Philisthiim, et dixerunt ei: Revertatur vir iste, et sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris?

5. Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis?

6. Vocavit ergo Achis David, et ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, et bonus in conspectu meo: et exitus tuus, et introitus tuus mecum est in castris: et non inveni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc; sed satrapis non places.

7. Revertere ergo, et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philisthiim.

8. Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, et quid invenisti in me servo tuo, a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis?

9. Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

10. Igitur consurge mane tu, et servi domini tui, qui venerunt tecum: et cum de nocte surrexeritis, et cœperit dilucescere, pergite.

11. Surrexit itaque de nocte David ipse, et viri ejus, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Jezrahel.

---

ris cohortes posteriora in exercitu loca tenent. Et apud Romanos Triarii, viri fortissimi spectatæque virtutis; in quibus summum robur exercitus, et spes suprema victoriæ, ultima loca occupabant. Et satis constat Gethæos, quorum satrapa seu rex erat Achis, omnium Philisthæorum fortissimos fuisse, teste Goliath Gethæo, et aliis. Sane Josephus [2] non obscure indicat, hunc *Achim* supremum fuisse inter quinque satrapas seu reges imperatorem.

℣. 3. *David est apud me multis diebus, vel annis* — Cap. 27, vers. 7 dicitur *quatuor mensibus et* aliquot *diebus* David hæsisse apud Philisthæos. Quod ergo hic dicit *Achis* de annis (nisi velimus, mentitum fuisse, ut fidem Davidis magis exploratam redderet Philisthæis, ut vult Sanctius), vel de partibus duorum annorum intelligendum est: vel de tempore quo David prima vice venit ad *Achis*, sed mox simulata stultitia discessit, quasi dicat: Jam pridem, ab annis circiter duobus (ut est in LXX) mihi adfuit et notus est David.

℣. 6. *Exitus tuus et introitus tuus* (id est conversatio et consuetudo tua, adeoque omnia opera tua) *mecum in castris rectus est et bonus;* id est, mire mihi placent probanturque vehementer.

℣. 9. *Bonus es tu, sicut angelus Dei* — Hic Philisthæus cum sæpius cum Davide sociisque egisset, accommodat se ad Hebræorum consuetudinem, modumque loquendi. Nam et paullo ante, v. 6 jurat more Hebræorum, *vivit Dominus*, usurpato etiam nomine tetragrammato, sicut a Davide et sociis audierat subinde usurpari. Vide Abulensem.

(1) 1 Par. 12, vers. 19.

(2) Lib. 6 Antiq., c. 14 in fine.

CAPUT XXX.

Absente cum suis Davide, Amalecitæ urbem Siceleg invadunt, spoliant, igne succendunt, ablata inde omni præda. Sed David prosecutus illos, pene omnes occidit, prædamque recuperat: quam ex æquo dividi jubet etiam iis qui ad sarcinas lassi substiterant.

1. Cumque [1] venissent David et viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni.

2. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo.

3. Cum ergo venissent David et viri ejus ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas, et filios suos, et filias ductas esse captivas,

4. Levaverunt David et populus qui erat cum eo voces suas, et planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.

5. Siquidem et duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezrahelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli.

6. Et contristatus est David valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis et filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo.

7. Et ait ad Abiathar sacerdotem

℣. 1. *Amalecitæ* jam a biennio pene a Saule excisi, recenterque iterum a Davide variis prædationibus exhausti, cum jam scirent tam Saulem, quam Davidem in agrum concessisse, neque ab ipsis quidquam jam sibi metuendum, utpote bello cum Philisthæis prorsus implicitis; usi occasione, injurias acceptas ex parte ulcisci, ac vicem rependere statuerunt. Sed nota hic divinam providentiam, et in Israelitas clementiam, quod, cum David, dum ex Amalecitis prædas ageret, nullos seu viros, seu mulieres, seu infantes in vivis reliquisset, ut dicitur c. 27, v. 9 et 11; tamen horum barbarorum jam ad acceptas illas injurias vindicandas accurrentium furorem ita mitigarit, et paris ultionis seu memoriam, seu appetitum usque eo extinxerit, ut neminem ex omnibus Hebræis captivis aut occiderint, aut læserint.

℣. 6. *Volebat eum populus lapidare* — dolore nimio rationem obruente. Accedebat innata Hebræis animi levitas, qua huc atque illuc facili momento flectebatur. Uti et Moysen olim tam præclare de se meritum toties voluit nulla de causa lapidare, Exodi 17 et alibi. Sed aliquam hic causam prætexere potuisse videtur, quod ex urbe Siceleg propugnatores omnes eduxisset, imbelli tantum turba in ea relicta. Et quamvis indigenæ Philisthæi in ea remansissent, illi tamen inundanti barbarorum multitudini pares non fuerant, et forte non assueverant armis. Sed David dum prudenti consilio suadet, a luctu ad vindictam et prædæ recuperationem properare, exacerbatos animos paullatim compescuit: et mox *applicato ephod* (de quo modo consulendi Dominum vide Exodi 28) et indicio servuli Ægypti deprehensis latronibus, tanta cæde in eos grassatus est, ut totis viginti quatuor horis aliud nihil egerit, nec nisi quadringenti ex toto numero, salvi beneficio camelorum evaserint. Videturque Deus non alia de causa permisisse hanc Amalecitarum adversus Hebræos expeditionem, quam ut fæcem illam perpetuo repullulantem, et male a Saule reservatam, Davidi ad victimam, ad lanienam objiceret: ut a novo rege sub initium regni justa ultione corrigeretur, quod Saul initio sui principatus per inobedientiam peccarat: ita Theodoretus [2].

(1) 1 Par. 12, vers. 20.

(2) Q. ult. in hunc librum.

filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicavit Abiathar ephod ad David,

8. Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam.

9. Abiit ergo David ipse, et sexcenti viri qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor: et lassi quidam substiterunt.

10. Persecutus est autem David ipse, et quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor.

11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, et adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, et biberet aquam,

12. Sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, et refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus et tribus noctibus.

13. Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? et quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.

14. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Judam, et ad meridiem Caleb, et Siceleg succendimus igni.

15. Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Jura mihi per Deum, quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David.

16. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda et spoliis quæ ceperant de terra Philisthiim, et de terra Juda.

17. Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, et fugerant.

18. Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, et duas uxores suas eruit.

19. Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis, et quæcumque rapuerant, omnia reduxit David.

20. Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda David.

21. Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos jusserat, in torrente Besor: qui egressi sunt obviam David, et populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice.

22. Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua et filii: quos cum acceperint, recedant.

℣. 14. *Ad australem plagam Cerethi* — Regio est Palæstinæ sic dicta a robore et vi bellica incolarum, ita ex S. Hieron., Ribera [1], *Cerethim* enim hebraice significat *exscindentes:* sic ut *Phelethim, liberatores.* Hinc a robore vocatæ sunt duæ legiones, seu prætoriani milites Davidis passim libro sequenti *Cerethi* et *Phelethi:* ita Josephus.

℣. 20. *Hæc est præda David* — Intercalaris est versiculus in epinicio, quod Davidi duci suo, et tantæ victoriæ auctori decantabant ejus socii.

(1) In c. 2 Sophoniæ.

23. Dixit autem David: Non sic facietis fratres mei, de his, quæ tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et dedit latrunculos, qui eruperant adversum nos, in manus nostras:

24. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc; æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter dividentur.

25. Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel usque in diem hanc.

26. Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini:

27. His qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Jether,

28. Et qui in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo,

29. Et qui in Rachal, et qui in urbibus Jerameel, et qui in urbibus Ceni,

30. Et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Athach,

31. Et qui in Hebron, et reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse, et viri ejus.

℣. 25. *Factum est hoc quasi lex in Israel* — Ita quidem jusserat semel Deus Num. 31, v. 27 *ex æquo prædam* Madianiticam *dividi inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem,* qui quo minus pugnarent, et cum hoste manus consererent, delecti non fuerant. His enim omnibus voluit ex æquo dividi mediam prædæ partem: reliqua medietate promiscuo vulgo permissa. Hoc exemplo decrevit David ut lex esset perpetua populo Israelitico, de præda ex æquo dividenda inter eos qui et manum cum hoste conseruissent, et qui ad sarcinas custodiendas relicti essent. Eamdem hanc legem post hæc tempora induxerunt quoque Romani, ut exemplo Scipionis et aliorum docet Polybius [1].

(1) Lib. 10.

CAPUT XXXI.

Saul cum filiis in pugna cæditur a Philisthæis. Truncum corpus in muro Bethsan suspenditur: caput recisum in triumphum circumfertur: arma in templo Astaroth suspenduntur. Viri Jabes Galaad corpora Saulis et filiorum ejus de muro detracta sepeliunt in Jabes.

1. Philisthiim autem pugnabant adversum Israel: et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, et ceciderunt interfecti in monte Gelboe.

2. [1] Irrueruntque Philisthiim in Saul, et in filios ejus, et percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul,

3. Totumque pondus prælii versum est in Saul: et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis.

4. [2] Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus; arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum.

℣. 4. *Arripuit Saul gladium, et irruit super eum* — Petes, an ex hoc vulnere a se inflicto extinctus fuerit Saul? Josephus et nonnulli Hebræi id negant, voluntque aliena Amalecitæ manu interiisse, ut narratur lib. 2 Regum, c. 1. Sed respondeo probabilius esse, Amalecitam il-

(1) 1 Par. 10, vv. 2, 3. (2) 1 Par. 10, vers. 4.

5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo.

6. Mortuus est ergo Saul, et tres filii ejus, et armiger illius, et universi viri ejus in die illa pariter.

7. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, et trans Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, et quod mortuus esset Saul, et filii ejus, reliquerunt civitates suas, et fugerunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt ibi.

8. Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios ejus jacentes in monte Gelboe.

9. Et præciderunt caput Saul, et spoliaverunt eum armis: et mise-

lum splendide mentitum fuisse, ut eo artificio ac simulato studio majorem a Davide gratiam iniret. Saulem vero ex suo vulnere interiisse, loquuntur clara Scripturæ verba, quæ etiam insinuant, extinctum fuisse simulatque in gladium incubuit. Neque prius voluit armiger Saulis se quoque interficere, quam vidisset jam mortuum esse Saulem, 1 Paral. 10, vers. 5. Neque umquam permisisset armiger manu vilis Amalecitæ regem suum occidi. Ita Theodoretus, Abulensis, Angelomus, Lyranus, Dionysius, Serarius, Torniellus et Sanctius.

Petes secundo, an Saul æternam quoque mortem subierit, et sit damnatus? Negant jam dicti Hebræi, et dubitat Lyranus. Sed omnes pene SS. Patres id diserte affirmant, ut SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Bernardus, et Doctores recentiores jam citati, et insuper Cajetanus, Pineda, Salianus [1] et alii pene omnes. Neque est vel levissima conjectura, qua de tot, tamque horrendis sceleribus pœnitentiam egisse colligamus.

Dices, propheta Samuel c. 28, v. 19 dicit Sauli, *cras tu et filii tui mecum eritis*. Atqui Samuel erat in sinu Abrahæ: ergo. Respondeo, Samuelem illis verbis nihil aliud significasse, quam in genere excessurum Saulem e vivis, sicut ipse excesserat, et in altera vita aggregandum numero reliquorum defunctorum. De loco vero particulari cujusque nihil affirmat, sed hoc judici definiendum relinquit: ita S. Augustinus supra et alii. Sed quid alia damnati Saulis argumenta requirimus, cum Scriptura id satis insinuet? nam 1 Paralip. 10, ubi nos legimus, *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit*, etc. in Hebræo et apud LXX habetur, *mortuus est in iniquitatibus suis quibus prævaricatus est*. Et sane pridianum istud scelus, quo pythonissam, id est diabolum, consuluit, et ultimum facinus, quo violentas ipse sibi manus intulit (quod timidi, mollis et abjecti animi est, vel Aristotele [2] teste), non sunt signa pœnitentiæ, sed extremæ malitiæ et obstinationis argumenta. Et putat Sanctius, istud consultæ pythonissæ peccatum, quod genus quoddam est idololatriæ, mortem Sauli accelerasse; et hoc insinuari 1 Paralip. 10, vers. ult. ubi dicitur, *Propter hoc interfecit eum* Deus. Sicut Ochoziæ quoque propter simile consulti Beelzebub peccatum prædicit Elias 4 Regum 1: *De lectulo non descendes, sed morte morieris*, descensurus utique, et diutius victurus, ni consuluisset, ut v. 16 insinuatur.

℣. 6. *Mortuus est ergo Saul, et universi viri ejus* — non, quotquot in exercitu erant milites (nam ex iis multi fugisse dicuntur): sed quotquot erant domestici et familiares Saulis, ut viri aulici, milites prætoriani, et quibus circa regiam personam vel custodiendam, vel ornandam, aliquid erat muneris demandatum.

℣. 7. *Viri Israel qui erant trans vallem*, nempe vel *Jezrahel*, ubi pugna commissa fuerat; vel omnium nobilissimam *Engaddi*, de qua cap. 24 *et trans Jordanem* — Hi erant tribus *Ruben*, *Gad*, et dimidia *Manasse*, Numeror. 32. Qui videntes Israelitarum castra aut cæsa, aut fugata, neque se Philisthæis resistendo esse, deseruerunt urbes suas, et in tutiora loca commigrarunt.

℣. 9. *Caput Saul miserunt in terram*

(1) Hieron in Ezechiel., c. 30; Ambros. in c. 9 ad Rom.; Aug. l. 1 de Civit., c. 17, et l. 2 ad Simplicianum, c. 1; Bern. serm. 26 in Cantic; Pineda in Salomone; Salian. anno mundi 2979, n. 128.

(2) Lib. 5 Ethicor.

runt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, et in populis.

10. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan.

11. [1] Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul,

12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul, et cadavera filiorum ejus, de muro Bethsan: veneruntque Jabes Galaad, et combusserunt ea ibi:

13. Et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore Jabes, et jejunaverunt septem diebus.

Philisthinorum — ad exhilarandum populum. 1 lib. Paral. c. 10 dicitur, in templo Dagonis fuisse propositum, nempe ut triumpharet Dagon de subacto Israelitarum rege.

℣. 10. *Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth* — de more, pro spolio et æterno victoriæ monumento. De Astaroth vide quæ dixi Judicum 2, v. 13.

Corpus vero suspenderunt in muro Bethsan — loco sublimi ac publico, unde ab omnibus prætereuntibus spectari posset, nempe, ut solent latronum cadavera rotis imponi in triviis, ut omnibus innotescat illorum turpitudo, fœditas et nequitia. Et erat sane insigne istud ludibrium regii cadaveris, neque tamen illius solius: nam et trium filiorum ejus cadaveribus eamdem inflictam ignominiam patet ex vers. 12.

℣. 11. *Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad* — Erant hi quos ante biennium Saul initio regni sui liberarat a tyranno Naas Ammonita, qui nonnisi effossis omnium oculis dextris pacem illis dare voluerat, c. 11. Cujus beneficii cum grata esset recensque apud ipsos memoria, in vicem acceptæ a Saule et libertatis et vitæ, voluerunt saltem cadaver sui benefactoris, cum aliud non possent, ab illa patibulari ignominia vindicare, et more regio comburere, sepelire, ceteraque justa persolvere.

Nota. Hæc Saulis et filiorum ejus ossa, ex nemore *Jabes Galaad*, ubi jam condita fuerunt, transtulit postea David in terram Benjamin, in sepulcrum paternum *Cis* patris Saul, 2 Reg. 21, v. 12.

(1) 2 Reg. 2, vers. 4.

LIBER II. REGUM

Recenset acta Davidis jam regis, quæ ordine temporum digessi in Chronico cap. 28.

CAPUT I.

David occidi jubet Amalecitam, qui jactabat se sua manu occidisse Saulem. Luget deinde cæsum regem, et carmine lugubri deflet communem cladem.

1. Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg duos dies.

2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul, veste conscissa, et pulvere conspersus caput: et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit.

3. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi.

4. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et Saul, et Jonathas filius ejus interierunt.

5. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul et Jonathas filius ejus?

6. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei,

7. Et conversus post tergum suum, videnque me vocavit. Cui cum respondissem, Adsum:

8. Dixit mihi: Quisnam es tu? Et ajo ad eum: Amalecites ego sum.

9. Et locutus est mihi: Sta super me, et interfice me: quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima mea in me est.

10. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam, et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc.

11. Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo,

12. Et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, et super Jonatham filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio.

13. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum.

14. [1] Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini?

15. Vocansque David unum de

(1) Psalm. 104, vers. 15.

pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est.

16. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini.

17. Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, et super Jonatham filium ejus,

18. (Et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in Libro Justorum), et ait: Considera Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.

19. Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes?

20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum.

21. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint

℣. 16. *Sanguis tuus super caput tuum* — Id est, sanguine tuo effuso super te, pœnas dabis effusi sanguinis e regio corpore, quod impia et sacrilega manu violasti.

Notat Abulensis et Cajetanus, Davidem, mortuo jam Saule, ex Dei dispositione habuisse auctoritatem potestatemque regiam, qua juste occidit hunc juvenem, qui jactabat, et quidem falso (ut dixi cap. ult. hb. præc.) se occidisse Saulem.

℣. 18. *Et præcepit David, ut filios Juda* — in qua tribu ipse auctoritate volebat *(docerent arcum)* id est, artem sagittariam, qua Philisthæis ejus artis scientissimis opponi possunt. De qua arte, et quo modo tirones in ea exercendi, vide Vegetium [1]. Sed hic per *arcum* synecdochice *omne armorum genus* intelligendum videtur: nam volebat David indicare, gravissima a Philisthæis bella imminere Hebræis, atque ideo debere undique comparari instrumenta bellica omne genus, et omnes bello idoneos in armis exerceri. Et hæc est communis Interpretum expositio. Videtur tamen hic per *arcum* designari titulus *epicedii* seu carminis lugubris, quod mox sequitur, quia sæpius mentio fit *arcus* in illo cantico ferali. Sicut Cant. 4 a *liliis:* Psal. 21 a *cerva matutina*, et alii ab aliis præfixis titulis nomen acceperunt: ita Mariana, et Sanctius. Et favet huic expositioni, quod LXX nulla facta mentione *arcus*, tantum dicant, Davidem lamentatum fuisse hanc lamentationem, *ad docendos filios Juda.* Et simili occasione Jeremias [2], cum instarent alia infortunata tempora, monet parentes ut *filias suas doceant lamentum et planctum*, seu carmen lugubre et lamentabile.

Sicut scriptum est in libro justorum — Hebraice, *in libro justi;* LXX *in libro recti.* Id est, in libro qui de *justitia* seu *rectitudine* tractat, seu, in quo leges et ritus ac cæremoniæ sacræ continentur. In quo *rituali libro* seu *Directorio* inter cetera habebatur quoque hoc Davidis epicedium; quod Josephus testatur suo adhuc tempore in usu fuisse. Continebatur et illud epinicium Josue 10 de sole per illum stare jusso, et alia. Sed jam liber ille (ut plures alii) temporum injuria periit.

Initium carminis est, *Considera Israel pro his*, etc. — Id est, accurate et diligenter expende, quales illi et quanti sint viri quorum sanguine montes Gelboe tincti sunt, nempe, non sunt terræ filii, aut e media turba, sed rex et regia soboles, et præstantissimi quique duces Israel.

℣. 19. *Quomodo ceciderunt fortes?* — Intercalaris est versiculus, et in threnis usitatissimus, quem et repetit v. 25 et 27. Et fere solent Hebræi sic suos planctus exordiri. Jeremiæ 1: *Quomodo sedet sola civitas?* et cap. 2: *Quomodo obtexit caligine?* et c. 4: *Quomodo obscuratum est aurum?* Et Isaiæ 14: *Quomodo cecidisti lucifer?*

℣. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos* — consequenter, nec ullus ex vobis fructus ad hominum usus proveniat: atque ita nec ullæ primitiæ seu frugum, seu pecorum e vobis æternum sterilibus ad templum Domini devehantur. Non maledicit serio montibus, utpote innocuis et irrationalibus, sed more militari et Hebræis usitato ita ludit in re funebri; q. d. Æquum

(1) De re militari lib. 1, cap. 15.
(2) Cap. 9, vers. 20.

agri primitiarum : quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.

22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis.

23. Saul et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.

24. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est?

26. Doleo super te, frater mi Jonatha decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.

27. Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica?

esset ut in memoriam tantæ cladis privaremini omni rore et pluvia; ita Abulensis et Cajetanus.

℣. 22. *A sanguine, ab adipe fortium,* quem Saul et Jonathas suo gladio et sagitta in bello haustum ibant, *gladius et sagitta numquam rediere retrorsum* — id est, irrito conatu, aut successu frustraneo. Hoc strenui et periti militis est, nullum torquere telum, quod non aut sanguinem adversarii effundat, aut animam letali vulnere hauriat.

CAPUT II.

Dei monitu David migrat in Hebron, ubi a tribu Juda ungitur in regem: laudatque cives Jabes Galaad, quod sepelissent Saulem. Cujus filium Isboseth in regem super reliquas tribus evehit Abner: unde bellum continuum inter domum David et domum Isboseth.

1. Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: [1] In Hebron.

2. Ascendit ergo David, et duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelites, et Abigaïl uxor Nabal Carmeli:

3. Sed et viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: et manserunt in oppidis Hebron.

4. [2] Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul.

5. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum.

6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.

7. Confortentur manus vestræ, et estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

8. Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra,

(1) " Vers. 1. *In Hebron.* distat ab Jerusalem viginti duobus miliaribus ad meridiem. V. Sa, et Marianam. „

(2) 1 Mach. 2, vers. 57.

9. Regemque constituit super Galaad et super Gessuri, et super Jezrahel, et super Ephraim, et super Benjamin, et super Israel universum.

10. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David.

11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum, et sex mensium.

12. Egressusque est Abner filius Ner, et pueri Isboseth filii Saul, de castris in Gabaon.

13. Porro Joab filius Sarviæ, et pueri David egressi sunt, et occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt, hi ex una parte piscinæ, et illi ex altera.

14. Dixitque Abner ad Joab: Surgant pueri, et ludant coram nobis. Et respondit Joab: Surgant.

15. Surrexerunt ergo, et transierunt numero duodecim de Benja-

℣. 9. *Super Galaad, Gessuri, Jezrahel* etc. — In his locis prius acclamatus fuit rex *Isboseth*, ideoque et hic prius nominantur. Ut vero *regem Gessuri Tholmain*, in Syria, haud procul Damasco, Israelitis (ut puto) vectigalem David sibi devinciret, et æmulo suo *Isbosetho* adversarium faceret, filiam illius *Maachan* sibi in uxorem depoposcit, sed prius ad veri Dei cultum conversam. Unde licuit Davidi id facere; maxime cum Gessur ad fines Chananæorum, certe ad Chananæos populos, non spectaret, cum quibus solis vetita erant Judæis connubia, Deut. 7. Vide quæ de Gessur dixi 1 Reg. 27, v. 8. Erat ergo hæc jam quarta Davidis uxor [1]: mox vero etiam quintam superinduxit, dein et sextam et septimam, ut plures principes et familias sibi affinitate obstringeret. Ex singulis vero uxoribus excepta Michol, singulos liberos in Hebron suscepit.

℣. 10. *Duobus annis regnavit* Isboseth, nempe, antequam bella inter ipsum et æmulum ejus Davidem exorirentur. Nam post adhuc aliis quinque annis cum medio regnasse, clare docent Genebrardus, Abulensis, Serarius, Torniellus et Salianus [2]. Primo biennio videntur hi duo reges (nam uterque erat legitimus, utpote legitime creatus) sat negotiii cum Philisthæis victoria insolentioribus habuisse. Quibus demum seu vi coercitis, seu induciis ad quietem reductis, *Abner* princeps militiæ Isboseth, etiam de pace cum Davide, et æterno inter utramque domum fœdere conciliando, si posset: sin minus, de re bello dirimenda actitare cœpit. Ergo cum lectissima militum manu ex regia in *Gabaon* urbem tribus Benjamin, Judæ conterminam progressus, Joabo Davidis copiarum duci ex condicto occurrit. Sed antequam pacis aut fœderis mentionem injiceret, ostentare cupiens militum suorum fortitudinem, ne forte suis partibus diffidere aut desperare videretur,

℣. 14. *Dixit Abner ad Joab, Surgant pueri* seu milites, *et ludant coram nobis* — nempe ludo gladiatorio, et duello, ut solent in theatris, cum non ficte, sed serio; non obtusis, sed acutis gladiis res geritur. Neque abnuit Joab, ne sui viderentur audacia et alacritate adversariis cedere.

Notat hic Abulensis, non leviter ab utroque duce peccatum fuisse, quod non belli dirimendi, vel causæ decidendæ, sed solius animi et vanæ virium ostentationis gratia sanguinolentum certamen oblatum atque admissum sit. Et licet culpam Joabi minuerit metus, ne si recusasset, dedecore afficeretur cum suis, et simul audaciores fierent Israelitæ, ad Judæos deinceps crebrioribus damnis afficiendos; culpam tamen non plane delet: quia pudor et metus ille non tanti erat, ut ad eum evitandum, in tot fortissimorum virorum quasi certam, saltem injustam mortem consentiret, cum non deessent alia media, pudoris metusque illius, etiam aperta vi depellendi. Ipsos gladiatores excusare potuit cæca obedientia, qua legitimis ducibus suis, penes quos esse debet examen causæ, prompti paruerunt. Si tamen non obediendi causa,

(1) 3 Reg. 3, vv. 4 et 5.
(2) Genebr. in Chronicis; Abulens. et Serar. hic; Torniell. anno mundi 2980; Salianus anno mundi 2979 fine.

min, ex parte Isboseth filii Saul, et duodecim de pueris David.

16. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon.

17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner, et viri Israel, a pueris David.

18. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, et Abisai, et Asael: porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ morantur in silvis.

19. Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner.

20. Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait: Tune es Asael? Qui respondit: Ego sum.

21. Dixitque ei Abner: Vade ad dextram, sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum.

22. Rursumque locutus est Abner ad Asael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, et levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum.

23. Qui audire contempsit, et noluit declinare: percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit, et mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, et mortuus erat, subsistebant.

24. Persequentibus autem Joab et Abisai fugientem Abner, sol occubuit: et venerunt usque ad collem aquæ ductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon.

25. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner: et conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius.

26. Et exclamavit Abner ad Joab, et ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos?

27. Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum.

28. Insonuit ergo Joab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen.

29. Abner autem et viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa: et transierunt Jordanem, et lustrata omni Beth-horon, venerunt ad castra.

30. Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum: et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele.

31. Servi autem David percusserunt de Benjamin, et de viris, qui

sed tantum ostentandarum virium gratia ad certamen concurrerunt, utique et ipsi peccarunt, et infelici morte defuncti sunt, ut solent qui in ultroneo duello cadunt. Et forsan ideo permisit Deus, ut omnes utrimque mutuis vulneribus confossi interierint, ut aperte colligitur ex textu, non Latino solum, sed et Græco, et Hebræo, et Chaldæo, et fere omnium interpretum unanimi consensu. Et Josephus idem diserte affirmat, quamvis Comestor, Lyranus et Dionysius decepti versione Rufini, putarint Josephum voluisse, solos Abneris milites occubuisse, et omnes Joabi mansisse superstites. Ceterum accensis hoc cruento spectaculo utrimque tam ducum, quam militum animis, cum dubiam adhuc fortitudinis laudem suo quisque exercitui promereri, simul et sociorum mortem ulcisci vellet, extemplo totis aciebus concursum. Et quia major fuerat Abneris culpa primo provocantis, permisit Deus justo judicio ipsum vinci, et magna clade affici, cum non minore probro damnoque Isbosethi, a quo paullatim ex variis tribubus multa millia ad Davidem transfugerunt, ut habes 1 Par. 12, v. 22.

erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui et mortui sunt.

32. Tuleruntque Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem: et ambulaverunt tota nocte Joab et viri qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

CAPUT III.

Abner ob concubinam reprehensus ab Isboseth, transit ad partes Davidis, cui reducit uxorem Michol: sed proditorie confoditur a Joab: et amare defletur a Davide.

1. Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul et inter domum David: David proficiscens, et semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.

2. [1] Natique sunt filii David in Hebron: fuitque primogenitus ejus Amnon de Achinoam Jezrahelitide.

3. Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalom, filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur.

4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: et quintus Saphathia, filius Abithal.

5. Sextus quoque Jethraam, de Egla uxore David; hi nati sunt David in Hebron.

6. Cum ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul.

7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aja. Dixitque Isboseth ad Abner:

8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres et proximos ejus, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie?

9. Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo,

10. Ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel, et super Judam, a Dan usque Bersabee.

11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum.

12. Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: Cujus est terra? et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel.

13. Qui ait: Optime: ego faciam

℣. 8. *Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie?* — Exprobrat Abner regi Isbosetho ingratitudinem, et oblivionem tanti in se collati beneficii, utpote quem propter mulierculam sic tractet, quasi foret vilissimum mancipium et fœtens canis: cum tamen contra tribum Juda, omnesque Isbosethi adversarios se ut acerrimum leonem semper exhibuerit.

℣. 9. *Quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo* — nempe, ut te depresso, David omni Israeli dominetur.

(1) 1 Par. 3, vers. 1.

Non apparet ex Scripturis ubi id juraverit Dominus Davidi. Uti nec quod paullo post idem Abner dicit v. 18, *Dominum locutum esse ad David*, seu de Davide [2], *In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim.* Sed Josephus dicit, hoc oraculum a Samuele propheta editum fuisse. Juramento vero significabatur divini promissi firmitas et certitudo.

℣. 12. *Cujus est terra?* — Insinuat Abner, se totam terram, totamque rem Israeliticam in sua manu ac potestate

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 12.

tecum amicitias, sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: et sic venies, et videbis me.

14. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: [1] Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim.

15. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais.

16. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim: et dixit ad eum Abner: Vade, et revertere. Qui reversus est.

17. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis David, ut regnaret super vos.

18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim, et omnium inimicorum ejus.

19. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia quæ placuerant Israeli, et universo Benjamin.

20. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: et fecit David Abner, et viris ejus qui venerant cum eo, convivium.

21. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, et ineam tecum fœdus, et imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace,

22. Statim pueri David et Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace,

23. Et Joab, et omnis exercitus qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace.

24. Et ingressus est Joab ad regem, et ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, et abiit et recessit?

habere, et nullo negotio posse in quam voluerit partem inflectere. Et quidem promptum paratumque se, ut ab Isbosetho totam in Davidem transferat, si ille secum *amicitias facere*, id est, oblitteratis antiquis simultatibus, habere se inter amicos suos, et quidem primos ac regi proximos, ut explicat Josephus, et, quod consequens est, præcipuis dignitatibus atque officiis regni condecorare voluerit. Et David quidem lætus conditionem admisit, neque tamen Abneris culpæ aut proditionis particeps fuit; ut qui jure sibi cælitus concesso uteretur. Cum enim sciret David universum regnum divino decreto sibi deberi, poterat illud sibi quacumque via commoda licitaque vindicare. Et quamvis nollet aut cruenta victoria, aut invitis subditis id rapere: volentibus tamen ab æmulo desciscere et ad se transire, deesse non voluit. Ad voluntatem quoque perversam Abneris nonnisi permissive se habuit, eamque in rem suam convertit, fere sicut Deus studiis impiorum utitur ad bonos inde effectus eliciendos.

℣. 19. *Et abiit* Abner, specie deducendæ Micholis, *ad David in Hebron, ut loqueretur* — id est, exponeret ei mentem totius populi Israelitici jam persuasi ut ultro regnum totum in Davidem transferret. Et jam transegerat Abner cum Davide, ibatque collectum capita populi et exercitus, ut publicum novo cum rege fœdus et pacta de more inirentur. Sed nequitia et dolis Joabi ex itinere revocatus, in ingressu urbis Hebron ab eodem proditorie confossus interiit, Abisai fratre Joabi adstante, et opem, si Joab eguisset, parante: unde vers. 30 tam Abisai quam Joabo cædes hæc adscribitur.

(1) 1 Reg. 18, v. 27.

25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum et introitum tuum, et nosset omnia quæ agis?

26. Egressus itaque Joab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David.

27. Cumque rediisset [1] Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei, in dolo: et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus.

28. Quod cum audisset David rem jam gestam, ait: Mundus ego sum, et regnum meum, apud Dominum, usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner:

29. Et veniat super caput Joab, et super omnem domum patris ejus: nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane.

30. Igitur Joab et Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio.

31. Dixit autem David ad Joab, et ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner; porro rex David sequebatur feretrum.

℣. 27. *In ultionem sanguinis Asael fratris* Joabi et Abisai. Nempe hæc causa publice spargebatur, etiam ab ipsis homicidis, vera tamen causa, quæ maxime Joabum ad id facinus impulit, videtur fuisse invidia, æmulatio, et timor, ne sibi Abner in principatu militiæ sufficeretur: ita Josephus, Magister [2] Historiæ Scholasticæ, Procopius, Dionysius, Lyranus, Serarius, Salianus. *Sciebat enim fore* (inquit Theodoretus) *ut ille præesset exercitui, qui universum Israelem adducebat ad regem.* Et vero eamdem ob causam idem Joab, eadem perfidia occidit etiam *Amasam*, quod et illum timeret sibi ducem successurum, infra cap. 20.

℣. 28. *Cum audisset David rem jam gestam* — ut tanti sceleris suspicionem a se amoliretur, primo, publice protestatur, id se inconsulto atque inscio patratum. Secundo, divinam ultionem in Joab, totamque patris ejus familiam imprecatur et prædicit, nempe posteros ejus alios fore *gonorrhæos* seu seminifluos, qui morbus apud Hebræos erat fœdissimus, maximeque abominabilis, Levitici 15 et Numer. 5. Alios leprosos, nihilo minus detestandos, Lev. 13. Alios *tenentes fusum*, quod mulierosorum et imbellium est, et viris cordatis extreme probrosum, ut patuit in Sardanapalo [3], Hercule [4], Narsete [5], et similibus. Alios *cadentes gladio*, seu aperto marte, seu struendis pari dolo insidiis. Alios denique *indigentes pane*, quod apud Hebræos inter maxima quoque infortunia numerabatur. Neque tam dira execratione contentus, Tertio, jubet ipsi etiam homicidæ Joabo, totique aulæ suæ, et toti populo, ut scissis vestibus et saccis induti prosequantur funus Abner, eaque signa publici luctus edant, quæ nonnisi in maximorum principum exequiis præstari solent. Quarto, ipse quoque rex idem funus sordidatus sequitur, et lugubri planctu ac ferali epicedio, tanti principis miserrimum casum simul et heroicas virtutes prosequitur. Quinto, noluit interesse publico epulo funebri, quod Hebræi (quos postea secuti sunt Athenienses, et Romani, et pene omnes aliæ gentes) maximo sumptu instruere solebant [6]: sed totum diem jejunus transegit. Denique nihil omnium prætermisit quæ vel fratri defuncto, vel patri proprio, vel integerrimo amico, cui quam optime vellet, deflendo, lugendo, parentando præstare aut debuisset aut potuisset. Quibus omnibus id saltem obtinuit, ut omnis populus jam certus esset, regem ægerrimo animo mortem Abneris ferre, nedum illius auctorem esse, aut conscium fuisse. Verum cur passus est Joabum tanti sceleris auctorem vivere, et quidem impunitum, et ne vel minima seu honoris, seu dignitatis parte minutum? Respondet ei objectioni David:

(1) 3 Reg. 2 vers. 5.
(2) Comestor.
(3) Justinus l. 1, et Herodotus in Clio.
(4) Ovidius in epistola Dejaniræ.
(5) Baronius.
(6) Joseph. lib. 2 Belli, cap. 1.

32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner: flevit autem et omnis populus.

33. Plangensque rex et lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.

34. Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit super eum.

35. Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam.

36. Omnisque populus audivit, et placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi.

37. Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filius Ner.

38. Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel?

39. Ego autem adhuc delicatus, et unctus rex: porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.

℣. 39. *Ego autem adhuc delicatus*, seu tenellus, in primis regni incunabulis, *et unctus* quidem *rex*, sed necdum sat stabilitus sum.

Porro viri isti filii Sarviæ, puta *Joab et Abisai* [1], nepotes mei ex sorore, *duri* ac molesti *sunt mihi*, utpote ingenio duro et feroci, et quia præsunt exercitui, possent facili negotio omnia turbare, meque et regnum meum evertere. Nolo tamen impune illis esse tantum facinus, sed pœnam in tempus opportunius differo, dum interim stabiliendis rebus meis utilem ipsi operam navant.

(1) 1 Par. 2, vers. 16.

CAPUT IV.

Isboseth a duobus militum præfectis in thalamo suo jugulatur. Sed præfecti vicissim, dum caput ad Davidem deferunt pro mercede jugulantur.

1. Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron: et dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israel perturbatus est.

2. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem et Beroth reputata est in Benjamin.

℣. 2. *Duo principes latronum* — Sic olim milites omnes, sed maxime prætoriani, vocabantur, teste Varrone, quasi *laterones*, quod latera stiparent principum. Unde LXX vertunt, *principes turmarum*; Chaldæus, *principes exercituum*. Sic 4 Reg. 24 dicitur Deus Joakimo immisisse *latrunculos* Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et Moab et Ammon, *ut disperderent Judam*. Et Virgilius quoque et Plautus [1] per *latrones* non raro milites intelligit, teste Festo, et Servio et aliis. Hi *erant filio Saul*, nempe Isbosetho, regiæ cohortis præfecti: qui, qua de causa incertum, *fugerunt* ante id tempus ad Philisthinos *in Geth*, forsan ut procul essent ab Abnere sibi ob rem aliquam male gestam infenso. Nunc vero, evulgata morte Abneris, cum vident nutare totum Israelem, et singulos rebus suis prospicere: animadvertentes Saulis familiam in certum jam interitum

(1) Virg. 12 Æneid.; Plaut. in Milite glorioso, actu 1, scena 1 in fine.

3. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud.

4. Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Jonatha ex Jezrahel; tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cumque festinaret ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth.

5. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: [1] qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit.

6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater ejus, et fugerunt.

7. Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum; sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte,

8. Et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron, dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, et de semine ejus.

9. Respondens autem David Rechab, et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,

10. [2] Quoniam eum, qui annuntiaverat mihi, et dixerat: Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio.

11. Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra?

12. Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos: præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulcro Abner in Hebron.

---

ruere: neque ex ea superesse quempiam in quo spes suas figere possent, cum rex Isboseth imbellis totus, Miphiboseth vero Jonathæ filius et mutilus et puer adhuc esset, alii autem filii Saulis *ex Respha*, utpote ex concubina nati, non possent ad regnum aspirare; decreverunt exemplo Abneris, gratiam Davidis, in quem omnium et oculi et animi conversi erant, insigni aliquo facinore demereri, puta cæde regis Isboseth unici æmuli Davidis.

℣. 6. *Ingressi sunt* ergo *domum latenter, assumentes spicas tritici* — nempe vel instar *villicorum* triticum ex agro deferentium: vel, ut Chaldæus habet instar *mercatorum* tritici, id venale afferentium; et specimen aliquod manu præferentium.

Petes, quæ fuerit illa purgatio tritici per ostiariam in aula regia, ubi et stre-

pitus omnis et sordes rurales procul abesse solent? Respondeo, non fuit excussio granorum ex spicis, quæ tribula fiebat, vel mola, vel ungulis equorum aut boum. Neque etiam excussio palearum, lapillorum, aliarumve sordium, quæ vanno fiebat. Sed erat exfollificatio granorum e spicis adhuc virentibus, quæ fere manibus fieri debebat, vel pectine, aliove simili instrumento dentato: fiebatque sine strepitu, nec magno labore: unde et ab honestis, immo et aulicis ac delicatis feminis, exerceri poterat. Porro ex his granis virentibus, ac deinde tostis, piloque contusis conficiebant *polentam*, gratam ac delicatam farinam, e qua fiebant arte pistoria varia edulia ac dulciaria, Hebræis admodum usitata, et etiam regiis mensis non indigna: ita Sanctius. Vide quæ dixi lib. 1, c. 17, v. 17.

(1) " Vers. 5. *Qui dormiebat super stratum suum meridie.* Aliqui reddunt: *Et ipse dormiebat in cubiculo meridiano.* Alii: *Et ipse erat recubens cubatu meridiano.* Quidam: *Et ipse dormiens dormitionem meridianam.* Nonnulli: *Qui super lectum suum meridie quiescebat.* V. Malvendam. „ (2) Sup. I, vers. 14.

CAPUT V.

David omnium tribuum rex declaratur et ungitur: pulsis Jebusæis capit arcem Sion, in qua sibi palatium construit: superinducit alias uxores, et Philisthæos bis prosternit.

1. Et venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: [1] Ecce nos, os tuum et caro tua sumus.

2. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.

3. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem super Israel.

4. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, [2] et quadraginta annis regnavit.

5. In Hebron regnavit super Judam septem annis et sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam.

6. Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ: dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes: Non ingredietur David huc.

℣. 2. *Tu pasces populum meum* — Verisimile est, ut dixi cap. 3, v. 9 hæc dicta Davidi per Samuelem prophetam, ut Josephus affirmat.

Nota. Tertia fuit hæc et ultima unctio Davidis, facta decreto et in præsentia *universarum* tribuum, id est capitum et principum universarum tribuum: qui 1 Par. 8, v. 27 *Patriarchæ* vocantur, et *cognationum principes*. Quibus accesserunt etiam *seniores Israel*, id est sanedrim, seu septuaginta viri, quos Moyses Numerorum 11 jubente Deo ex toto Israele selegit, et ante inductos reges præerant toti populo. Hi nomine totius populi inierunt fœdus cum novo suo rege, seu pacta et conditiones, quibus de more et ipsi fidum regi obsequium, et rex ipsis paternam tutelam juramento promittebat, *coram Domino*, id est Deo in testem invocato, forsan etiam coram tabernaculo Domini, quod David in Hebron, quo tempore istic resedit, construxisse videtur, ubi oblatis sacrificiis coleretur Deus. Neque enim consultum erat, ut qui Davidi adhærebant, in Gabaon Isbosetho subjectam urbem, ubi tabernaculum Moysis Saul collocarat, ter in anno se transferrent. Et vero solitum in Hebron offerri sacrificium, probat illud cap. 15 quod Absalon a parente petierit, sibi ut liceret in Hebron sacrificii causa secedere. Qua autem ratione licuerit tum pluribus locis sacrificare, dixi cap. ult. libri Judicum.

℣. 6. *Abiit rex ad* expugnandum *Jebusæum* habitantem adhuc in meditullio terræ Hebræis promissæ. Nam licet filii Juda jam pridem expugnassent [3] inferiorem partem Jerosolymorum, superiorem tamen, quæ erat arx munitissima, numquam [4] Jebusæo extorquere potuerant. Hanc ergo ignominiam, et quasi servitutem, quam tot antea duces magno Israelitici nominis dedecore tamdiu pertulerant, vult David initio regni sui, pro felici reliquarum expeditionum auspicio tollere et abolere. Verum cum arx tam natura loci, quam arte esset munitissima, et humano judicio inexpugnabilis, Jebusæi ridebant omnes Davidis conatus, jactabantque hostili sarcasmo, *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos:* quasi dicant, Ne speres te prius arce potiturum, quam cæcos illos et claudos, qui soli arci tutandæ, et tibi resistendo sunt, e propugnaculis submo-

(1) 1 Par. 11, vers. 1. (2) 3 Reg. 2, vers. 11. (3) Josue 15, et Judic. 1. (4) Ibid.

7. Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David.

8. Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset cæcos et claudos odientes animam David: idcirco dicitur in proverbio: Cæcus et claudus non intrabunt in templum.

9. Habitavit autem David in arce, et vocavit eam, Civitatem David: et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus.

10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo.

11. [1] Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: et ædificaverunt domum David.

12. Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel.

13. [2] Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt David et alii filii et filiæ;

14. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Jerusalem, Samua,

veris: quod tuarum, quantarumcumque, non est virium. Scribit enim Josephus [3], Angelomus, Procopius, Theodoretus, et alii Jebusæos præfisos munitioni loci, veros ac proprie dictos *cæcos et claudos* in quibusdam propugnaculis adversus Hebræos exposuisse, jocantes insultantesque, arcem aliis propugnatoribus adversus talem hostem non egere. Sicut Lyranus [4] dicit, *Tyrios* in mœnibus suis disposuisse pygmæos, seu homines cubitales et omnino nihili, quasi non egerent aliis propugnatoribus. Et erant forte tum in arce plures milites vel claudi, vel desiocuti, vel alio infortunio inutiles facti bello, qui sumptu publico (ut Athenis factum in Prytaneo), alebantur. Hi ad insultandum Davidis conatibus in muris dispositi, subsannabant et ipsi nimis libero ac petulante convitio Hebræos, quasi minus audaces, minus potentes ad se, qui *cæci et claudi* essent, de muro deturbandos; quid ergo sperarent victoriæ ex integris robustissimisque Jebusæis qui arcem insiderent? Verum David insolente convitio non deterritus, sed magis accensus atque inflammatus, cum sciret ambitioni nihil imperium esse, præmium proponit audacissimo cuique, qui primus propulsatis Jebusæis, *fistulas domatum*, id est aquarum de tecto emissarios canales manu contingeret, atque ita in verticem propugnaculi evaderet; indeque *cæcos et claudos* pugione (ut habent LXX) deturbaret *odientes animam David*, quod odium sat prodiderant tam amaris sannis et sarcasmis. Præmium vero fuit ducatus seu præfectura totius exercitus Israelitici [5], quæ morte Abneris jam pro majori parte vacabat. Porro Joab, ut Davidem sibi non leviter recenti cæde offensum novo facinore conciliaret, simulque virtutem suam toti Israëli testatam faceret, primus murum conscendit, et propositum gloriosæ victoriæ bravium abstulit, 1 Par. 11, atque ita bona regis, bona omnium gratia in officio et dignitate pristina multis jam partibus aucta stabilitus fuit. Ceterum Hebræi sarcasmum sarcasmo commutantes, exinceps Jebusæos, quod sæpius ingeminarent hæc nomina, omnes lepido cognomine, *cæcos et claudos*, vocarunt: addentes, *cæcos et claudos* tales numquam ingressuros templum seu tabernaculum, quod in ea arce constructum fuit. Quasi dicant: Vos *cæci et claudi* jactastis, Davidem numquam ingressurum in arcem: David vero ita ingressus est, ut vos deinceps numquam amplius in eam ingressuri sitis. Et post in proverbium abiit, ut quoties quis indicare vellet, Jebusæos stultæ jactantiæ suæ meritas luisse pœnas; vulgo usurparet illud Leviticí [6], *Cæcus et claudus non intrabunt in templum.* Cetera hujus capitis vide 1 Paralip. 11 et 14.

(1) 1 Par. 14, vers. 1.
(2) 1 Par. 3, vv. 1, 2.
(3) Lib. 7 Antiq., cap. 2.
(4) In Ezech. 27.
(5) 1 Paral. 11, vers. 6, etc.
(6) Levit. 21, vers. 18.

et Sobab, et Nathan, et Salomon,
15. Et Jebahar, et Elisua, et Nepheg,
16. Et Japhia, et Elisama, et Elioda, et Eliphaleth.
17. Audierunt ergo Philisthiim quod unxissent David in regem super Israel: et ascenderunt universi ut quærerent David: quod cum audisset David, descendit in præsidium.
18. [1] Philisthiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim:
19. Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.
20. [2] Venit ergo David in Baal-Pharasim: et percussit eos ibi, et dixit: Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius, Baal-Pharasim.
21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit David, et viri ejus.
22. Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, et diffusi sunt in valle Raphaim.
23. Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum.
24. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim.
25. Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, et percussit Philisthiim, de Gabaa, usque dum venias Gezer.

(1) 1 Par. 14, vers. 9.
(2) Isa. 28, vers. 21.

CAPUT VI.

Educit David arcam e domo Abinadab: sed ob cæsum in itinere Ozam, non audet eam in suum palatium deducere: ergo divertit in domum Obed-Edom. E qua postea reducit eam Jerosolymam in tabernaculum istic erectum. Cumque ludens coram arca rideretur a Michol uxore sua, sterilitatis pœna illa multatur.

1. Congregavit autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia.
2. [1] Surrexitque David, et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam.
3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem et Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum.
4. [2] Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.
5. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis.

℣. 3. *De domo Abinadab, in Gabaa* — Id est, in colle seu arce, loco editiore urbis *Cariathiarim*, ut dixi c. 7 lib. 1 Regum v. 1.

(1) 1 Par. 13, vers. 5.
(2) 1 Reg. 7, vers. 1.

6. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam.

7. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.

8. [1] Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, et vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc.

9. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini?

10. Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethæi.

11. Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus.

12. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam Dei. [2] Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: et erant cum David septem chori, et victima vituli.

13. [3] Cumque transcendissent qui

℣. 6. *Ad aream Nachon* — Is quicumque est, binomius fuerit oportet: nam 1 Paral. 13, v. 9 vocatur *Chidon*. Qui, ut et *Obed-Edom*, et *Areuna*, domicilium habebat in inferiore Jerusalem, vel in suburbio. Ut fuse probat Abulensis.

℣. 7. *Percussit Dominus Ozam super temeritate* — Tradunt Hebræi, ut refert S. Hieronymus, primum exaruisse manum Ozæ, deinde brachium, denique humerum, quo arca Domini portanda fuerat. Et videtur *temeritas* Ozæ, propter quam morte punitus est, in eo fuisse, quod deterritus labore bajulandi humeris arcam, vel certe non sat excussa lege Num. 4 auctor fuerit, ut plaustro deveheretur: quod cum sciret a Philisthæis, cum nuper arcam reveherent, impune factitatum, putavit etiam nunc licere. Sed Hebræis insistendum erat non exemplo Philisthæorum Levitis carentium, et legem ignorantium, neque ea obstrictorum: sed legi divinæ per Moysen [4] diserte præcipienti, tam *arcam*, quam *altaria, mensam et candelabrum*, ceteraque *vasa sanctuarii* humeris Levitarum Caathitarum bajulari: propterea enim annulos habebant affixos, ut immissis vectibus commode humeris deferri possent. Hanc causam cædis Ozæ censet fuisset S. Hieronymus [5], Theodoretus, Procopius, Lyranus, Abulensis, Sanctius et Salianus, qui dicunt communem esse Doctorum. Et ipse rex David, cum correcturus hunc sacerdotum errorem, trimestri post jubet arcam, non iterum plaustro, sed humeris deferri, aperte significat, eam mortis Ozæ causam fuisse, 1 Par. 15, v. 2 et 12. Addit Cajetanus, hoc peccatum, etsi commissum sit cum arca plaustro imponeretur, nihilominus punitum non fuisse prius, quam effectus peccati sensibiliter et palam innotesceret: quando scilicet lascivientibus bobus, et a via plana in asperam deflectentibus arca inclinari cœpit, et excussa terræque allisa fuisset, nisi manibus eam Oza fulcivisset; quod præter decorum, et contra tanti Numinis majestatem esse videbatur. Unde et ad tale periculum evitandum, simul et ad arcam magis honorandam, jusserat eam Deus humeris, non plaustro deferri. Similia fere habet Lyranus et Sanctius. Qui tamen cum Tostato, Angelomo, Dionysio, et aliis jam citatis putant, peccatum istud Ozæ vel veniale tantum fuisse, utpote non ex malitia profectum: vel, si mortale, pœnituisse eum facti, maxime cum calcitrantibus jam bobus, reipsa sentiret videretque se sua culpa tanti scandali periculum creasse, quo parum abfuit quin arca in terram coram omni populo corrueret [6].

℣. 12. *Nuntiatum est regi, quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus, propter arcam* — Certe fœcundam et largam oportuit fuisse eam benedictionem, quam spatio tam brevi, puta tri-

(1) 1 Par. 13, vers. 11. (2) 1 Par. 15, vers. 25. (3) 1 Par. 15, vers. 26. (4) Num. 4, vers. 5 etc.

(5) In Tradit. Hebr. et ad Sabinianum.
(6) Confer in hanc rem primam Gilleti adnot. *in 7 Judaic. Antiq. librum*, tom. 2, p. 72 seq.

portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem et arietem,

14. Et David saltabat totis viribus ante Dominum: porro David erat accinctus ephod lineo.

15. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo, et in clangore buccinæ.

16. Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino: et despexit eum in corde suo.

17. Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino.

18. Cumque complesset offerens holocausta, et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19. Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo: et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam.

20. Reversusque est David ut benediceret domui suæ: et egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.

21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum ejus, et præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel,

22. Et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis: et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.

23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

---

mestri, promiscue omnes, etiam externi palparunt. Quare puto, non solos greges (quod volunt Hebræi [1]) multiplici fœtura, et familiam totam mascula ac robusta prole auctam esse, ut colligitur ex 1 Paralip. 26, vers. 4 et seqq., sed insuper agros omnes segetibus, arbores pomis, vites uvis ad miraculum graves fuisse. Si quid contraheret aut negotiaretur cum aliquo, si quid acquireret, venderetve, omnia felicissime cedere, nullas a cælo, nullas ab hominibus injurias pati. Adde, si placet, effossos thesauros, contractas supra spem affinitates, amicitias, clientelas: statum, honores, gloriam, famam amplificatam: et alia quæ id temporis beatum omni ex parte fortunatumque quempiam reddere censebantur.

Nota, fuisse hunc *Obed-Edom* Levitam, ut dicitur 1 Par. 15, v. 19, et c. 26, v. 4. Vocatur tamen hic *Gethæus* a loco habitationis: quia vel pater illius, ut vult Serarius cum Vatablo: vel etiam ipsemet exulavit apud Philisthæos in Geth, forte cum Davide et Abiatharo pontifice: ita Abulensis et Salianus.

℣. 20. *Nudatus est* — pro, spoliatus paludamento et veste extima regali: et indutus *ephod lineo*, id est *stola byssina*, qualis erat Levitarum; ut expresse habetur 1 Paral. 15, v. 27. Vide quæ de *ephod* dixi Exodi 28, et 1 Reg. 22, v. 18.

(1) Hieron. in Tradit. Hebr.

CAPUT VII.

Dum meditatur David templum Domino construere, a Nathan propheta primum collaudatur: sed mox jubente Domino per eumdem prohibetur, promissione accepta, quod filius ex ipso nasciturus templum illud construeret.

1. Factum est autem cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis,

2. Dixit ad Nathan prophetam: [1] Videsne quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?

3. Dixitque Nathan ad regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.

4. Factum est autem in illa nocte: et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens:

5. Vade, et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

6. Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio.

7. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

8. Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: [2] Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel:

9. Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.

10. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius,

11. Ex die qua constitui judices

℣. 3. *Omne quod est in corde tuo, vade, fac* — Hinc probant S. Gregorius [3] et S. Thomas [4], non omnia quæ loquuntur Prophetæ, spiritu semper prophetico didicisse, sed interdum, sicut ceteros hominum, suis duci solitos consiliis, immo et a vero abduci. Exemplo sit *Jonas:* et hic noster *Nathan,* qui idcirco sequenti nocte melius a Deo edoctus, revocavit postera die quæ pridie probarat. Epiphanius, Isidorus, Theodoretus [5] et Chronicon Alexandr. notant, hunc Nathan oriundum fuisse ex Gabaath Galilææ, et Davidi regi propter donum prophetiæ perfamiliarem atque a consiliis fuisse. Causa vero cur Deus noluerit a Davide templum ædificari, una profertur a Salomone 3 Regum 5, v. 3, *Propter bella imminentia per circuitum.* Altera ab ipsomet Deo 1 Paralip. 22, v. 8: *Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti.* Usque adeo displicent Deo cædes hominum, ut cædes sunt; quo altius nobis imprimat affectum mansuetudinis ac lenitatis. Itemque ut præsignaret, Ecclesiam construendam non ab aliquo bellatore, aut vi aut armis, sed agnina mansuetudine, et a Salomone, id est pacifico Christo: ita Angelomus, Glossa ordinaria, Serarius et alii. Simile quid legimus in vita S. Stephani Hungariæ regis, cujus parenti, licet Christiano, dictum in visione nocturna, *Non fiet per te quod meditaris: habes enim manus sanguine pollutas,* etc.

(1) 1 Par. 13, vers. 11.
(2) 1 Reg. 16, vers. 11; Psalm. 77, vers. 70.
(3) Hom. 1 in Ezech. (4) 2. 2., q. 171, a. 5.
(5) Isid. c. 52; Theod. in Synopsi.

super populum meum Israel: et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis; prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus.

12. [1] Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus;

13. [2] Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.

14. [3] Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum.

15. [4] Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.

16. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et [5] thronus tuus erit firmus jugiter.

17. Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

18. Ingressus est autem rex David, et sedit coram Domino, et dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?

19. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.

20. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum, Domine Deus.

21. Propter verbum tuum, et se-

℣. 13. *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum* — id est, *in* tempus *longinquum;* sic enim id explicat ipsemet David infra vers. 19.

℣. 14. *Ipse erit mihi in filium* — Id est, talem ex ipso, ipsiusque posteris voluptatem hauriam, qualem ex carissima sobole parentes haurire solent.

Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum — Hebræi, teste sancto Hieronymo [6], *Virga virorum,* inquiunt, *gladius est inimicorum: plagæ vero filiorum hominum sunt* morbi, egestas, infamia, aliæque *incommoditates* humanæ, *quibus propter peccatum suum homines a Domino merito flagellantur.* Ita etiam Cajetanus, Dionysius, Lyranus, Abulensis et Sanctius.

℣. 15. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea* — id est, cujus promovendi, aut stabiliendi curam omnem abjeci, et stirpem totam a spe regni recuperandi prorsus exclusi. Non ita facturus sum cum stirpe tua, quantumvis et ipsa me non raro offendet. Nihilo enim minus efficiam ut ex ea continuo nova pullulent germina regia, donec tandem ex ipsa prodet virga, ex qua protuberet flos ille, qui toti mundo salutem afferet. Ita Doctores supra citati, qui una cum S. Augustino [7] notant, quædam hic de Salomone prædici, prout est particularis persona et filius Bethsabee, et hæc ita illi propria sunt, ut nullo modo debeant aut possint Christo aptari, v. g. si peccarit (ut re vera peccavit idola colendo, libidini intemperantius obsequendo), virga et plagis arguendum esse. Quædam vero de illo prædici prout fuit typus et imago Christi; et hæc in Salomone inchoative et imperfecte locum habuerunt: sed in Christo plene et perfecte completa sunt, v. g. regnum ejus fore pacificum, æternum: ipsum ædificaturum domum Domini: domum illius fore *fidelem,* seu firmam et stabilem: Deum illi patrem fore, etc.

℣. 19. *Ista est enim lex Adam* — Id est, hic usus et mos hominum est, et rationali naturæ insita lex, ut, quantiscumque polleant opibus, honoribus, commodis, non tamen putent sibi plene satisfactum, nisi posteris quoque suis pari modo prospectum sit. Tu vero, o Deus, etiam quoad istud abunde jam mihi prospexisti: ita Abulensis et alii jam citati.

(1) 3 Reg. 8, vers. 19. (2) 3 Reg. 5, vers. 5.
(3) 1 Par. 22, vers. 10; Ad Hebr. 1, vers. 5.
(4) Psalm. 88, vv. 4, 37.
(5) Ad Hebr. 1, vers. 8.
(6) In Trad. Hebr.
(7) Lib. 17 de Civit., cap. 8 et 9.

cundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres servo tuo.

22. Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris.

23. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, et horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentem, et deum ejus?

24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum: et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum.

25. Nunc ergo, Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, et super domum ejus, suscita in sempiternum: et fac sicut locutus es,

26. Ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino,

27. Quia tu Domine exercituum Deus Israel revelasti aurem servi tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.

28. Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum bona hæc.

29. Incipe ergo, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, et benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

℣. 23. *Poneret sibi nomen Deus* — Id est, compararet sibi illustre, admirabile atque æternum nomen, scilicet potentiæ stupendæ, qua hostes Israelis contrivit: et munificentiæ, qua Israelitas prosecutus est.

Faceretque magnalia et horribilia super terram et Ægypti et Chanaan, super *gentem*, quæ illam incolebat; *et* super *deum ejus* — Et sane in his tribus maxima patravit prodigia. De *terra* patet ex siccato mari Rubro, itemque Jordane, ex lapsu murorum Jericho, ex solstitio Josue, etc. De *gente* Ægyptia loquuntur decem plagæ: de Chanaanitica, tot victoriæ Moysis, Josue, Debboræ, Gedeonis, Samsonis, Samuelis, etc. De diis constat ex *ultione* quam Numer. 33, v. 4 dicitur Deus *exercuisse in diis* Ægypti, in pulverem eos comminuendo, ut ait Abul.; item ex fœda truncatione *Dagon*, et aliorum idolorum, partim a Gedeone, partim ab aliis Israelitis jubente Deo confractorum et comminutorum, Josue 20 et Judic. 6 et 10.

CAPUT VIII.

Variæ Davidis victoriæ, quibus et Philisthæi, et Moabitæ, et Syri, et Ammonitæ, et Amalecitæ, et Idumæi cæsi sunt et tributarii facti Davidi: cujus deinde officiarii recensentur.

1. Factum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, [1] et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim.

℣. 1. *Tulit David frænum tributi de manu Philisthiim* — 1 Paralipom. 18 dicitur tulisse *Geth et filias ejus de manu Philisthiim*. Nam civitas *Geth* caput unius e quinque satrapiis Philisthinorum, una cum vicinis urbeculis et arcibus vocabatur *Methegamma*, id est *frænum tributi*, quia, cum in confinio essent terræ Israeliticæ et Palæstinæ, imposuit eis

(1) 1 Par. 18, vers. 1.

2. Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo.

3. Et percussit David Aderezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten.

4. Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Aderezer regi Soba: et percussit David de Syria viginti duo millia virorum.

6. Et posuit David præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria David serviens sub tributo: servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

7. Et tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezer, et detulit ea in Jerusalem.

8. Et de Bete et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David æs multum nimis.

9. Audivit autem Thou rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer,

10. Et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, et gratias ageret: eo quod expugnasset Adarezer, et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, et in manu ejus erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa ærea:

11. Quæ et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro,

David validum præsidium, quo tamquam fræno compescuit Philisthæos, et tributum pendere coegit. Neque enim aliud videtur hic dici fecisse David cum Philisthæis, quam quod mox vv. 2 et 6 traditur fecisse cum Moabitis et Syris, et v. 14 cum Idumæis: nempe præsidium posuisse in opportunis earum regionum locis, et illas omnes gentes fecisse sibi vectigales.

℣. 2. *Mensus est* Moabitas *funiculo, coæquans terræ* — Id est, sicut metator funiculo metitur agros; et pro placito suo quosque suis usibus destinat, hos armentorum pabulo, illos serendis frugibus, alios vinearum plantationi; agri vero isti, quamcumque in sortem dari contingat, neque metatori, neque aratori resistunt: sic Moabitæ bello fracti a Davide, et omnino prostrati ac velut terræ coæquati, nec vel mussitare ausi, subjiciebantur illius imperio quasi funiculo mensorio, sive ad mortem destinarentur, sive ad vitam; sive ad servitutem, sive ad libertatem: ita Sanctius, et fere etiam Vatablus, Cajetanus ac Lyranus. Unde et pro libito suo designavit, quasi tensis funiculis, quosnam ex Moabitis, etiam in acie adhuc stantibus (inquit Abulensis) vellet ferro absumi, verbi gratia primos et proteriores: quosnam vero *vivificari*, seu in vivis conservari, ut dixi 1 Reg. 27, v. 11. Sed plures conservatos fuisse et redditos vectigales, quam occisos, indicat textus Hebræus, qui funiculum eorum quibus vita concessa est, dicit *plenitudinis* fuisse, seu plenum.

Tropologice, Angelomus accommodat hæc duabus sortibus hominum in extremo judicio, puta salvandorum, et damnandorum.

℣. 3. *Regem Soba* — Josephus [1] *Sophenorum* regem vocat, regnabatque in *Syria* non procul ab *Euphrate*. Cui fluvio adjacentes urbes, et ad Hebræorum sortem ex divina donatione, Deuter. 1 et 11, spectantes, dum vel ipse *Adarezer* vult sibi subjicere (ut putat Dionysius et Hugo) vel Davidi eas Hebræis vindicare volenti (ut sentiunt Abulensis, Vatablus, Mariana et Sanctius) armis resistit, omnem belli molem in caput suum traxit, et ad internecionem cæsus est: paucis qui superfuere millibus in servitutem abreptis. Et hac occasione contigit ex parte compleri divinum promissum, quo termini terræ promissionis extendendi dicuntur usque ad flumen Euphratis, Deut. 1, v. 7 ubi pluribus egi hac de re.

(1) Lib. 7 Antiq., cap. 5.

quæ sanctificaverat de universis gentibus quas subegerat.

12. De Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philisthiim, et Amalec, et de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba.

13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus:

14. Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: et facta est universa Idumæa serviens David; et servavit Dñus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

15. Et regnavit David super omnem Israel: faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo.

16. Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum: porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis:

17. Et Sadoc filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, erant sacerdotes, et Sarajas, scriba:

18. Banajas autem filius Jojadæ, super Cerethi et Phelethi: filii autem David sacerdotes erant.

℣. 13. *Fecit quoque sibi David nomen* — id est arcum triumphalem, inquit Lyranus ex Hebræis et Glossa interlineari. Sed id ambitiosius videtur, quam Davidis modestiam deceret. Quare malim cum Abulensi, Vatablo, Dionysio, Hugone et Sanctio per *nomen* intelligere *famam* et *opinionem* magni ducis et potentis imperatoris. Sicut cap. 7, v. 9 dicit ei Deus: *Feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Et v. 23 dicitur Deus *sibi posuisse nomen.* Et illi 1 Machabæorum 5, *Faciamus et ipsi nobis nomen.* Cum enim David pluribus bellis antehac gestis magnum sibi apud omnes nomen peperisset fortitudinis, potentiæ, prudentiæ, etc. nusquam tamen majus aut gloriosius acquisivit, quam in *Valle Salinarum.* Causam vide 1 Paral. 18, ubi et de reliquis hujus capitis.

℣. 18. *Filii autem David sacerdotes erant — Cohen* [1] hebraice fere semper *sacerdotem* proprie dictum significat, ut dixi Genesis 14, v. 18, subinde tamen usurpatur pro principe seu magnate, qui apud regem tali fere est familiaritate et ministerio, quali sacerdos apud Deum. Nam et rex est quasi Deus terrestris: unde per catachresin familiares et primi ministri regis vocantur subinde sacerdotes. Et hoc sensu *filii Davidis* dicuntur hic fuisse *sacerdotes;* LXX. *Aularchæ* [2], id est *aulæ principes;* et, ut 1 Paral. 18 explicatur, *primi ad manum regis;* ita Forerius [3].

(1) כהן.

(2) ἀυλάρχη.

(3) In Isa. 61, vers. 6.

CAPUT IX.

In gratam memoriam Jonathæ quondam sibi amicissimi, benefacit David filio ejus Miphiboseth, redditis ei omnibus agris Saul, et reliquis bonis hereditariis.

1. Et dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonathan?

2. Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tune es Siba? et ille respondit: Ego sum servus tuus.

3. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Jonathæ, debilis pedibus.

℣. 3. *Faciam cum eo misericordiam Dei* — id est eximiam, excellentem, sicut sunt omnia *Dei.* Vel misericordiam similem misericordiæ divinæ, quæ scilicet

4. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem: Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel, in Lodabar.

5. Misit ergo rex David, et tulit eum de domo Machir filii Ammiel, de Lodabar.

6. Cum autem venisset Miphiboseth filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David: Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus.

7. Et ait ei David: Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper.

8. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

9. Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, et dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, et universam domum ejus, dedi filio domini tui.

10. Operare igitur ei terram tu, et filii tui, et servi tui: et inferes filio domini tui cibos ut alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filii, et viginti servi.

11. Dixitque Siba ad regem: Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus; et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis.

12. Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth.

13. Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem: quia de mensa regis jugiter vescebatur: et erat claudus utroque pede.

etiam complectitur indignos et ingratos, immo rebelles: quales se Saul et Isboseth exhibuerant erga Davidem. Vel denique misericordiam debitam propter Deum, quem interposito juramento testem invocavi cum fœdus pangerem cum Jonatha, promitteremque me non *ablaturum misericordiam a domo illius*, 1 Reg. 20 et 23. Hoc enim sensu dicit ibidem Jonathas Davidi: *Facies mihi misericordiam Domini.*

℣. 7. *Restituam tibi omnes agros patris*, seu avi, *tui* — et omnium filiorum ejus, ut v. 9 indicatur. Nempe quæcumque illi aliquando privato nomine, tamquam familiæ suæ propria possederunt, et jam fisco regio, propter rebellionem fuerant adscripta, tibi integre reddi volo.

℣. 10. *Filio domini tui*, scilicet *Michæ* filio Miphiboseth, jam domini tui, *cibos inferes* — ex proventu agrorum Saulis. Id est, tuæ curæ committo, ut parvulo de rebus omnibus necessariis ex fructibus agrorum prospicias: nam parentem parvuli, puta ipsum Miphiboseth, volo meæ mensæ perpetuum convivam adhibere.

Petes, quid ergo sibi vult, quod mox respondens regi *Siba* dicat: *Et Miphiboseth comedet super mensam meam?* Respondeo, *Et*, valet idem quod, *immo etiam*, quasi dicat, si tibi rex placeat, non soli filio, sed et parenti prospiciam abunde de rebus omnibus necessariis, *quasi uni de filiis regis.* Sed rex in sententia perstitit, voluitque secum in sua mensa habere *Miphiboseth, claudum utroque pede:* cujus infortunii causa narratur supra, cap. 4, v. 4 ubi, cum quinquennis esset, moriente Saul et Jonatha, et nutrix eum ad locum tutiorem deferre properaret, fallente vestigio, corruit cum parvulo, et tibias illius contorsit. Porro ex eodem illo loco colligitur, quindecim jam minimum a nece Saulis annos effluxisse, cum in Davidis familiam transfertur Miphiboseth. Nam quinquennis erat, moriente avo et patre: et jam filium Micham ex uxore nactus erat cum in Davidis aulam commigrat: ergo vigesimum, præter propter, agebat ætatis annum: cui numero si quinque priores infantiæ annos præscideris, superabunt quindecim. Ita Sanctius et alii Doctores.

CAPUT X.

Legatos mittit David ad Hanon regem Ammonitarum, qui super morte patris illum solentur: sed ille legatos quasi exploratores contumeliose excipit, et mox contractis quinque regum Syriæ copiis adversus Davidem contendit: a quo semel iterumque profligatur.

1. Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon filius ejus pro eo.

2. Dixitque David: [1] Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon,

3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, et non ideo ut investigaret, et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te?

4. Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos.

5. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David: Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini.

6. Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, miserunt, et conduxerunt mercede Sy-

℣. 2. *Pater ejus*, nempe Naas, *fecit mecum misericordiam* — inquit David. *Quando enim fugit a facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens ei bona. De Naas venit in Odolam, inde ad Moab.* Ita ex Hebræis S. Hier. [2], Historia Scholastica, Angelomus, Glossa et Abulensis.

℣. 5. *Donec crescat barba vestra, et tunc revertimini* — 1 Paral. 19 dicuntur hi legati etiam *decalvati* fuisse, nempe ut dimidia tantum barba rasa fuit, sic etiam dimidium quoque caput videtur ad cutem usque detonsum fuisse; novo sane et ad sannas adornato spectaculo. Cur vero hanc potius quam aliam injuriam legatis Hebræis irrogarint Ammonitæ, causa fuisse videtur in genere, quod, sicut cæsaries apud omnes pene gentes decori erat, etiam Aristotele [3] teste: sic calvities summo probro. Nominatim vero Hebræi, saltem hoc tempore (nam posterioribus seculis ad Gentilitios ritus plusculum deflexere) a radendo capite aut barba extra tempora luctus valde abhorrebant, ne mores Gentilium (qui in honorem falsorum deorum suorum id factitabant, ut dixi Levitici 19) imitari viderentur. Hinc voluerunt Ammonitæ illo Hebræos probro afficere, quod scirent ipsis maxime exosum esse. Neque enim turpitudo hæc tota fuit in dimidiata seu coma, seu barba (nam potuisset facile etiam altera pars, quæ intacta supererat, abradi, neque necessum fuisset in Jericho hærere donec pili rursus excrevissent; quod tamen hic jubet David): sed probro erat Hebræis, ut dixi, caput vel mentum habere nudum a naturali vestitu [4], nisi forte in ingenti dolore ac luctu, quando id honestum faciebat familiaris usus et populi consuetudo.

(1) 1 Par. 19, vers. 2. (2) In Trad. Hebr.
(3) Lib. 1 Rheth.
(4) Ut hæc vera sint, majus tamen probrum dimidiata barba situm fuisse existimo; hæc enim pœna in viles homines, atque mancipia irrogabatur (vide 1 Machab. 12, vers. 21), cujusmodi ex injusta præconcepta opinione habuit Hanon Davidis legatos. Confer P. Martin in *Explan. difficil. Script. locor.*, p. 166 seq.

rum Rohob, et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum.

7. Quod cum audisset David, misit Joab, et omnem exercitum bellatorum.

8. Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, et Rohob, et Istob, et Maacha, seorsum erant in campo.

9. Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum:

10. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon.

11. Et ait Joab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium: si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi.

12. Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.

13. Iniit itaque Joab, et populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt a facie ejus.

14. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem: reversusque est Joab a filiis Ammon, et venit Jerusalem.

15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter.

16. Misitque Adarezer, et eduxit Syros qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum.

17. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transivit Jordanem: venitque in Helam: et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum.

18. Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum: et Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est.

19. Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel: et servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

℣. 8. *Ante introitum portæ* — urbis *Medabæ*, ubi pugna commissa fuit, 1 Paralipom. 19, v. 9. Unde patet, Ammonitas sic acies suas instruxisse, ut conductum militem ex Syria in campum educerent, patrium vero exercitum ad portam civitatis considere jusserint: ut Hebræos, qui intermedii erant, et a fronte et a tergo adoriri possent. Sed cautior Joab, divinis aciebus, prior ipse utrosque simul aggressus est.

℣. 18. *Occidit David de Syris septingentos currus* — equitibus nobilioribus graves, *et* insuper *quadraginta millia* vulgarium *equitum*, qui partim ex equis, partim e curribus pugnabant. Unde 1 Paralip. 19, v. 18 dicuntur hoc bello *interfecti septem millia curruum*, metonymice re continenti posita pro re contenta. Nam etiam ex illis 40 millibus equitum multi curribus invecti pugnabant.

Nota, in dicto Paralipomenon loco suppleri quod hic deest de *peditibus*, nempe cæsos etiam *quadraginta millia*. Ita ut universim cæsa sint hoc secundo bello ex Syriacis castris octoginta armatorum millia, præter nobiliores illos qui septingentis prioribus curribus invecti et cæsi fuerant.

CAPUT XI.

Dum Joab obsidet Rabba civitatem regiam Ammonitarum, David domi residens, adulterio Bethsabee polluitur: cujus marito Uria fraudulenter occidi jusso, ducit illam uxorem, filiumque ex ea procreat.

1. Factum est autem, [1] vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem.

2. Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulcra valde.

3. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi.

4. Missis itaque David nuntiis, tulit eam; quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: [2] statimque sanctificata est ab immunditia sua:

5. Et reversa est in domum suam

℣. 1. *Vertente anno* — Id est exacto jam mensium circulo, in se ipsum recurrente anno, et novum cursum inchoante: quod apud Hebræos uti et Astrologos, fiebat in æquinoctio verno, juxta illud Exodi 12: *Mensis iste* Nisan (qui nostro Martio et Aprili respondet) *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Unde et Josephus [3] dicit, Joabum ineunte vere missum ad conficiendas illas reliquias Ammonitarum. Et tempus illud anni commodissimum est ad bella ordienda, et obsidiones urgendas, quæ subinde in multos menses protrahi solent.

℣. 3. *Uxor Uriæ Hethæi* — ex Heth oriundi, sed ad religionem Hebræorum traducti, atque, ut apparet, in numerum *Cerethi et Phelethi*, qui e regio satellitio erant, ob eximium robur ac fidem, adscripti. Unde et domum habuit regio palatio vicinam: et jussus a Davide, cum redux esset e castris, captare delicias ex uxorio complexu, maluit officii potius sui, quam voluptatis memor, ad portam domus regiæ cum reliquis regii corporis custodibus pernoctare. Porro *Eliam* patrem Bethsabee uxoris Uriæ, dicit S. Hieronymus [4] ex traditione Hebræorum, fuisse filium Achitophel: et patet ex 2 Reg. 23, vers. 34 et ea forte de causa conjuravit hic postea cum Absalomo contra David, ut illatam nepti ac nepoti suo injuriam ulcisceretur.

℣. 4. *Missis nuntiis tulit eam* — non vi aut armata manu, sed suasione ac prece, qualibus fere utuntur quos cæcus stimulat amor. Atque ita, pro pudor! muliebri succumbit formæ, quem neque leo, neque ursus, neque terror Israelis Goliath, neque mille tela frangere aut domare potuerant. Tantum est, oculos vel semel in feminam lascivius conjecisse. Allegorias et moralia hujus loci vide apud S. Ambrosium, Gregorium, Rupertum, Isidorum, Dionysium et Angelomum [5].

Statimque sanctificata est ab immunditia sua — Id est, ex eo tempore non est amplius passa de more menstrua: seu purificata est a sanguine menstruo, qui fœtu jam in utero concepto cessat infallibiliter: unde et imprægnationis certum est signum. Ideoque mittit statim ad David, dicens, *Concepi*, vide consulas et nomini tuo, et saluti meæ.

(1) 1 Par. 20, vers. 1.
(2) Lev. 15, vers. 18.
(3) Lib. 7 Antiq., cap. 7.
(4) In Trad. Hebr.

(5) Ambros. de Apol. David., c. 3; Gregor. l. 3 Moral., c. 21; Rup. l. 11 de Div. offic., c. 1, et in l. 2 Reg., c. 34; Isidor. l. 2 Reg. c. 1; Dionys. hic; Angelomus hic.

concepto fœtu. Mittensque nuntiavit David, et ait: Concepi.

6. Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hæthæum. Misitque Joab Uriam ad David.

7. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, et populus, et quomodo administraretur bellum;

8. Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius.

9. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam.

10. Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?

11. Et ait Urias ad David: Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent: et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.

12. Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera:

13. Et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit.

14. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab: misitque per manum Uriæ,

15. Scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium; et derelinquite eum, ut percussus intereat.

16. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos.

17. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus.

18. Misit itaque Joab, et nuntiavit David omnia verba prælii:

19. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem,

20. Si eum videris indignari, et dixerit: Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur?

21. Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? [1] nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, et interfecit eum in Thebes? quare juxta murum accessistis? di-

℣. 15. *Ponite Uriam ex adverso*, etc. Quasi magnum aliquod in Uria deprehendisset flagitium, quod tali mortis genere expiari deberet, jubet David illum hostibus objici, et a suis perfidiose deseri. En novam injuriam: nam non contentus abstulisse uxorem per adulterium, deinde et mentem per inebriationem; nunc etiam honorem innocenti adimit, quasi in maximo crimine deprehenso. Mox eumdem vita quoque spoliari curat. Et novo miseriæ genere vult ipsummet suæ sibi necis cooperatorem esse, dum proditoriis litteris, quas ad Joabum defert, se ipsum in insidias, in laqueos, in enses hostiles inducit. Putat Sanctius, fabulam de litteris Bellerophontis, quibus quasi commendatitiis a rege Prœto ad Jobatan acceptis, simili modo in mortem præcipitatus est, ab Uriæ historia principium duxisse. Jobatas enim non procul dissidet a Joab: neque infrequens est, Poetas in suis fabulis veras, immo canonicas historias includere; ut in diluvio, in Samsone et aliis vidimus, et Clemens [2] Alexandrinus pluribus demonstrat.

℣. 21. *Filium Jerobaal* — id est Gedeonis. Historiam hanc vide Judicum 9.

(1) Judic. 9, vers. 53. (2) Lib. 2 Stromat.

ces: Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit.

22. Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia quæ ei præceperat Joab.

23. Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis.

24. Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est.

25. Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli; nunc hunc, et nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos.

26. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum.

27. Transacto autem luctu, misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium. Et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino.

CAPUT XII.

Parabola oviculæ correptus a propheta Nathan rex David, culpam suam agnoscit, et veniam obtinet, pœnis tamen acerbis plectendus. Mortuo mox puero, Salomon ex eadem matre nascitur. Rabba expugnatur et diruitur, in Ammonitas crudeliter sævitur.

1. Misit ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper.

2. Dives habebat oves, et boves plurimos valde.

3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.

4. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se.

5. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc.

6. [1] Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit.

7. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul,

8. Et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu

℣. 4. *Peregrinus* hospes, cui David comedendam obtulit alienam oviculam, fuit libido et pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ. Hunc hospitem diabolus ad Davidem misit cum mandatis, ne aliis quam furtivæ veneris, et a lege atque pudore naturali prohibitis ferculis se sineret saturari.

℣. 8. *Dedi tibi uxores domini tui* Saulis *in sinu tuo*, — nempe *Michol, Æglam* et *Respham*, quas Hebræi, jam viduas

(1) Exod. 22, vers. 1.

tuo, dedique tibi domum Israel et Juda: et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.

9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon.

10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.

11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et [1] dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.

12. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.

13. Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: [2] Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.

14. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.

dicunt a Davide acceptas in uxores. Sed hoc merito refutat Abulensis. Neque enim aliud hic significatur, quam, potestati Davidis traditas illas Saulis viduas, et quantumcumque vellet numerosum feminarum gregem, e quo quot vellet sibi uxores deligere posset; ut opus non fuerit, ad misellam Bethsabee miselli Uriæ carissimam conjugem tam indignis modis, tam crudeli via deflectere.

Adjiciam tibi multo majora — v. g. stabile in domo tua regium sceptrum: nasciturum ex te Messiam, etc.

℣. 11. *Tollam uxores tuas, et dabo proximo tuo* — Nemo Davidi propinquior aut sanguine conjunctior fuit, quam genitus ex ipso Absalom, qui, ut hic prædicitur, violavit paternum thalamum, cum decem patris secundarias uxores seu concubinas fœdissime constupravit, infra cap. 16. Idque *in oculis solis*, id est, ita palam et aperte, ut nemo non aspicere potuerit. *Tetenderunt* enim *Absalom tabernaculum in solario* [3] (eodem crediderim, ex quo lascivius ante David viderat Bethsabee se domi suæ lavantem) *ingressusque est* in eodem solario Absalom *ad concubinas patris sui coram universo Israel.*

℣. 13. *Peccavi Domino* — q. d. Peccavi, fateor, in Uriam, cujus et torum violavi, et necem procuravi: peccavi in socios Uriæ quos eadem cum ipso morte perfidiose sustuli: peccavi in Bethsabee, quam ad fœdum adulterium pellexi, et extremæ infamiæ exposui: peccavi in populum, cui plurimum exemplo malo nocui. Sed hæc omnia comparatione offensi Dei tam in me munifici, tam a me dilecti, quasi nihili pendo. Plus ergo me torquet et animum exulcerat offensa Dei, quam damna omnia et infamia, et alia mala quæcumque ex meo peccato vel jam consecuta sunt, vel adhuc consecutura timentur. Et hoc est, quod in Psalmo 50 (quem hoc tempore composuit, ut, sicuti peccatum, ita et pœnitentia ejus toti mundo innotesceret), clarius affirmat, *Tibi soli peccavi.* Quia comparatione offensionis divinæ, offensiones aliæ alioqui gravissimæ quasi nullæ existimantur.

Dominus quoque transtulit, hebraice *transire fecit a te*, id est fecit ne subires, *peccatum* — id est peccato tuo debitam pœnam, puta mortem corporalem pro expianda per talionem morte Uriæ et tot aliorum innocentum jussu tuo cum ipso jugulatorum. Sed hanc pœnam, quia serio te pœnitet, a capite tuo jam tollo: *Non morieris:* ita Abulensis, Lyranus, Cajetanus et Sanctius.

℣. 14. *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini* — id est, qui de Deo, divinaque providentia minus pie sentiunt, minus religiose loquuntur. Neque enim secretum esse poterat quod et nuntii et administri sceleris Davidis, et tota familia Bethsabee, et Joab, et ex hoc forsan alii complures jam pridem compertum habebant. Hi ergo cum viderent a Davide tam multa, tam fœda scelera impune patrata, cum meminissent

(1) Infr. 16, vers. 22. (2) Eccli. 47, vers. 13. (3) Infr. c. 16.

15. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum, quem peperat uxor Uriæ David, et desperatus est.

16. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo: et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram.

17. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum.

18. Accidit autem die septima ut moreretur infans: timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus; dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram: quanto magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?

19. Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus: dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est.

20. Surrexit ergo David de terra: et lotus unctusque est: cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: et adoravit, et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit.

21. Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti et flebas: mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem.

22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi et flevi: dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans?

23. Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me.

24. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea: quæ genuit filium, et vocavit nomen ejus Salomon, et Dñus dilexit eum.

25. Misitque in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.

26. [1] Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam.

27. Misitque Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, et capienda est Urbs aquarum.

28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam: ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria.

29. Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam.

30. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput

Saulis ob leviora regno excussi, impie jactabant vel acceptorem personarum esse Deum, vel humana negligere, vel non omnia videre, vel etiam scelera comprobare. His ergo blasphemiis ut mature obviem,

Filius qui natus est tibi ex adulterino complexu, *morte morietur* — et sic a vulgo tuo gladium depellam, ut tamen toti mundo constet, tua scelera non impunita mansisse, sublato e vivis pignore tibi longe carissimo.

Nota, quæcumque toto hoc capite de Nathan, de pœnitentia Davidis, de morte infantuli, de ortu Salomonis dicuntur, accidisse multis mensibus post captam *Rabbath* regiam urbem Ammonitarum, quam v. 27 Joab vocat *urbem aquarum*, quia undique cincta ac munita erat aquis seu stagnantibus, seu jugiter manantibus. Hanc S. Hieronymus [2] dicit suo tempore appellatam *Philadelphiam*. Reliqua hujus capitis vide 1 Paral. 20.

(1) 1 Par. 20, vers. 1. (2) In Locis Hebr.

David. Sed et prædam civitatis asportavit multam valde:

31. Populum quoque ejus adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, et traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David, et omnis exercitus in Jerusalem.

CAPUT XIII.

Amnon primogenitus Davidis, ob incestum cum sorore sua Thamar, ab Absalomo inter epulas jugulatur: Absalom autem profugit ad regem Gessur, avum suum maternum, apud quem triennio exulat.

1. Factum est autem post hæc, ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David.

2. Et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea.

3. Erat autem Amnon amicus, nomine Jonadab, filius Semmaa, fratris David, vir prudens valde.

4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo.

5. Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, et languorem simula: cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat pulmentum, ut comedam de manu ejus.

6. Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu ejus.

7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum.

8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem jacebat: quæ tollens farinam commiscuit, et liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas.

9. Tollensque quod coxerat, effudit, et posuit coram eo, et noluit comedere: dixitque Amnon: Ejicite universos a me. Cumque ejecissent omnes,

10. Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave.

11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, et ait: Veni, cuba mecum, soror mea.

12. Quæ respondit ei: Noli, frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel: noli facere stultitiam hanc.

13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel: quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi.

14. Noluit autem acquiescere pre-

℣. 13. *Loquere ad regem, et non negabit me tibi* uxorem dare. Nata fuerat Thamar matre Gentili, nempe filia regis *Gessur:* ubi ejusmodi connubia inter fratrem et sororem ex diversa matre, non putabantur illegitima: hinc ignara legis Judaicæ, putabat simplex puella etiam Hebræis idem licere; ita Abulensis et Ca-

cibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea.

15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, et vade.

16. Quæ respondit ei: Majus est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire eam:

17. Sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me foras, et claude ostium post eam.

18. Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam.

19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, et clamans.

20. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc, soror, tace, frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.

21. Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde, et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

22. Porro non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam.

23. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim: et vocavit Absalom omnes filios regis,

24. Venitque ad regem, et ait ad

jetanus. Posset etiam dici, cautam puellam id effugii quæsivisse, et promissione nuptiarum eludere voluisse, aut saltem retardare prurientis fratris insaniam: ita Sanctius.

℣. 15. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis* — et quidem statim ab ipso complexu. Sed quæ causa tam subiti, tam intensi odii? An quia fratrem *stultitiæ* accusarat et *insaniæ* vv. 12 et 13? An justa Dei vindicta, qui brevem et momentaneam voluptatem æterno dolore et implacabili inimicitia non raro punit? Experientia sane constat, ex nimis lascivo amore et turpi consuetudine plerumque nasci horrenda odia et simultates. Exemplo fuit (ut alios jam sileam) Semiramis, quæ plerosque amasios suos, et in iis etiam proprium filium, crudeliter interfecit. Docet Aristoteles [1], hoc odium ex impuro amore esse naturale et frequentissimum, rationesque ipse profert non paucas, et ex ipso Abulensis.

℣. 16. *Majus est hoc malum* — Id est, hæc publica et probrosa expulsio. Violatio enim, licet in se turpior esset et fœdior, quia tamen occulta, censeri poterat minus noxia. At violenta et turpis expulsio, quia palam fiebat et in oculis totius aulæ, reddebatque illam apud omnes infamem, extreme contumeliosa illi erat.

℣. 18. *Quæ induta erat talari tunica* — Hebraicum *pasim* [2] significat polymitam vestem, seu opere pictam Phrygio atque plumario: qualis fuisse dicitur tunica Josephi Genes. 37, v. 3 versicolor, et variis intexta florum fructuumque figuris [3].

Hujuscemodi enim tunica *filiæ regis virgines utebantur* — eratque illarum insigne, quo ab aliis virginibus dignosci possent. Quo sane illustrior fuit ignominia, quam Thamar subiit a fratris sui servulo palam extra domum expulsa.

℣. 19. *Impositis manibus super caput suum* — Quod naturale signum est seu pudoris seu doloris, ut patet in ætate tenella et rudi, qua pueri, cum aliquid accidit cujus ipsos pudet et dolet, nec celare possunt, solent faciem vel etiam caput totum manibus operire. Sic Jeremiæ 2 Judææ dicitur: *Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur, et manus tuæ erunt super caput tuum.* Et cap. 14: *Confusi sunt, operuerunt capita sua.*

(1) Sect. 4 Problem., q. 11.

(2) פַּסִּים.

(3) Adi P. Martin., pag. 172, seq.

eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum.

25. Dixitque rex ad Absalom: Noli, fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei.

26. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum.

27. Coegit itaque Absalom eum, et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis.

28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis: Percutite eum, et interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, et estote viri fortes.

29. Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, et fugerunt.

30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus.

31. Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua: et cecidit super terram; et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua.

32. Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die qua oppressit Thamar sororem ejus.

33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt, quoniam Amnon solus mortuus est.

34. Fugit autem Absalom: et elevavit puer speculator oculos suos, et aspexit: et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis.

35. Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adsunt: juxta verbum servi tui sic factum est.

36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis: et intrantes levaverunt vocem suam, et fleverunt; sed et rex et omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.

37. Porro Absalom fugiens abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus.

38. Absalom autem cum fugisset, et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis.

39. Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

℣. 29. *Fecerunt pueri Absalom adversus Amnon, sicut præceperat eis* — nempe *temulentum* seu vino prorsus exhilaratum sicis et gladiis confoderunt.

Notat Dionysius, servos illos fuisse Gentiles ex Gessur subditos Tholmai avi materni Absalomi, quibuscum etiam mox ad eumdem avum suum profugit.

℣. 39. *Cessavitque rex David persequi Absalom* — satis esse ratus, animum erga eum exhibuisse indignationis et iræ plenum: malebatque filium in longo exilio resipiscere, quam recenti adhuc delicto impœnitentem armis obrui.

Consolatus super Amnon interitu — tempore dolorem mitigante, et furorem sedante, maxime cum expenderet, Amnonem justas suæ necis causas dedisse, neque toto biennio vel semel verbis a se reprehensum, v. 21, multo minus condigna pœna castigatum fuisse.

CAPUT XIV.

Joab Thecuitæ mulieris solertia impetrat a Davide reditum Absalomo in Jerusalem: sed redux biennio toto non admittitur in conspectum patris, donec incensa messe Joab illius interventu osculum impetravit a parente.

1. Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalom,

2. Misit Thecuam, et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eam: Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum:

3. Et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus.

4. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me, rex.

5. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.

6. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum, et interfecit eum.

7. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus heredem: et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram.

8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, et ego jubebo pro te.

9. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, et in domum patris mei: rex autem et thronus ejus sit innocens.

10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te.

11. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram.

12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere.

13. Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectum suum?

℣. 4. *Serva me, rex* — Familiaris supplicum, et quasi legitima hæc erat formula. Hinc etiam monet David 1 Par. 16, v. 35, ut omnes Deo supplices eadem utantur formula, *Salva nos Deus*. Et frequentissimum erat in Hebræorum orationibus *Osanna*, id est, *salva obsecro*.

℣. 9. *In me sit iniquitas* — q. d. Si quis forte scrupulus peccati, o rex, te retardet, quo minus filium meum fratricidam a debito legibus supplicio liberes, illud omne in caput meum derivari volo. Sic et Abigail, 1 Regum 25, v. 24, mariti sui peccatum: sic Rebecca, Genes. 27, v. 13, maledictionem Isaaci in se recepit.

℣. 13. *Quare locutus est rex verbum istud?* — id est, quare decrevit, quod *non reducet ejectum* filium *suum* Absalomum? quod et *contra populum Dei* est, id est, contra omnium vota, et bonum totius regni: et *peccatum* in Deum, qui vult offensas etiam hostibus remitti: quod ni faciat Absalomo David, plurium toti populo et gravissimorum malorum causa

14. Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: [1] nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est.

15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ.

16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hereditate Dei delere me, et filium meum simul.

17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium. Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde et Dominus Deus tuus est tecum.

18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere, domine mi rex.

19. Et ait rex: Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: servus enim tuus Joab, ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

20. Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud: tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.

21. Et ait rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, et revoca puerum Absalom.

22. Cadensque Joab super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi: et dixit Joab: Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: fecisti enim sermonem servi tui.

23. Surrexit ergo Joab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Jerusalem.

24. Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit.

25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula.

26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) pon-

erit, cum Absalom (ut post evidentius apparuit) multorum ad se studia atque animos, qua erat morum suavitate, pellexerit, qui causa illius reducendi arma libenter sument, sicut fecere postea in causa, quæ nullam præ hac videbatur habere speciem æquitatis.

℣. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram* — Non est ergo cur Absalomum præpropera morte de medio tollere festines, cum vita illius sponte sua properet celerrime ad mortem. Et quid proderit Amnoni vindicta sui causa quæsita, cum non possit quantumcumque magna revocari in vitam qui jam mortuus est, et instar aquæ in terram dispersæ evanuit? ita Vatablus et Sanctius.

℣. 17. *Fiat verbum domini mei*, puta promissum de indemnitate fratricidæ curanda, *fiat*, inquam, *sicut sacrificium* — id est sacrosanctum, ratum, inviolatum, et cui nihil ulla ex parte desit quod non perfecte compleatur. Et licet forte defuturi non sint, qui vel odio, vel perverso studio id dissuadeant; hos rex morari non debet, utpote qui *est sicut angelus Dei*, neque de verbis aut opinione hominum quidquam laborat, neque ab illis vel *maledictionem*, vel *benedictionem* aut quærit, aut curat: sed solum quid religio, quid divina voluntas exigat, inquirit.

℣. 26. *Ponderabat* Absalom, id est appendebat venales, *capillos capitis sui du-*

(1) Ezech. 18, vers. 32, et 33, vers. 11.

derabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.

27. Nati sunt autem Absalom filii tres: et filia una nomine Thamar, elegantis formæ.

28. Mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit.

29. Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, et ille noluisset venire ad eum,

30. Dixit servis suis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni.

31. Surrexitque Joab, et venit ad Absalom in domum ejus, et dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni?

32. Et respondit Absalom ad Joab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

33. Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia: vocatusque est Absalom, et intravit ad regem, et adoravit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

centis siclis — seu florenis Belgicis, id est ducatis seu scutis aureis octoginta, monetæ Romanæ [1]. Tanti fiebant vel paculæ unciæ tam nobilis capillitii. Neque enim hic de pondere agitur (ut putat Mariana, et quidam alii,) sed de pretio. Nam prodigiosum esset, immo ridiculum, capillis unius hominis anniversaria tonsione tantum ponderis inesse, quantum non habent bina ovium aut caprarum vellera: nempe octo libras Romanas cum triente. Non est tamen verisimile, Absalomum regis tanti filium, quæstum ex capillis suis publice venum propositis quæsivisse: sed dono dabat cui volebat e suis; qui deinde pretium quale dixi, a puellis Solymitanis, flavos illos ac rutilos capillos in sui capitis adscititium ornatum magna contentione ambientibus, facillime extorquebant: ita Sanctius, et alii [2].

(1) Proleg. de Ponderibus.

(2) Hanc sententiam Anonymus quidam in litterariis PP. Trevoltiensium Ephemerid. an. 1703 defendit; in eamque propendet Gilletus *admot.* 4 in 7 *Judaic. antiq. libr.* Nam quod Pelleterius in dissert. in easdem Trevoltienses Ephemerides an. 1702 illata docuit, de pondere hic agi quidem, sed Babylonios siclos intelligi, non Hebræos, etsi Duhamel probare videtur in notis ad hunc locum, non levibus obnoxium est difficultatibus. Confer citatum Gilletum.

CAPUT XV.

Absalom, conciliato sibi variis fraudibus favore populi, adversus patrem suum conjurat in Hebron: David urbe excedit cum suis, remisso eo Chusai, ut consilium Achitophel subvertat.

1. Igitur post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros qui præcederent eum.

2. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat: De

℣. 2. *Juxta introitum portæ* — puta civitatis Jerosolymitanæ, ubi publicæ disceptabantur causæ, et frequentes erant populorum conventus.

qua civitate es tu? Qui respondens ajebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus.

3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni et justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatque Absalom:

4. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem?

5. Sed et cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens, osculabatur eum.

6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, et solicitabat corda virorum Israel.

7. Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron.

8. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino.

9. Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron.

10. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens; statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron.

11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes.

12. Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom.

13. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom.

14. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit

℣. 3. *Non est qui te audiat constitutus a rege* — q. d. Judices quos rex constituit, omnes corrupti sunt, neque favebunt causæ tuæ licet æquissimæ, utpote muneribus in transversum acti. Neque enim jam religio aut justitia, sed sola largitio ac privata commoditas dominatur in foro.

℣. 7. *Post quadraginta annos* — æræ vulgatæ regnum in Israele: quæ cœpit ab electione Saulis. Solet enim calculus annorum inchoari ab aliqua magna et notabili reipublicæ mutatione. Sic æra Græcorum, seu Seleucidarum, ab occupata Syria, anno 12 post mortem Alexandri [1] Magni; æra Augusti, ab occupato Imperio Romano [2] post expugnatam Ægyptum. Erant ergo jam transacti in regno Davide 37 anni præter propter: quibus si addas biennium Saulis, habebis annum 40 quo rebellasse hic dicitur Absalom parenti suo. Ita ex Hebræis Rabbi Salomon et Rabbi David, et ex iis Abulensis, Joannes Mariana, Emmanuel Sa, et Gaspar Sanctius: licet horum quidam arcessant hanc æram a prima unctione Davidis per Samuelem facta. Sed hæc, ut supra docui 1 Reg. 13, v. 1, paucis mensibus post prima Saulis initia contigit atque ita fere in idem recidit cum æra Saulis.

℣. 11. *Cum Absalom* inter alios *ierunt ducenti viri simplici corde, et causam* conspirationis filii in patrem *penitus ignorantes* — Hos secum traxit callidus adolescens, partim ut parenti subtraheret etiam istud tot fortium virorum subsidium: partim, ut populo fucum faceret, omnia ista fieri, adeoque et inaugurari se, et regem proclamari, volente ac jubente patre, a quo in eam rem submissi essent tam multi, tam notæ fidei ministri. Et vero simile id faciebat, quod Absalom præ omnibus aliis regis filiis etiam ex materno genere, regia proles esset, ex filia regis Gessur procreatus; in quem, utpote omnium nobilissimum, rex David jam ætate gravis, ac pene septuagenarius, sceptrum haud dubie transcripsisse jactabatur.

℣. 14. *Surgite, fugiamus* — Fugiet tantus bellator? et ex urbe fugiet adeo

(1) Chronici c. 40. (2) Ib. c. 44.

nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii.

15. Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi tui.

16. Egressus est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis: et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.

17. Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo:

18. Et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi et omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.

19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo.

20. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi? Ego autem vadam quo iturus sum: revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem.

21. Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

22. Et ait David Ethai: Veni, et transi. Et transivit Ethai Gethæus, et omnes viri qui cum eo erant, et reliqua multitudo.

23. Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat: rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

24. Venit autem et Sadoc sacerdos, et universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, et deposuerunt arcam Dei: et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate.

25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum.

munita, ut a solis *claudis et cæcis* [1] propugnari possit? Verum fuga hæc non a timore fuit, sed a solerti prudentissimi ducis ingenio. Sciebat enim placandum sibi ante omnia humili pœnitentis animi obsequio iratum Numen, a quo hæc omnia mala sibi immitti sentiebat; nam per prophetam Nathan audierat, *Ego suscitabo super te malum de domo tua*, c. 12, v. 11. Deinde nolebat optimus princeps, civitatem regiam sui causa quidquam adversi ab infesto hoste pati. Neque erat urbs tanta, tot incolis referta, commeatu necessario instructa, quo vel paucis diebus obsidionem tolerare posset. Ergo urbe egreditur pius senex cum domesticis, et prætorianis cohortibus, et pedes egreditur, immo nudipes, et *operto* præ confusione *capite* (ut dixi cap. 13, v. 19) et flens et orans: atque ita publicæ pœnitentiæ armis Deum sibi suisque ante omnia placare contendit, donec per torrentem Cedron ad *summitatem montis* olivarum *ascendit, in quo adoraturus erat Dominum*, nempe sacrificio solemni pro sua suique populi incolumitate, quod recepto tum more in excelsis montibus offerri consueverat.

Nota hic typum et figuram Christi per eumdem torrentem Cedron ad villam Gethsemani in pede montis olivarum cum discipulis suis ad orandum exeuntis, seque ad cruentum crucis sacrificium accingentis.

(1) 2 Reg. 5, vers. 6.

℣. 19. *Ethai Gethæus* — Id est, e Geth Palæstinorum transfuga nuper ad Davidem, et nunc eidem fidus fugæ comes: princeps fuit admodum bellicosus, cui et tertiam exercitus sui partem adversus Absalomum in aciem educendam rex commisit, infra c. 18.

26. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se.

27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O videns, revertere in civitatem in pace: et Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum.

28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi.

29. Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Jerusalem: et manserunt ibi.

30. Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite: sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite, ascendebat plorans.

31. Nuntiatum est autem David quod et Achitophel esset in conjuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.

32. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, et terra pleno capite.

33. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri:

34. Si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom: Servus tuus sum, rex: sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel.

35. Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes: et omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus.

36. Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc, et Jonathas filius Abiathar: et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.

37. Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

℣. 27. *O videns* — Id est, o sacerdos, qui vides, id est prophetas per urim et tummim [1].

(1) Exodi 28, vers. 30

CAPUT XVI.

Sibæ procuratori Miphibosethi, quod cibaria fugienti subministraret in via, confert David omnia bona heri sui: Semei maledicum vetat occidi. Absalom ingressus Jerusalem, consilio Achitophel decem uxores Davidis publice constuprat.

1. Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et centum massis palatharum, et utre vini.

2. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant: panes et palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto.

3. Et ait rex: Ubi est filius domini tui? [1] Responditque Siba regi: Remansit in Jerusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.

4. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba: Oro ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex.

5. Venit ergo rex David usque

℣. 1. *Centum massis palatharum* — id est *caricarum*, ut transtulit Chaldæus, id est ficum aridarum.

(1) Inf. 19, vers. 27.

Bahurim: et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et [1] maledicebat,

6. Mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David: omnis autem populus, et universi bellatores, a dextro et a sinistro latere regis incedebant.

7. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial.

8. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui: et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

9. Dixit autem Abisai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, et amputabo caput ejus.

10. Et ait rex: Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?

11. Et ait rex Abisai, et universis

℣. 10. *Dominus præcepit ei*, tamquam lictori suo, *ut maledicat Davidi* — id est, sua Davidi scelera olim admissa exprobret, et publice coarguat. Sciebat enim David se suis sceleribus commeritum esse ejusmodi exprobrationem seu maledictionem: neque posse sat multa, sat acerba in se probra, et convicia jaci. Persuadebat etiam sibi, Deum, utpote omnium dominum, isto *Semei* tamquam instrumento suo uti voluisse ad insultandum Davidi, et exprobrandum admissa ante scelera, atque hoc sensu maledicendum Davidi. De quo aliquid dicam in re pene simili, Job 3, v. 1. Poterat ergo David juste sibi quoque persuadere, Deum id Semei tamquam suo lictori præcepisse: licet ipse limites excederet mandati divini, et veris criminibus inter exprobrandum multa falsa admisceret. Unde licet nihil tale Deus illi præcepisset, poterat tamen David pie id credere, et consequenter etiam affirmare. Et sic in significatione propria posset hic accipi, verbum *præcepit* et *præceptum*. Vel, si mavis, dic improprie accipi, ut idem sit quod *permisit cum posset impedire*, juxta ea quæ dixi Genes. 45. Simili modo exponendus S. Augustinus [2] cum dicit, *Deum voluntatem Semei vitio suo malam inclinasse in hoc maledictum*, id est inclinatam ad maledicendum impedivisse ne in aliud maledicti genus se flecteret, dimisisse tamen ut in hæc talia ferretur. Sicut immisisse diceretur leonem, qui vinctum catena detinens, rugientem sævientemque promiscue in omnes, detineret ne in amicos incurreret, dimitteret ut in furem aut hostem ferretur. Quacumque autem ratione usurpes hic vocem *præcepti*, cum ex parte Dei et intentione ipsius non feratur in rem per se malam, sed indifferentem, si priore modo usurpes; aut si posteriore, non se habeat nisi permissive; malitia vero omnis a sola voluntate Semei promanarit; non potest ipse ulla ex parte a peccato, et quidem gravissimo, excusari. Unde et David 3 Reg. 2, v. 8 illam eamdem, quam hic in Deum referre videtur, *maledictionem* vocat *pessimam*, utpote a pessimo Semei corde et pessima intentione profectam.

Ubi nota, pro eo quod Vulgatus habet *pessima*, in Hebræo esse *nimretset* [3]. Quam vocem Hebræi teste S. Hieron. [4] dicunt componi ex quinque litteris acrostichis seu initialibus, quæ quinque dictionum vim obtineant, et totidem convicia designent a Semei in Davidem conjecta. Per primam *nun* designatur *noaph* [5], id est, *adulter*, propter adulterium cum Bethsabee. Per secundam *mem*, Moabita, eo quod David ex ignobili Ruth Moabitide genus duceret. Per tertiam, *resh*, *rotseach* [6], id est homicida, propter Uriam, et tot alios e medio sublatos. Per quartam, *tsade*, *tsaruah* [7], id est leprosus, eo quod David jam non aliter ejectus ex urbe videretur, quam soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent et

(1) 3 Reg. 2, vers. 8.
(2) De Gratia et lib. arb., c. 20.
(3) נמרצת.
(4) In Quæst. Hebr.
(5) נאף.
(6) רוצח.
(7) צרוע.

servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini:

12. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam: et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

13. Ambulabat itaque David et socii ejus per viam cum eo. Semei autem, per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, et mittens lapides adversum eum, terramque spargens.

14. Venit itaque rex, et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi.

15. Absalom autem et omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed et Achitophel cum eo.

16. Cum autem venisset Chusai Arachites, amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex.

17. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo?

18. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, et universus Israel, et cum eo manebo.

19. Sed ut et hoc inferam, cui ego serviturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi.

20. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus.

21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

22. [1] Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel.

23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom.

execrantur. Per quintam *tau* designatur *tohebah* [2], quod abominabile significat.

(1) Sup. 12, vers. 11.

Simile habes Danielis 5 in illo *mane, thekel, phares.*

(2) תועבה.

CAPUT XVII.

Alterum Achitophelis consilium de obruendo statim Davide, dextre subvertit Chusai: quare laqueo se suspendit Achitophel. David Jordanem transit cum suis, cui tres ejus amici necessaria per viam subministrant.

1. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte.

2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus qui cum eo est, percutiam regem desolatum.

3. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris: et omnis populus erit in pace.

4. Placuitque sermo ejus Absalom, et cunctis majoribus natu Israel.

5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, et audiamus quid etiam ipse dicat.

6. Cumque venisset Chusai ad Ab-

salom, ait Absalom ad eum: Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium?

7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.

8. Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, et viros qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo; veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat: sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.

9. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit: et dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom.

10. Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, et robustos omnes qui cum eo sunt.

11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: et tu eris in medio eorum.

12. Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit: et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: et non relinquemus de viris qui cum eo sunt, ne unum quidem.

13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.

14. Dixitque Absalom, et omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile: ut induceret Dominus super Absalom malum.

15. Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus: Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, et senioribus Israel: et ego tale et tale dedi consilium.

16. Nunc ergo mittite cito, et nuntiate David, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne forte absorbeatur rex, et omnis populus qui cum eo est.

17. Jonathas autem et Achimaas stabant juxta fontem Rogel: abiit ancilla, et nuntiavit eis: et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem.

18. Vidit autem eos quidam puer, et indicavit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum.

℣. 11. *Et tu eris in medio eorum* — Petierat inter alia *Achitophel*, ut ipse præficeretur exercitui imperator, dum ait, *Eligam mihi duodecim millia, et persequar, et percutiam David.* Id vero improbat quoque *Chusai*, et vult ipsummet regem Absalomum bellis interesse, illiusque auspiciis omnia administrari, utpote quem milites pluris essent facturi, et qui incommodis omnibus facilius occurrere possit. Ut optime declarat Onosander [1] Strategicus, et Synesius in oratione ad Imperatorem Arcadium, et experientia sæpe docuit. Accommodat vero Chusai totam orationem suam ad insani Absalomi vanissimum ingenium, ut rationibus suis fidem et pondus conciliet.

℣. 17. *Juxta fontem Rogel* — Is, ut patet ex Josue 15, erat prope Jerusalem, secernebatque tribum Juda a tribu Benjamin ad plagam meridionalem. Et putatur is esse, qui a nonnullis vocatur *fons fullonis:* a quo et *ager fullonis* nomen acceperit. Ad hunc fontem ancilla quædam, specie lavandi pannos (ut Josephus et Hebræi, teste S. Hieronymo [2] tradunt) missa est, ut quid in urbe gestum esset, duobus adolescentibus haud procul a fonte præstolantibus aperiret.

(1) Cap. 42. (2) In Trad. Hebr.

19. Tulit autem mulier, et expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: et sic latuit res.

20. Cumque venissent servi Absalom in domum ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas et Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem.

21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, et pergentes nuntiaverunt regi David, et dixerunt: Surgite, et transite cito fluvium: quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel.

22. Surrexit ergo David, et omnis populus qui cum eo erat, et transierunt Jordanem, donec dilucesceret: et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium.

23. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque et abiit in domum suam et in civitatem suam: et disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui.

24. David autem venit in Castra, et Absalom transivit Jordanem, ipse et omnes viri Israel cum eo.

25. Amasam vero constituit Absalom pro Joab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jezraheli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab.

26. Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad.

27. Cumque venisset David in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim,

28. Obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum, et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer,

℣. 19. *Siccans ptisanas* — id est, grana hordei decorticata, vel etiam frumenti, orizæ et alia grana, ad polentam inde conficiendam. Quæ cum siccari soleant ad solem dum is maxime fervet, hinc colligi videtur, bellum istud Absalomi sub æstatem contigisse.

℣. 24. *David autem venit in Castra* — LXX Hebræum *Mahanaim* servarunt, quod *castra* quidem significat, sed hic est nomen civitatis juxta regionem Galaaditidem, haud procul ab Ammonitide, ut colligitur ex v. 27. Porro nomen urbi illi imposuit olim Jacob Genesis 32, v. 2. *Cum vidisset Jacob* obviam sibi angelos Dei, *ait, Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est Castra.* Et forsan spe similis de cælo adjutorii David hunc sibi locum præcipue delegit. Verum et civitas ipsa, juxta nomen suum, satis videbatur ad resistendum munita. Interim magna hominum vis ad Davidem undique confluxit, unde tres acies post paullo conflatæ sunt, quæ innumeris Absalomi copiis oppositæ fuerunt.

℣. 25. *Jetra de Jezraheli* — Id est Jezrahelita 1 Paralip. 2, v. 17 idem hic parens Amasæ vocatur *Jether Ismaelites.* Quod nomen sortitus videtur ab habitatione inter *Ismaelitas*, sicut sexcenti viri præsidiarii Davidis dicebantur *Gethæi*, quia aliquamdiu commorati fuerant in *Geth.*

Qui ingressus est, non legitime, sed furtive, *ad Abigail filiam Naas* — seu *Jesse*, quia hic binomius erat, ut constat ex 1 Paral. 2, v. 13 ubi iidem filii, filiæ et nepotes tribuuntur *Jesse* seu *Isai*, qui hoc loco dicuntur esse *Naas.* Ex dictis colligi videtur, Amasam ex illegitimo thoro prognatum fuisse.

℣. 27. *Sobi filius Naas* — regis Ammonitarum. Erat hic frater *Hanon*, ejus qui legatis Davidis barbam ignominiose præcidit et vestes. Hunc enim David loco fratris regem constituerat, inquit S. Hieronymus. Cujus beneficii ille memor, jam exuli et fugitivo Davidi ea defert vitæ subsidia, et dignitatis ornamenta, quæ hic Scriptura commemorat, puta frumentum, pecora, obsonium omne genus, stratoria, tapetia, et reliqua supellectilia.

29. Et mel, et butyrum, oves et pingues vitulos: dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame et siti fatigari in deserto.

CAPUT XVIII.

Absalom prælio victus ex fuga quercui innectitur, et pendulus a Joab transfoditur: quem amare deflet David.

1. Igitur, considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones,

2. Et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Joab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth; dixitque rex ad populum: Egrediar et ego vobiscum.

3. Et respondit populus: Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio.

4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam: egredieba-turque populus per turmas suas, centeni, et milleni.

5. Et præcepit rex Joab, et Abisai, et Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.

6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim.

7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium.

8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa.

℣. 6. *Factum est prælium in saltu Ephraim* — Certum est commissum esse prælium ultra Jordanem, in terra Galaaditide, juxta *Mahanaim*. Nam ex cap. sequenti, v. 15 constat, peracto bello, Davidem ut Jerosolymam rediret, rursus *trajecisse Jordanem*. Qua ergo ratione locus, in quo commissum est prælium, vocatur hic *saltus Ephraim*, cum tribus Ephraimitica cis Jordanem tota consideret? Emmanuel Sa dicit, Ephraimitas Jordane transmisso solere pecora istic sua pascere: Joannes Mariana, Ephraimitas saltum illum possedisse: forsan enim sibi pretio coemerant. Sed malim cum Abulensi et Sanctio dicere, *saltum* illum dictum fuisse *Ephraim*, ab insigni illa clade quam Ephraimitæ cum rebelles essent Jephte, istic acceperunt, cæsis ex illa tribu quadraginta duobus millibus in eodem loco, ut narratur Judicum 12, a v. 1 usque ad 6. Quæ sane clades sat habuit causæ, cur (more etiam nunc recepto) saltus ille, qui tot millium ex illa tribu sanguine commaduit, exinceps *saltus Ephraim* appellari potuerit.

℣. 8. *Multo plures saltus consumpserat, quam voraverat gladius* — Nempe præcipitia et fossæ occultæ in quas corruerunt fugientes, inquit Abulensis et Vatablus: vel etiam bestiæ saltus e latibulis prorumpentes, ut ex traditione Hebræorum docet S. Hieronymus, Angelomus, Cajetanus, Sa, Mariana, et Chaldæus, plurimos e loco prælii profugos absumpserunt. Nisi malis cum Sanctio dicere, cæsis jam in loco prælii *viginti millibus*, e reliquo fugientium numero longe plures hinc inde palantes, labore, fame, siti, adde et insequentium ferro, confectos fuisse; dicique *saltum consumpsisse*, pro eo quod diceretur *in*

9. Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui: et illo suspenso inter cælum et terram, mulus, cui insederat, pertransivit.

10. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.

11. Et ait Joab viro qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum?

12. Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

13. Sed et si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso?

14. Et ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu,

15. Cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum.

16. Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini.

17. Et tulerunt Absalom, et projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Israel fugit in tabernacula sua.

18. Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis; dixerat enim: Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem.

saltu consumptos esse: uti dicitur, Talis urbs cecidit hostem, id est talis urbis incolæ: Talis urbs triumphavit, id est, in tali urbe triumphatum est.

℣. 18. *Porro Absalom erexerat sibi titulum* — Id est monumentum sui pro posteris. Hunc titulum dicit Josephus [1] marmoream fuisse columnam. Ego mausoleum fuisse crediderim, in quo cadaver defuncti regio more olim conderetur. Ut, quando nullos suscepisset filios, qui parentis memoriam continuarent, saltem lapides illi muti, signis notati hieroglyphicis, de sua vita, rebusque gestis ad posteros loquerentur. Et ideo forsan mentionem hic istius tituli inducit Scriptura, ut ostendat, longe aliter Absalomo contigisse, quam ipse secum antea meditabatur: nam loco superbi mausolei, quod condendo cadaveri suo magnis impensis pararat, vili ac probroso lapidum acervo tectus fuit: qui ipsi apud posteros non laudi vel honori, sed horrori est et execrationi, etiam Mahometanis, ut testantur qui loca terræ sanctæ peragrarunt.

Hic titulus *appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem — Manus,* id est, opus eximii artificii. Sicut statuam vocamus manum statuarii: scripturam vel picturam manum scriptoris vel pictoris. Sic Martialis [2],

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?

Sic 1 Reg. 15, vers. 12, ubi de Saule legimus, *Erexit sibi fornicem triumphalem;* in Hebræo est, *statuit sibi manum.* Porro tam Saul, quam Absalom dicuntur sibi *manum erexisse,* non eo sensu quasi propriam ipsi manum ad tituli sui constructionem admoverint, sed quod alienam peritorum artificum manum ære suo in id conduxerint. *Vallis* vero *regis,* in qua suum hunc titulum erexit Absalom, videtur esse *Topheth* seu *gehenna,* quæ postea dicta fuit *vallis regis Josaphat.*

Dixerat enim Absalom, *Non habeo filium* — Ergo vel mortui jam tum erant tres illi Absalomi filii, de quibus supra c. 14, v. 27, ut plerique volunt. Vel certe titulum hunc erexit cum nullum adhuc filium haberet, et omnem futuræ prolis spem abjecisset, ut Sanctius opinatur.

(1) Lib. 7 Antiq., c. 9. (2) Lib. 8, epigr. 51.

19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, et nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus?

20. Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus.

21. Et ait Joab Chusi: Vade, et nuntia regi quæ vidisti. Adoravit Chusi Joab, et cucurrit.

22. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus.

23. Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii transivit Chusi.

24. David autem sedebat inter duas portas: speculator vero, qui erat in fastigio portæ super murum, elevans oculos vidit hominem currentem solum.

25. Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus. Properante autem illo, et accedente propius,

26. Vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex: Et iste bonus est nuntius.

27. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est, et nuntium portans bonum venit.

28. Clamans autem Achimaas dixit ad regem: Salve rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem.

29. Et ait rex: Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum: nescio aliud.

30. Ad quem rex: Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret,

31. Apparuit Chusi; et veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex; judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te.

32. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum.

33. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit. Et sic loquebatur, vadens: [1] Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

(1) Infr. 19, vers. 4.

CAPUT XIX.

David monitu Joab cessat plangere Absalomum, et universas tribus Israel sibi reconciliat: reducitur cum triumpho in Jerusalem: Semei veniam precanti ignoscit: Miphibosetho se excusanti dimidiam bonorum partem restituit. Israel cum Juda pro Davide acriter contendit.

1. Nuntiatum est autem Joab quod rex fleret et lugeret filium suum:

2. Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo.

3. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo decli-

nare solet populus versus et fugiens de prælio.

4. Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi.

5. Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum.

6. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te: et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, et de servis tuis: et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.

7. Nunc igitur surge et procede, et alloquens satisfac servis tuis: juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: et pejus erit hoc tibi, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens.

8. Surrexit ergo rex, et sedit in porta: et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta: venitque universa multitudo coram rege: Israel autem fugit in tabernacula sua.

9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum: et nunc fugit de terra propter Absalom.

10. Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello: usquequo siletis, et non reducitis regem?

11. Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo ejus.)

12. Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem?

13. Et Amasæ dicite: Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab.

14. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui.

15. Et reversus est rex: et venit usque ad Jordanem, et omnis Juda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, et traduceret eum Jordanem.

16. [1] Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occursum regis David

17. Cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul: et quindecim filii ejus, ac viginti servi erant cum eo: et irrumpentes Jordanem, ante regem,

℣. 4. *Rex operuit caput suum* — Quod erat ingentis seu mœroris, seu pudoris signum, ut dixi c. 13, v. 19.

℣. 11. *Cur venitis novissimi?* — Nempe viros Juda domi continebat conscientia sceleris et perfidiæ, qua præ reliquis tribubus peccarant, et forte primi rebellionis Absalomi fautores ac sequaces fuerant, ut qui perdito juveni propius frequentiusque assueverant. Qua re cognita David, simulque metuens, ne desperantes de gratia recuperanda, urbem regiam adversus se defendere statuerent, atque ita restitutionem ac reditum suum præpedirent, omni studio per principes sacerdotum, qui Jerosolymis aderant, illos sibi conciliare conatur: eademque opera ipsum quoque principem adversarii exercitus Amasam, oblato ei militiæ suæ imperio, loco Joab, sibi demereri, totumque cum ipso exercitum suas ad partes traducere studet.

(1) 3 Reg. 2, vers. 8.

18. Transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem,

19. Dixit ad eum: Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es, domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo.

20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis.

21. Respondens vero Abisai filius Sarviæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini?

22. Et ait David: Quid mihi et vobis, filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergone hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel?

23. Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque ei.

24. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, et intonsa barba: vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace.

25. Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth?

26. Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus.

27. [1] Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi.

28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: quid ergo habeo justæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem?

29. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum: tu et Siba dividite possessiones.

℣. 20. *Hodie primus veni de omni domo Joseph* — Atqui Semei erat de tribu Benjamin, ut constat ex c. 16, v. 5; quomodo ergo hic dicitur venisse *de domo Joseph?* Respondeo, Tota *domus Israel* in Scripturis vocari solet *domus Joseph.* Psalm. 79: *Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph.* Similia habes Psalm. 76, v. 16 et Psalm. 80, v. 7, Zachar. 10, v. 6. Cujus ratio est, quod in Ægypto celebrius esset nomen Josephi, quam Israelis aut Jacobi: et quia Joseph in Ægypto fratribus suis pro parente fuit, alimenta gratis omnia illis præbens; denique quia Joseph loco Ruben nactus est primogeniti dignitatem, a quo sæpe tota familia denominari solet. 1 Paral. 5, *Ruben fuit primogenitus: sed, cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus Josepho.*

℣. 23. *Et ait rex Semei, Non morieris* — Supple hoc die, aut mea manu, aut quamdiu vivam. Hinc non obstante hoc promisso etiam jurato, potuit David filio suo Salomoni præscribere 3 Reg. 2 ne pateretur, illius scelus abire impunitum: ita Abulensis, Sanctius et alii.

℣. 29. *Fixum est quod locutus sum.* Id est, ratam volo esse sententiam qua Saulis bona tibi ante concessa donavi Sibæ. Sic tamen illa nunc tempero, ut non nisi pro medietate maneant Sibæ: altera medietas reddatur tibi. *Tu et Siba dividite possessiones* — Facile cognovit David, nullam in Miphibosetho hæsisse culpam, tum ex ejus illuvie et sordibus jam pridem contractis: tum ex silentio Sibæ adstantis, nec contradicentis, ut colligitur ex v. 17. Noluit tamen vel ex verecundia, vel ne ingratus in Sibam videretur, prorsus revocare sententiam: sed partiri ex æquo jussit. In quo putat Abulensis et Cajetanus graviter peccasse Davidem dum injuste spoliat bonis suis innocentem. Et Hebræi, teste S. Hieron. [2],

(1) Sup. 16, vers. 3. (2) In Trad. Hebr.

30. Responditque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam.

31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum.

32. [1] Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir dives nimis.

33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem.

34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem?

35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi?

36. Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac vicissitudine.

37. Sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulcrum patris mei et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac ei quidquid tibi bonum videtur.

38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit; et omne quod petieris a me, impetrabis.

39. Cumque transisset universus populus et rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei: et ille reversus est in locum suum.

40. Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo; omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars adfuerat de populo Israel.

41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo?

42. Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt?

43. Et respondit vir Israel ad vi-

putant, ob eam causam divisum postea fuisse regnum Israeliticum, et majorem partem a Roboamo divulsam et ad Jeroboamum translatam fuisse, ut dixi 1 Regum 20, v. 42. Sed alia fuere graviora peccata posterorum Davidis, propter quæ divisum fuit regnum. Immo propter merita Davidis factum, ne totum regnum a familia Davidis ad alienam transiret; 3 Reg. 11, v. 32, 34 et 36. Deinde crediderim, Davidem, ut erat ingenio admodum liberali, Miphibosetho jacturam illam dimidiæ partis bonorum, alia via abunde compensasse, ut etiam Abulensis [2] suspicatur.

℣. 37. *Servus tuus Chamaam* — Addunt LXX *filius meus*. Suo enim loco voluit filium suum substitui apud Davidem.

(1) Sup. 17, vers. 28; 3 Reg. 2, vers. 7.

℣. 41. *Quare te furati sunt fratres nostri?* — Id est, quare sola tribus Juda, insciis reliquis tribubus, quasi furtive solemnem hanc regis reductionem sibi vindicavit? Non quod nulli adessent ex reliquis tribubus: nam et Semei secum habebat *mille viros de Benjamin* v. 17, *et media pars de populo Israel* dicitur vers. 40 regi *affuisse*. Sed quod major pars comitantium regem esset de tribu Juda, utpote duplo major, quam ex aliis simul omnibus tribubus Israel: et quod auspiciis ac nomine tribus Juda omnia gererentur quæ triumphalem regis reductionem concernebant. Id vero ægre tulerunt reliquæ tribus, et occasionem inde sumpserunt sese a tribu Juda hostiliter sejungendi. Aliquid simile olim acciderat tribui Ephraim Judicum 12, cum Jephte

(2) Hic q. 30.

ros Juda, et ait: Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te: cur fecisti mihi injuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viris Israel.

devictis Ammonitis lætus rediret et triumphans, nam Ephraimitæ, quod ad illud bellum invitati non essent, seditionem concitarunt, quæ non nisi cæde quadraginta duorum millium sedata fuit.

CAPUT XX.

Tribus Israeliticæ, duce Seba, secessionem faciunt a domo Juda et Davide, sed capite minuto Seba cessat rebellio. Joab Amasam, ut olim Abnerem, proditorie occidit.

1. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus; et cecinit buccina, et ait: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua, Israel.

2. Et separatus est omnis Israel a David secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem.

3. Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes.

4. Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens.

5. Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex.

6. Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos.

7. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi, et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri.

8. Cumque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper

℣. 1. *Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai* — Proverbialis est locutio, qua significatur, non esse necessariam connexionem cum altero, qualis esse solet membri cum corpore, aut filiorum cum parente a quo hereditatem præstolentur. Utebantur ergo Hebræi hac formula, quasi solemni et legitima, dum negarent, sibi cum altero futurum commercium aut consortium. Sicuti Romani in repudio fere simili formula uti solebant, *Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito.* Hinc simili prorsus phrasi repudiarunt postea Hebræi imperium Roboami 3 Reg. 12: *Quæ nobis pars in David, vel quæ hereditas in filio Isai?* Et S. Petrus excommunicavit Simonem Magum Actor. 8: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Contra voluptuarii de luxu dicunt Sapientiæ 2: *Hæc est pars nostra, et hæc est sors* (seu hereditas) nostra.

℣. 8. *Juxta lapidem grandem*, seu juxta collem saxeum prælatum, *qui est in Gabaon* — in quo erectum erat altare, et vocabatur *excelsum Gabaon*, ubi et Salomon immolavit 3 Regum 3, v. 4: *Illud quippe erat excelsum maximum.*

accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere.

9. Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve mi frater. [1] Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.

10. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est. Joab autem, et Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri.

11. Interea quidam viri, cum stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David.

12. Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.

13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri.

14. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, et Bethmaacha, omnesque viri electi congregati fuerant ad eum.

15. Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela, et in Bethmaacha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros.

16. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, et loquar tecum.

17. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio.

18. Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: et sic perficiebant.

19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel? Quare præcipitas hereditatem Domini?

20. Respondensque Joab, ait: Absit, absit hoc a me: [2] non præcipito, neque demolior.

21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum

ỳ. 9. *Manu dextera tenuit Joab mentum Amasæ, quasi osculans eum* — Urbanitatis id olim erat et officii, non solum apud Hebræos, sed et apud Græcos, teste Plinio [3], et simili gestu Homerus [4] *Thetim* supplicaturam *Jovi*, dicit, *dextera apprehendisse mentum ejus.*

ỳ. 19. *Nonne ego*, urbs Abela, *sum quæ respondeo veritatem in Israel?* — id est, sum academia celeberrima, et quasi commune totius Israelis oraculum: abundans viris sapientissimis, qui dubia nodosque omnes seu de religione, seu de politia dissolvere solent. Unde sermone proverbiali, si quando occurreret quæstio difficilior, dici solet, *Adi Abelam: interroga in Abela.* Ut alibi dicere solent, *Adi Œdipum: Interroga Œdipum. Et sic perficiebant*, id est, edocti ab Abelanis quid facto opus esset, securi aggrediebantur quidquid suasum fuerat, et felici successu perficiebant quod volebant.

Et tu quæris subvertere armis hanc *civitatem* tam bene de publico meritam, tam utilem, tam necessariam? q. d. Egregie scilicet de publico mereri studes, dum civitatem exscindis, quæ utilior magisque necessaria est toti populo, quam mater filiis suis: qua excisa, populum universum eodem ictu excindes. Hoc enim est quod addit, *Præcipitas hereditatem Domini.*

ỳ. 21. *Seba de monte Ephraim* — Benjaminita erat *Seba*, ut patet v. 1; sed ex

(1) 3 Reg. 2, vers. 5.
(2) "|Vers. 20. *Non præcipito, neque demolior.* Hebr. *Si deglutio, et si corrumpo. Si* sumitur pro *non.* "
(3) Lib. 11, cap. 45.
(4) L. 1 Iliad. sub fin.

suam contra regem David: tradite illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum.

22. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab; et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua: Joab autem reversus est Jerusalem ad regem.

23. [1] Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel: Banajas autem filius Jojadæ super Cerethæos et Phelethæos.

24. Aduram vero super tributa: porro Josaphat filius Ahilud, a commentariis.

25. Siva autem, scriba: Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes.

26. Ira autem Jairites erat sacerdos David.

monte sito in finibus Benjamin, qui quod ex sorte Ephraim radices traheret, respiceretque tribum Ephraim, vocatus fuit *mons Ephraim*. Sicut apud nos porta fluminis vocari solet quæ ducit ad flumen et respicit flumen: ita Sanctius.

℣. 26. *Ira erat sacerdos David* — Chaldaice, *erat princeps*, et inter primos maxime familiaris regi Davidi. Quo eodem sensu dixi cap. 8, versu ultimo *filios Davidis* fuisse ipsi *sacerdotes*.

(1) Sup. 8, vers. 16.

CAPUT XXI.

Ob Saulis in Gabaonitas injustam olim sævitiam, Deus triennali fame punit Israelem. Cui divertendæ deposcuntur traduntur que noxæ septem nepotes Saulis, qui crucibus omnes affixi sunt: sed ossa eorum, una cum ossibus Saulis et Jonathæ jubet David honorifice sepeliri. Recensentur quaterna Davidis prælia contra Philisthæos.

1. Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas.

2. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum: [1] filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda.)

3. Dixit ergo David ad Gabaonitis — pacem et fœdus incolumitatis, ut narratur Josue 9, v. 15.

℣. 1. *Domum ejus sanguinum* — Id est sanguinariam, quia sanguinem injuste effudit Gabaonitarum.

℣. 2. *Porro Gabaonitæ erant reliquiæ Amorrhæorum* — Erant proprie ex Hevæorum genere, Josue 11, v. 18. Sed Amorrhæi, utpote omnium habitatorum terræ promissionis potentissimi, reliquis nationibus suum indiderant nomen. Hinc omnes Palæstinæ incolæ vocari solent Amorrhæi, Genesis 15, *Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum*. Amos 2, *Ego autem exterminavi Amorrhæum*, etc.

Filii quippe Israel juraverant Gabaonitis — Sed *Saul zelo* motus *quasi pro filiis Israel et Juda* — id est quasi suppleturus id quod illi omiserant. *Putabat enim* Saul (inquit Abulensis) *quod Josue et principes populi non potuerint dimittere viventes Gabaonitas, in eoque peccasse* tam ipsos, quam sequaces ipsorum *omnes, qui Gabaonitis pepercerunt* (ut ipse Saul peccavit parcendo Amalecitis quibusdam). *Ideo ut ipse vindicaret Israelitas ab illo peccato*, nihil pensi habens juramentum quo caverant deditiis, *occidit* quot potuit *Gabaonitas* zelo non minus injusto, quam indiscreto.

(1) Jos. 9, vers. 25.

tas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini?

4. Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento et auro quæstio, sed contra Saul, et contra domum ejus: neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis?

5. Qui dixerunt regi: Virum, qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel.

6. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.

7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, [1] propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Jonatham filium Saul.

8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aja, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth: et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi,

9. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: et ceciderunt hi septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.

10. Tollens autem Respha filia Aja cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.

11. Et nuntiata sunt David quæ

℣. 8. *Quinque filios Michol, quos genuerat Hadrieli* — Cajetanus et Canus dicunt locum hunc esse corruptum (licet omnia exemplaria sic habeant): et pro *Merob* quæ hos genuerat, suppositam esse sterilem *Michol*. Alii dicunt, hos quinque filios *Merob* jam defunctæ, adoptatos fuisse ab illius sorore *Michol*, ac proinde hic vocari *filios Michol, et genitos a Michol*, quia non aliter ab illa tractabantur, quam si ex ipsa concepti et geniti forent.

Petes, Quo jure potuit David filios istos innoxios tradere Gabaonitis crucifigendos? Respondeo, Instinctu, immo monitu Dei (ut ex v. 1 colligitur) et tamquam executor justitiæ divinæ, qua puniuntur subinde peccata in tertiam et quartam [2] generationem. Non solet tamen id facere Deus, nisi etiam filii, maxime adulti, propriis peccatis eam pœnam promeriti fuerint: uti de his verisimillimum esse docent Cajetanus et Abulensis.

℣. 10. *Respha* concubina Saulis *cilicium*, seu rude stragulum, *sibi* in *petra* seu rupe vicina, *substravit*, ut ibi quiesceret subinde, dum avibus et feris abigendis invigilat: idque *donec stillaret aqua super eos de cælo* — id est, donec Deus, expiato jam peccato Saulis morte tot filiorum ejus, redderet terris pluviam quam triennio iratus subtraxerat. Plus quam virili pectore erat hæc femina, quæ nil territa sanie tabeque cadaverum, et fœtore inde exhalante, etiam bellua a præda famescentes arcet noctu diuque. *Audacem faciebat amor.*

Petes, Quomodo tanto tempore cadavera ista crucibus inhærere permissa, cum Deuter. 21, v. 23 jubeatur, *cadaver* crucifixi *eadem die sepeliri?* Respondeo, Crucifixio hæc non ab Hebræis fiebat, sed a Gabaonitis, qui lege Hebræorum non tenebantur, quo modo Christus, et duo latrones cum illo crucifixi, quia non a Judæo, sed a Romano judice damnati fuerant, non fuissent juxta legem Judæorum e crucibus eodem die depositi, nisi Judæi precibus id a Pilato impetrassent, Joann. 19, v. 31, *Judæi rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.* Causa vero cur Gabaonitæ voluerint istorum cadavera tam diu in patibulis hærere, fuit, quod vellent publicum divinæ ultionis, et patrocinii sui documentum quam diutissime extare, et quaquaversum propalari, ne quis impostorum quid Sauli simile adversus suam gentem attentare auderet: ita Sanctius.

(1) 1 Reg. 18, vers. 3.

(2) Exod. 20, vers. 5; Num. 14, vers. 18.

fecerat Respha, filia Aja, concubina Saul.

12. Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus, a viris Jabes Galaad, [1] qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim cum interfecissent Saul in Gelboe:

13. Et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathæ filii ejus: et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant,

14. Sepelierunt ea cum ossibus Saul et Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulcro Cis patris ejus: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, et repropitiatus est Deus terræ post hæc.

15. Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David, et servi ejus cum eo, et pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David,

16. Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, [2] cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David.

17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.

18. [3] Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos: tunc percussit Sobochai de Husati, Saph de stirpe Arapha de genere gigantum.

19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.

20. Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha.

21. Et blasphemavit Israel: percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David.

22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum ejus.

℣. 19. *Adeodatus filius Saltus polymitarius* — Vulgatus hic, ut alibi [4] millies, appellativa ponit nomina pro propriis, seu nominum significationes pro ipsis nominibus. Nam nomen viri illius erat, *Elchana* filius *Jaere Orgim:* quod appellative significat *Adeodatum filium Saltus* seu silvæ, *polymitarium,* id est tinctorem variis coloribus: ita habent LXX, Chaldæus, Pagninus, Tigurina, Isidorus, Cajetanus, Sanctius et alii. Hic *percussit Goliath Gethæum,* id est *fratrem Goliath Gethæi,* ut expresse dicitur lib. 1 Paral. c. 20, fratrem, inquam, si non sanguine, certe similitudine roboris et staturæ: sicut Proverb. 18, v. 9: *Qui mollis est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*

Nota, bella hæc cum Philisthæis gesta, ut et famem triennalem, de qua initio hujus capitis et quæ duobus sequentibus capitibus continentur, probabilius videri ante rebellionem Absalomi contigisse, nempe post violatum Uriæ thalamum, cujus tamen violati pœnas voluit ordine recensere scriptor sacer: reliquis, quæ eo non spectabant, in hæc capita rejectis: ita fere Abulensis. De *Arapha* matre istorum gigantum, unde stirps *Raphaim,* vide quæ dixi 1 Reg. 17, v. 4.

(1) 1 Reg. 31, vers. 12.
(2) 1 Reg. 17, vers. 7.
(3) 1 Par. 20, vers. 4.
(4) *P* Idit. Hebr.

CAPUT XXII. *

Canticum Eucharisticum seu gratiarum actionis, quo rex David pro sua ab omnibus hostibus liberatione debitas Deo grates persolvit.

1. Locutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul;

2. Et ait: [1] Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.

3. Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, et cornu salutis meæ: elevator meus, et refugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me.

4. [2] Laudabilem invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

6. Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo: et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus.

8. Commota est et contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt et conquassata, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cælos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super cherubim, et volavit: et lapsus est super pennas venti.

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorum.

13. Præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis.

14. Tonabit de cælo Dominus: et excelsus dabit vocem suam.

15. Misit sagittas, et dissipavit eos: fulgur, et consumpsit eos.

16. Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus.

17. Misit de excelso, et assumpsit me: et extraxit me de aquis multis.

18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.

19. Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum.

20. Et eduxit me in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie, a Deo meo.

23. Omnia enim judicia ejus in conspectu meo: et præcepta ejus non amovi a me.

* Hoc caput continet Psalmum 17 Psalterii: nisi quod in illo multa verba, etiam in textu Hebraico, mutata legamus. Id vero inde accidit, quod David prius hunc Psalmum rudiore quodam modo et stylo composuerit, ut Deo pro tantis tamque frequentibus ab eo acceptis beneficiis gratias ageret: et talem habemus hunc Psalmum hoc capite. Postea vero limatum magis nitidiusque concinnatum tradidit sacerdotibus, ut in templo deinceps cantaretur: et talis extat in libro Psalmorum, ubi et illum explicabimus.

(1) Psalm. 17, vers. 3. (2) Psalm. 17, vers. 4.

24. Et ero perfectus cum eo : et custodiam me ab iniquitate mea.

25. Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26. Cum sancto sanctus eris: et cum robusto perfectus.

27. Cum electo electus eris : et cum perverso perverteris.

28. Et populum pauperem salvum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis.

29. Quia tu lucerna mea Domine: et tu Domine illuminabis tenebras meas.

30. In te enim curram accinctus: in Deo meo transiliam murum.

31. Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se.

32. Quis est Deus præter Dominum: et quis fortis præter Deum nostrum?

33. Deus qui accinxit me fortitudine: et complanavit perfectam viam meam.

34. Coæquans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me.

35. [1] Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.

36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: et mansuetudo tua multiplicavit me.

37. Dilatabis gressus meos subtus me: et non deficient tali mei.

38. Persequar inimicos meos, et conteram: et non convertar donec consumam eos.

39. Consumam eos et confringam, ut non consurgant: cadent sub pedibus meis.

40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incurvasti resistentes mihi subtus me.

41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum, odientes me, et disperdam eos.

42. Clamabunt, et non erit qui salvet: ad Dominum, et non exaudiet eos.

43. Delebo eos ut pulverem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.

44. Salvabis me a contradictionibus populi mei: custodies me in caput gentium: populus, quem ignoro, serviet mihi.

45. Filii alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.

46. Filii alieni defluxerunt, et contrahentur in angustiis suis.

47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus: et exaltabitur Deus fortis salutis meæ.

48. Deus qui das vindictas mihi, et dejicis populos sub me.

49. Qui educis me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me: [2] a viro iniquo liberabis me.

50. [3] Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus: et nomini tuo cantabo.

51. Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus in sempiternum.

(1) Ps. 143, vers. 1. (2) Psalm. 17, vers. 49.
(3) Ad Rom. 15, vers. 9.

CAPUT XXIII.

Summarium totius Psalterii Davidis, et catalogus virorum ipsius illustrium.

1. Hæc autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai: dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel:

2. Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam.

3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel: Dominator hominum, justus dominator in timore Dei.

4. Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra.

5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas: nec est quidquam ex ea quod non germinet.

6. Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi: quæ non tolluntur manibus.

7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum.

8. [1] Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui

℣. 1. *Hæc sunt verba David novissima* — scilicet quæ Psalterio suo subtexuit prorsus ultimo loco. Sed possent non incommode primo loco collocari, cum sint quasi titulus et præfatio totius Psalterii, et summa quædam eorum quæ in Psalterio toto pluribus locis digesta sunt. Prima enim verba usque ad v. 3 explicant nomen auctoris, et notas ac signa quibus ab aliis hagiographis discerni possit: *Dixit David filius Isai, egregius psaltes Israel: Vir cui constitutum est de christo Dei*, id est, cui a Deo concessum est ut rex constitueretur et ungeretur. Cujus ore et lingua *Spiritus* sanctus *locutus est*. A vers. 3 usque ad 8 explicatur generale argumentum vel summa eorum quæ in decursu totius Psalterii Deus Davidi inspiravit: puta primo, attributa seu proprietates Dei, ut quod sit per excellentiam *fortis*, et *justus*, quod *dominator omnium*, sed maxime *in timore Dei*, id est eorum qui Deum timent: quia his tam clementer, tam largiter præ aliis indulget, ut horum quasi solorum curam, neglectis fere aliis, gerere videatur. Secundo, explicatur in Psalmis excellentia *domus* seu familiæ Davidis, quæ propter illustres principes inde exorituros, nominatimque propter Messiam, *rutilat* toto orbe *sicut lux auroræ, oriente sole mane absque nubibus*, etc. Et quia hæc omnis felicitas a Deo obvenit tertiam Psalterii sui partem consumit in Deo laudando, et omni sua prosperitate eidem adscribenda, v. 5: *Cuncta salus mea* ipse est, *et omnis voluntas mea* ipse est, id est Deum solum volo, solum amo super omnia, in ipso solo spero, de ipso solo gaudeo. Et jure quidem merito, cum familiam meam solus ipse tam crebris, tam fœcundis donis irrigarit, ut, *non* sit *quidquam ex ea, quod non germinet*, et læta florum fructuumque varietate gaudeat. Quartum genus materiæ Psalmorum sunt judicia et plagæ impiorum, qui *quasi spinæ evellentur universi*, etc. vers. 6 usque ad 8.

℣. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus* — Res significata ponitur pro nomine viri proprio; quod erat *Jesbaam filius Hachamoni*, ut vocatur 1 Par. 11, v. 11, quod teste S. Hieronymo idem est atque *sedens in populo* seu in cathedra *sapientissimus*. Ita fere LXX et Josephus [2], Hugo, Vatablus, Cajet., Glossa, et Sanctius. Hujus principis omnium primi tum sapientia, tum robur belli-

(1) 1 Par. 11, vers. 10.

(2) Lib. 7 Antiq., c. 10.

octingentos interfecit impetu uno.

9. Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philisthiim, et congregati sunt illuc in prælium,

10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit et percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: et populus qui fugerat, reversus est ad cæsorum spolia detrahenda.

11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari; et congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philisthiim,

12. Stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philisthæos: et fecit Dominus salutem magnam.

13. Necnon et ante descenderant tres qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra autem Philisthinorum erant posita in Valle gigantum.

14. Et David erat in præsidio: porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem.

15. Desideravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam!

16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino,

17. Dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere: hæc fecerunt tres robustissimi.

18. Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ, princeps erat de tribus: ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus,

19. Et inter tres nobilior, eratque

cum in eo maxime enituit, quod, cum esset opinione aliorum *quasi tenerrimus ligni vermiculus*, a quo parum sibi hostes metuerent, tam strenue tamen ac solerter rem gesserit, ut maximam inopinate ediderit stragem, et solus ipse semel *trecentos* (ut habetur 1 Paralip. 11 jam citato) et alias rursus *octingentos* sua manu prostrarit, ad instar alterius *Jonathæ* 1 Reg. 14 aut *Samsonis*, Judicum 15, utique cælesti subsidio extra ordinem adjutus, ita Eucherius, Beda, Lyranus, Abulensis et Sanctius.

ŷŷ. 9, 10. *Eleazar filius* Dodo, id est [1] *patrui ejus;* scilicet, Jesbaam: *cum ascendissent*, id est *fugissent* (sic enim habetur 1 Par. 11, v. 13) *viri Israel, stetit* immotus adversus *Philisthæos* — non solus, sed una cum *Jesbaam* (ut habetur dicto loco Paralip.), forte et cum *Semma*, de quo idem hic asseritur v. 12. Et hi iidem Joanni Marianæ et quibusdam aliis videntur esse tres illi, de quibus v. 13 dicitur, quod per medias Philisthæorum acies attulerint Davidi *aquam de cisterna Bethlehem.* Quod videtur contigisse eo tempore quo David Jebusæis extorsit arcem Sion, 2 Reg. 5, v. 7. Tunc enim *descendit David in Præsidium* [2], *et Philisthæi diffusi sunt in valle Raphaim*, id est *gigantum*, ibid. v. 17, quæ duæ notæ hic expresse ponuntur vv. 13 et 14. Allegorice sitiebat David sanguinem et sacrificium Christi ex Bethlehem nascituri, inquit Angelomus, Eucherius et Beda. Morale vide apud S. Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium [3] et alios. Gaspar Sanctius putat, Davidem hic non sitivisse naturalem aquam de cisterna Bethlehem; nimis hoc muliebre esse atque animi effeminati: sed recuperationem patriæ suæ, quam Philisthæi cæso Saule invaserant, et valido præsidio detinebant. Hæc sane regio animo digna erat sitis; quam etiam post paullo, vi pulsis inde hostibus, illorum sanguine restinxit.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebræis, n. 17.
(2) Proleg. supra.
(3) Ambr. Apol. David., c. 7; Chrysost. in Ps. 50; Gregor. in Registro l. 9, epist. 39.

eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat.

20. Et Banajas filius Jojadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel: ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.

21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hasta sua:

22. Hæc fecit Banajas filius Jojadæ.

23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen usque ad tres non pervenerat: fecitque eum sibi David auricularium, a secreto.

24. Asael frater Joab inter triginta, Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem,

25. Semma de Harodi, Elica de Harodi,

26. Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,

27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati,

28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites,

29. Heled filius Baana, et ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin,

30. Banaja Pharathonites, Heddai de torrente Gaas,

31. Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi,

32. Eliaba de Salaboni. Filii Jassen, Jonathan,

33. Semma de Ororı, Ajam filius Sarar Arorites,

34. Eliphelet filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites,

35. Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi,

36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,

37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarviæ,

38. Ira Jethrites, Gareb et ipse Jethrites,

39. Urias Hethæus. Omnes triginta septem.

CAPUT XXIV.

Jubet David censeri populum. Quo nomine corripitur a Gad propheta, ex tribus flagellis eligit pestem triduanam, qua 70,000 cadunt. Porro David oblato in area Areunæ sacrificio Deum placat, cessatque pestis.

1. Et [1] addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel et Judam.

2. Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum ejus.

3. Dixitque Joab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi?

4. Obtinuit autem sermo regis verba Joab et principum exercitus: egressusque est Joab, et principes

℣. 1. *Addidit furor Domini irasci* — 1. Paral. 21 dicitur, *Consurrexit autem Satan contra Israel et concitavit David, ut numeraret Israel.* Utrumque enim factum, sed prior *Satan concitavit* commovitque *Davidem,* ut populum capitatim censeri juberet. Dein *iratus* est *furor Domini.*

℣. 3. *Quid sibi rex vult in re hujuscemodi?* — Joab deterrere vult regem ab inutili, immo pernicioso consilio. In quam rem duobus utitur argumentis, quæ I Paralip. 21 explicantur. Unum ostendit inu-

(1) 1 Par. 21, vers. 1.

militum, a facie regis, ut numerarent populum Israel.

5. Cumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in valle Gad:

6. Et per Jazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem,

7. Transierunt prope mœnia Tyri, et omnem terram Hevæi et Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee:

8. Et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Jerusalem.

9. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: et de Juda quingenta millia pugnatorum.

10. Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.

11. Surrexit itaque David mane, et sermo Domini factus est ad Gad prophetam, et videntem David, dicens:

12. Vade, et loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi.

13. Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies ad-

tilem fore hunc censum: *Nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt?* Nullus tibi rebellis, nullus invidus, adversarius nullus: ad quid ergo hæc populi importuna numeratio? Alterum argumentum declarat fore etiam noxium et perniciosum: *Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur,* non tibi soli, sed et *Israeli* toti? Sed quodnam hoc tam grave hic peccatum? Respondeo. In David peccatum fuit, quod citra jussum Dei, et citra necessitatem censum ejusmodi instituerit; solum ad ostentandam suam potentiam: unde S. Ambrosius et Severus Sulpic. [1] *ambitionis* Davidem accusant, quod nempe sibi arrogarit ejuscemodi censum instituere, suo nomini celebrando, suoque in omnes dominio ostentando, quem Deus suo solius nomini dominioque celebrando reservarat. In populo vero peccatum fuit, quod tributum semisicli, seu duorum regalium Hispanicorum, quod in ejuscemodi censu in usus templi Dei capitatim pendi debebat, in agnitionem supremi dominii Dei a plurimis, forte a plerisque (connivente rege regisque ministris) persolutum non fuerit. Vide Exodi 30, v. 12, ubi hæc præscribuntur: et ni serventur, *plaga* certa qualem hic experti sunt, intentatur: ita Sanctius et Bonfrerius ex S. August. [2], Beda, Lyrano, Abulensi, et Cajetano.

(1) Ambr. l. de Pœnitentia, c. 9; Sulp. l. 1 Hist.
(2) Bonfr. in Exodi 30; Aug. q. 134 in Exod.

℣. 8. *Et lustrata universa terra* — sed necdum omnibus numeratis, *nam Levi et Benjamin non numeravit, eo quod Joab invitus exequeretur regis imperium,* ut habetur in loco Paral. supra citato, et alibi [3] dicitur, *Joab cœperat numerare, nec complevit, quia super hoc ira* Dei *irruerat in Israel.* Nempe plures hinc inde qui tributum neglexerant, subita morte prosternebantur, aut alia ignominiosa plaga cælitus immissa puniebantur, ut dicitur 1 Paral. 21, v. 7. Quo cooperto Joab territus ad regem excurrit, detulitque numerum censorum ad id tempus capitum, de Juda quingenta millia, de reliquo Israele octingenta millia. Tum *percussit cor David eum,* id est, aculeo peccati compuncta est conscientia Davidis, ut explicat Chaldæus: eo quod censum illum alieno tempore ac modo peractum sentiret ex plaga consequente graviter displicere Deo. Unde et supersedere jussit: vetuitque [4] *numerum eorum qui fuerant recensiti, referri* (ut moris erat) *in fastos regios.* Sed interea pergebant adhuc alii principes, qui in remotioribus tribubus censui præerant: et antequam his innotuit regis inhibitio, collegerant adhuc alia trecenta millia ex Israel: unde 1 Paralip. 21, v. 5 dicitur numerus recensitorum Israelitarum fuisse *undecies centum millia,* præter propter; ita Cajetanus in eum locum.

(3) 1 Par. 27, vers. 24. (4) Ibid. c. 27, v. 24.

versarios tuos, et illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, et vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.

14. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: [1] sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum.

15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, a Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum.

16. Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam: erat autem angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi.

17. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.

18. Venit autem Gad ad David in die illa, et dixit ei, Ascende, et constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi.

19. Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.

20. Conspiciensque Areuna, animadvertit regem et servos ejus transire ad se:

21. Et egressus, adoravit regem prono vultu in terram, et ait: Quid causæ est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait: Ut emam a te aream, et ædificem altare Domino, et cesset interfectio quæ grassatur in populo.

22. Et ait Areuna ad David: Accipiat, et offerat dominus meus rex, sicut placet ei: habes boves in holocaustum, et plaustrum, et juga boum in usum lignorum.

23. Omnia dedit Areuna rex regi: dixitque Areuna ad regem: Dñus Deus tuus suscipiat votum tuum.

24. Cui respondens rex, ait: nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream et boves, argenti siclis quinquaginta:

25. Et ædificavit ibi altare Dño, et obtulit holocausta et pacifica: et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est plaga ab Israel.

℣. 15. *Immisit Dominus pestilentiam de mane usque ad tempus constitutum* — Simulatque enim ex tribus propositis plagis David pestem triduanam delegerat eodem mane, eodem temporis vestigio grassari cœpit ubique contagio: duravitque usque ad prandium ejusdem diei, inquiunt LXX et Josephus, Origenes, Ambrosius, Theodoretus [2], et Historia scholastica. Hebræus textus insinuat, durasse usque ad tempus sacrificii vespertini. Et ita sentit S. Hieronymus secutus Hebræos, et Lyranus, Hugo, Dionysius, Emmanuel Sa, Mariana et Sanctius. Et hoc verisimilius est, quam quod ait Abulensis, durasse toto triduo. Quia credibile non est, Davidem toto triduo distulisse, pœnitentiam agere, et pro populo deprecari.

℣. 17. *Cum vidisset David angelum* — Ex 1 Paral. 21, v. 16 colligi videtur, præter Davidem etiam seniores populi eumdem angelum cum evaginato gladio vidisse: unde etiam una cum rege, *vestiti ciliciis ceciderunt proni in terram.* Et ibidem v. 20 dicitur etiam ab *Areuna Jebusæo, et a quatuor ipsius filiis visus* fuisse. Denique vers. 18 ibid. dicitur, idem *angelus præcepisse* prophetæ *Gad*, ut, ad avertendam pestem, moneret *Davidem* de *altari in area* Areuna construendo. De quo vide plura ibid. [3].

(1) 1 Par. 21, vers. 13. Dan. 13, v. 23.
(2) Joseph. l. 7 Antiq., c. 10; Orig. hom. 16 in Num.; Ambr. in Psalm. 37; Theod. q. 37.
(3) Hunc locum pluribus illustrat P. Martin pag. 175 seq.

LIBER III. REGUM

In quo recensentur mors Davidis, inauguratio Salomonis, ejusque acta: divulsio decem tribu m a tribu Juda: et acerba dissidia prœliaque regum Israel et Juda.

CAPUT I.

Abisag Sunamitis Davidem jam senio confectum fovet et calefacit, nec tamen ab illo cognoscitur. Adonias major natu filiorum David regnum occupat clam patre. Sed hujus jussu uncto mox Salomone Adonias fugam capessit: quem tamen Salomon jubet securum domi degere.

1. Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.

2. Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem.

3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem.

4. Erat autem puella pulcra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei: rex vero non cognovit eam.

5. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites, et quinquaginta viros qui currerent ante eum.

6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc feci-

℣. 4. *Rex vero non cognovit eam* — Vel hinc ergo patet, hanc *Abisag Sunamitidem*, id est, de *Suna* civitate tribus Issachar oriundam, non ancillam fuisse Davidi, sed veram uxorem. Ut quid enim diceretur, tamquam res admodum miranda, hæc virgo a Davide non fuisse cognita, nisi legitime cognosci potuisset? Et cur Adonias, eo quod ipsam in uxorem mortuo Davide expetiit, interfici jussus est? an viam sibi sternebat ad regnum per nuptias ancillæ parentis sui? Abulensis concedit fuisse concubinam, seu ex secundariis uxoribus. Sed S. Hieronymus, Theodor. [1], Procopius, Lyranus, Dionysius, Cajetanus et alii dicunt e primariis fuisse. Addit S. Hieronymus, tropologice per Sunamitidem intelligi *sapientiam*, quæ, ubi omnia alia naturæ adjumenta ornamentaque deficiunt, comitatur, recreat, solatur et fovet senectutem. Qua vero ratione corpus senile flaccescente naturali calore, vegetari roborarique possit halitu juvenili, fuse demonstrat Valesius [2] et alii medici.

(1) Hieron. epist. ad Nepotianum.; Theod. et alii in hunc locum.

(2) De sacr. Philosophia, c. 29.

sti? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom.

7. Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ.

8. Sadoc vero sacerdos, et Banajas filius Jojadæ, et Nathan propheta, et Semei et Rei, et robur exercitus David, non erat cum Adonia.

9. Immolatis ergo Adonias arietibus et vitulis, et universis pinguibus, juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, et omnes viros Juda servos regis.

10. Nathan autem prophetam, et Banajam, et robustos quosque, et Salomonem fratrem suum, non vocavit.

11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignorat?

12. Nunc ergo veni, accipe consilium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis.

13. Vade, et ingredere ad regem David, et dic ei: Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias?

14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos.

15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, et Abisag Sunamitis ministrabat ei.

16. Inclinavit se Bethsabee, et adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit, vis?

17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo.

18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.

19. Mactavit boves, et pinguia quæque, et arietes plurimos, et vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, et Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit.

20. Verumtamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, quis sedere debeat in

ỳ. 9. De *fonte Rogel* vide quæ dixi 2 Regum 17, v. 17.

ỳ. 17. *Tu jurasti ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me* — Verisimile est, Davidem id addixisse Bethsabee, quando, mortuo jam parvulo ex adulterio concepto, illam extreme dolentem solatus est, 2 Reg. 12, vers. 24. Cum enim timeret Bethsabee, se ob præteritum crimen repudiandam a rege, vel saltem proles, quas ex eo susceptura esset, exosas regi futuras, vel ut minimum postremo loco habendas in domo regis, creditur rex ei respondisse, longe aliter actum iri: quin etiam, qui ex ea nasciturus esset filius, præferendum aliis omnibus, et regium solium occupaturum: ita S. Hieronymus [1] ex Hebræorum traditione, Abulensis et Sanctius. Putatur vero divina revelatione id indicatum Davidi etiam antequam natus esset Salomon, immo antequam conceptus esset. Nam id insinuat ipsemet 1 Par. 28, v. 5 cum in publico procerum consensu, ait, cogitanti sibi de templo construendo dixisse Deum: *Salomon filius tuus ædificabit domum meam et atria mea: ipsum enim elegi,* etc. Item, *Elegit Dominus de filiis meis Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni.* Atqui cogitarat David de templo construendo, diu ante quam vel nosset, vel incautis oculis e solario vidisset matrem Salomonis, ergo. Et ut non expressisset tum Deus nomen Salomonis, hoc ipso tamen quo dicebat, *Semen quod egredietur de utero tuo,* 2 Regum 7, v. 12, id est, filius non jam natus tibi, sed adhuc nasciturus, *ædificabit domum nomini meo:* cum primus post id tempus Davidi filius natus sit et in vivis conservatus Salomon; facile colligebat David, divino decreto Salomonem ad regnum fuisse destinatum.

(1) In Trad. Hebr.

solio tuo, domine mi rex, post te.

21. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego et filius meus Salomon peccatores.

22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

23. Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, et adorasset eum pronus in terram,

24. Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, et ipse sedeat super thronum meum?

25. Quia descendit hodie, et immolavit boves, et pinguia, et arietes plurimos, et vocavit universos filios regis, et principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, et bibentibus coram eo, et dicentibus: Vivat rex Adonias:

26. Me servum tuum, et Sadoc sacerdotem, et Banajam filium Jojadæ, et Salomonem famulum tuum, non vocavit.

27. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum?

28. Et respondit rex David dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum,

29. Juravit rex, et ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,

30. Quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie.

31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum.

32. Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banajam filium Jojadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege,

33. Dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam: et ducite eum in Gihon;

34. Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, in regem super Israel: et canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon.

35. Et ascendetis post eum, et veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israel, et super Judam.

36. Et respondit Banajas filius Jojadæ regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis.

℣. 21. *Erimus ego et filius meus Salomon peccatores* — Id est, habebimur passim, et publice traducemur ego ut adultera, et Salomon filius meus ut *mamzer* [1] hebraice, id est de scorto et adulterio natus: et quia constat omnibus, Salomonem designatum fuisse a te successorem regni, si jam contingat, Adoniam regno potiri, certo certius coget nos tamquam reos affectati sceptri, indigna morte perire: ita Sanctius.

℣. 33. *Ducite eum in Gihon* — Fons hic est aut rivus oppositus fonti *Rogel*, ubi Adonias ex adverso inaugurabatur. Hunc *Gihon* interpretes volunt esse *Siloe*, cujus aquas *Exechias* rex postea in urbem induxit, ut dicitur 2 Paral. 32, v. 30, et Eccles. 48, v. 19. Ideo ergo jubet David Salomonem inaugurari ad fontem *Gihon*, id est procul et ex opposito loci, ubi erat Adonias, ne duo duorum istorum principum exercitus, ob diversa in diversos reges studia, si in vicina loca coiissent, manus inter se consererent, et inaugurationem civili sanguine cruentarent.

℣. 36. *Respondit Banajas: Amen*, id est, Fiat sicut rex jubet, et Salomon sit princeps Israelis. Et *sic loquatur Dominus Deus* — id est, etiam Deus idem velit, jubeat, ratum habeat et confirmet.

(1) Deut. 23, vers. 2.

37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, et sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David.

38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, et Nathan propheta, et Banajas filius Jojadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon.

39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem: et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: Vivat rex Salomon.

40. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum.

41. Audivit autem Adonias, et omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: sed et Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis?

42. Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, et bona nuntians.

43. Responditque Jonathas Adoniæ: Nequaquam: dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem.

44. Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, et Nathan prophetam, et Banajam filium Jojadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt eum super mulam regis.

45. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos et Nathan propheta regem in Gihon: et ascenderunt inde lætantes, et insonuit civitas: hæc est vox, quam audistis.

46. Sed et Salomon sedet super solium regni.

47. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, et magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo suo:

48. Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.

49. Territi sunt ergo, et surrexerunt omnes, qui invitati fuerant ab Adonia, et ivit unusquisque in viam suam.

50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, et abiit, tenuitque cornu altaris.

51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Juret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio.

52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.

53. Misit ergo rex Salomon, et eduxit eum ab altari: et ingressus adoravit regem Salomonem; dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

CAPUT II.

David, datis Salomoni variis præceptis, feliciter moritur. Adonias, dum petit Abisag Sunamitidem in uxorem, propter affectatum eo dolo regnum occidi jubetur a Salomone. Abiathar pontificatu privatur. Joab in tabernaculo Domini occiditur. Et Semei quoque, quod contra regis præscriptum Jerosolyma excessisset, triennio post interficitur.

1. Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens:

2. Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, et esto vir.

3. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, [1] sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris:

4. Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.

5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, [2] Abner filio Ner, et [3] Amasæ filio Jether: quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo, quod erat in pedibus ejus.

6. Facies ergo juxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos.

7. Sed et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: [4] occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Absalom fratris tui.

8. [5] Habes quoque apud te Semei

℣. 3. *Observa custodias Domini* — id est mandata, quæ Deus *custodiri jussit*. Et idem valent prorsus, quæ explicandi gratia, cum epitasi mox subjungit, *Viæ Domini, cæremoniæ, præcepta, judicia, testimonia,* ut alibi [6] dixi.

Sicut scriptum est in lege Moysi — nempe Deuteron. 17, ubi traduntur præcepta, quæ rex recens designatus servare debet: et inter alia, ut transcribat Deuteronomium, illudque familiare habeat et assidue legat.

℣. 5. *Nosti quid Joab fecerit mihi,* id est adversum me, mihique noxium, et toti meo regno perincommodum, cum duos principes tam utiles, tam necessarios perfide sustulit: *et effudit sanguinem belli in pace* — id est, pacatis publicis rebus, et privata insuper amicitia simulata, non secus occidit istos principes, quam si bellum adversus ipsos adhuc viguisset, quando honeste et laudabiliter licet sanguinem hostilem profundere. Cur David ad hoc usque tempus pepercerit Joabo tot scelerum reo, causam insinuavimus 2 Reg. 3 ad illud, *Ego delicatus rex.* Quia Joab princeps totius exercitus Davidici, potentior erat, quam ut posset a Davide coerceri, ut etiam affirmat hic Josephus [7]. Et in continuis gravissimisque bellis, quibus perpetuo exagitatus fuit David, egebat illius opera et industria. At Salomon, quiete jam a bellis ubique parta, et Joabo per senectutem minus publico utili, facile potuit et opera illius carere, et exauctoratum condigno supplicio castigare.

(1) Deut. 17, vers. 19. (2) 2 Reg. 3, vers. 27.
(3) 2 Reg. 20, vers. 10.
(4) 2 Reg. 19, vers. 31.
(5) 2 Reg. 16, vers. 5, et 19, vers. 19.
(6) In Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 14.
(7) Lib. 7 Antiq., c. 12.

filium Gera filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio:

9. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos.

10. [1] Dormivit igitur David cum patribus suis, et sepultus est in civitate David.

11. [2] Dies autem, quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis: in Jerusalem, triginta tribus.

12. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, et firmatum est regnum ejus nimis.

13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus.

14. Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille:

15. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, et me præposuerat omnis Israel sibi in regem: sed translatum est regnum, et factum est fratris mei; a Domino enim constitutum est ei.

16. Nunc ergo petitionem unam precor a te: ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.

17. Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem.

18. Et ait Bethsabee: Bene, ego loquar pro te regi.

19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei

℣. 9. *Vir sapiens es* — Si Salomon tunc *vir* erat, et vir *sapiens*, ergo *non octo* annorum puer, ut vult S. Ignatius martyr [3]: *neque undecim vel duodecim*, ut S. Hieronymus [4], sed ut minimum viginti circiter annorum fuit cum regnum suscepit; quod una cum parente paucis mensibus administravit. Idem colligitur ex cap. 11, v. 4, ubi senex vocatur, necdum exactis quadraginta regni sui annis. Et confirmatur ex Seder-Olam Chronico Hebræorum c. 16, ubi dicitur, David antequam e vivis excederet, vidisse nepotulum suum Roboamum ex Salomone procreatum: Ita Lyranus, Abulensis, Pineda et Sanctius [5].

℣. 10. *Et sepultus est in civitate David* — id est, in ea parte Jerosolymæ, quam ipse a Jebusæo abstulerat, et a suo nomine vocarat *civitatem David*, 2 Regum 5, v. 9. Josephus, Comestor, Abulensis et plures alii putant, Davidem cum palatium sibi regium construeret, etiam sepulcrum cadaveri suo condendo extruxisse, sed sat exile et moderatum: Salomonem vero id auxisse et in magnificum mausoleum commutasse, in quo et ipse recondi voluit. Hoc mausoleum ad tempus usque Apostolorum durasse, constat ex c. 2 Actuum, v. 29 dicente Petro, *Sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem.* Tempore Adriani Imperatoris sponte corruit magna ex parte, ut scribit Dion in vita Adriani. S. Hieronymus [6] affirmat, illud suo etiam tempore perstitisse, eoque ad mausoleum istud precari consuevisse. Sebastianus Serlius [7] dicit, ipsum illud hoc quoque nostro ævo superstes esse. Mirum sane, et instar prodigii, post urbem Jerosolymam toties expugnatam, toties excisam, mausoleum istud nihil a Chaldæis (qui tamen reliquorum regum Juda ossibus non pepercerunt [8]), nihil a Græcis, nihil a Romanis, nihil ab aliis barbaris passum fuisse. Quod vero Josephus addit, Salomonem in Davidis sepulcrum una cum cadavere multa talentorum millia intulisse, quæ multis post seculis Hyrcanus inde extulerit, merum ipsius figmentum est.

(1) Act. 2, vers. 9.
(2) 1 Par. 29, vers. 27.
(3) Ad Magnesianos.
(4) Epist. 132 ad Vitalem.
(5) Lyran. in l. 3 Reg. c. 11; Abul. et Sanct. in cap. 3; Pineda in Salom. prævio l. 8, c. 2, n. 6.
(6) Epist. ad Marcellam.
(7) Lib. 3 de Architectura.
(8) Jer. 8 et Baruch 2.

pro Adonia: et surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.

20. Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete, mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam.

21. Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.

22. Responditque rex Salomon, et dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei et regnum: ipse est enim frater meus major me, et habet Abiathar sacerdotem, et Joab filium Sarviæ.

23. Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.

24. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei, et qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.

25. Misitque rex Salomon per manum Banajæ filii Jojadæ, qui interfecit eum, et mortuus est.

26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus.

27. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, [1] ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.

28. Venit autem nuntius ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, et post Salomonem non declinasset: fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris.

29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Joab in taber-

℣. 22. *Postula ei et regnum* — Cum Adonias primogenitus esset filiorum regis, et toti populo non ingratus, immo rex haud ita pridem ab omnibus pene conclamatus: honesta insuper ac liberali esset forma, quæ blanda multitudinis conciliatrix est: si ad hæc jam accederent nuptiæ Sunamitidis nuper reginæ, et populo propter formæ venustatem et honestos mores admodum gratæ; procul dubio fuisset Adoniæ, mortuo jam Davide, ad regnum obtinendum prompta facilisque via. Et hoc erat callidum et fraudulentum Joabi (de se suisque rebus alioqui desperantis), itemque Abiathari pontificis et aliorum Adoniæ faventium consilium. Sed fraus statim suboluit Salomoni, qui severo supplicio, ne altiores radices malum ageret, primum in Adoniam, dein et in Joabum, denique et in Abiatharum animadvertit.

℣. 27. *Ejecit Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini* — Nempe cum reus esset capitis, propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem jam a Deo et a patre regem designatum, mulctavit illum Salomon solo exilio: et consequenter impedivit ne deinceps pontificatu fungeretur, sed is transferretur ad *Sadoc*, id est, referretur ad rectam lineam *Eleazari* primogeniti Aaronis, a quo ante, jubente Deo, migrarat per Heli ad familiam *Ithamari*, secundogeniti ejusdem Aaronis. Atque ita impleta jam fuit prophetia viri Dei 1 Reg. 2 qui pontifici *Heli*, propter scelera filiorum ejus prædixit, sacerdotium summum ab illo ad æmulam familiam transferendum. Vide quæ ibidem dixi ad v. 31 [2].

Nota, ex hoc Salomonis facto Doctores colligunt, in lege veteri, utpote temporalia magis, quam spiritualia spectante, pontificem in politicis et criminalibus regi subjectum fuisse: sicut rex in sacris suberat pontifici. Bellarminus tamen et quidam alii dicunt, Salomonem non ut regem, sed ut prophetam et executorem divinæ justitiæ, Abiatharum exauctorasse.

(1) 1 Reg. 2, vers. 31.

(2) Et 1 Reg. 22, vers. 22, et Chron. c. 42.

naculum Domini, et esset juxta altare: misitque Salomon Banajam filium Jojadæ, dicens: Vade, interfice eum.

30. Et venit Banajas ad tabernaculum Domini, et dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiavit Banajas regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Joab, et hæc respondit mihi.

31. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: et interfice eum, et sepeli, et amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei.

32. Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, melioresque se: et occidit eos gladio, patre meo David ignorante, [1] Abner filium Ner principem militiæ Israel, et [2] Amasam filium Jether principem exercitus Juda:

33. Et revertetur sanguis illorum in caput Joab, et in caput seminis ejus in sempiternum. David autem et semini ejus, et domui et throno illius, sit pax usque in æternum a Domino.

34. Ascendit itaque Banajas filius Jojadæ, et aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto.

35. Et constituit rex Banajam filium Jojadæ pro eo super exercitum, et Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.

36. Misit quoque rex, et vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi: et non egredieris inde huc atque illuc.

37. Quacumque autem die egressus fueris, et transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.

38. Dixitque Semei regi: Bonus sermo; sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis.

39. Factum est autem post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod servi ejus issent in Geth.

40. Et surrexit Semei, et stravit asinum suum: ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, et adduxit eos de Geth.

41. Nuntiatum est autem Salomoni, quod isset Semei in Geth de Jerusalem et rediisset.

42. Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, et prædixi tibi: Quacumque die egressus, ieris huc et illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi.

43. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini et præceptum quod præceperam tibi?

44. Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cujus tibi con-

℣. 31. *Fac* Joabo *sicut locutus est* — Id est, non obstante perfugio ad altare, occide eum. Nam Exodi 21, v. 14 expresse jubet Deus: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et credibile est non ipso loco tabernaculi jugulatum esse Joabum, sed quantumcumque reluctantem, a Banaja per prætorianam cohortem avulsum ab altari, extra tabernaculum supplicio affectum fuisse; ut post etiam *Athalia,* jubente *Jojada* pontifice 4 Reg. 11, v. 15. Nam in ipso sacrario non videtur citra necessitatem humanus sanguis profundi potuisse. Unde et Sanctius damnat hic Salomonem et Banajam non levis peccati, quod putet, Joabum in ipso sacrario jugulatum fuisse. Sed Abulensis id excusat, eo quod supplicium de impio sumptum etiam in loco sacro, non minus grata sit hostia Deo, quam arietum aut vitulorum, qui quotidie istic mactabantur.

(1) 2 Reg. 3, vers. 27.

(2) 2 Reg. 20, v. 10.

scium est cor tuum, quod fecisti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.

45. Et rex Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum.

46. Jussit itaque rex Banajæ filio Jojadæ: qui egressus, percussit eum, et mortuus est.

CAPUT III.

Salomon in uxorem accipit filiam Pharaonis: sapientiam in somno postulat a Deo. Quam una cum divitiis et gloria mox accipit in summo gradu: cujus specimen exhibet in lite meretricum dirimenda.

1. Confirmatum [1] est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum.

2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum.

3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiama.

4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.

5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi.

6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et justitia, et recto corde tecum: cu-

℣. 3. *Excepto quod in excelsis immolabat* — Hic usus in locis editioribus sacrificandi Deo invalescebat paullatim, eo quod non esset certus unus locus designatus, sed partim in Gabaon, partim Jerosolymæ sacrificaretur; a Prophetis vero in gravi necessitate pluribus etiam aliis locis, ex singulari Dei dispensatione, ut dixi Judic. ult., v. 4. Horum imitatione populus, ad ritus Gentilium plus æquo propensior, idem sibi arrogabat hinc inde. Sed David toto regni sui tempore fortiter sese huic abusui, toties in lege [2] vetito opposuit: et filio suo Salomoni, ut sese pari modo opponeret, in mandatis reliquit: unde hic dicitur *ambulasse in præceptis patris sui David, excepto quod in excelsis immolaret.* Et hoc est peccatum quo omnes reges Israel et Juda peccasse dicuntur, præter *David, Ezechiam et Josiam:* Eccli 49, v. 5. Nam alii omnes aut immolaverunt in excelsis, aut certe cum possent et deberent, non sustulerunt excelsa. David vero, ut jam vidimus, non toleravit excelsa: *Ezechias et Josias* illa etiam *dissiparunt* [3]. Porro hanc rationem sacrificandi in excelsis displicuisse Deo etiam in Salomone, vel inde colligitur, quod obeunti varia excelsa, et in singulis plurimas hostias immolanti nusquam apparuerit aut faverit de cælo Deus: sed tunc solum cum in *Gabaon,* hoc est, in legitimo loco, legitimum obtulit sacrificium, ut hic dicitur v. 5. Nam *in Gabaon ea tempestate erat tabernaculum Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum,* 1 Paral. 21, v. 29. Idcirco *excelsum Gabaon* vocatur hic v. 4, *Excelsum maximum,* non tam mole, quam dignitate. Et is erat proprius designatus sacrificiis locus. Unde simulatque ibi sacrificavit Salomon, Deus, id sibi gratissimum accidisse, nocturna visione, donisque nobilissimis ei collatis testatum fecit.

(1) 2 Par. 1, vers. 1.
(2) Levit. 17, vers. 4, et Deut. 12, vv. 5 et 13.
(3) 4 Reg. 18, vers. 4, et c. 23, vers. 8.

stodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie.

7. Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum.

8. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine.

9. [1] Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum; quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?

10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem.

11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium:

12. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus

℣. 11. *Quia postulasti verbum hoc* — Salomon sæpe ante id tempus, quin et eadem illa nocte proxime ante somnum orationi intentus, immemor aliarum rerum solam sapientiam a Deo postulasse videtur. Quod cum fecisset toto animo in eam curam intento, nil mirum, si quod proxime meditabatur vigilans, idem dormienti statim occurreret. Deus vero cum tam ampla hic promittit Salomoni dormienti, non respondet orationi aut electioni ipsius quam habuit, aut habuisse sibi visus est in somnis, sed quam vigilans ante habuit huic simillimam. Unde non opus est affirmare quod affirmant Dionysius, Lyranus et Salmeron [2], Salomonem in somnis absque operatione phantasmatum usum fuisse libero arbitrio et meruisse (licet ex divino privilegio id fieri potuisse sentiant Richardus de Media villa et S. Bonaventura [3]), nam ante somnum ea omnia præstiterat quæ hic de illo commemorantur: ita S. Augustinus, S. Thomas [4], et fere alii Doctores.

℣. 12. *Dedi tibi cor sapiens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit* — Comparatio sit non cum solis regibus Israel (ut putant Lyranus, Vatablus, Cajetanus et Emmanuel Sa), sed cum omnibus prorsus totius orbis hominibus, sed vulgari modo procreatis. Et sermo est de sapientia omni naturali, quæ hic infusa fuit Salomoni: non vero de omni supernaturali. Unde non est necessum præferre Salomonem Adamo, vel Moysi, vel plerisque Prophetarum, aut Apostolorum: multo minus B. Virgini vel Christo Domino: ita SS. Justinus, Clemens Alexandrinus, S. Augustinus, Philo, Pereira [5] et Sanctius. Nolim tamen ad solam *œconomicam* et *politicam* sapientiam id restringere cum Cajetano, nam cap. seq., vers. 33 dicitur etiam de plantis disseruisse, *a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum:* item *de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.* Item Sap. 7, v. 17, de se ipse testatur, datum sibi a Deo *ut sciat dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium, et consummationem et medietatem temporum, anni cursus, et stellarum dispositiones: naturas animalium, iras bestiarum, cogitationes hominum, virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa.* Quibus verbis medicam et physicam omnem scientiam, item geometricam, chronicam, astronomicam etiam conjecturalem complectitur: ita præter jam dictos etiam Abulensis et Pineda [6]. Addunt Josephus [7], S. Hieronymus et Epiphanius, Salomonem etiam gratiam gratis datam a Deo habuisse, qua et exorcismis, et herbis quibusdam ac radicibus dæmones unde vellet expelleret. Qua de re vide S. Thomam [8], et Victoriam, et Delrionem de Magia.

(1) 2 Par. 1, vers. 10.
(2) Tom. 3, tract. 22.
(3) Richard. quodlib. 1, q. 17; Bonav. dist. 25, quæst. 6.
(4) S. Aug. l. 12 in Genes. ad litt. c. 14; S. Th. 1. 2., q. 113, a. 3, et 2. 2., q. 154, a. 5 ad 1.
(5) Justinus Martyr q. 25 ad Orthodoxos; Clemens l. 1 Stromat. sub fin.; Aug. l. 3 de Civit., c. 40; Philo in Vita Moysis l. 1; Pereira in c. 1 Exodi, q. 7.
(6) Supra.
(7) L. 8 Antiq., c. 5.
(8) Q. 6 de Potentia, a. 10 ad 3.

ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.

13. [1] Sed et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.

14. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.

15. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium: cumque venisset Jerusalem stetit coram arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis.

16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo,

17. Quarum una ait: Obsecro, mi domine, ego et mulier hæc habitabamus in domo una, et peperi apud eam in cubiculo.

18. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit et hæc: et eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus.

19. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte; dormiens quippe oppressit eum.

20. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.

21. Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum, quem genueram.

22. Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris; filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.

23. Tunc rex ait: Hæc dicit: Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit: Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.

24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege,

25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri.

26. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo): Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.

27. Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur: hæc est enim mater ejus.

28. Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

¥. 15. *Evigilavit Salomon, et intellexit quod*, seu quodnam, *esset somnium* — scilicet divinitus immissum, quale subinde Prophetis et Patriarchis immiti solet, ut Adamo [2], Abrahamo [3], Josepho [4]: vel etiam aliis, ut Laban [5], Pharaoni [6], Nabuchodonosori [7]. Intellexit vero id Salomon ex ipsó effectu et fructu inde consecutó, nempe maxima sui mutatione, ex sapientia quam sibi infusam sensit: quæque instar lucis, suo splendore seipsam statim prodidit.

(1) Sap. 7, vers. 11; Matth. 6, vers. 29.
(2) Gen. 21, vers. 21.
(3) Gen. 15, vers. 12.
(4) Gen. 37, vers. 5.
(5) Gen. 31, vers. 24.
(6) Gen. 41, vers. 1.
(7) Dan. 2, vers. 1, et 4, vers. 2.

CAPUT IV.

Recensentur principes et præfecti Salomonis: mensæ apparatus, gloria, splendor, opes, sapientia.

1. Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel:
2. Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis:
3. Elihoreph et Ahia filii Sisa scribæ: Josaphat filius Ahilud a commentariis:
4. Banajas filius Jojadæ super exercitum: Sadoc autem et Abiathar sacerdotes.
5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis:
6. Et Ahisar præpositus domus: et Adoniram filius Abda super tributa.
7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi et domui ejus: per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant.
8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.
9. Bendecar, in Macces, et in Salebim, et in Bethsames, et in Elon, et in Bethanan.
10. Benheshed in Aruboth: ipsius erat Socho, et omnis terra Epher.
11. Benabinadab, cujus omnis Nephath Dor, Taphet filiam Salomonis habebat uxorem.
12. Bana filius Ahilud regebat Thanac et Mageddo, et universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana, subter Jezrahel, a Bethsan usque Abelmehula e regione Jecmaan.
13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Avothiair filii Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seres æreas.
14. Abinadab filius Addo præerat in Manaim.
15. Achimaas in Nephthali: sed et ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio.
16. Baana filius Husi, in Aser, et in Baloth.
17. Josaphat filius Pharue, in Issachar.
18. Semei filius Ela, in Benjamin.
19. Gaber filius Uri in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra.
20. Juda et Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, et bibentes, atque lætantes.
21. [1] Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terræ Philisthiim usque ad

℣. 4. *Sadoc et Abiathar sacerdotes* — nempe summi. Ast c. 2 audivimus dejectum pontificatu Abiatharem, et in exilium ablegatum. Unde patet, non hic recenseri ordinem ministrorum a solo Salomone constitutorum, sed quosdam interseri qui a patre ejus Davide designati fuerant, licet post a Salomone a suo gradu dejecti sint: uti contigit huic Abiathari pontifici, et quibusdam aliis. Quidam etiam per anacephalæosin repetitis nominibus et ministeriis: quidam denique per prolepsin, anticipata narratione commemorantur, v. g. Ben-Abinadab v. 11 dicitur *Tapheth filiam Salomonis habuisse uxorem:* et Achimaas, v. 15, *habuisse Basemath* alteram *Salomonis filiam in conjugio:* quæ non nisi multis post annis contigisse potuerunt.

℣. 21. *A flumine terræ Philisthiim,* hebraice est, *a flumine,* scilicet Euphrate,

(1) Eccli. 47, vers. 15.

terminum Ægypti: offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus.

22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ,

23. Decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium.

24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum: et habebat pacem ex omni parte in circuitu.

25. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.

26. [1] Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium.

27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed et necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo.

28. Hordeum quoque et paleas equorum et jumentorum deferebant in locum ubi erat rex juxta constitutum sibi.

29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.

30. Et præcedebat sapientia Sa-

et *terra Philisthiim*, quæ adjacebat *mari magno* seu Mediterraneo, *usque ad terminum Ægypti* — nempe fluvium *Rhinocoruram* [2], seu *Rhinocoluram;* qui et *Sihor* [3] *Ægypti, et torrens Ægypti* [4], et *torrens* [5] *deserti* vocari solet. Habes ergo hic tres terminos extremos terræ promissæ, unum a parte *australi* fluvium *Rhinocoruram*, sicut a *septentrionali* erat mons *Libanus*; alterum ab *occidentali*, terram Philisthinorum seu *mare Mediterraneum:* tertium ab *orientali*, flumen *Euphraten*. Atque ita completam hic vides divinam promissionem factam Abrahæ, Genesis 15, v. 18: *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti, usque ad fluvium magnum Euphraten.*

℣. 26. *Quadraginta millia præsepia equorum currilium* — seu jugalium, quia juga subeunt, et currus trahunt. Cum enim *Philisthæi* subinde *triginta millia curruum* ad bella secum traherent, 1 Regum 13, v. 5 nolebat Salomon vel illis, vel ullis qui bellum aliquando movere possent, ea ex parte cedere. Deinde ad rem rusticam, ad templi, ad tot palatiorum constructionem, ad saxa, ad ligna, ad annonam convehendam egebat ingenti numero tum equorum, tum curruum. Ad fastum vero seu pompam regiam, ad devehendas pro dignitate tot reginas, tot concubinas, serviebant alii currus nobiliores, quorum numerum habes 2 Paralip. 1, v. 24: *Facti sunt ei mille quadringenti currus,* qui *erant cum rege in Jerusalem,* uti *et duodecim* [6] illa *millia* equorum nobiliorum, quibus et honorarii regis et familiares vehebantur in comitatu regis saltem solemniore. Tanto equorum numero coacervando putant plerique peccasse Salomonem, cum id diserte vetitum esset Deuteron. 17, v. 16: *Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos.* Et ideo tam *Josue* [7], quam *David* [8] subnervabant quos ex hoste nacti sunt equos, et currus incendio dedebant. Et fortasse sumptus nimii, de quibus Israelitæ mortuo jam Salomone apud Roboam coqueruntur 3 Regum 12, vers. 4 ex pabulo tot equis subministrando, magna ex parte ortum habuerunt. Vide Serarium, Pinedam [9] et Sanctium. Abulensis tamen et nonnulli alii Salomonem a peccato, saltem graviori, vindicare conantur, partim ob bonam intentionem qua id fecit, partim ob necessitatem, ut ante exposui.

℣. 29. *Et latitudinem cordis* — Id est *magnanimitatem*, qua quæ sapientia et

(1) 2 Par. 9, vers. 25.
(2) Josue 13. (3) 1 Par. 13, vers. 5.
(4) 2 Par 7, vers. 8.
(5) Amos 6, vers. 15.
(6) 3 Reg. 4, vers. 26, et 2 Par. 1, vers. 14.
(7) Josue 11, vers. 9. (8) 1 Par. 18, vers. 4.
(9) Serar. in Josue 11, q. 7; Pineda sup. l. 7, cap. 14.

lomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum,

31. [1] Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, et Heman, et Chalcol, et Dorda, filiis Mahol, et erat nominatus in universis gentibus per circuitum.

32. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas: et fuerunt carmina ejus quinque et mille.

33. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.

34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

prudentia suggerebant ex usu seu communi, seu proprio fore, audebat confestim in opus conferre, nullo metu, nullo scrupulo retardante. Quomodo et de Alexandro Magno scribunt Historici, ipsum et in dubiis enodandis sapientissimum solertissimumque fuisse, et quod semel decrevisset, strenue, statim atque constanter executioni mandasse. Et sane absque hac dote frustra videri possit omnis et prudentia, et solertia, et sapientia: nam cui hæ bono, si non audeat quis uti?

(1) Eccli. 47, vers. 16.

℣. 31. *Sapientior Ethan Ezrahita* — Qui et poeta et musicus erat præcellentissimus, ut colligitur ex 1 Paral. 15, v. 19 et ex titulo Psalmi 88 qui inscribitur, *Intellectus Ethan Ezrahitæ*. Et hinc verisimile est, ut etiam ex nominibus patet, tam hunc *Ethan*, quam reliquos, quibus hic Salomon præfertur, Hebræos fuisse. Et ita docet Josephus [2], et communiter interpretes dicunt fuisse nepotes patriarchæ Judæ, uti dixi in ejus [3] Genealogia.

(2) Lib. 8 Antiq., cap. 2.
(3) Chronici cap. 46.

CAPUT V.

Hiram rex Tyri submittit Salomoni ad templum Domino construendum cæsores lignorum: quorum numerus recensetur, uti et latomorum, et bajulorum, et præfectorum.

1. Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore.

2. [1] Misit autem Salomon ad Hiram, dicens:

3. Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus.

4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: et non est satan, neque occursus malus.

5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David pa-

℣. 4. *Non est satan* — id est, adversarius, qui conatibus meis obsistere aut possit, aut velit. Sic supra 2 Reg. 19, v. 22 Joabum et Abisai vocabat David *Satanas: Quid mihi et vobis filii Sarviæ? cur efficimini mihi hodie in satan?* Id est, cur importuno studio vindictæ de maledico *Semei* sumendæ, adversamini mihi, quominus popularium animos parcendo ingnoscendoque mihi demerear?

(1) " Vers. 2. *Misit autem Salomon ad Hiram dicens*, Josephus l. 8 *Antiq.*, c. 2, refert mutuas Hirami, et Salomonis litteras; quos νοθειας arguunt Clericus et Calmetius in hunc locum; Josephum tamen hac in re omni fraudis nota vindicat Gilletus *adnot.* 1 *in eum librum.* "

tri meo, dicens: [1] Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.

6. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.

7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum.

8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis.

9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: et ego componam ea in ratibus in mari usque ad locum quem significaveris mihi: et applicabo ea ibi, et tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus.

11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.

12. [2] Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus.

13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum.

14. Mittebatque eos in Libanum,

℣. 7. *Benedictus Dominus Deus* — 2 Paral. 2, v. 12 expresse additur, *Deus Israel, qui fecit cœlum et terram.* Ergo laudat rex Gentilis verum Hebræorum Deum. Putabant enim plerique Gentiles plura esse vera Numina ac veros deos: ac proinde ita colebant singuli suos patrios deos, ut tamen etiam alienos non contemnerent. Sic Philisthæi, 1 Reg. 4, vers. 8, de arca dicebant: *Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum?* Sic Darius Medorum et Babyloniorum rex, Dan. 6, v. 16: *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Et 2 Mach. c. 3, v. 3: *Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum* in templo Jerosolymitano necessarios. Et Athenienses etiam ignotis sibi diis [3] aras ponebant: et Romani suo πανθεῶν templo cavebant, ne ulli uspiam deorum suus etiam Romæ cultus deesset. Pari ergo animo Tyrius rex Hiram, licet *Herculem* et *Astarthen* coleret tamquam patrios deos, quia tamen in Deo quoque Hebræorum reperit aliquid eximium et veneratione dignum, voluit etiam ipsum hic laudare ac glorificare.

℣. 8. *In lignis cedrinis et abiegnis* — 2 Par. 2, v. 8 plura petit Salomon, *Ligna,* inquit, *mitte cedrina, et arceuthina, et pinea, de Libano.* Nempe Libanus, ut aromatibus, sic et arboribus varii generis abundabat. Sed præ aliis petit Salomon *pinos* seu abietes; *arceuthos* LXX vertunt *juniperos:* sed omnium maxime *cedros:* quæ ut roboris ac proceritatis sunt eximiæ, et odoratæ materiæ, sic ad venustatem dignitatemque palatiorum, quæ sibi viri principes ad splendorem atque delicias construebant, aptissimæ atque optatissimæ erant. Et licet David ingentem istarum cedrorum copiam, uti et marmorum, ad templi fabricam comparasset, unde 1 Paral. 22, v. 4 dicitur, *Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David.* Quia tamen Salomon longe ampliora et magnificentiora ædificia animo jam suo designarat adjicere tum templo, tum palatio suo, suarumque uxorum, quam forma sibi a parente tradita requirebat, ideo et trabibus pluribus, et aliis novis marmoribus eguit.

℣. 13. *Elegit operarios de omni Israel* — sed præfectos et præpositos operum, quibus incumbebat curare nequando ces-

(1) 2 Reg. 7, vers. 13; 1 Par. 22, vers. 10. (2) Sup. 3, vers. 12. (3) Act. 17, vers. 23.

decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: et Adoniram erat super hujuscemodi indictione.

15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte:

16. Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo et his qui faciebant opus.

17. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, et quadrarent eos:

18. Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, et cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandam domum.

saret vel frigeret opus, nam ut dicitur c. 9, v. 22: *De filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum.* Unde qui hoc c. v. 15 dicuntur *onera portasse, et latomi* tot millia, erant ex *proselytis* omnes, ut expresse affirmat liber 2 Paral. c. 2, v. 17.

℣. 17. *Lapides pretiosos* — non quales annulis aut coronis includuntur: sed quales ab architectis ad splendida et lauta ædificia adhibentur, ut Parii lapides et porphyretici, et marmora omne genus. Quam *magni* fuerint ejusmodi lapides colligere licet ex c. 7 hujus libri v. 10, ubi *fundamenta* dicuntur fuisse *de lapidibus pretiosis magnis decem sive octo cubitorum.* Quam magnitudinem etiam auget Josephus [1], additque structuram totam etiam palatii Salomonis et filiæ Pharaonis ex marmore candido constitisse.

℣. 18. *Porro Giblii* — Hi orti videntur a *Gibal*, de quibus Psalmo 82, v. 6: *Gebal, et Ammon, et Amalec, cum habitantibus Tyrum.* Hi serrandi et quadrandi lapides, et dolandi ligna peritiam præ aliis habebant, ac proinde a Salomone pretio conducti sunt e Phœnicia, inquit Emmanuel Sa.

(1) Lib. 15 Antiq., cap. 14, etc.

CAPUT VI.

Forma et fabrica templi Salomonis. *

1. Factum est ergo [1] quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse

* Accuratam templi formam, si lubet, vide apud Ariam Montanum, Franc. Riberam, et Joannem Baptistam Villalpandum, et alios interpretes S. Ezechielis prophetæ. Hic obiter solum indicatur, qua ex parte diversum fuerit hoc Salomonis templum a tabernaculo Moysis. Cum enim tabernaculum Moysis non haberet in longitudine nisi 30 cubitos, in latitudine 10, in altitudine 10, templum Salomonis duplicatis omnibus longum erat 60 [2] *cubitos:* latum 20 [3] altum in Sancto sanctorum etiam 20 [4], in Sancto vero, seu in anteriore templo 30 [5]. Ad instar tabernaculi distinguebatur in duas partes, non solo velo [6], sed et muro solido, in quo *duo ostia* majora [7], et in majoribus istis *duo* minora *ostiola*, quibus ex anteriore templo (quod Sanctum vel Sanctuarium vocabatur, eratque in longitudine 40 cubitorum), ingressus patebat in interius templum, quod erat *Sanctum sanctorum*, seu *oraculum* [8], et longum, et latum, et altum erat 20 cubitos, hoc est perfecte quadratum. Ante ingressum Sancti *porticus* [9] erat coextensa

(1) 2 Par. 3, vers. 1.
(2) Vers. 2 hic.
(3) Vers. 2.
(4) Vers. 20.
(5) Vers. 2.
(6) 2 Par. 3.
(7) Vv. 31 et 32 hic.
(8) Vv. 19 et 20.
(9) Vers. 3.

est enim mensis secundus), regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.

2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine.

fronti templi, profunda 10 cubitos, hæc porticus instar turris attollebatur ad *centum* [1] *viginti cubitos*. Addit Josephus [2], etiam reliquam templi structuram, impositis variis aulis, aliisque cubiculis, in eamdem 120 cubitorum altitudinem, paullatim in arctum tendendo elatam fuisse. Totum templum ex marmore erat solido, jam ante in lapidicinis quadrato, dolato [3], et ad mensuram debitam comparato: unde cum in loco templi componerentur lapides, nullus auditus est malleorum, securium, serrarum aut aliorum ferramentorum strepitus. Hæc tamen marmora ab intus nulla ex parte [4] apparebant, sed *tabulis et laquearibus* [5] *cedrinis* (et *abiegnis* [6] hinc inde), convestita erant undique etiam in *fornice et pavimento* [7]. Hæ tabulæ in parietibus et fornice non erant planæ, sed variis *cælaturis* [8] *extrorsum protuberantibus* (quæ hic *anaglypha* vocantur) ornatæ, v. g. figuris *Cherubinorum, palmarum* [9], et similium rerum. Sed neque hæ tabulæ aut cælaturæ cedrinæ uspiam patebant oculis: nam *aureis ubique laminis* [10] tegebantur, ita inflexis, molliterque inductis, ut formas subjectarum cælaturarum ad vivum exprimerent. Et ne quid appareret toto templo non aureum, etiam *aureis clavis* [11] *laminas affixit* tabulis quorum *singuli appendebant siclos quinquaginta* [12]. Quin et altare marmoreum seu mensam, cui arca et Cherubini in oraculo insistebant, vestivit simili modo primum tabulis *cedrinis* [13], deinde laminis *aureis*. Duobus Cherubinis a Moyse juxta arcam ex solido auro positis, adjunxit Salomon duos alios longe majores *Cherubinos ex ligno* [14] *olivarum*, sed laminis *aureis* undique tecto. Pondus vero auri, quod in sola domo interiore, seu in Sancto sanctorum, laminis aureis contegendo absumpsit, erat 600 [15] *talentorum*. Unde conjecturam facere licet de domo anteriore duplo altera majore, in qua etiam pro uno candelabro posuit *decem candelabra* [16], pro una mensa *decem* [17] *mensas propositionis panum*, ut docet Ribera et alii.

Nota. Licet hæc omnia sic auxerit Salomon, nihil tamen contra divinum præscriptum egit: nam ut olim Moyses formam tabernaculi, sic David hujus templi ideam a Deo acceperat, 1 Paral. 28, v. 19: *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me.* Et huic ideæ institit Salomon. Porro de *tabulatis* tribus seu contignationibus circum latera templi, ubi *exedræ* erant, et *gazophylacia*, et *pastophoria*, seu cubicula sacerdotum pro custodia templi excubantium, item receptacula vasorum templi, et thesaurorum, et vestium sacrarum, quas illic induebant, exuebant et reponebant sacerdotes: de tribus atriis, sub dio, uno sacerdotum, in quo erat *altare holocaustorum* decem cubitis [18] altum, et *luter* sive labrum æneum, in quo sacerdotes et victimæ lavabantur: secundo, laicorum mundorum: tertio, immundorum et Gentilium: denique de palatiis plurimis vastissimisque tria illa atria cingentibus, quæ tempore obsidionis per Titum et Vespasianum binos capiebant Judæorum dissidentium exercitus: de infinito numero vasorum et supellectilium templi: deque aliis eo spectantibus, quorum hic nulla jam mentio, vide quos supra dixi, Villalpandum, Riberam et alios. Quamquam etiam ex iis quæ de tabernaculo Mosaico dixi, et in Ezechiele de templo dicturus sum, pleraque sat intelligi possint. Hoc solum hic adjungo, templum hoc a Salomone, in monte Moria, qui et Sion dictus fuit, eodem loco constructum fuisse, in quo jam olim Isaac, a parente jugulandus procubuit Genes. 22, et recens David in area Areuna sacrificium Deo ad pestem a populo divertendam obtulit, 2 Paralip. 3, v. 1. Id figurabat, Christum, qui per templum designabatur, esse verum

(1) 2 Par. 3, vers. 4.
(2) Lib. 8 Antiq., c. 2.
(3) Vers. 7 hic.
(4) Vv. 9 et 18.
(5) Ibid.
(6) 2 Par. 2, vers. 5.
(7) Vers. 15 hic.
(8) Vv. 18, 29 et 32.
(9) Vers. 29.
(10) Vv. 20, 21, 22.
(11) Vers. 21.
(12) 2 Par. c. 3, v. 9.
(13) Vv. 20 et 22, et 1 Par. 28, vers. 18.
(14) Vv. 23 et 28 hic.
(15) 2 Par. 3, vers. 8.
(16) 3 Reg. 7, vers. 49.
(17) 2 Par. 4, vers. 8, et 1 Par. 28, vers. 16.
(18) Ezech. 43, vers. 13.

3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi: et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.

4. Fecitque in templo fenestras obliquas.

5. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu.

6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi.

7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur.

8. Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ: et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium.

9. Et ædificavit domum, et consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.

10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis.

11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens:

12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi, [1] quem locutus sum ad David patrem tuum.

13. [2] Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel.

14. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam.

15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: et texit pavimentum domus tabulis abiegnis.

16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora: et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum.

17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.

18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.

19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini.

20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis: et operuit illud, atque vestivit auro purissimo; sed et altare vestivit cedro.

21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavis aureis.

22. Nihilque erat in templo quod

Isaacum, qui mortis suæ sacrificio nocentissimam animarum pestem, peccatum, a populo divertit: ita venerabilis Beda, Angelomus et alii [3].

(1) 2 Reg. 7, vers. 16. (2) 1 Par. 22, vers. 9.
(3) Confer etiam P. Lamy *de Tabernaculo fœderis, de sancta civitate Jerusalem* et *de Templo* l. 7, Parisiis 1720, aliosque AA. citatos ab abbate Artigny tom. 1 *Novor. Monum. histor. critices*, etc., pag. 150 seqq, quibus adde P. Martin *in explic. locor. Script. difficil.* pag. 186 ad 200, et Gilletum *in* 8 *antiq. Judaic. lib., adnot. 4 ad 15.*

non auro tegeretur: sed et totum altare oraculi texit auro.

23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis.

24. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera: id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.

25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim,

26. Id est, altitudinem habebat unus cherub decem cubitorum, et similiter cherub secundus.

27. Posuitque cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant.

28. Texit quoque cherubim auro.

29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno: et fecit in eis cherubim, et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes.

30. Sed et pavimentum domus texit auro intrinsecus et extrinsecus.

31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque.

32. Et duo ostia de lignis olivarum: et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmarum species, et anaglypha valde prominentia: et texit ea auro: et operuit tam cherubim quam palmas, et cætera, auro.

33. Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos:

34. Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur.

35. Et sculpsit cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes; operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.

36. Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri.

37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio:

38. Et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.

CAPUT VII.

Palatium regium Salomonis. Domus saltus Libani. Domus filiæ Pharaonis. Et sumptuosissima singularum supellex: et vasa templi.

1. Domum autem suam ædificavit Salomon [1] tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit:

2. Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis: et quatuor deam-

(1) Infr. 9, vers. 10.

℣. 2. *Domum saltus Libani* — Chaldæus vertit, *domum refrigerii regum.* Erat domus suburbana et silvestris, cincta arboribus et viridariis, et amœnitate sua referens *Libanum.* Sic *Tempe* seu Hesperidum horti dicuntur loca etiam alia, quæ mira florum aromatumque suavitas, et aura salubris perflat. Sic *Euripi* vocantur omnes aquarum sinuosi decursus. Sic *Academia,* locus Athenis litteris et litteratis illustrior, nomen dedit et

bulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim

4. Contra se invicem positas,

5. Et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, et super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.

6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, et triginta cubitorum latitudinis: et alteram porticum in facie majoris porticus: et columnas, et epistylia super columnas.

7. Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: et texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem.

8. Et domuncula, in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (1 quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali et hanc porticum.

9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fundamento usque ad summitatem parietum, et extrinsecus usque ad atrium majus.

10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum.

11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro.

12. Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro: necnon et in atrio domus Domini interiori, et in porticu domus.

13. Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro,

14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, et plenum sapientia, et intelligentia, et doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.

15. Et finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam: 2 et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.

villæ Ciceronis, ubi de rebus philosophicis frequens disputatio: et tot aliis per orbem locis, in quibus doctorum virorum publici conventus. Ad eumdem modum *Saltus Libani*, quia ceteris prælustrior ac celebrior, nomen suum suburbano Salomonis attribuit: ita Cajetanus, Abulensis, Procopius et alii, quorum nonnulli addunt, Salomonem istic suum *armamentarium* constituisse, quod colligitur ex c. 10, v. 17 collato cum cap. 14, vers. 28.

℣. 13. *Hiram* — Hic erat alter *Beseleel*, de quo Exodi 31. Quem, quod in ære conflando, cudendo, formandoque princeps ac magister esset, tam Salomon, quam Hiram rex Tyri *patrem* suum vocitare solebant, ut patet lib. 2 Paralip. c. 2, v. 13, et c. 4, v. 16. Erat hic natus matre *de* tribu *Dan*; ut dicitur lib. 2 Paralip. c. 2, v. 14, et patre *de tribu Ne-*

(1) Supr. 3, vers. 1.

phthali, ut hic (et in Hebræo expressius) dicitur: qui tamen *Tyrius* vocabatur, ob diuturnam istic habitationem, et artis suæ exercitium: ita S. Hieronymus ex traditione Hebræorum, et Joannes Mariana.

℣. 15. *Finxit duas columnas æreas, decem et octo cubitorum altitudinis* — Numerus perfectus pro imperfecto: nam singulæ tantum erant 17 cubitorum cum medio, ut constat ex 2 Paralip. 3, v. 15, ubi hæ *columnæ* simul ambæ dicuntur habuisse *triginta quinque cubitos altitudinis:* ita Vatablus, Abulensis, Ribera, Mariana et Sanctius.

Linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque — Hic *linea* ponitur non pro fascia vel spira, quæ fuerit columnarum ornamentum: sed pro *mensura*, quæ ut totam columnæ peripheriam seu circumferentiam amplectere-

(2) Jer. 52, vers. 21.

16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum:

17. Et quasi in modum retis, et catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero.

18. Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem, malogranatorum: eodem modo fecit et capitello secundo.

19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.

20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.

21. Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen ejus Booz.

22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectumque est opus columnarum.

23. [1] Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.

24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles.

25. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem, et mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant.

26. Grossitudo autem luteris trium unciarum erat: labiumque ejus, quasi labium calicis, et folium repandi lilii: duo millia batos capiebat.

tur, necesse erat, haberet 12 cubitos longitudinis: ut explicat Josephus [2], dum ait, singularum ambitum seu circumferentiam fuisse 12 cubitorum. Unde etiam colligitur quanta fuerit columnarum crassities; nempe quatuor circiter cubitorum, quæ est tertia pars 12 cubitorum; diameter enim fere tertia pars est circuli. Jerem. 52, vers. 21 dicuntur hæ columnæ intrinsecus concavæ fuisse, et spissitudinem seu grossitiem habuisse 4 digitorum. Columnis capitella imposuit operis sane elegantissimi, quod nos Jonicum vocamus: et singulis appendit binos ordines malogranatorum, in quorum singulis erant malogranata 96, ut expresse habet Jeremias supra vers. 23, licet hoc loco numerus perfectus pro imperfecto ponatur, et in singulis ordinibus dicantur fuisse *centum malogranata*. Porro formam horum capitellorum graphice describit, et iconibus exprimit Villalpandus [3], uti et alia hujus capitis.

℣. 21. *Has duas columnas statuit in porticu* seu vestibulo *templi*. Eam quæ *a dextris* erat, *vocavit Jachin*, id est, firmiter directam seu stabilitam: quæ *a sinistris, Booz* — id est, *in eo fortitudo*. Quasi dicat, Hæc duo maxime exopto atque a Deo deposco, tum templo, tum mihi meisque successoribus, tum populo universo.

℣. 26. *Grossitudo*, seu spissitudo, *luteris*, id est lavatorii (quod v. 23 propter ingentem capacitatem vocarat *mare* æneum), *erat trium unciarum* [4]. — 2 Paralip. 4, v. 5 dicitur *vastitas ejus* habuisse *mensuram palmi*, nempe minoris seu contracti, qui constat quatuor digitis. Porro *tres unciæ*, seu quarta pars *pedis*, erant *quatuor digiti* seu *palmus*. Ergo crassities hujus maris ænei eadem

(1) 2 Par. 4, vers. 2. (2) L. 8 Antiq., c. 2. (3) Lib. 2 in Ezech. (4) Proleg. de mensur.

27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis.

28. Et ipsum opus basium, interrasile erat: et sculpturæ inter juncturas.

29. Et inter coronulas et plectas, leones et boves et cherubim: et in juncturis similiter desuper: et subter leones et boves, quasi lora ex ære dependentia.

30. Et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei: et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes.

31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: et quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: et media intercolumnia, quadrata non rotunda.

32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum et semis.

33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri; et axes earum, et radii, et canthi, et modioli, omnia fusilia.

34. Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles et conjuncti erant.

35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.

36. Sculpsit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, et in angulis, cherubim, et leones, et palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.

37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, et mensura, sculpturaque consimili.

38. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit.

39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, et quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem.

40. Fecit ergo Hiram lebetes, et scutras, et hamulas, et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini.

erat cum crassitie columnarum supradictarum. Reliqua hujus capitis ad architectonicam spectantia vide Exodi 38 et Ezechiel. 40 et seqq. capp., et apud Villalpandum.

Duo millia batos capiebat — At in lib. Paralip. supra dicitur, *Capiebat tria millia metretas:* quæ eadem est mensura cum *bato*. Nimirum erant illi *bati vulgares*, tertia parte minores *batis sacris:* ita Mariana. Nisi malis dicere cum Emmanuele Sa, solere infundi solum *bis mille batos*, licet capere posset *tria millia*.

℣. 28. *Interrasile* vocatur *opus*, quod ita sculptum est, ut aliquid in eo sit planum et rasum, et deinde reliquæ cælatæ rerum formæ emineant, v. g. lilia, palmæ, aliaque emblemata.

℣. 29. *Coronulæ* sunt illæ quasi fasciæ et limbi, qui abacos concludunt et continent; quæ *plectæ* tum vocantur cum variis aut intexuntur floribus, aut lineis et loris laqueantur. Latini *plexas* dicunt, seu nexas coronas, aut sutiles seu nexiles flores. De quibus lib. 1 Machabæor. c. 4, ℣. 57, *Ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis.*

℣. 40. *Fecit quoque scutras* — Genus est vasis profundi et circularis: unde *scutella* diminutiva forma derivatur. Differt autem *scutra* a *lebete*, quod *scutra*

41. Columnas duas, et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos: et retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.

42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.

43. Et bases decem, et luteres decem super bases.

44. Et mare unum, et boves duodecim subter mare.

45. Et lebetes, et scutras, et hamulas; omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant.

46. In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth et Sarthan.

47. Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.

48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, et mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream:

49. Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, et quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: et quasi lilii flores, et lucernas desuper aureas: et forcipes aureos,

50. Et hydrias, et fuscinulas, et phialas, et mortariola, et thuribula, de auro purissimo: et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, et ostiorum domus templi, ex auro erant.

51. [1] Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum et aurum, et vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

latior sit quam profundior: *lebes* non item, ut videre est in nostris ollis, chytrapodibus, etc.

Hamula, vel, ut alii, *amula*, vas est ad ferendam aquam vel vinum, cujus erat usus in sacrificiis. Latini *urceolos* vocant: quales sunt quibus in sacrificio Missæ aquam et vinum subministramus. 2 Paralip. 4, vers. 16 adduntur etiam *phialæ et creagræ*. Phiala vas erat latum et amplum, ad excipiendum victimarum sanguinem. Creagra uncinus est seu tridens, quo (ut nomen Græcum indicat) ex olla seu lebete carnes extrahuntur.

℣. 45. *Omnia vasa quæ fecit Hiram,*

(1) 2 Par. 5, vers. 1.

de aurichalco erant — Liber Paralip. loco jam citato, dicit, *ex ære mundissimo* facta omnia. Et ita etiam hic est in Hebræo. Erat species æris nobilioris, quale postea *Corinthium* fuit, admistione argenti, forsan et auri, notissimum. De hoc legimus 2 Reg. 8, v. 8, *Regem Davidem de Bete et de Beroth civitatibus Adarezer tulisse æs multum nimis:* de quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo et mare æneum, et columnas, et altare. Quod si Josepho [2] fides habenda, genus illud æris majori erat in pretio, quam vulgare aurum. Et favet quod 1 Esdræ 8, v. 27 dicitur, *Vasa æris* fuisse *pulcra ut aurum.*

(2) Lib. 7 Antiq., cap. 8.

CAPUT VIII.

Solemnis dedicatio templi. Oratio Salomonis. Numerus holocaustorum et aliarum victimarum.

1. Tunc [1] congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id est, de Sion.

(1) 2 Par. 5, vers. 2.

2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus.

3. Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes,

4. Et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: et ferebant ea sacerdotes et Levitæ.

5. Rex autem Salomon, et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero.

6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim:

7. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes ejus desuper.

8. Cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem.

9. In arca autem non erat aliud, [1] nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.

10. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini,

11. Et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini.

℣. 2. *Convenit universus Israel in mense Ethanim* — id est *fortium*, quia mense Septembri (qui respondet magna ex parte illi septimo mensi Hebræorum) fructus sunt fortes, seu maturi. Solebat is mensis esse primus totius anni, ut habet hic Chaldæus: sed ex quo mensis *Nisan* in æquinoctio verno, egredientibus ex Ægypto Hebræis, jussus est esse primus, factus est *Ethanim* mensis septimus: et post captivitatem Babylonicam dictus est *Tisri*. Hic mensis, quia propter plurium solemnitatum concursum celebris admodum erat Hebræis, ut dixi Levitici 16 et 23, idcirco a Salomone delectus est dedicationi templi sui. Cumque cogerentur omnes e *masculino sexu* Hebræi *decimaquinta die mensis hujus septimi* [2] ad festum *tabernaculorum* toto octiduo celebrandum convenire in *Gabaon* [3], ubi tum temporis erat *tabernaculum fœderis a Moyse constructum* in deserto Sinai; usus hac occasione Salomon, jussit, loco Gabaon, convenirent omnes in Jerusalem, sed octiduo ante festum *scenopegiæ:* se enim decrevisse, tam tabernaculum, quam arcam transferre in templum recens a se constructum, ut istic in stabili ac fixa sede æternum manerent, ad hanc solemnem translationem, et novi templi inaugurationem, octava die mensis septimi adessent omnes, colligitur ex ultimis duobus versibus hujus capitis, ubi dicitur populus totis quatuordecim diebus hæsisse Jerosolymæ: et *die* demum *octava* scenopegiæ, qui erat vigesimus secundus mensis septimi, facta *collecta* (de qua vide Levit. 23, v. 36) remissum populum ad propria: quod sequenti die, nempe vigesima tertia contigisse affirmat liber 2 Paralip. c. 7, v. 10. Jam vero a viginti duobus diebus tolle quatuordecim, deprehendes, octavo die illius mensis populum convenisse, et templum dedicasse.

℣℣. 3 et 4. *Tulerunt arcam Domini* ex domo et civitate David [4], quæ et Sion dicebatur, *et tabernaculum fœderis* — nempe *Mosaicum*, quod hucusque fuerat in *Gabaon:* et jam decenter convolutum, religiose asservari jussum in templo Salomonis, loco aliquo penitiore, ubi reliqui sacri thesauri recondebantur, ad latera sanctuarii, ut dixi c. 6. Hic vero asservatum fuit donec a Jeremia inde sublatum est permissu Chaldæorum, ut dixi 2 Regum 21, vers. 7.

(1) Exod. 34, vers. 27; Ad Hebr. 9, vers. 4.
(2) Deut. 16, vers. 16, et Lev. 23, vers. 34.
(3) 2 Par. 1, vers. 3.
(4) 2 Par. 5, vers. 2.

12. Tunc ait Salomon: [1] Dominus dixit ut habitaret in nebula.

13. Ædificans ædificavit domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.

14. Convertitque rex faciem suam, et benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat.

15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, dicens:

16. A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, et esset nomen meum ibi: sed elegi David ut esset super populum meum Israel.

17. [2] Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel:

18. Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.

19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

20. Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est: stetique pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel.

21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Ægypti.

22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cælum,

23. Et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo desuper, et super terram deorsum: qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.

24. Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hæc dies probat.

25. Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens: [3] Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo.

26. Et nunc, Domine Deus Israel, firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo.

27. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?

28. Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie:

29. Ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: [4] Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus;

℣. 12. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula* — 2 Paralip. 6, v. 1 *in caligine.* Id dixisse Dominum collegit Salomon ex Levit. 16, v. 2, *In nube apparebo super oraculum,* Idem didicit ex cap. 40 Exodi, vers. 32 ubi dicitur, *Postquam omnia* circa tabernaculum a Moyse *perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii.* Unde prudenter collegit Salomon, jam quoque, cum perfecto templo similis nubes appareret, illam divinæ præsentiæ, favorisque singularis signum esse certissimum. Reliqua hujus capitis vide 2 Paralip. 5.

(1) 2 Par. 6, vers. 1. (2) 2 Reg. 7, vers. 5. (3) 2 Reg. 7, vers. 12. (4) Deut. 12, vers. 11.

30. Ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto; et exaudies in loco habitaculi tui in cælo, et cum exaudieris propitius eris.

31. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adstrictus, et venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam,

32. Tu exaudies in cælo, et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam.

33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi), et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint et deprecati te fuerint in domo hac;

34. Exaudi in cælo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum.

35. Si clausum fuerit cælum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam:

36. Exaudi eos in cælo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel: et ostende eis viam bonam per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas,

38. Cuncta devotatio, et imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac,

39. Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum)

40. Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

41. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum

42. Extentum ubique), cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco,

43. Tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, et contra domum, quam ædificavi nomini tuo,

45. Et exaudies in cælo orationes eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum.

46. Quod si peccaverint tibi (1 non est enim homo qui non peccet), et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope,

℣. 31. *Si peccaverit homo in proximum suum*, sed in jus vocatus, negaverit se peccasse, suique purgandi caussa *habuerit juramentum* — id est, juramento (de more) depulerit a se suspicionem sceleris; tu Deus reum detege, insontem absolve. Ita enim hæc eadem explicantur 2 Paralip. 6, vers. 22.

(1) 2 Par. 6, vers. 36; Eccl. 7, v. 21; 1 Joan. 1, vers. 8.

47. Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus:

48. Et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: et oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod ædificavi nomini tuo:

49. Exaudies in cælo, in firmamento solii tui, oraciones eorum, et preces eorum, et facies judicium eorum:

50. Et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum quibus prævaricati sunt in te: et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis.

51. Populus enim tuus est, et hereditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ;

52. Ut sint oculi aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te.

53. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus.

54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, et manus expanderat in cælum.

55. Stetit ergo et benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens:

56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum.

57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens.

58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus, et judicia quæcumque mandavit patribus nostris.

59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium servo suo, et populo suo Israel per singulos dies:

60. Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, et non est ultra absque eo.

61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, et custodiamus mandata ejus, sicut et hodie.

62. Igitur rex, et omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino.

63. Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium

℣. 54. *Surrexit* Salomon *de conspectu altaris Domini* — Eodem loco Paralip. v. 13 dicitur Salomon *fecisse basim æneam in medio basilicæ* seu porticus, quæ erat circum atrium Israelitarum. Eratque hæc basis haud procul ab introitu atrii sacerdotalis. *Stetitque* oravitque *super eam*, nam istic erat locus regis et principum, ut ex Ezechielis 46, vers. 12 colligitur. In libro Paralip. 2, c. 7, v. 1 additur, *Cum complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta, et victimas.* Quod idem repetitur 2 Machab. 2, v. 10. Quo signo testabatur palam Deus, placere sibi ista sacrificia et sacrificantes. Uti testatus etiam fuit in Abelo [1], Moyse [2], Gedeone [3], Elia [4] et Nehemia [5].

(1) Gen. 4, vers. 4. (2) Lev. 9, vers. 24.
(3) Judic. 6, vers. 21. (4) 3 Reg. 18, vers. 38.
(5) 2 Mach. 1, vers. 21.

centum viginti millia : et dedicaverunt templum Domini rex et filii Israel.

64. In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, et sacrificium, et adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, et capere non poterat holocaustum, et sacrificium, et adipem pacificorum.

65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus et septem diebus, id est, quatuordecim diebus.

66. Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua lætantes, et alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo.

CAPUT IX.

Deus secundo apparens Salomoni, jubet sua complere præcepta: minis additis ni compleat. Salomon plures exstruit civitates: populos vicinos facit sibi tributarios: ex Ophir auri plurimum quotannis recipit.

1. Factum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere,

2. Apparuit ei Dominus secundo, [1] sicut apparuerat ei in Gabaon.

3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

4. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea et judicia mea servaveris:

5. [2] Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.

6. Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, et cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos:

7. Auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis, et templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, et in fabulam cunctis populis.

8. Et domus hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, et sibilabit, et dicet: [3] Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic?

9. Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.

10. [4] Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salo-

(1) Sup. 3, vers. 5; 2 Par. 7, vers. 12.
(2) 2 Reg. 7, vv. 12, 16.
(3) Deut. 29, vers. 24; Jerem. 22, vers. 8.
(4) 2 Par. 8, vers. 1.

mon duas domos, id est, domum Domini, et domum regis'

11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina et abiegna, et aurum juxta omne quod opus habuerat), tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.

12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et non placuerunt ei,

13. Et ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas terram Chabul, usque in diem hanc.

14. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.

15. Hæc est summa expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini et domum suam, et Mello, et murum Jerusalem, et Heser, et Mageddo, et Gazer.

16. Pharao rex Ægypti ascendit, et cepit Gazer, succenditque eam igni: et Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis.

17. Ædificavit ergo Salomon Gazer, et Bethoron inferiorem,

18. Et Baalath, et Palmyram in terra solitudinis.

19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant et erant absque muro, munivit, et civitates curruum et civitates equitum, et quodcumque ei placuit ut ædificaret in Jerusalem, et in Libano, et in omni terra potestatis suæ.

20. Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, et Hethæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel:

21. Horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare, fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc.

22. De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam,

℣. 13. *Appellavit eas terram Chabul* — quod Phœnicum, id est Tyriorum et Sidoniorum, lingua significat *Vile*, inquit Josephus [1]: hebraice significat *compedes*, inquit Mariana: quod ager civitatum illarum nimiis arenis, vel nimio luto suo, quasi compedibus detineret viatores: ita ex Rabbinis Lyranus. Hæc viginti oppida concesserat Salomon regi Tyrio pro viginti annorum operis et impensis. Concesserat, inquam, non quoad dominium (quia ex funiculo Israelitico, utpote hereditate Domini Dei, non poterat quidpiam perpetua dominii translatione abalienari, Levit. 25, v. 23, *Terra non venditur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis: unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*); sed solum quoad usumfructum: ut nempe fructus illius regionis tamdiu perciperet, quoad impensas factas recuperasset. Et erant hæc oppida in ea regione Galilææ quæ Tyro vicina est, quæque exinde *Galilæa Gentium* appellata est Isaiæ 9, v. 1. Verum cum Hiram per otium ea oppida contemplatus esset, neque talia putaret, ex quibus nisi longo tempore et gravi molestia sumptus factos recuperare posset; noluit ea admittere [2], sed aliam prompto ære solutionem depoposcit: ita Josephus. Et Salomon, ut animo erat generoso, præstitit extemplo quod petebatur. *Summa* vero *expensarum*, ut hic dicitur, *quam* Hiram repetebat, et quam *Salomon* ei promptam *obtulit*, erant *centum viginti talenta auri* [3], quæ subcisivis temporibus ante *misit* seu miserat *Hiram ad regem Salomonem, ad ædificandam domum Domini, domum* regiam et alia ædificia.

℣. 19. *Munivit* validis muris *omnes vicos*, non quotquot in Judæa erant (quia frustraneum hoc et immensi operis esset), sed quotquot in finibus erant, et contermini hostibus. Item *civitates curruum et equitum* — id est, in quibus currus et equites fovebantur, novis mœnibus sepsit, ut non solum ornamento Israeli, sed et præsidio ac munimento essent adversus hostium incursiones.

(1) Lib. 8 Antiq., cap. 2.

(2) Colligitur ex 2 Par. cap. 8, vers. 2.
(3) Vide Proleg. de Ponderibus.

sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et præfecti curruum et equorum.

23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subjectum populum, et statutis operibus imperabant.

24. [1] Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello.

25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, et pacificas victimas, super altare quod ædificaverat Domino, et adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum.

26. Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumææ.

27. Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos et gnaros maris, cum servis Salomonis.

28. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

℣. 24. *Tunc ædificavit Mello* — Erat hæc publica Jerosolymis area, et pars profundior vallis latissimæ *Mello* monti Sion subjecta, quæ quod frequenti hominum multitudine incoleretur, dicta fuit *Mello*, quæ vox *multitudinem* indicat. Hanc aream Salomon, ut uxoris suæ, filiæ Pharaonis commodo deliciisque subserviret, publico ereptam, et ædificiis variis constructam vicino uxoris palatio adjecit. Quæ populo, et imprimis Jeroboamo, murmuris primum, dein et rebellionis occasio fuit, ut infra cap. 11, vers. 26 videbimus.

(1) 2 Par. 8, vers. 11.

℣. 25. *Offerebat Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta*, etc. — Puta in Paschate, Pentecoste et *Scenopegia*, ut explicatur 2 Paralip. 8, v. 13, non quod aliis diebus nihil offerret (nam ibid. dicitur *obtulisse Salomonem* templo quæ necessaria erant, ut *per singulos dies* holocaustum *offeretur*): sed quod illis tribus primariis festis majori solemnitate et pompa hostias rege dignas offerret.

De *classe Hiram*, et de *Ophir*, vide 2 Paral. 8 [2].

(2) Et Artigny, auctoresque ab eo citatos t. 1, artic. 15.

CAPUT X.

Venit regina Saba ad regem Salomonem. Annui Salomonis proventus, vasa, scuta, thronus eburneus, supellex omnis aurea, currus, equi, et opes immensæ.

1. Sed [1] et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum in-

℣. 1. *Regina Saba* — Duplex est *Saba* seu *Sabæa:* una in *Æthiopia* proprie dicta; quæ et *Meroe* dicitur, in regione *Abyssinorum* sive *Preto-Joannis*, et hæc scribitur per שׂ *scin*. Altera est in *Arabia Felici*, et scribitur per ס *samech*. Utraque exprimitur illo versiculo Psalmi 71: *Reges Arabum et Saba*, hebraice est, reges *Seba et Sceba* [2]. Ubi per priorem *Sebam* seu *Sabam* dum *Arabiam* intelligit, videtur et hoc loco, ubi eisdem litteris scribitur *Saba*, urbs vel regio Arabiæ intelligenda. Et hæc eadem est ex qua etiam tres *Magi* ad Christum in Bethlehem munera detulerunt. Et subinde etiam vocatur *Æthiopia*, ut dixi Num. 12 cum explicarem, qua ratione uxor Moysis ex Arabia progenita, vocetur tamen Æthiopissa: ita S. Hieronymus [3], Sanctius et alii. Et confirmatur ex Jobo et Isaia,

(1) 2 Par. 9, vers. 1; Matth. 12, v. 42; Luc. 11, vers. 31.

(2) סבא שבא.

(3) In c. 60 Isa., et in Trad. Hebr., et in 10 Gen.

finitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.

3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei.

4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat,

5. Et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum.

6. Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audivi in terra mea

7. Super sermonibus tuis, et super sapientia tua: et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi.

8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.

9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam.

10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata, tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

11. (Sed et [1] classis Hiram, quæ

qui quando *Sabæ* meminerunt, eam conjungunt iis regionibus quas nemo negat esse in Arabia, vel saltem Arabiæ vicinas. Job enim cap. 6, v. 19 eam jungit cum *Theman:* Isaias cap. 60, vv. 6 et 7 cum *Madian, Epha, Cedar,* et *Nabajoth* conjungit, quæ sunt partes *Arabiæ*. Et quis nescit, *Sabæos,* qui Jobi armenta deprædati sunt, ex vicina Arabia fuisse? Atqui omnibus illis locis *Saba* hebraice iisdem quibus hic litteris conscribitur. Et *Petrus Pauli* ex nostra Societate, litteris ex ea Æthiopia quæ ad *sinum* est *Arabicum,* haud ita pridem datis, affirmat, prope eumdem *sinum Arabicum* civitatem ab indigenis ostendi, in qua nata creditur hæc de qua nunc agimus *regina Saba.* Confirmatur secundo, quia munera quæ seu Magi ad Christum, seu regina hæc ad Salomonem detulisse dicuntur, puta aurum, thus, myrrha, gemmæ pretiosæ, cinnamomum aliaque aromata, non nascuntur in Æthiopia, sed in Arabia Felici maxima copia, teste Diodoro Siculo, Herodoto [2] et aliis. Additque Herodotus *Arabiam ad meridiem* (nam eo ex parte vergit, licet alioqui sit *orientalis* respectu Jerosolymæ), *ultimam e regionibus esse quæ habitantur.* Et hæc forte ratio est, cur hæc *regina Saba* a Christo vocetur *regina Austri,* et ad Salomonem dicatur venisse *ab ultimis finibus terræ,* Matthæi 12 et Lucæ 11. Allegorice secundum Eucherium, Ecclesia Gentium adcurrit ad Christum. Et sane videtur hæc regina dum gryphorum et ænigmatum suorum, seu subtilium quæstionum solutiones quæsitum venit, neque altius curiosam mentem attolleret, ea occasione cognitionem veri Dei reperisse, eademque populos sibi subditos imbuisse. Sed quod tradit Joannes Barrus [3] Lusitanus, hanc reginam Salomoni consortem thori fuisse, ex eoque filium *Meilech* genuisse, a quo propagati sint omnes ad hoc usque ævum Abyssini reges Æthiopiæ: qui etiam idcirco se scribunt *filios Salomonis, et filios columbæ Sionis, filios David ex semine Jacob, ex stirpe Juda,* etc. præterquam quod adversetur probatæ jam a nobis sententiæ de regione *Sabææ,* quæ non ex *Æthiopia* Abyssinorum, sed ex *Arabia* hanc reginam ad Salomonem misit: probrosum nimis est tantis regibus: nec nisi ex Abyssinorum lacunis haustum, in quibus parum veri, nihil certi, inquit Sanctius [4].

℣. 11. *Ligna thyina* — id est odorata,

(1) 2 Par. 9, vers. 10.
(2) Diod. l. 3, c. 12; Herod. l. 3.
(3) De Abyssinis.

(4) Pro Abyssinis tamen stare videtur Josephus, cujus causam contra Bochartum agit Gilletus *in* 8 *Judaic. Ant. lib. adnot.* 19.

portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, et gemmas pretiosas.

12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, et domus regiæ, et cytharas lirasque cantoribus: non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.)

13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit et petivit ab eo: exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, et abiit in terram suam cum servis suis.

14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri:

15. Excepto eo, quod afferebant viri qui super vectigalia erant, et negotiatores, universique scruta vendentes, et omnes reges Arabiæ, ducesque terræ.

16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.

17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani.

18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis,

19. Qui habebat sex gradus: et summitas throni rotunda erat in parte posteriori: et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: et duo leones stabant juxta manus singulas.

20. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis.

21. Sed et omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: et universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis,

22. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos.

23. Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis, et sapientia.

24. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.

25. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque, et equos et mulos, per annos singulos.

26. [1] Congregavitque Salomon currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et disposuit eos per civitates munitas, et cum rege in Jerusalem.

27. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum: et cedrorum, præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus.

et ad suave suffimentum idonea; a verbo Græco Θύω, quod suffire significat, talia enim ligna etiam hodie ex Orientali India a Lusitanis plurima comportantur. Ribera [2] vult ex arbore *thya*, quæ incorrupta et similis est *cypresso*, nomen hoc derivatum: Chaldæus cum Rabbinis vertit *corallium*: LXX *pinum*, uti et Josephus [3], alii *ebenum* putant: quidam ex Hebræis *lignum Brasilium* ebeno splendidius. Unde nihil hic certi, nisi hoc unum, *citharas* inde et *psalteria* seu nablia, et *graduum* investitiones confectas fuisse: quod *corallio* non convenit. Certum item, non fuisse lignum Judæis antea seu visum, seu notum: nam, ut est in 2 Paralip. 9, v. 11, *Numquam visa sunt in terra Juda ligna talia.* Et hoc de *pino* affirmari non potest. De *Tharsis* vide 2 Paral. 9, v. 21.

(1) 2 Par. 1, vers. 14. (2) In Apoc. 18. (3) Lib. 8 Antiq., cap. 2.

28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, et de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, et statuto pretio perducebant.

29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum et Syriæ equos venundabant.

CAPUT XI.

Salomon ab uxoribus alienigenis infatuatus, adorat ipsarum idola, et singulis templa construit. Cui iratus Dominus suscitat adversarios Adad, Razon, et Jeroboam: et huic per Ahiam prophetam promittit regnum decem tribuum Israelis. Mortuo Salomoni succedit Roboam.

1. Rex autem Salomon [1] adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas:

2. De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: [2] Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.

3. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ: et averterunt mulieres cor ejus.

4. Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum.

6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus.

7. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon.

℣. 1. *Filia quoque Pharaonis* — Potuit hanc, utpote quæ Hebræorum religionem complecteretur, uxorem accipere Salomon, ut dixi Exodi 34. Sed videtur mulier callida, ne tanti regis thoro frustraretur, simulasse potius, quam ex animo complexa fuisse veram religionem. Postea vero cum ad thalamum regium advocari vidit tot alias peregrinæ religionis feminas, larvam deposuit, et Ægyptiacas superstitiones publice professa fuit. Quare etiam propter ipsam hic arguitur Salomon, non minus quam propter alias idololatrides: nam sicut has assumere non poterat, lege id severe vetante, ita neque istam in conjugali consortio retinere, quamprimum rescivit ipsam publice alienam ab Hebræorum religione mentem prodidisse [3].

(1) Deut. 17, vers. 17; Eccli. 47, vers. 21.
(2) Exod. 34, vers. 16.

℣. 5. De *Astarthe dea Sidoniorum*, id est, *Venere*, ut hic Sanctius: vel, ut alii, *Junone*, dixi Judic. 2.

Moloch, vel, ut hebraice est, *Melchom*, id est, rex eorum; a Sanctio putatur *Sol* esse, utpote rex astrorum: ab Œcumenio *Mercurius:* a Cajetano *Priapus:* a Ribera [4] *Jupiter:* a Mariana vero et Vatablo et plerisque aliis dicitur fuisse *Saturnus*, qui ut filios suos devorasse scribitur, ita statua sua ænea candente et cava excipiebat oblatos sibi infantulos, et igni absumebat, ut dicam 4 Regum 23, vers. 10.

℣. 7. *Chamos idolo Moab* — Hic vel *Bacchus* erat, vel *Priapus*: qui Græcis (a quibus Hebræi et Syri accepisse videntur) κῶμος dicebatur, unde *comessatio*, quam sequitur omnis intemperantia.

(3) Exod. 34 et alibi.
(4) Tract. de Templo.

8. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis.

9. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui [1] apparuerat ei secundo,

10. Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus.

11. Dixit itaque Dñus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo.

12. [2] Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud,

13. Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, et Jerusalem quam elegi.

14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom.

15. [3] Cum enim esset David in Idumæa, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculinum in Idumæa

16. (sex enim mensibus ibi mo-

Certe dei istius sacra tam impura erant et fœda, ut nonnisi in tenebris obiri possent, utpote ingenuis oculis indigna. His aliisque pluribus idolis Salomon et aras et templa posuit complura, et thus adolevit, et victimas immolavit. Et continuata sunt hæc templa usque ad tempora Josiæ, qui ea omnia stirpitus exscidit, 4 Reg. 23, v. 14.

Petes, An in illa peccatorum abysso Salomon amiserit omnem sapientiam illi cælitus antea infusam? seu, an laborarit errore intellectus quando tot coluit idola? Affirmant SS. Ambrosius, Gregorius, Prosper, Basilius, Bernardus et Isidorus [4]. Negant S. Augustinus, Abulensis, Pineda, Delrio, Barradius [5], et quotquot putant Salomonem, post peractam tot scelerum pœnitentiam conscripsisse librum Ecclesiasten: nam c. 2 illius libri v. 9 de seipso dicit Salomon, *Sapientia perseveravit mecum*. Et hoc puto probabilius esse. Neque enim verisimile est, eo dementiæ delapsum, ut putarit, idolis illis aliquid divinum inesse: sed opere externo colere illa voluit mulierosus et deliciis fractus senex, ne uxores et concubinas suas, quæ jam illi dominabantur, contristaret.

Petes secundo, An pœnituerit Salomonem tam fœdæ idololatriæ? et an salvatus sit? Respondeo cum iisdem posterioribus auctoribus, pœnituisse, et verisimilius salvatum esse. Nam c. 24, v. 32 libri Proverbiorum (secundum vers. LXX Interpretum) post enarratas omnes suas vanitates, addit, *Post hæc ego egi pœnitentiam*. Plura in hanc rem argumenta vide apud Pinedam, Delrio et Barradium, qui acriter pro salute sui Salomonis decertant.

℣. 13. *Tribum unam dabo filio tuo* — scilicet *tribum Juda*: cui tribus Benjamin, utpote vicina et implexa, constanter adhæsit: sed quia haud ita pridem numero valde accisa fuerat, et ad sexcenta virorum capita delapsa, comparatione reliquarum numerosissimarum tribuum, vix nomen *tribus* retinuerat; in nomen *tribus Juda* quasi transiit, et sub illa perpetuo comprehensa fuit: sicut et alii plurimi aliarum tribuum, qui vel ante captivitatem [6] Assyriacam, vel post Babylonicam se tribui *Juda* conjunxerunt, relicto propriarum tribuum nomine, omnes vocati sunt *Judæi*.

℣. 15. *Cum esset David in Idumæa* — et subactis Idumæis apposuisset hinc inde præsidiarios ex Judæis. Sed cum Idumæi, reverso ad suos Davide, præsidia-

(1) Sup. 9, vers. 2.
(2) Infra 12, vers. 15. (3) 2 Reg. 8, vers. 14
(4) Ambros. Apol. 2 pro Davide c. 6 et 7; Gregor. 3 p. Pastoral., art. 27; Prosper. de Prædicat., c. 27; Basil. ad Chilonem; Bernard. epist. 129; Isid. l. de Vita et morte Sanctorum, c. 33.

(5) S. Aug. l. 14 de Civ., c. 11, et l. 11 de Gen. ad lit., c. 42; Pineda præfat. in Ecclesiast., c. 3; Delrio præfat in Cant.; Barrad. t. 1, l. 5, c. 9.
(6) 3 Reg. 12, vers. 17, et 2 Par. 11, vv. 13, 16.

ratus est Joab, et omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa),

17. Fugit Adad ipse, et viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus.

18. Cumque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, et introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, et cibos constituit, et terram delegavit.

19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ.

20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, et nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus.

21. Cumque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, et mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam.

22. Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te ut dimittas me.

23. Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum:

24. Et congregavit contra eum viros, et factus est princeps latronum cum interficeret eos David: abieruntque Damascum, et habitaverunt ibi, et constituerunt eum regem in Damasco,

25. Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis: et hoc est malum Adad, et odium contra Israel, regnavitque in Syria.

26. [1] Jeroboam quoque filius Nabat, Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua, levavit manum contra regem.

27. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui.

28. Erat autem Jeroboam vir fortis et potens: vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph.

29. [2] Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, et inveniret eum Ahias

rios illos seu vi, seu dolo de medio sustulissent, et mortuorum cadavera insepulta, forsan in rotis aut furcis reliquissent, remissus eo Joab cum exercitu, ante omnia honestæ sepulturæ mandavit occisos: dein, ne quid iterum novi tentarent Idumæi, masculinum omne genus de medio sustulit. Sed cædi subtractus est *Adad* puerulus Idumæi regni legitimus heres, qui cum paucis suorum fugit ad regem Ægypti. Jamque grandior factus Idumæam quidem repetiit, sed non recuperavit [3], eo quod firmiore Hebræorum præsidio, quam ipse expugnando esset, teneretur: *Syria* tamen, cujus caput est *Damascus*, et ope *Razonis* [4], qui et ipse profugus erat, potiri contigit, et rex *Syriæ* factus est, unde Israeliticos fines

turbavit *omnibus diebus Salomonis*, ex quo is a Deo defecit, et in idololatriam prolapsus est: ita Cajet., Dionys., Lyranus, Abulensis et Sanctius cum LXX [5].

Nota. Hujus *Adad* filius fuit *Benadad:* a quo omnes alii reges Syriæ dicti fuerunt *Benadad.*

℣. 27. *Causa rebellionis* Jeroboam *adversus* Salomonem, fuit, quia *Salomon voraginem Mello* ope Jeroboami ruderibus impletam, et reliquæ valli atque inferiori civitati *coæquatam*, et publico propter ascensum in templum valde opportunam, eripuerat usibus publicis, et in uxoris suæ Ægyptiæ privatas delicias converterat, quod et Jeroboam, et reliquus populus permoleste tulit, et ansam inde rebellionis sumpsit: ut dixi c. 9, v. 24.

(1) 2 Par. 13, vers. 6. (2) 2 Par. 10, vers. 15.
(3) 2 Par. 21, v. 8 et 10.

(4) Hic vv. 23, 24, 25.
(5) Cf. Gilletum. *in 8 Judaic. Ant. libr. adnot. 21.*

Silonites propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro.

30. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.

31. Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus.

32. Porro una tribus remanebit ei, propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel:

33. Eo quod dereliquerit me, et adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiorum Ammon: et non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, et præcepta mea, et judicia sicut David pater ejus.

34. Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea et præcepta mea.

35. Auferam autem regnum de manu filii ejus, et dabo tibi decem tribus:

36. Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi.

37. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel.

38. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et præcepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, et ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, et tradam tibi Israel:

39. Et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus.

40. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui surrexit, et aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis.

41. Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus; ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis.

42. Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt.

43. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

CAPUT XII.

Roboam juvenum secutus consilium perdit regnum decem tribuum. Quod cum vellet vi armata recuperare, jussu Dei cohibetur per Semejam prophetam. Jeroboam vero novus rex Israel erigit aureos vitulos in Dan et Bethel.

1. Venit autem Roboam in Sichem: [1] illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem.

2. At vero Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto.

3. Miseruntque et vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, et omnis

(1) 2 Par. 10, vers. 1.

multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi.

5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus,

6. Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret, et ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic?

7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.

8. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi,

9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos?

10. Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.

11. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

12. Venit ergo Jeroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertia.

13. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant,

14. Et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquievit rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, [1] quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Jeroboam filium Nabat.

16. Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerusalem:

19. Recessitque Israel a domo David usque in præsentem diem.

20. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum, congregato cœtu, et constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.

21. Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda et tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis.

22. [2] Factus est autem sermo Domini ad Semejam virum Dei, dicens:

23. Loquere ad Roboam filium

(1) Sup. 11, vers. 31. (2) 2 Par. 11, vers. 2.

Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda et Benjamin, et reliquos de populo, dicens:

24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.

25. Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi: et egressus inde ædificavit Phanuel.

26. Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David,

27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem: et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum.

28. [1] Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem: [2] Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

29. Posuitque unum in Bethel et alterum in Dan:

30. Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan.

31. Et fecit fana in excelsis, et [3] sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi.

ỳ. 25. *Ædificavit Jeroboam Sichem* — Id est, novis splendidisque, immo regiis, ædificiis instruxit et auxit, ut nomen conciliaret urbi, in qua ipse proclamatus fuit rex, et in qua sedem regni figere decreverat, et quæ ad suam [4] tribum Ephraim spectabat, quam aliis prælatam voluit: denique quæ fines attingeret vicini et æmuli regni, quam omnino expediebat adversus quotidianas hostium irruptiones munitam habere. Notat Abulensis, licuisse Israelitis hanc a tribu Juda secessionem seu schisma facere: neque id solum ex Dei decreto per *Ahiam Silonitem* manifestato, supra c. 11, v. 31, sed etiam ob tyrannidem Roboami, qui Hebræos liberos volebat in servitutem redigere, ut patet ex hoc c. 12, v. 10 et sequentibus.

ỳ. 28. *Fecit duos vitulos* — LXX vertunt δαμάλεις in genere feminino, id est *vitulas*. Et ita legit Josephus, Clemens Romanus, Tertull., Epiphanius et Theodoretus [5]. Quin et Vulgatus noster Oseæ 10, v. 5 vocat *vaccas Bethaven*. Sed hoc irrisionis gratia, inquit S. Hieronymus. Nam in omni idiomate familiare est, cum aliquem mollem aut ignavum significare volumus, ut id muliebri compellatione faciamus. Ut ergo designetur nihil ab his *vitulis* magnum sperari posse, vocantur subinde non *vituli* vel *tauri*, sed *vitulæ* seu *vaccæ* imbelles. Quid vero per hos vitulos repræsentaretur, dixi Gen. 41 et Exodi 32, nempe *Apin* vel *Serapin* deum Ægyptiorum. Sed aliorum quoque deorum, seu potius dæmoniorum, simulacra Jeroboamum finxisse, pro libito subditorum, prout quisque in hos vel illos Gentium deos esset propensus, colligitur ex 2 Par. 11, v. 15 ubi dicitur *constituisse sibi sacerdotes excelsorum;* non *vitulorum* tantum, sed et aliorum *dæmoniorum*, sacerdotes, inquam.

ỳ. 31. *De extremis populi*, seu de fæce populi, *qui non erant de filiis Levi* — multo minus de filiis Aaron. Non, quod nulli Levitæ adhæserint Jeroboamo (nam Ezechielis 44, v. 10 dicuntur aliqui *in* hoc *errore filiorum Israel recessisse a* Deo, *et ministrasse idolis*): sed quod admodum pauci, ac pene nulli, respectu reliquæ multitudinis Levitarum, qui, ut 2 Paralip. 11, v. 13 habemus, ex *universo Israel venerunt ad* Roboam, *relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam*. Quin et v. 16 ibidem audimus, complures laicos *de cunctis tribubus Israel*, relictis vitulis Jeroboami, *venisse in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum:* qui *et roboraverunt regnum Juda, et confirmaverunt Roboam*.

(1) Tob. 1, vers. 5.
(2) Exod. 32, vers. 8.
(3) 2 Par. 11, vers. 15.
(4) Cap 11, vers. 26.
(5) Clem. l. 8 Const., c. 52; Tertull. l. contr. Judæos, c. 1; Epiph. de Vita Prophetar. in Joam.; Theod. hic q. 42.

32. Constituitque diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: et fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum.

℣. 32 et 33 ter dicitur *Jeroboam* ipse *ascendisse super altare, ut immolaret vitulis, et adoleret incensum.* Nempe, ut novis illis sacris auctoritatem conciliaret, ipse voluit omnium sacrificulorum esse antistes, et regium nomen cum sacerdotali consociare. Ita Sanctius: et clarius confirmatur ex initio cap. seq.

CAPUT XIII.

Jeroboamo, dum vitulo thus adolet in Bethel, Propheta prædicit, altare illud a rege Juda Josia olim nascituro profanatum et excisum iri. Manus Jeroboami exarescit, sed orante Propheta sibi redditur. Propheta vero quod minus obediens Deo fuisset a leone occiditur.

1. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente.

2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: [1] Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet.

3. Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est.

4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.

5. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini.

6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui: et ora pro me ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat.

7. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera.

℣. 1. *Vir Dei,* id est Propheta, *venit in sermone,* seu verbo, *Domini* — Id est nomine et jussu Dei. Tertullianus hunc Prophetam vocat *Sameam*; Epiphanius *Joam.* Sed communior opinio est, fuisse *Addo,* ex 2 Paral. 9, v. 29 ubi *Addo* dicitur *videns* fuisse, id est prophetasse, *contra Jeroboam filium Nabat.* Non fuit tamen hic *Addo* idem cum illo qui avus *Zachariæ* prophetæ fuisse scribitur Zachar. 1, v. 1. Nam et aliud [2] ab illo [3] nomen habet in Hebræo, et fere 480 annis illum præcedit: ita S. Hieronymus [4].

(1) 4 Reg. 23, vers. 16.
(2) יעדי, Jehdi.
(3) עדו, Hiddo.
(4) In cap. 1 Zachariæ.

8. Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam qua venisti.

10. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter, quo venerat in Bethel.

11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: et verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo.

12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda.

13. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit,

14. Et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum, et ait illi: Tune es vir Dei qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum.

15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem.

16. Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

17. Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, et non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam qua ieris.

18. Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum,

19. Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam.

20. Cumque sederent ad mensam, [1] factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.

℣. 9. *Nec reverteris per viam qua venisti* — Quia enim via in Bethel (ubi omnis impietatis barathrum et abyssus est [2]) polluta et execranda cuique justo habetur, idcirco nolo repeti illam, aut a te frequentari. Vult ostendere Deus, quanto horrori nobis esse debeant omnia quæ quoquo modo ducunt ad peccatum.

℣. 11. *Prophetes quidam senex* (in Chaldæo vocatur *Michal* vel *Micheas*) de Samaria venerat, ut habetur 4 Reg. 23, v. 18, et jam *habitabat in Bethel* — et

[1] Vers. 20. *Factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum;* falsum scilicet, ut ex vers. 18 videtur colligi. At hic nodus. Falso igitur prophetæ, qui bonum deceperat, Deus voluntatem suam patefecerit? Præterea qua fronte pseudo-propheta, qui illum coegerat conficta revelatione apud se comedere, divino mandato inobedientiam exprobrasset? Rursus hic pseudo-propheta nonnisi ex viatoribus quibusdam alterius eadem intellexisse videtur, vers. 26; atqui si ad ipsum sermo Dei fuisset, ex Deo id antea accepisset. Tandem impostor iste morte alterius intellecta (ibid.) exclamavit, occisum illum fuisse *juxta verbum Domini, quod locutus est ei*; *sibi* dicere debuerat, si Deus non occiso, sed ipsi futuram alterius cædem revelasset. Hisce conjecturis motus Gilletus *in* 8 *Ant. Judaic. lib. admot.* 24 LXX et Vulgatam putat male reddidisse Hebraicum *asher qui*, quum etiam in accusandi casu adhiberi potuerit, ut sensus sit: *Factum est verbum Domini ad prophetam, quem redire fecit ipsum*, ad virum nempe Dei inobedientem. Verum nihil immutandum: falsus propheta fuit Balaam; nihilo tamen minus Dei spiritus in eum insiluit, ut vera vaticinaretur. Exprobravit autem impostor inobedientiam, Deo impellente, atque ita ipsius fraudes puniente. Ex viatoribus porro intellexit, verbum Dei fuisse impletum. Dixit autem, *quod locutus est ei*, revera enim ad eum divina loquutio spectabat; unde vers. 21: *Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda.* Quid ergo sollicitemus Vulgatam? præsertim quum vers. 21, vix cum Gilleti versione possit conciliari; si enim in superiore commate dictum fuerat: *factus est sermo Domini ad prophetam, quem redire fecit ipsum*, qui in sequenti dicitur: *et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda*, ad illum nempe ipsum *prophetam, quem redire fecit ipsum?* Inutilis sane, nec apto loco posita hæc esset repetitio. Dixi *falsum* fuisse illum prophetam, quo nomine illum arguit Josephus. Ceterum, pace Gilleti, verus esse potuit, sed hac occasione mentiri, et falsum fingere oraculum; quod unum Scriptura ait. Hinc Torniellus, Salianus, Melchior Leydeckerus, aliique etiam in hoc Josephum reprehendunt, quod nullo fundamento hunc prophetam inter falsos adnumerarit. Quamobrem hoc etiam ex capite ruit prima illa Gilleti argumentatio.

(2) 1 Reg. 21, vers. 5.

21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,

22. Et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum.

23. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat.

24. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit, et erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver.

25. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt et divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat.

26. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei.

27. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent,

28. Et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum.

29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem prophetæ senis ut plangeret eum.

Jeroboamo carus erat, et inter primos intimosque ministros: ita Glossa Ordinaria, et Abulensis et alii. Quidam putant, vel ea sola de causa tantopere hunc prophetam sategisse, ut *Addonem* e via contra expressum Dei mandatum ad mensam suam retraheret, ut, cum postea is suæ inobedientiæ pœnas lueret (facile enim conjectare poterat, id illi non impune cessurum), eo argumento facilius Jeroboamo regi suo persuaderet, impostorem fuisse *Addonem*, ac propterea cælitus punitum: atque ita Jeroboamum propter minas *Addonis* jam forte nutantem, deque abolendis *vitulis* agitantem, in priori impia sua sententia confirmaret ac stabiliret. Unde non immerito post hanc decepti prophetæ tragœdiam, mox hic additur, v. 33: *Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima.* Erat ergo senex veterator hic impius et perversus homo, licet *verus propheta*, per quem vere locutus est aliquando Deus, de numero eorum qui in judicio dicturi sunt Deo, *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* et ipse respondebit: *Quia nunquam novi vos* [1]. Ita Theod., Lyranus, Cajet., Abulensis et Sanctius.

℣. 21. *Quia non obediens fuisti ori Domini* — Absolutum acceperat *Addo* præceptum nec revertendi in Bethel, nec quidquam ibi gustandi: unde peccavit peccato inobedientiæ, nimis leviter, nec consulto Deo, propter alterius prophetæ dicta non sat excussa, deflectendo a præcepto divino. Sed verisimilius est, nonnisi veniale fuisse peccatum: Primo, quia deceptus fuit ab eo quem prophetam verum et veracem putabat: deinde quia norat, Deum subinde mutare aut moderari quæ ante præceperat: denique, quia non sponte, sed quasi vi retractus videtur, cum prius quoad potuit recusasset: ita S. Augustinus, Gregorius, Cassianus, Eucherius, Angelomus, Cajetanus, Abulensis, a Lapide, Sanctius et alii, qui comparant hoc peccatum cum peccato Moysis, Num. 20, et uxoris Loth, Gen. 19, quæ licet severissime castigata sint, non tamen nisi venialia fuisse existimantur.

℣. 28. *Non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum* — Unde patet primo, non casu leonem occurrisse, sed immissum a Deo, quandoquidem a præda abstinuit, neque famem carnibus seu prophetæ, seu asini exsaturare permissus sit. Secundo, placuisse Deo defunctum prophetam, cujus cadaveris tantam curam gesserit.

(1) Matth. 7, v. 22.

30. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo: et planxerunt eum: Heu, heu, mi frater.

31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.

32. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ.

33. Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum.

34. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ.

℣. 30. *Planxerunt eum, Heu, heu, mi frater* — Erat hæc familiaris apud Hebræos lugendi forma. Sicut et illa Jeremiæ 22, v. 18: *Væ, frater, væ soror, væ Domine, væ inclyte.* Vide S. Hieron. [1].

℣. 31. *Sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est* — Id jubet idcirco, ne ossa sua olim sub Josia, simul cum aliorum impiorum ossibus extraherentur e tumulo, et cum ludibrio abirent in cineres, quod *Addo* propheta futurum prædixerat. Unde ossibus illius, quæ præsagiebat loco motum non iri, sua ossa jungi mandavit. Neque spe sua frustratus est, ut patebit 4 Reg. 23.

℣. 33. *Quicumque volebat*, nullo delectu seu probitatis, seu aptitudinis, quisque pro libito suo *implebat manum suam*, puta oleo sacro, et victimis seu libaminibus; atque ita, more jam pridem in consecratione sacerdotum recepto, immo præscripto Exodi 29, v. 24 *sacerdos fiebat* — non Dei, sed idolorum quæ in profanis excelsis colebantur.

(1) Epist. 25 ad Paulam.

CAPUT XIV.

Consultus Ahias propheta ab uxore Jeroboami de filii sui salute, dicit illum mox moriturum, totamque familiam Jeroboami stirpitus exscindendam. Mortuo Jeroboamo succedit Nadab. Rex Ægypti diripit thesauros templi Jerosolymitani. Mortuo Roboamo succedit filius Abia.

1. In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam.

2. Dixitque Jeroboam uxori suæ: Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam: et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, [1] qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc.

3. Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et vas mellis, et vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic.

℣. 2. *Dixit Jeroboam uxori suæ* — Cum enim de certo puero consulendus esset propheta, occultato patris nomine, non poterat commodius quam per *matrem* citra suspicionem consuli, hac vel simili forma, *Quære, obsecro, a Domino, an filius meus, qui morbo pene extinguitur, ab illo liberandus sit.*

(1) Supra 11, vers. 31.

℣. 3. *Tolle decem panes et crustulam;* LXX collyria; Chaldæus, placentas, *et vas mellis* — Et plebejas istas ac rusticas delicias defer prophetæ; quo facilius ipsi imponas, putetque te rusticam esse: nam si persona tua ipsi innotesceret, aut nulla, aut non nisi dura responsa ab illo (plusculum mihi ob idololatriam irato) referres. Quin et in urbe *Silo*, etsi meæ

4. Fecit ut dixerat, uxor Jeroboam: et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahiæ; at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute.

5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat; hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat,

6. Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait: Ingredere uxor Jeroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.

7. Vade, et dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel:

8. Et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi: et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo:

9. Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles,

10. Idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et [1] percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel: et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum.

11. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est.

12. Tu igitur surge, et vade in domum tuam: et in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer,

13. Et planget eum omnis Israel, et sepeliet: iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulcrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel, in domo Jeroboam.

14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempore:

tribus Ephraimiticæ oppido, mihi tamen, seu propter spretam a me arcæ istic olim asservatæ religionem, seu propter sancti prophetæ ibi commorantis et populum in vero Dei cultu continentis præsentiam, non satis addicto, periculum tibi, si innotesceres, immineret, ne minus honeste quam regium nomen et dignitatem deceat, a populo tractareris.

v. 10. *Clausum* — scilicet carcere [2]: vel arcium et urbium muris quantumvis altis et validis, ut dixi Deut. 32, v. 36. Proverbialis est sermo, quo significatur, omnia prorsus deletum iri, etiam illa quibus alias parci solet; ut solet plebeculæ, canibus, captivis, qui arma adversa non tulerunt: item in arce vel urbe munita degentibus, quibus solet a victore honestis conditionibus ultro tutus exitus concedi. Ast hic nulli prorsus de familia Jeroboam parcitum iri affirmat. Simili phrasi dicit Isaias c. 19, v. 14: *Disperdet Dominus caput et caudam, incurvantem et refrænantem*, id est tam summos quam infimos, tam robustos quam infirmos.

Et mundabo reliquias domus, seu familiæ, *Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum* — Id est, mundabo regnum Israel a posteris Jeroboami, non secus quam solet ancilla munditiæ studiosior mundare domum suam a *fimo*: quem, quia aspectu fœdus, et odoratu gravis est, ad ultimum usque pulvisculum everrit. En regiam stirpem Jeroboami comparat Deus *fimo* et stercori, utpote idololatria aliisque sceleribus fœdatam. Porro ad litteram penitus sic eversam fuisse, patet ex cap. seq., v. 29 ubi *Baasa percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum, juxta verbum Ahiæ Silonitis.*

(1) Infra 15, vers. 29. (2) 4 Reg. 14, vers. 26.

15. Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua, et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum.

16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel.

17. Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est,

18. Et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi suí Ahiæ prophetæ.

19. Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel.

20. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt: et dormivit cum patribus suis: regnavitque Nadab filius ejus pro eo.

21. [1] Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset: decem et septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

22. Et fecit Judas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt.

23. Ædificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos, super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam:

24. Sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel.

25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem,

26. Et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit: scuta quoque aurea, quæ [2] fecerat Salomon:

27. Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, et tradidit ea in manum ducum scutariorum, et eorum qui excubabant ante ostium domus regis.

28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: et postea reportabant ad armamentarium scutariorum.

℣. 17. *Uxor Jeroboam abiit* cum hoc tristi nuntio *in Thersa* — Hic nempe, relicta *Sichem*, fixerat Israelitici imperii sedem Jeroboam, ubi et mansit, donec ab *Amri* ædificata *Samaria*, sedes eo translata fuit, ut dicetur cap. 16, vv. 24 et 29. Fuisse autem *Thersa* civitatem eximiæ amœnitatis, etiam ante hæc tempora, vel inde colligo, quod Salomon Canticor. 6, vers. 3 pulcritudinem sponsæ perinde comparet cum *Thersa*, atque cum *Jerosolyma*. Nam ubi Vulgatus habet, *Pulcra es amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem;* pro *suavis*, in Hebræo est, *sicut Thersa*.

℣. 24. *Sed et effeminati fuerunt* — Id est, non tantum feminarum, sed et (pro pudor!) etiam masculorum prostibula instituere Judæi, et quidem publica, et ex spurcissimo vicinarum gentium ritu, in honorem idolorum suorum; quibus solebant utriusque sexus mercede prostituti emporia variis in locis constitui, ut dixi Deut. 23. Quæ Jerosolymis paullo post evertit *Asa* rex, ut habes *ibi*, seq., v. 12, et rursus *Josias*, 4 Reg. 23, v. 7, ubi *destruxisse* dicitur *ædiculas effeminatorum, quæ erant* etiam *in domo Domini*. Porro ad tantas sordes, tantamque impietatem pellexisse *Roboamum* (et cum eo universum regnum *Juda*), creditur impia illius mater *Naama* Ammanitis; idque regni *Roboami* anno tertio finiente, ut habetur 2 Paralip. 11, v. 17.

(1) 2 Par. 12, vers. 13.

(2) Supra 10, vers. 16.

29. Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda.

30. Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus.

31. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: et regnavit Abiam filius ejus pro eo.

CAPUT XV.

Impio Abiæ regi Juda succedit pius filius Asa: qui adversus Basam regem Israel feliciter prœliatur, auxilio Benadad regis Syriæ. Asæ morienti succedit filius Josaphat. Inde narratur quomodo Baasa occiderit Nadab cum universa stirpe Jeroboami.

1. Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat regnavit Abiam super Judam.

2. Tribus annis regnavit in Jerusalem: [1] nomen matris ejus Maacha filia Abessalom.

3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

4. Sed propter David dedit ei Dñus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem:

5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei

℣. 2. *Maacha filia Abessalom* — seu *Absalomi*, ut dicitur 2 Paralip. 11, v. 21, qui Davidi parenti suo rebellis fuit: licet S. Hieron. [2] velit hæc de alio Abessalomo intelligi. Huic erat filia proprio nomine *Thamar*, 2 Reg. 14, v. 27, sed cognomine *Maacha:* quod videtur filiæ primogenitæ in regno Gessur fuisse commune seu appellativum. Nam et *mater* Absalomi 2 Reg. 3, v. 3 et *filia* hic, et *neptis*, infra v. 10 *Maacha* singulæ vocantur.

℣. 5. *Eo quod non declinasset* David *ab omnibus quæ præceperat ei, excepto sermone*, seu facto, *Uriæ Ethæi* — An ergo non peccavit David cum neci destinavit universam familiam Nabal? 1 Regum 25, vers. 34. Non peccavit, cum tanta crudelitate sæviit promiscue in Ammonitas, ut super prostratos *circumageret ferrata carpenta, et cultris, et serris*, et aliis inusitatis tormentis miseros discruciaret? 2 Reg. 12, v. ult. Non peccavit dinumerando populum contra divinum præscriptum, 2 Reg. 24, quo tot millibus hominum exitium creavit? Nonne v. 10 palam ipse de se fatetur, *Peccavi valde in hoc facto?* Quomodo ergo dicitur hic non peccasse, nisi in *Uria Hethæo*? Respondeo, Deum hic loqui et judicare more humano, quo peccata non censentur quæ honesto aliquo prætextu, vel virtutis saltem apparentis velamine conteguntur: supponendum enim bene fieri, quæ non constat manifeste mala esse. Cum ergo sævitia Davidis exercenda in Nabalitas, et exercita in Ammonitas tegmine justæ vindictæ; numeratio populi, prætextu religiosi tributi pro templo construendo velarentur; non censebantur passim ab hominibus peccata, saltem gravia: quare nec Deus vult illa passim evulgare ut talia, contentus suo judicio, propriæque peccantis conscientiæ, talia censeri et ut talia puniri. Sed adulterium cum Bethsabee, et infanda cædes innocentis Uriæ, quia nullo virtutis velamine, nullo honesto prætextu tegi vel excusari poterant, passim ab omnibus hominibus, ideoque etiam palam hic a Deo, tamquam enormia scelera Davidi impinguntur: adeoque et hæc sola illi impinguntur, quia reliqua omnia quæ vel publice, vel privatim peccavit, honesto prætextu, ut dixi, poterant coram hominibus a peccato et culpa graviore excusari.

(1) 2 Par. 13, vers. 2. (2) In Trad. Hebr.

cunctis diebus vitæ suæ,[1] excepto sermone Uriæ Hethæi.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam et Jeroboam, omni tempore vitæ ejus.

7. Reliqua autem sermonum Abiam, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Fuitque[2] prælium inter Abiam et inter Jeroboam.

8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: [3] regnavitque Asa filius ejus pro eo.

9. In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israel regnavit Asa rex Juda,

10. Et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom.

11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus:

12. Et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus.

13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus, quem consecraverat: subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron:

14. Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis:

15. Et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, et voverat in domum Domini, argentum et aurum, et vasa.

16. Bellum autem erat inter Asa, et Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum.

17. [4] Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam, et ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda.

18. Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum: et misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

19. Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum et aurum: et peto ut venias, et irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me.

20. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Ahion, et Dan, et Abeldomum Maacha, et universam Cenneroth, omnem scilicet terram Nephthali.

21. Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa.

22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo sit excusatus; et tulerunt lapides

℣. 7. *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?* — Erant isti libri quasi *annales et fasti publici:* e quibus in libros Paralip. plurima translata sunt et ad nos devenerunt, cetera temporum injuria perierunt. Sic quod hoc ipso versu vix tangitur, *prælium inter Abiam et Jeroboam,* fuse explicatur 2 Paralip. 13, dicunturque cæsa ex Jeroboami exercitu supra *quingenta millia virorum fortium.*

℣. 13. *Rex Asa Maacham matrem suam, filiam* seu neptem *Absalomi, amovit,* utique cum ignominia, *ne* diutius *esset princeps* et antistes *in sacris Priapi* — Neque solum ab hoc spurcissimo principatu semovit impiam matrem pius rex, sed et ob eamdem spurcitiam exuit illam regia dignitate, ut habetur hic in Hebræo, et 2 Paral. 15, v. 16. Noster etiam Vulgatus, *Maacham,* inquit, *matrem Asa rex ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi.* De quo vide quæ dixi Num. 25, v. 1.

(1) 2 Reg. 11, vers. 4. (2) 2 Par. 13, vers. 3. (3) 2 Par. 14, vers. 1. (4) 2 Par. 16, vers. 1.

de Rama, et ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, et extruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, et Maspha.

23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, et universæ fortitudines ejus, et cuncta quæ fecit, et civitates quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.

24. Et dormivit cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui. [1] Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo.

25. Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israel duobus annis.

26. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, et percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philisthinorum: siquidem Nadab et omnis Israel obsidebant Gebbethon.

28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, et regnavit pro eo.

29. Cumque regnasset, [2] percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum, juxta verbum Domini, [3] quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis,

30. Propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, et quibus peccare fecerat Israel: et propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israel.

31. Reliqua autem sermonum Nadab, et omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

32. Fuitque bellum inter Asa, et Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum.

33. Anno tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis.

34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, et in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

(1) 2 Par. 17, vers. 1.

(2) Infr. 21, vers. 22. (3) Sup. 14, vers. 10.

CAPUT XVI.

Jehu propheta prædicit excidium Baasæ et universæ domus ejus. Cui mortuo succedit filius Ela: quem Zambri occidit, sed prævalente mox Amri seipsum cum palatio regio succendit. Mortuo Amri succedit filius impiissimus Achab, qui sceleratam Jezabel ducit uxorem. Instauratur hoc tempore Jericho, sed non impune.

1. Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens:

2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Jeroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum:

3. Ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus ejus: et faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat.

4. [1] Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate comedent eum canes: et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.

(1) Supra 14, vers. 11.

5. [1] Reliqua autem sermonum Baasa et quæcumque fecit, et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: et regnavit Ela filius ejus pro eo.

7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, et contra domum ejus, et contra omne malum quod fecerat coram Dño, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani, prophetam.

8. Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.

9. Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, et temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa.

10. [2] Irruens ergo Zambri, percussit et occidit eum, anno vigesimo septimo Asa regis Juda, et regnavit pro eo.

11. Cumque regnasset, et sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, et propinquos et amicos ejus.

12. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Dñi, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ,

13. Propter universa peccata Baasa, et peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, et peccare fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.

14. Reliqua autem sermonum Ela, et omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

15. Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorum.

16. Cumque audisset rebellasse Zambri, et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris.

17. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, de Gebbethon, et obsidebant Thersa.

18. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia: et mortuus est

19. In peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Dño, et ambulans in via Jeroboam, et in peccato ejus, quo fecit peccare Israel.

20. Reliqua autem sermonum Zambri, et insidiarum ejus, et ty-

℣. 7. *Baasa occidit Jehu filium Hanani, prophetam* — Ergo filium illius prophetæ, qui *Asæ* regi Juda, 2 Paralip. 16, durum a Deo nuntium attulit, propter quod et *in nervum* ab eo compactus est: ita Abulensis, Lyranus, Dionysius, Hugo et Sanctius. Sed alius fuit hic Jehu, et alius Hanani ab illo Jehu filio Hanani 2 Paral. 19, v. 2, qui multo post tempore occurrit regi Josaphat. Neque novum, plures parentes cognomines habuisse filios quoque ejusdem nominis: ita Sanctius.

(1) 2 Par. 15, vers. 1. (2) 4 Reg. 9, vers. 31.

℣. 18. *Succendit se* Zambri *cum domo regia* — Ita quoque Sardanapalum [3] fecisse, tradit Justinus [4], et exstructa in palatio ingenti pyra, immensas divitias una secum flammis absumpsisse. Verum cur non gladio potius, aut reste, aut veneno? Respondet Abulensis, Ne cadaver in hostis potestatem veniret, et ludibrio afficeretur. Quod etiam Sylla exhorrescens, teste Cicerone [5], primus omnium e familia Corneliorum, igni voluit cremari.

(3) Chron. c. 33, sub init. (4) Lib. 1. (5) Lib. 1 de Legib. sub finem.

rannidis, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

21. Tunc divisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem: et media pars Amri.

22. Prævaluit autem populus, qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, et regnavit Amri.

23. Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Israel duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis.

24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: et ædificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam.

25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, et operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum.

26. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, et in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israel: ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.

27. Reliqua autem sermonum Amri, et prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

28. Dormivitque Amri cum patribus suis, et sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius ejus pro eo.

29. Achab vero filius Amri regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti et duobus annis.

30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum.

31. Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, et servivit Baal, et adoravit eum.

32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria,

33. Et plantavit lucum: et addi-

℣. 24. Amri jam pacificus rex Israelis, *emit montem Samariæ*. Sic vocatur per prolepsim: ut et cap. 13, v. 11 supra ex 4 Regum 23 dixi, prophetam illum senem qui decepit *Addonem* prophetam, de *Samaria* venisse, id est, ex eo loco qui paucis post annis vocatus est *Samaria*, a possessore et domino illius loci, *Somer*, qui dicitur hic illum vendidisse regi Israelis *duobus talentis argenti*, id est sex millibus florenorum Belgicorum, seu duobus millibus aureorum nummorum [1]. Hanc urbem excidit funditus Salmanassar Assyriorum rex occiso illius rege ultimo Osee, et incolis in exilium [2] abactis: sed successu temporis paullatim restauratam post varios alternantis fortunæ casus tandem Herodes Ascalonita, teste Josepho [3], Adrichomio [4], et aliis, pristino splendori restituit, amplissimo illam muro per 20 stadia [5], communiens, et præter innumera palatia, vastissimum in ea templum ponens nongentorum pedum, in honorem Augusti Cæsaris: a cujus etiam nomine urbem ipsam vocari voluit Sebasten, id est Augustam: ut in Germania ex simili occasione habemus Augustam Vindelicorum, in Hispania Saragossam seu Cæsaris Augustam, et alias alibi.

℣. 31. *Insuper*, seu super alia scelera suorum parentum, adjecit *Achab*, quod nemo ante illum ausus fuerat, *ut filiam* idololatræ *regis Sidoniorum Jezabelem* sibi jungeret uxorem, non ejurata patria religione (ut Davidis [6], Salomonis [7], et aliorum regum Gentiles uxores hucusque fecerant), sed illa retenta, publiceque evulgata, quin et in locum veræ ac sinceræ religionis, quam procul exulare jussit, perfide surrogata.

(1) Vide Proleg. de Ponderibus.
(2) 4 Reg. 17, vers. 6.
(3) Lib. 15 Antiq., cap. 10.
(4) In Samaria.
(5) Proleg. de Mensuris longitud.
(6) 2 Reg. 2, vers. 9. (7) 3 Reg. 11, vers. 1.

dit Achab in opere suo, irritans Dñum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum.

34. [1] In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel, Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.

†. 34. *In diebus* Achab *ædificavit Hiel Jericho* — non obstante edicto ac maledictione Josuæ [2]. Malebat enim omnium prolium suarum homo stolidus jacturam facere, quam non obsequi seu privato affectui suo, seu regis sui deliræ cupidini, optantis instaurari vel invito Deo tam nobilem olim et famosam urbem. Idcirco autem commemoratur hic illa tragœdia, ut palam omnibus fiat, quam perdita fuerint omnia in Israele hoc tempore Achabi, quo ipse ad uxoris libidinem rempublicam moderabatur, quam profligata fides, quam procul abactus pudor omnis et timor Dei, quam alta cælestium minarum inducta oblivio et contemptus, ut, quod tot seculis nemo ducum vel regum ausus fuerat tentare, jam audeat privatus homo, isque impius et idololatra, utpote ex *Bethel*, fonte et barathro omnis idololatriæ; et audeat, vidente, inspectante, laudante rege, et universo Israele. Et forsan id audeat solum in gratiam regis, et ad ejus amicitiam aucupandam, cui sciebat id gratum fore, et quem videbat ejusmodi cælestium minarum et prædictionum contemptorem atque irrisorem: ita Abulensis.

(1) Jos. 6, vers. 26.

(2) Josue cap. 6, vers. 26.

CAPUT XVII.

Elias cœlum triennio claudit. Pascitur primum a corvis: deinde a muliere Sarephtana, cujus hydria farinæ et lecythus olei non minuuntur. Filius etiam ipsius ab Elia resuscitatur.

1. Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: [1] Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros

†. 1. *Elias Thesbites* — ex oppido *Thesbi* in terra *Galaad* ultra Jordanem oriundus. Eam sacerdotalem civitatem fuisse, et *Eliam* ex familia *Aaron* sacerdotem natum, volunt Epiphanius, Isidorus, Joannes Episcopus Jerosolymitanus, Simeon Metaphrastes et Dorotheus [2]. Sed cur id Scriptura tacuisset? Iidem patrem *Eliæ* vocant *Sabacha*, qui *puerulum* recens natum *viderit igne tamquam fasciis involvi, et flamma veluti cibo ali*. Cælibem perpetuo vitam egisse docent S. Hieronymus, Ambrosius, Ephrem [3] et alii. Postquam adolevit, discipulos (qui filii prophetarum dicti sunt) collegit non uno loco, et illis monasticæ vitæ novam formam, fere ad instar Rechabitarum indixit, qui divinis ex professo laudibus cantandis toti vacarent, ut vidimus etiam in aliis prophetis tempore Samuelis, 1 Reg. 19, v. 20. In hos maxime grassata fuit (crediderim odio Eliæ), ira et furor Jezabelis, et illorum magnam stragem et in proxima triennali fame, et exinceps edidit. Non ergo una erat et certa sedes Eliæ, sed pro varia discipulorum suorum necessitate vel solatio nunc in *Galgalis*, nunc in *Bethel*, nunc in *Jericho* (ut colligitur ex 4 Regum 2, vv. 1, 3, 5), nunc aliis locis degebat: sed omnium frequentissime in *monte Carmelo*. Ubi et *Eliseus* Eliæ primarius discipulus commorari solebat: et uterque montem illum pluribus miraculis celeberrimum reddidit. Ibi Elias igne cælesti victimas absumpsit, et 450 sacer-

(1) Eccli. 48, vers. 1; Jac. 5, vers. 17.

(2) Epiph. de Vita et interitu Sanctor.; Isid. de Vita et morte SS.; Joan. c. 1, tom. 9 Biblioth.; Metaphrastes apud Surium; Doroth. in Synopsi.

(3) Hieron. l. 1 adv. Jovinianum; Ambr. l. 1 de Virgin.; Ephrem. l. 1, Parænesi 1.

et pluvia, nisi juxta oris mei verba.

2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens:

3. Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem,

4. Et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi.

5. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem.

6. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente.

7. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram.

8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens:

9. Surge, et vade in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te.

10. [1] Surrexit, et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.

11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua.

12. Quæ respondit: Vivit Dñus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria; et paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur.

dotes Baal neci dedit, c. 18, vv. 38 et 40. Ex eodem monte bis 50 milites *Ochoziæ* regis eodem igne cælesti prostravit, teste Abulensi [2]. Eumdem montem Eliseus frequentissime adibat, ut patet 4 Reg. 2 et 4 et alibi: nempe ut creditum istic sibi gregem discipulorum foveret, instrueret, roboraret. Et videtur hæc in Carmelo prophetarum colonia, ob frequentiorem istic Eliæ atque Elisei præsentiam, et prælustriora ibi patrata miracula, inter reliqua eorumdem cœnobia principem locum tenuisse: unde et nomen illis adnatum *Carmelitarum:* quod idem nomen etiam in evangelica lege usque eo placuit viris feminisque sub nomine et auspicio B. Virginis in Ecclesia Christi hucusque magna vitæ sanctitate ac religionis gloria militantibus, ut plurima alia ad speciem nobiliora nomina uni illi posthabenda putarint, vel eam maxime ob causam, ni fallor, ut etiam ipso suo nomine palam orbi facerent, sacrum hunc Ordinem suum ab Eliæ atque Elisei disciplina institutioneque exordium habuisse. Quod et Sixtus IV, et Julius II, et Gregorius XIII, et Clemens VIII et alii Pontifices suis bullis, ut historicos et alios auctores nunc omittam, aperte profitentur.

Dixit ad regem *Achab, Si erit,* id est, *non* [3] *erit, annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba* — id est, nisi cum ego voluero et jussero. Ex c. 5, v. 17 epistolæ canonicæ S. Jacobi patet, *Eliam* pio zelo puniendi idololatras, poposcisse a Deo claves cæli. *Elias oratione oravit, ut non plueret super terram,* scilicet Israeliticam et alias vicinas, *et non pluit annos tres et menses sex.* Cum enim Deut. 28, v. 24 et alibi sæpius minatus fuisset Deus Israelitis, si quando ad idololatriam deflecterent, has siccitatis, sterilitatis et famis certissimas pœnas, petiit Elias ex condicto easdem nunc in idololatras Israelitas immitti. Et hæc est ratio, cur Elias hic quasi ex abrupto, illas minas regi Achabo, totique Israeli jam a fide apostatanti palam intentet: ita fere Lyranus, Cajetanus et Sanctius.

℣. 6. *Corvi deferebant* Eliæ *panem et carnes mane et vesperi* — Et quidem ex regis Achabi culina, easdemque ex optimis et optime coctis, inquit Abulensis. Quod si verum fuit, mirifica fuit illa Dei providentia: et intercessit haud dubie aliqua angelorum cura, corvos, ceteroqui crudeles et in proprios quoque pullos improbe avaros, ad id ministerium statis horis impellentium, a voracitate compescentium, et ad condictum locum conducentium.

(1) Luc. 4, 26. (2) In 4 Reg. cap. 1 et 4.

(3) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 13,

13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me: tibi autem et filio tuo facies postea.

14. Hæc autem dicit Dñus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.

15. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ: et comedit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die

16. Hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

17. Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus.

18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum?

19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum.

20. Et clamavit ad Dominum, et dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus?

21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait: Dñe Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus.

22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

23. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus.

24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

℣. 21. *Mensus est se* Elias *super puerum* — Id est, pronus incubuit cadaveri pueri. Primo, ut hoc supplici corporis habitu Hebræis usitatissimo facilius exoraret Deum. Secundo, ut contracto sic arctatoque corpore ad mensuram puerilis corpusculi, palam faceret, se animo quoque esse dolore prorsus contracto, et humili æstimatione sui quoad posset acciso, fere uti nos ideo vel de geniculis vel cernui oramus, ut illo situ designemus, nos et de corporis proceritate, et de animi elatione, quantum possumus, remittere in divinæ majestatis præsentia. Tertio, ut affectum prodat suum erga mortuum, cui tali incubatione et inhalatione videtur suummet ipse halitum, spiritumque seu animam, etiam cum propriæ vitæ dispendio immittere velle. Quarto, ut, quantum in se est, cooperetur Deo, flatu suo corpus exsangue calefaciendo, et membra sic ad vitam recuperandam disponendo: ita Abulensis, Sanctius et alii.

Allegorice, Christus in incarnatione, et in cruce accommodans se nostræ pusillitati, nos ab æterna morte suscitavit: ita S. Augustinus, et S. Bernardus [1]. Moraliter, sacerdos ut peccatorem ad pœnitentiam, vitamque animæ reducat, totus illi molliendo calefaciendoque incumbat.

(1) Aug. serm. 201 de Temp.; Bern. 16 in Cant.

CAPUT XVIII.

Increscente fame, Elias cum Abdia adit regem Achab, eumque severe corripit: pseudoprophetas Baal 450 solus ad certamen provocat, et vincit igne de cœlo impetrato: mox omnes jugulari jubet, et pluvias terræ reddit.

1. Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.

2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.

3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde.

4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua.

5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant.

6. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum.

7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias?

8. Cui ille respondit: Ego. Vade, et dic domino tuo: Adest Elias.

9. Et ille: Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?

10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens: et respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris.

11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias.

12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro: et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua.

13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Dñi, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos

℣. 1. *In anno tertio* — scilicet famis ubique grassantis. Et erat jam elapsum spatium trium cum medio annorum negatæ pluviæ, quæ paucis post mensibus cœpit causare famem.

℣. 3. *Vocavit Achab Abdiam dispensatorem domus suæ* — seu œconomum aulæ regiæ. Hunc *Abdiam* putat ex Josephi [1] et aliorum Hebræorum sententia Theodoretus, Comestor, Abulensis et Lyranus, maritum fuisse illius viduæ cujus inopiæ prospexit Eliseus multiplicando oleum in vasis, 4 Reg. 4. Iidem et plures alii dicunt fuisse unum ex duodecim Prophetis minoribus, nempe qui quarto loco recensetur. Quod si ita est, ducentis prope annis antecesserit omnes alios minores Prophetas. Joannes episcopus Jerosolymitanus [2] tradit, eumdem Abdiam fuisse illum quinquagenarium, qui tertio loco missus a rege Ochozia, 4 Reg. 1, v. 13, Eliam ad regem deduxit, ac deinde relicta aula, reliquis Eliæ discipulis sese adjunxit. Ita ille et plures alii, neque omnino improbat Sanctius. Sed nos in procemio Abdiæ [4] prophetæ id examinabimus.

(1) Lib. 9 Antiq., cap. 2.

(2) De Institut. Monach., c. 15, t. 7 Biblioth. SS. Patrum.

et quinquagenos, in speluncis, et paverim eos pane et aqua?

14. Et nunc tu dicis: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me?

15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.

16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ.

17. Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Israel?

18. Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim.

19. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.

20. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli.

21. Accedens autem Elias ad ommem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.

22. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Dñi solus: prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt.

23. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam.

24. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei: et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.

25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis: et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis.

26. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt: et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal, exaudi nos.

℣. 24. *Deus qui exaudierit per ignem* — Id est, qui misso cælitus igne, victimam absumpserit, atque ita vota precesque sacrificantium exaudierit, is pro vero Deo ab omnibus habeatur, et publice colatur. Hoc enim signo solebat Deus pene omnibus seculis jam inde a primo mundi exordio testatum facere, gratum sibi accidere sacrificium; ut patuit in *Abel* [1], *Aarone* [2], *Gedeone* [3], *Davide* [4], et recens in *Salomone* [5]. Unde et audacter illud hic proponit *Elias*, et ab omni populo facillime admittitur.

℣. 26. *Transiliebant altare* — inter dissectas victimæ partes, quasi ipsi quoque seipsos pro victima darent. Et prius quidem incruenti transiisse ac transiliisse videntur: at postea, cum sentirent *Baalem* ad se audiendos tardiorem, *cultris et lanceolis* scapulas humerosque cruentatos in medium protulerunt, et inter frusta victimæ identidem transilientes, sanguinem suum sanguini bovis admiscuerunt, tristi sane et miserando spectaculo. Sed gaudet ejusmodi sævitia crudelis dæmon: quin et humanas frequenter victimas deposcere, vidimus in idolo Moloch: supra cap. 11, v. 5 et docent *Dianæ Tauricæ*, et Idææ, et Bellonæ cruenta et vere belluina sacra, apud Tibullum, Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Lactantium et Prudentium [6]. Et fidem faciunt etiam nostro seculo regiones in Indiis, et aliis ultra Oceanum locis nuper ab Hispanis et Lusitanis detectæ, in quibus passim humanæ victimæ cacodæmoni immolantur, etiam ultro, nec repugnantes.

(1) Gen. 4, vers. 4.
(2) Lev. 9, vers. 24.
(3) Judic. 6, vers. 21.
(4) 1 Par. 21, vers. 26.
(5) 2 Par. 7, vers. 1.
(6) Tibul. a Sanct. citatus; Alex. l. 6 Genial., c. 26 et ibi.; Tiraq.; Lact. l. 1 de falsa religione, c. 21; Prud. in hymno de S. Romano.

Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant.

27. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.

28. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.

29. Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes:

30. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat.

31. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: [1] Israel erit nomen tuum.

32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris,

33. Et composuit ligna: divisitque per membra bovem, et posuit super ligna.

34. Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio.

35. Et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est.

36. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.

37. Exaudi me, Domine, exaudi me: ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum.

38. Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens.

39. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et

ỳ. 30. *Elias* instaurari *curavit altare quod destructum fuerat* — puta a sacerdotibus Baal. Cum enim viderent hi se clamando sacrificandoque nihil a Baale obtinuisse, certoque scirent extremam sibi ignominiam ex Eliæ sacrificio, ni præpediant, imminere; ira et furore rabidi in aram ab Elia paullo ante ritu Hebræorum constructam, agmine facto prosiliunt, disturbant, disjiciunt. Sed Elias vi et armata populi manu sacrificulos compescens, aliam extemplo aram sibi excitat ex *duodecim lapidibus*, quasi nomine, et pro salute duodecim tribuum istic præsentium: ita Serarius et Sanctius.

ỳ. 32. *Fecitque aquæductum*, etc. — nempe ut certius illustriusque esset in humentibus tam victimis, quam lignis miraculum ignis cælitus evocati: et omnis abesset suspicio fraudis, qua quis forsan cavillari potuisset, ignem non superne, sed inferne ex subterranea fovea, ub. clausus asservabatur, artificio prorupissei Nam *vidi ego ipse*, inquit Chrysostom. [2], *in idolorum altaribus foramina quædam et foveam obscuram ex inferiori parte altaris. Descendunt autem erroris artifices in foveam illam, et ex foraminibus quæ dixi, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum cælestem esse existiment. Ne igitur et Elias in similem suspicionem veniret, aquam effudit*, qua foramina, si quæ essent, complerentur: Ita Chrysostomus, Lyranus et Sanctius.

(1) Gen. 32, vers. 28.

(2) Apud Metaphrasten et Surium tom. 4 ad vincula S. Petri.

ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi.

41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe: quia sonus multæ pluviæ est.

42. Ascendit Achab, ut comederet et biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua,

43. Et dixit ad puerum suum: Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus.

44. In septima autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, et dic Achab: Junge currum tuum et descende, ne occupet te pluvia.

45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, et nubes, et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel:

46. Et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

CAPUT XIX.

Elias fugiens Jezabelem in deserto, pane et aqua cœlitus missis recreatur. In spelunca montis Horeb timoris arguitur a Deo, remittiturque in Palæstinam ad ungendum Jehu in regem Israel, Eliseum et Prophetam et Hazael in regem Syriæ.

1. Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, et quo modo occidisset universos prophetas gladio.

2. Misitque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis.

3. Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Bersabee Juda, et dimisit ibi puerum suum,

4. Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quam patres mei.

℣. 3. *Timuit ergo Elias* — Qui pridie nec regem iratum, nec regios satellites, nec populum offensum, nec furentes sacerdotes timuerat, nunc ad unius feminæ minas timet, horrescit, fugit: nec uno alterove die fugit, sed totis quadraginta diebus: neque ad *Bersabee* solum fugit, hoc est, ad ultimos Israeliticæ terræ fines, sed et procul extra fines, in *desertum*, in *Horeb*, seu montem [1] *Sinai*, cujus septentrionalis pars vocabatur *Horeb*. Et quasi nec ibi quidem tutus esset, in speluncam istic sese abdit. Voluit nempe Deus palam facere *Eliæ*, quam nullus esset ex se, quam nihil posset per se; quæcumque stupenda patrasset, et patraturus esset, a sola esse gratia, favore et potentia divina; hac una etiam infirmum homuncionem contra reges tyrannosque omnes instar leonis fortem et imperterritum reddi: absque hac, ne robustissimum quidem uni femellæ aut puello resistere posse: ita S. Jo. Chrysostomus [2], Theodoretus, Rabanus, Angelomus et Sanctius.

(1) Eccli. 48, vers. 7. (2) Supra.

5. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi: et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, et comede.

6. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ: comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit.

7. Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via.

8. Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.

9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis, Elia?

10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam.

11. Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio: non in commotione Dominus,

12. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis.

13. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egres-

℣. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus* — Id est, vi panis istius subcinericii non solum nutritus, sed et ad iter totis 40 diebus agendum corroboratus fuit. Hinc patet, vim istam extraordinariam pani isti manibus angelorum confecto supernaturaliter inditam fuisse a Deo, inquit S. Augustinus [1], Cajetanus et alii.

Allegorice, vi *Eucharistiæ* tendimus in cælum ad claram visionem Dei, inquiunt Rupertus, Paschasius, Algerus, Lanfrancus contra Berengarium.

℣. 9. *Quid hic agis Elia?* q. d. Non hic in obscuro antro, procul a tuis civibus, in hoc horrido monte egeo opera tua, sed in Judæa, in regia urbe Samaria, in regia Damasco.

℣. 11. *Egredere, et sta in monte coram Domino* — Id est prodi e tuis latibulis in lucem: et in ipso latebrarum adhuc ostio senties præsentem tibi Dominum, viresque animosque pristinos redentem, simulque nova in rem tuam documenta, nova in bonum publicum mandata proferentem. Rabbi Salomon apud Lyranum putat Eliam non in eodem solum monte, sed et in eadem spelunca latuisse, in qua Moyses olim inclusus vidit gloriam Dei, Exodi 33. Et Josephus [2] tradit, eumdem locum etiam *ante Moysis ætatem ita antiquis visum sacrum, ut pastores religione quadam prohiberentur, greges eo appellere, quia ibi divinum esse aliquid opinabantur.*

℣. 12. *Sibilus auræ tenuis* — Scopus Dei in hac visione fuit, Eliam tædio ac mœrore dejectum, ira quoque et zelo vehementiore inflammatum ob Jezabelis ceterorumque idololatrarum impunitatem solari simul et erudire. Unde objicit oculis illius primo validissimum *ventum, terræmotum et ignem*: quo designet, sibi omnia elementa, ceterasque creaturas, imas, medias, summas, ad manum esse, ut idololatras reliquosque impios perdat, si velit, at non esse hunc usitatum suæ providentiæ et misericordiæ modum, nec velle se jam iis uti; unde addit, *Non in spiritu Dominus, non in commotione, non in igne Dominus.* Igitur secundo loco offert auribus ejus *spiritum lenem*, quo designet divinam patientiam, mansuetudinem et lenitatem ad punienda peccata, quam imitari et induere oporteat Eliam et omnes electos: ita Tertullianus, Irenæus, Chrysostomus, Macarius, Gregorius, Theodoretus [3], Pro-

(1) Lib. 2 de Mirab. S. Script., c. 19.
(2) Lib. 2 Antiq., cap. 12.
(3) Tertull. l. de Patientia, c. 15; Chrys. sup.; Macarius homil. 6; Greg. l. 8 Moral., cap. 28; Theod. hic q. 57 etc.

sus stetit in ostio speluncæ, et ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis, Elia? Et ille respondit:

14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: [1] quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam.

15. Et ait Dominus ad eum: Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam,

16. [2] Et Jehu filium Namsi unges regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te.

17. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.

18. [3] Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum osculans manus.

19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum: et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.

20. Qui statim, relictis bobus, cucurrit post Eliam, et ait: Osculer, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei: Vade, et revertere: quod enim meum erat, feci tibi.

21. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt: consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.

copius et alii. Tertio spiritus hic etsi lenis, efficacem tamen se prodit, et omnia adversa penetrantem ac superantem. Quare et modum suggerit vindictæ adversus idololatras brevi exercendæ per *Hazael* regem Syriæ, per *Jehu* regem Israel, per *Eliseum* prophetam, simulque erigit afflictum, pusillanime ac turbatum cor Eliæ, qui putabat se unum ex tot millibus, Dei cultorem superesse. *Derelinquam* enim *mihi septem millia*, etc. ita Cajetanus.

℣. 18. *Quorum os non adoravit* Baal, *osculans manus* — Neque enim sola genuflexione colebantur idola, sed et osculo: et hoc vel ore applicito proxime simulacro; vel manu ad simulacrum seu vere, seu simulate admota, ac deinde ad os relata, osculoque excepta, tamquam ex contactu rei sacræ jam sanctificata. Cujus ritus etiam Plinius meminit, et Minutius [4], et alii Gentiles. Et hoc indicat Job c. 31 cum ait, *Si vidi solem cum fulgeret, et osculatus sum manum meam ore meo*, nempe prius ad solem quasi contingendum protensam.

℣. 19. *Misit* Elias *pallium super* Eliseum. Hoc signo illum vocat ad suum institutum et cœtum discipulorum suorum, quasi investiens illum habitu monachali: sed unctione seorsim adhibita Prophetam consecravit. Ita Innoc. III [5], Gaspar Sanctius et alii.

(1) Ad Rom. 11, vers. 3.
(2) 4 Reg. 9, vers. 2. (3) Ad Rom. 11, v. 4.
(4) Plin. lib. 28, cap. 2; Minutius in Octavio.
(5) Cap. unico de sacra unctione.

CAPUT XX.

Syri Samariam obsidentes bis ab Achab cæduntur, qui quod Benadad regem Syriæ vivum dimiserit a Propheta corripitur.

1. Porro Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos, et currus: et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam.

2. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem,

3. Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, et aurum tuum meum est: et uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt.

4. Responditque rex Israel: Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, et omnia mea.

5. Revertentesque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos dabis mihi.

6. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum: et omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, et auferent.

7. Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, et ait: Animadvertite, et videte, quoniam insidietur nobis; misit enim ad me pro uxoribus meis, et filiis, et pro argento et auro: et non abnui.

8. Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi.

9. Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non possum.

10. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, et ait: Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.

11. Et respondens rex Israel, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus æque ut discinctus.

12. Factum est autem, cum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse et reges in umbraculis, et ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam.

13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: ut scias, quia ego sum Dominus.

14. Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedissequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet prœliari? Et ille dixit: Tu.

15. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum: et recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia:

16. Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus

℣. 9. *Omnia propter quæ misisti ad me in initio, faciam* — nempe, ut tibi sim servus et tributarius, hanc autem, quam nunc postulas, actualem spoliationem ferre non possum.

℣. 10. *Si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me* — q. d. Exscindam stirpitus Samariam, nec vel pulvisculum in ea relinquam, neque aliud quidquam præter nudum saxum, super quo fundata est. Eritque hoc mihi factu facillimum, qui tantam mecum traho militum copiam, ut, si illorum quisque pugillum rapiat pulveris, res momento temporis peragenda sit. Simile exitium urbi *Tyro* minatur Ezechiel c. 26, vers. 4: *Radam pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam petram*: ita fere Abulensis et Sanctius.

℣. 11. *Ne glorietur accinctus* adhuc balteo et armis, *æque et discinctus*, qui parta jam victoria deposuit arma, q. d. Ne triumphum canat ante victoriam, valde anceps est fortuna belli, et ab exiguis sæpe copiis victi prostratique sunt ingentes exercitus.

℣. 14. *Per pedissequos principum* — Id est, per servos honorarios et principibus familiares, qui proprie vocantur *pedissequi*.

Quis incipiet prœliari? — Hebraice, græce, chaldaice, *quis instruet aciem? ordines constituet?* Tu ipse, rex Achab.

in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant.

17. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria.

18. Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos: sive ut prælientur, vivos eos capite.

19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur:

20. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis.

21. Necnon egressus rex Israel percussit equos et currus, et percussit Syriam plaga magna.

22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei: Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.)

23. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei: Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos.

24. Tu ergo verbum hoc fac: Amove reges singulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis:

25. Et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti: et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, et fecit ita.

26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel.

27. Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis profecti ex

℣. 23. *Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos* — Adulatorum ea vox est, qui nolunt regem Syriæ victum videri ab hoste mortali, quod erat ei probrosum; sed a sola manu divina, nitunturque vulgato illo Gentilium errore, quo credebant, pro locorum et operationum varietate, varia etiam Numina constituta esse, quæ in isto certo loco, in isto rerum genere cui præsunt, valeant plurimum: extra vero vel nihil prorsus, vel parum admodum. Exemplo sit terræ filius Antæus, qui cum terræ allideretur ab Hercule, superari non poterat, matre terra vires semper novas ei sufficiente: at sublatus a terra, cum in aere non haberet qui opitulari posset, facili compressione extinctus est. Sic Faunos et Silvanos silvis; montium jugis *Jugatinum* deum, collibus *Collatinam*, vallibus *Valloniam* deam præficiebant, teste S. Augustino [1] et aliis. Nominatim vero Hebræorum Deum vocant montium deum, partim quod terra Israelitica cui dominabatur, montosa fere esset: partim quod prodigia fere omnia populo Israelitico exhibita, quæ vicinis passim innotuerant, in montibus contigissent: v. g. fulmina, tonitrua, ignis, etc. in monte *Sinai* dum lex promulgaretur, et recens in monte Carmelo ignis in sacrificium Eliæ delapsus, etc. Partim denique quod Israelitæ vel in monte Moria, ubi erat templum, vel in aliis montibus, ubi erant excelsa, solerent Deo suo sacrificare.

℣. 24. *Amove reges singulos ab exercitu tuo* — Erant hi numero *triginta duo*, qui vel prece, vel pretio inducti fuerant, ut cum auxiliaribus copiis suis in hoc bello adessent. Verum cum jam experientia doceret, reges illos et in aliena causa negligentiores esse, et in re bellica minus expertos: quin potius assuetos molliori vitæ, et mensæ lautiori, militibus malo exemplo atque impedimento esse; suadetur regi Syriæ, ut, illis domi relictis, illorum loco *principes*, hebraice *duces*, in re bellica præstantes, ferendo oneri, et bello administrando assuetos, exercitui præficiat.

℣. 26. *In Aphec* — non illa Judæ, Josue 15 et 1 Reg. 4, sed altera in tribu Aser, Josue 19.

(1) Lib., 4 de Civit. cap. 8.

adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum. Syri autem repleverunt terram.

28. (Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israel: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus.)

29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una.

30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum;

31. Dixeruntque ei servi sui: Ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel: forsitan salvabit animas nostras.

32. Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, et dixerunt ei: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est.

33. Quod acceperunt viri pro omine: et festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum.

34. Qui dixit ei: Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam; et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum.

℣. 30. *Et cecidit murus* civitatis, vel divina virtute, ut olim in Jericho, vel arietum impulsu, *super viginti septem millia hominum* — qui propugnatores pro mœnibus stabant, ut Hebræos irruentes submoverent.

Porro Benadad ingressus in cubiculum quod erat intra cubiculum — id est, in abditissimum cubiculum. Hac phrasi designant Hebræi quasvis secretiores latebras, etiam in specubus et foveis subterraneis. Et eadem phrasi utitur infra Michæas c. 22, v. 25: *Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, ut abscondaris.*

℣. 32. *Accinxerunt saccis lumbos suos* — Servili sago profitentes se servos esse velle, et quodque servile officium subire paratos.

Et posuerunt funiculos in capitibus suis — Id est, laqueos collo indiderunt; quo signo fatebantur se promeritos infamem strangulationis vel suspendii mortem. Haud dubie addiderunt et alias consuetas supplicum cæremonias, ut ambarum manuum conjunctionem (ut nos inter orandum solemus), qua designatur, quasi ultro ligari et spontaneis vinculis constringi nocentes et impias manus. Incurvationem cervicis, ad servilem subjectionem contestandam, promptitudinemque ad jugum et onus, quodcumque victor imponere voluerit, acceptandum. Humi prostrationem, et terræ quam victor calcat exosculationem, qua fateantur, se ne quidem terra et aqua et aere communi dignos, et pro magno beneficio habituros, si vel pedibus victoris conculcati sinantur vitam ignobilem et sordidam sub ejus imperio ducere. Vide hac de re Josephum, Tertullianum et Nicolaum Papam [1].

℣. 34. *Plateas fac tibi in Damasco* — In regia urbe Syriæ, totiusque regni metropoli, habeas et tu, tamquam alter Syriæ rex, *fora* publica, e quibus et vectigalia tibi quotannis et alia emolumenta: et in quibus Israelitis tuis sua sint tribunalia, sui judices. Multa promittit captivus Benadad: sed liber fidem fefellit: tantumque abest, regalia illa jura concesserit Israeli in Damasco, ut nec erepta quidem eis oppida reddere voluerit. Ut

(1) Joseph. l. 8 Antiq., c. 4; Tertul. de Corona, c. 7; Nic. ad Consultationes Bulgarorum.

35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere.

36. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paulum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit.

37. Sed et alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit.

38. Abiit ergo propheta, et occurrit regi in via, et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos.

39. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait: Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.

40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti.

41. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israel, quod esset de prophetis.

42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: [1] Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus.

43. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam.

patet ex *Ramoth Galaad*, in tribu Gad, pro qua urbe recuperanda, iterum Achab eidem Benadad novum bellum intulit, c. 22, v. 3.

℣. 35. *Vir quidam de filiis Prophetarum* — Sanctius putat hunc fuisse *Michæam* filium Jemla, quem ob audaciorem hanc reprehensionem videtur Achab in vincula compegisse: e quibus triennio post eductus stitit se duobus regibus Josaphato et Achabo de Ramoth Galaad recuperanda deliberantibus, c. 22, v. 8 et sequentibus.

Percute me — seu vulnera faciem meam. Causæ cur id expetat Propheta, sunt hæ. Prima, ut quasi miles in prælio de rege bene meritus, accessum obtineat ad regem: nam si agnitus fuisset Propheta, non fuisset admissus ad Achab. Secunda, ut proprii capitis vulnere repræsentet regi vulnus ipsius animæ adeoque et toti populo inflictum, partim ex idololatria, partim ex dimissione Benadad jurati hostis Israelitarum: ita Cajetanus et Abulensis, qui ex S. Jo. Chrysostomo [2], addit, verisimile esse, quod Deus vulnus inflictum Prophetæ, paullo post supernaturali virtute curarit, ut palam fieret quanti meriti sit cæca obedientia.

℣. 42. *Quia dimisisti virum dignum morte* — Hebraice, virum *anathematis mei:* seu quem volueram de medio tolli tamquam anathema mihi offerendum.

Petes, Ubi id præcepit Deus? Respondeo, Non legimus uspiam id expresse præcepisse. Sed v. 28 videtur id insinuasse, cum dicit, se propter insignem Syrorum blasphemiam, *daturum omnem multitudinem* illam *grandem in manu* Achab, utique pro meritis plectendam. quod quia neglexit Achab, censetur divinam voluntatem sibi sat perspectam contempsisse, saltem neglexisse: ita Hebræi, Rupertus [3], Dionysius et Lyranus.

(1) Infra 22, vers. 35.

(2) Orat. 1 contra Judæos, tom. 5.

(3) Lib. 5, cap. 13.

VII.

IN III. REGUM, XX, 32-34,

Achab et Benadad.

Achab primus est e regibus Israel, cujus, una cum Benadad rege Syriæ, diserta mentio reperitur in monumentis cuneiformibus Assyriorum. In inscriptione *Stelæ*, apud fontes Tigris repertæ a Taylor, anno 1863, in qua narrantur gesta bellica regis Assyriorum, Salmanasaris III (a. 857-822 a. C.), memoratur insignis victoria, quam ipse retulit, anno circiter 851, prope urbem *Kharkhar* ad ripas Orontis, contra regem Syriæ Benadad II, ejusque fœderatos; atque hos inter nominatur Achab. Recensens enim vires hostium, Salmanasar ait stetisse contra se in eo prælio « 1200 currus, 1200 equites, 20,000 pe- « dites *Binhidri* Damasceni; 700 currus, « 700 equites, 10,000 pedites *Irkhulini* « Hamathæi; 200 currus, 10,000 equites « *Akhabbu Sir'lai* (Israelitæ); etc..... « duodecim omnino reges, mutuo fœdere « junctos. » (Vide, inter ceteros, SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 94-98).

Porro nullum est dubium, quin heic *Binhidri*, rex Damasci, i. e. Syriæ, cujus caput erat Damascus, et *Akhabbu* Israelita, seu rex Israelis, iidem omnino sint ac reges *Benadad* (seu *Benadar*, *Benader*, apud LXX, υἱὸς Ἀδερ) et *Achab*, de quibus est sermo in III Regum, XX; unde locus iste Scripturæ, uti jampridem adnotavit Julius Oppert, qui prior in *Stela* Salmanasaris III nomen Achabi recognovit, ex narratione assyrica optime illustratur. Scriptura enim 1° Enarrat regem Achab, post victoriam a se relatam ad Aphec contra Benadad II, regem Syriæ, cum eodem fœdus iniisse fraternum, illudque pacifice servasse per triennium (XXII, 1): inscriptio autem assyrica Achabum demonstrat socium regis Benadad; in ejus enim auxilium 200 currus et 10,000 equites contulit in prælio contra Assyrios ad Kharkhar; cujus prælii tempus intra illud triennium incidit, quo stetit pax et fœdus inter Achab et Benadad. 2° Scriptura non edisserit, quo spectaret, idest contra quem hostem, fœdus istud; at ex narratione assyrica patet, scopum fœderis præcipuum fuisse contra regem Assyriorum, Salmanasarem III, hostem omnium potentissimum, atque eo maxime tempore utrique regno, Syriæ et Israelis, pariter infensum. 3° E Scriptura constat, regem Damasci, Benadad, magna potentia floruisse tunc temporis inter ceteros Principes Asiæ occidentalis; quippe qui, paullo ante, ad obsidionem Samariæ secum 32 reges, sive tributarios, sive fœderatos, adduxerat (XX, 1). Id ipsum vero luculenter constat ex inscriptione assyrica, nuper relata, aliisque ejusdem Salmanasaris III, in quibus memorantur alia prælia ab ipso commissa contra regem Syriæ, *Binhidri*, pluresque reges minores, ejusdem socios atque auxiliares, eique, tamquam duci supremo fœderationis et belli contra Assyriam, obsequentes. — BRUNENGO.

CAPUT XXI.

Naboth ob negatam regi Achab vineam jussu Jezabelis per falsos testes læsæ majestatis accusatur et lapidatur. Quo facto Elias gravissima denunciat Achabo mala: quæ tamen ipse tunc temporis se humiliando evadit.

1. Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ.

1. *Vinea erat Naboth, qui* — hebraice, chaldaice et græce *quæ*; refert enim non *virum*, sed *vineam* [1].

(1) *Asker* Hebr. tum ad vineam, tum ad Naboth spectare potest. Utrumlibet dicas, in ipsa Jezrahel videtur ea vinea fuisse sita; ut quid enim scriptura moneret, Naboth non Jezrahelitam modo

2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi ortum olerum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est.

3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.

4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem et non comedit panem.

5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem?

6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam.

7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. Surge, et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ.

8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates, qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth.

9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi,

10. Et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem: et educite eum, et lapidate, sicque moriatur.

11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habi-

℣. 3. *Ne dem hereditatem patrum meorum tibi* — Nempe Lev. 25, v. 23 lege expressa cautum erat, ne venderentur hereditates, sed semper remanerent apud dominos primos, quin et venditæ cogente necessitate, debebant, anno jubilæi ad primos dominos reverti. At *Naboth* nulla tum premebatur necessitate: neque venditam semel Achabo vineam spes erat in posterum recuperandi. Hinc patet, hunc *Naboth* ut legis divinæ, ita sinceræ quoque religionis in medio idololatrarum tenacem fuisse, ut qui mallet a vita, supplicio perinfami (cujus sciebat se certum adire periculum) quam a divina lege et patria religione vel tantillum decedere. S. Ambrosius [1] *sanctum* eum appellat, et miris laudibus extollit.

℣. 9. *Prædicate,* id est publicum indicite, *jejunium* — ut fieri solet, cum grave aliquod flagitium admissum, et Deum graviter offensum constat, q. d. Injusto sceleratoque homicidio, quod vobis impero, prætexite pietatem, et zelum divini honoris offenso Numini redhibendi: quasi *Naboth* Deum *benedixerit*, euphemismo pro [2] *maledixerit* et blasphemarit. En quot in uno facto crimina; hypocrisis, mendacia, perjuria, empta testimonia, corrupti judices, inversa judicia, innocenti per summam injuriam sublata hereditas, honor ademptus, vita subtracta. Quis hæc auderet nisi femina, quam inflat potentia, audacem facit superbia, rapit cupiditas, inflammat iracundia, deserit pudor? Vide S. Ambrosium, Chrysostomum, et Senecam [3] contra divites, avaros, rapaces. Libri 4 Reg. c. 9, v. 26 insinuatur, non solitarium *Naboth*, sed simul cum *filiis suis* necem illam indignam subiisse: ut factum vidimus in *Achan*, Josue 7, et Deo jubente subinde fieri solebat in sceleribus horribilioribus, ne qua remaneret ex impio ac maledicto semine posteritas.

fuisse, sed etiam fuisse in Jezrahel, nisi ut vineam ibi locatam intelligeremus? Hinc palatium Achab fuisse in Jezrahel adfirmat Cellarius *Geogr. Ant.*; lib. 3, c. 13, et Relandus *Palæst. illustr.*, p. 863. Negat id tamen Gilletus *adn.* 27 *in* 8 *Ant. Judaic. lib.* sed levibus, ut videtur, de causis.

(1) Lib. 3 Offic., cap. 9.
(2) Proleg. de Idiot. Hebr., nn. 31 et 32.
(3) Ambr. l. de Naboth, c. 2; Chrysost. de Herodiade; Seneca l. 2 de Benefic., c. 27.

tabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos:

12. Prædicaverunt jejunium, et sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt.

14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, et mortuus est.

15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, et dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est.

16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam.

17. Factus est igitur sermo Dñi ad Eliam Thesbiten, dicens:

18. Surge et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam:

19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: [1] In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.

20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini.

21. [2] Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum, et ultimum in Israel.

22. Et dabo domum tuam sicut [3] domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum [4] Baasa filii Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares; et peccare fecisti Israel.

23. [5] Sed et de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.

24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.

25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut

℣. 15. *Posside vineam Naboth,* quia *mortuus est* — reus læsæ majestatis tum regiæ, tum divinæ: unde et vinea, et reliqua illius bona ad regium fiscum devoluta sunt: ita Cajetanus. Porro ex 4 Reg. 9, v. 26 constat, sequenti die a cæde *Naboth* egressum Achab ad possessionem vineæ capessendam: cum ei in curru regio sedenti occurrit *Elias,* et præsente *Jehu* atque *Badecer* (qui postea funditus exciderunt domum *Achab*) tristem talionem ipsi eodem in agro reddendam denuntiat, *Pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto.*

℣. 24. *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si in agro volucres cæli* — Id est, regium cadaver manebit insepultum. At cap. seq., v. 37 dicitur *sepultus* fuisse *rex in Samaria.* Respondeo, Remisit Deus aliquid de severitate judicii propter subsecutam pœnitentiam Achab: nam quod minatus ei fuerat malum in propria persona, distulit in personam filii illius Joram, ut hic dicitur v. ult. Nam Joram in *agro Jezrahel* occisus est, et canibus objectus, etc. ut dicitur 4 Reg. 9, v. 24 et sequentibus: ita Sanctius.

℣. 25. *Venumdatus est* Achab *ut faceret malum in conspectu Domini* — id est palam, manifeste, inverecunde.

Concitavit enim eum Jezabel uxor

(1) Infr. 22, vers. 38. (2) 4 Reg. 9, vers. 8. (3) Sup. 15, vers. 29. (4) Sup. 16, vers. 3. (5) 4 Reg. 9, vers. 36.

faceret malum in conspectu Dñi: concitavit enim eum Jezabel uxor sua.

26. Et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dñus a facie filiorum Israel.

27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.

28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed [1] in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

sua — cui se vendiderat Achab, non secus ac vile mancipium, nec audebat præceptis illius vel in minimo reluctari. Unde et *annulo regis* signatorio utebatur illa pro libito, v. 8, et amaro sarcasmo insultat regi tamquam vecordi et ignavo v. 7: *Grandis auctoritatis es, et bene regis Israel.* Nihilque imperavit marito suo, quantumcumque absurdum et impium, v. g. de sacris Sidoniorum et Chananæorum adjungendis idololatriæ vitulorum, etc. quod ipse tamquam obsequentissimus servulus non prompte exequeretur. Quin et usque eo obstrictum sibi habebat maritum, ut cum territum illis minis Eliæ pœniteret factorum, et serio atque ex animo pœniteret, utpote *coram Domino*, et *causa Domini*, ut hic dicitur v. ult. jamque agitaret secum de restituenda vinea et honore innocenti Naboth sublato, de Michæa vinculis eximendo, de confringendis idolis, aliisque accurate præstandis quæ exigeret seria pœnitentia; nihil tamen eorum quæ meditabatur exequi sit ausus, quia ex transverso statim incurrit Jezabel, quæ suo herili imperio vetuit, decreta semel statutaque dissolvi aut aboleri: ita sanctus Ambrosius, Hieronymus, Chrysostom. [2], Vatablus, et Abulensis.

(1) 4 Reg. 9, vers. 26.
(2) Ambr. l. de Naboth, c. 17; Hier. epist. 30 ad Oceanum; Chrysost. epist. ad Theod. lapsum et habetur de pœnitentia, dist. 3; item hom. 22 ad populum.

CAPUT XXII.

Pseudoprophetarum vaticinio decepti Achab et Josaphat reges, ad pugnam procedunt adversus Syros pro Ramoth Galaad, ubi occiditur Achab, et patescit veritas oraculi Michææ, qui quod mortem ei prædixisset, in vincula compactus fuerat. Impio Achab succedit impius Ochozias; pio Josaphat impius Joram.

1. Transierunt [1] igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel.

2. In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel.

3. (Dixitque rex Israel ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?)

4. Et ait ad Josaphat: Veniesne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad?

5. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita et tu: populus meus et populus tuus unum sunt; et equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini.

6. Congregavit ergo rex Israel

℣. 2. *Descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel* — occasione recentis amicitiæ et affinitatis paullo ante contractæ, nam Joram filius Josaphat filiam Achabi et Jezabelis duxerat uxorem, 2 Paral. 18.
(1) 2 Par. 18, vers. 1.

prophetas quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis.

7. Dixit autem Josaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum?

8. Et ait rex Israel ad Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita, rex.

9. Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, et dixit ei: Festina adducere Michæam filium Jemla.

10. Rex autem Israel, et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, et universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum.

11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.

12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis.

13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum et loquere bona.

14. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.

15. Venit itaque ad regem, et ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis.

16. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini.

17. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem; et ait Dominus: Non habent isti dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

18. (Dixit ergo rex Israel ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?)

19. Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris:

20. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, et alius aliter.

℣. 11. *Sedecias,* qui inter pseudoprophetas Baal principem tenebat locum, *fecit sibi cornua ferrea* — Quibus hieroglyphicis signis designare volebat, duorum istorum taurorum seu regum in expugnanda Syria eam futuram esse potentiam, ut nihil sit in ea tota ditione quod in illorum potestatem venturum non sit. ℣. 15. *Ascende, et vade prospere,* etc. — Ironice loquitur Michæas, quod vel ex gestu, vel ex modo illius loquendi statim percepit Achab. Unde gravissime adjurat prophetam, ut, seposito joco, aperte loquatur in *nomine Domini,* id est responsum det quodcumque demum a Deo acceperit.

℣. 17. *Vidi cunctum Israel dispersum, quasi oves non habentes pastorem* — Indicat moriturum Achab pastorem populi Israelitici, et quidem in primo congressu et certamine, nihilque gravius passurum Israelem a Syris: sed amisso rege suo, cunctos pacifice ad propria regressuros. Quod ut hic prædictum, ita præcone jubente, et quidem iisdem prorsus verbis v. 36 completum fuit.

℣. 20. *Quis decipiet Achab?* — Visio hæc omnis imaginaria fuit, et in sola Prophetæ phantasia. Deinde accommodata fuit hominum captui, qui priusquam quid serium statuant, deliberationem ac consultationem præmittunt, in qua variæ

21. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo?

22. Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dñus: Decipies, et prævalebis; egredere, et fac ita.

23. Nunc igitur ecce dedit Dñus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te malum.

24. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michæam in maxillam, et dixit: Mene ergo dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi?

25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum ut abscondaris.

26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech,

27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ, donec revertar in pace.

28. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite, populi omnes.

29. Ascendit itaque rex Israel, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad.

30. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis: porro rex Israel mutavit habitum suum, et ingressus est bellum.

31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duo-

---

sententiæ dicuntur, varia media proponuntur. Quia ergo decreverat Deus, impium, ingratum et post nuperam veniam recidivum Achab, violenta morte de medio tollere, sedere fingitur tamquam judex, cui et consiliarii, et lictores necessarii ad manum sint, boni quidem angeli *a dextris*, mali *a sinistris*. De modo tollendi de medio regem inquiruntur sententiæ: variis varia suggerentibus, mali spiritus suadent decipiendum Achab, ut bello lacessat regem Syriæ, prætextu recuperandæ *Ramoth* urbis *Galaad*, nuper quidem promissæ, sed necdum redditæ Israeli. Hoc vero belli suscipiendi consilium ideo urgebant dæmones, quod hac via præter unum regem, multa insuper millia (ut fit in bello), interitura sperarent. Judex, non rejecto consilio, rogat, quis id executurus sit, et qua via? utroque comperto, permittit ita fiat. *Egredere*, per me licet, et *fac*: non impediam.

℣. 22. *Decipies, et prævalebis* — Sed nolo, præter unum *Achabum*, quemquam aliorum neci dari, illo occiso, *revertatur unusquisque in domum suam.*

℣. 30. *Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis* — In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *Sumo arma et ingredior prælium: tu autem induere vestibus tuis*, etc. Et ita cohærent sequentia.

℣. 31. *Rex autem Syriæ* (en divinam providentiam, qua parcitum fuit toti reliquo populo) *præceperat principibus: Non pugnabitis contra quempiam, nisi contra regem Israel solum* — Videtur eo spectasse Benadad, ut, capto rege Achabo, labem sibi ante triennium inustam, cum captus et precario dimissus, libertatem vitamque gratis accepit, simili jam modo Achabum, si vivum nancisci potuisset, tractando detergeret. Hinc ducibus severe indicit, conentur, neglectis aliis omnibus, unum Achabum in suam redigere potestatem. Suboluit haud dubie imperium istud Achabo; quare non regio, sed vulgari habitu in prælium descendit, Josaphato affini suo regiis armis et insignibus conspicuo cedens primas in exercitu administrando partes. Et hoc quidem stratagemate elusit Syros, sed divinam ultionem non effugit Achab, incerto telo, et quasi a ludibundo sagittario in altum emisso, sed a Deo qui numquam a scopo aberrat, in impium pectus directo, miserabiliter in oculis suorum trajectus.

bus, dicens: Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.

32. Cum ergo vidissent principes curruum Josaphat suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, et impetu facto pugnabant contra eum: et exclamavit Josaphat.

33. Intellexeruntque principes curruum quod non esset rex Israel, et cessaverunt ab eo.

34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, et ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.

35. Commissum est ergo prælium in die illa, et rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere; fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus:

36. Et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam.

37. Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam: sepelierunt que regem in Samaria,

38. Et [1] laverunt currum ejus in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat.

39. Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit, et domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

40. Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo.

41. Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel.

42. Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai.

43. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.

44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis.

45. Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel.

46. Reliqua autem verborum Josaphat, et opera ejus quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

47. Sed et reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra.

℣. 32. *Et exclamavit Josaphat* — utique *ad Deum*, ut habes 2 Par. 18, v. 31, *et auxiliatus est ei, atque avertit* Syros *ab illo. Cum* enim, ut ibidem dicitur, *vidissent duces equitatus* regem *Josaphat*, dicerentque, *Rex Israel est iste*, et sæpius idem ingeminantes *circumdarent eum* undique, et jam jam potituri viderentur: ipse, verisimiliter inspirante quem invocabat Deo, personam suam detexit, clamans se non esse quem quærerent, se non esse *regem Israel*, se non esse *Achab:* atque ita desertus a Syris periculum evasit.

℣. 39. *Domus eburnea, quam ædificavit* Achab, sicut Salomon supra cap. 10, vers. 18 fecisse dicitur *thronum de ebore grandem*. Et Amos c. 3, v. 15 de *domo* item *eburnea* prædicit funditus *perituram*. Non erant hæc ædificia e solido ebore, sed eburneis crustis aut tabellis hinc inde ornata, opere vermiculato. Quo sensu Plinius, Strabo [2], Plautus et alii eburneos vocant lectulos et vehicula, portas et tecta, quia ebore sectili distincta, et crustis laminisque eburneis tecta, auro subinde, vel argento, vel marmore interluente.

℣. 47. De *reliquiis effeminatorum* dixi cap. 14, v. 24. De *auro Ophir* dicam c. 2 Paralip. 8, v. 18. De *Tharsis* 2 Paralip. 9, v. 21.

(1) Sup. 21, vers. 19.

(2) Plin. l. 16, c. 43; Strabo l. 16, de Arabibus.

48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom.

49. Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: et ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber.

50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Josaphat.

51. Dormivitque Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David patris sui: regnavitque Joram filius ejus pro eo.

52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria, anno septimodecimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis.

53. Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

54. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

℣. 48. *Nec erat tunc rex* proprius *constitutus in Edom* — In Hebræo, Chaldæo et Græco additur, *sed præfectus*, seu gubernator, qui nomine regis Juda eos gubernabat. Tunc enim suberant Idumæi Judæis, jam pridem subjugati per Davidem 2 Reg. 8, v. 14 ubi etiam dicitur, *præsidium et custodes* seu præfectos ex Judæorum gente constitutos fuisse in Idumæa, quia (juxta oraculum Genesis 25, v. 23: *Major serviet minori)*, universa Idumæa serviebat Judæis usque ad tempora *Joram* filii Josaphat, nam regnante Joram *recessit Edom, ne esset sub Juda, et constituto sibi* proprio *rege*, Judæorum jugum excussit, 4 Regum 8, vers. 20.

LIBER IV. REGUM

Recenset acta reliquorum regum Israel et Juda, usque ad extremum excidium eorumdem regnorum. Ordinem temporum vide in Chronico cap. 29.

CAPUT I.

Ochozias rex Israel super valetudine sua consuli jubet Beelzebub: sed prævertitur ab Elia, et moriturus prædicitur. Duos quinquagenarios principes ad Eliam missos cum omnibus suis militibus absumit ignis cœlestis, tertio principe sua modestia servato, cum quo Elias ad Ochoziam descendit. Mortuo Ochoziæ succedit frater Joram.

1. Prævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab.

2. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac.

3. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad

℣. 1. *Prævaricatus est Moab;* Chaldaice, *rebellarunt Moabitæ* Israeli. Diviso regno Israelitico sub Roboamo, divisæ quoque fuerunt regiones, quas rex *David* [1] et *Salomon* fecerant sibi vectigales, et *Moabitæ* quidem Jeroboamo ceterisque *regibus Israelis* [2] tributa pendebant, de quibus infra c. 3, v. 4; *Idumæi* vero *regibus* [3] *Juda*. Sed accisis paullatim utriusque regni viribus, maxime a nupera Syrorum expeditione, quando *Achab* occubuit, et *Josaphat* re infecta domum regressus est, cœperunt et *Moabitæ* [4] Israeliticum, et *Idumæi* [5] Judaicum jugum excutere.

℣. 2. *Ochozias* filius et successor Achab *cecidit per cancellos cœnaculi sui* — En incipit vindicta sumi de posteris Achab. Vix regnum inierat Ochozias, et pene fractis cervicibus, sine liberis moritur. *Cœnaculum* pars est domus sublimior, eaque vel *tecto operta*, ut apud Hispanos et Italos ceterosque Europæos: vel *sine tecto* sub dio, ut apud Palæstinos, omnesque Asianos; diciturque latine *solarium*, vel *doma*, vel *tectum*, græce ὑπερῶν. Huic circumcirca inducere solebant, et vero Judæis ut inducerent præceptum erat Deuter. 22, v. 8 cancellos, seu murum cancellatum, qui deambulantibus in tecto pro lorica erat, et incautos vindicabat a lapsu: ita S. Hieron. [6], Sanctius et alii.

℣. 3. *Beelzebub* — Id est, *Dominus musca*, vel *Deus muscarum:* quod muscas locis istis admodum frequentes et infestas arcere crederetur: qui Græcis, teste Pausania [7], ἀπομυίος et μυίαγρος, et Plinio [8] *Myiodis*, id est, *Jupiter Musca-*

(1) 2 Reg. 8.
(2) 4 Reg. 3, vers. 4.
(3) 2 Par. 21, vers. 8.
(4) Hic et c. 3, v. 5.
(5) 4 Reg. 8.
(6) Epist. 135 ad Suniam et Fretellam.
(7) In Arcad. et Atticis.
(8) Lib. 29, cap. 6.

eos: Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron?

4. Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias.

5. Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis?

6. At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, et dixit ad nos: Ite, et revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

7. Qui dixit eis: Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc?

8. At illi dixerunt: Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.

9. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum sedentique in vertice montis ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas.

10. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo.

11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende.

12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, et devoravit illum, et quinquaginta ejus.

13. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum

rius dicebatur: sicut Apollo, teste eodem Pausania, *Parnopius* vocabatur et *Smitheus*, quod parnopas, id est *culices*, et sminthas, id est *mures* Cretensi idiomate, ab illis finibus arcuisset. Porro hunc *Beelzebub*, Plinius subinde etiam *Achorem* [1], quasi *Accaron* deum vocat, quia in Syria nomen istud notius vulgo erat, quod deus ille in *Accarone* solemnius coleretur. Verisimile ergo est, deum hunc muscarium non alium esse, quam qui erat aliis Gentilium populis *Jupiter*, ut dixi Judic. 2, v. 13 et fuse probat Lilius Gyraldus [2]. Quare cum Jupiter princeps censeretur deorum, nihil mirum si muscarum deus *Beelzebub* Matthæi 12 et Lucæ 11 vocetur *princeps dæmoniorum*.

℣. 8. *Vir pilosus* — non solum alienis pilis, nempe ovina pelle et zona pellicea: sed etiam propriis, cum enim eremita vitam profiteretur non urbanam et cultam, sed silvestrem et asperam, sinebat excrescere incompositam cæsariem, et barbam: ita Gregorius Nyssenus [3], Hugo, Emmanuel Sa et Sanctius. Quia vero multis post seculis etiam Joannes Baptista simili et veste, et victu, et zelo prodiit quo Elias, idcirco etiam nomine Eliæ compellatur a Christo, et *in spiritu ac virtute Eliæ* [4] *venisse* affirmatur. Neque enim magis ille timuit Herodem et Herodiadem, quam hic reges Achab, Ochoziam vel Jezabelem: ita Theodoretus, Joannes Episcopus Jerosolymitanus, Cassianus [5], Dionysius, Abulensis et Lyranus.

℣. 10. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo* — q. d. Vos me ironice *hominem* seu servum illius *Dei* esse dicitis, quem nihil posse existimatis: sed reipsa experiemini jam, terribilem illum atque omnipotentem esse: nam ignem de cælo in vos immittet, quo blasphemos momento absumet, ita Lyranus, Dionysius, Hugo, Cajetanus et Emmanuel Sa.

℣. 13. *Tertius quinquagenarius princeps curvavit genua* — Ex multorum sententia, quam in procemio Abdiæ pro-

(1) Lib. 8, cap. 29.
(2) Syntagmate 2 de Jove.
(3) De Laudib. Basilii. (4) Luc. 1, vers. 17.
(5) Joan. Jeros., c. 37; Cassian. Instit. l. 1, c. 2.

venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum, et ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, et animas servorum tuorum qui mecum sunt.

14. Ecce descendit ignis de cælo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos, et quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ.

15. Locutus est autem angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem,

16. Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

17. Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium.

18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

phetæ examinabimus, hic existimatur fuisse Abdias ille, qui centum Prophetas gladio Jezabelis subtraxit, ut dixi 3 Regum 18, v. 3. Sed quisquis fuit ille, certe prudens fuit, qui maluit supplex orare Eliam, quam pro imperio jubere, ut ad regem accedat. Interim Deus iratum regis animum, et Jezabelis, utique regi filio suo in tanto vitæ periculo coram adstantis, immane in Prophetam odium furoremque compescuit, ne quid durius in adventantem Eliam statuere vel proloqui auderent, quin potius minas reprehensionesque illius acerrimas æquis auribus exciperent.

CAPUT II.

Elia in cælum igneo curru rapto, duplicem ejus spiritum accipit Eliseus. Eliæ pallio aquæ Jordanis bis dividuntur, et siccum transitum præbent. Aquæ Jericho et terræ sterilitas immisso per Eliseum sale curantur. Pueri 42 Eliseo insultantes ab ursis dilacerantur.

1. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias et Eliseus de Galgalis.

2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel,

3. Egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia hodie Dñus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: Et ego novi: silete.

4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Jericho,

5. Accesserunt filii prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia Dñus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: silete.

6. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter,

7. Et quinquaginta viri de filiis

prophetarum secuti sunt eos, qui et steterunt contra, longe: illi autem ambo stabant super Jordanem.

8. Tulitque Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum.

9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.

10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit.

11. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque: et [1] ascendit Elias per turbinem in cælum.

12. Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes.

13. Et levavit pallium Eliæ, quod

℣. 9. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus* — Duplex non comparatione *Eliæ* (hoc enim ut postularet Eliseus non sivisset verecundia), sed respectu aliorum prophetarum, quorum Elias pater spiritualis et magister erat, ac proinde duplicem merito portionem supra reliquos acceperat, quorum respectu non solum censebatur primogenitus (cui duplex hereditatis portio jure debebatur), sed et pater erat, ut dixi, cui longe plura præ filiis propria esse solent. Et vero præter *spiritum prophetiæ*, quo etiam Eliseus et plures alii gaudebant, habebat Elias etiam *spiritum miraculorum;* quo Eliseus ad id usque tempus caruit, sed, quia jam petiit, impetravit: ita S. Thomas, Comestor [2], Eucherius, Angelomus, et pene omnes interpretes.

℣. 11. *Ecce currus igneus, et equi ignei* — id est splendidi instar ignis. Erat enim nubes splendidissima, in currus equorumque similitudinem manu angeli efformata, quæ excepit Eliam, mediumque amplexa est, ut in eo sedere ac vehi videretur: ita Cajetanus, Abulensis, Sanctius et alii. Porro ex hac historia Eliæ occasionem sumpsisse putantur poetæ Gentiles, solem currui igneo imponendi, et equis igneis circumagendi.

Ascendit Elias per turbinem in cælum — nempe aereum. Sed ex regione aeris mox translatus est in paradisum terrestrem, si is adhuc superest, ut probabile dixi Genes. 3 et 5. Et tenent præter ibi citatos [3]; S. Irenæus, Augustinus, Isidorus, Hieronymus, Justinus, S. Thomas, et Abulensis. Vel, si paradisus interiit (ut volunt Genebrardus, Jansenius, Oleaster et Pererius [4]) translatus est in alium illustrem et deliciosum locum, nulli mortalium notum, in quo una cum Henocho in magna spiritus et carnis quiete vivit sine peccato, sine novo merito, sine concupiscentia, sine morbo, sine corruptione, sine ærumna, sine mœrore, quousque ad finem mundi adversus Antichristum redeant, et mortis debitum solvant. Ita Tertullianus, Augustinus, Rupertus, et Franciscus Suarez [5]. An aliquo cibo utantur, et quomodo istic suum tempus transigant, dixi Genes. 5, vers. 24. De reditu adversus Antichristum vide Malachiæ 4 et Matth. 17 et Apoc. 11.

℣. 12. *Currus Israel et auriga ejus* — Proverbio isto significant Hebræi summum in adversis præsidium et columen: sicut et Latini cum vocant aliquem *anchoram reipublicæ*, columen patriæ, *columnam domus*. Porro sermo hic est de curru non rustico vel urbano, sed militari seu falcato. Unde pro *auriga* hebraice est *perasau* [6], id est, *equites ejus*, nempe qui ex curribus in acie depugna-

(1) Eccli. 48, vers. 13; 1 Mach. 2, vers. 58.
(2) S. Thom. 4 contra gentes, c. 11; Comest. in hist. Scholastica.
(3) Iren. l. 5 contra hæres., c. 5; Aug. l. 2 de peccato orig., c. 23; Isid. de Vita et obitu SS., c. 3; Hieron. epist. 61 ad Pammachium; Just. q. 85 ad Orthodoxos; S. Thom. 3 p., q. 49, a. 5 ad 2, et 1 p., q. 102, a. 2 ad 3.
(4) Genebr. in Chronico; Jansen in Concordia, c. 143; Oleaster in 2 cap. Gen.; Perer. lib. 3 in Gen. q. 5.
(5) Tert. de Resurrect. carnis, c. 58; Aug. sup. et lib. 1 de Peccat. merit., c. 3; Rupert. lib. 3 de Trin., c. 33; Suarez in m. p.; S. Thom. c. 2, q. 59, disp. 55, sect. 1.
(6) פרשיו.

ceciderat ei, reversusque stetit super ripam Jordanis,

14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisæ; et dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, et divisæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliseus.

15. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho econtra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram,

16. Dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, et projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere.

17. Coegeruntque eum, donec acquiesceret, et diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros: qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt.

18. Et reversi sunt ad eum: at ille habitabat in Jericho, et dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere?

19. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis.

20. At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal. Quod cum attulissent,

21. Egressus ad fontem aquarum,

bant: quasi unus *Elias* (sicut et olim unus Moyses, Exodi 17) esset Israeli pro integro apparatu militari, qui tropice significatur symbolo currus *falcati* ad stragem hostium instructi. Unde Chaldæus et Vatablus vertunt, *Tu melior eras Israeli oratione tua curribus et equitibus*, et eodem modo exponunt Theodoretus et Cajetanus. Jam vero *per turbinem* subducto Elia, *Eliseus vestimenta sua* extima, nempe pallium et penulam, *scidit in duas partes*, mœroris sui et luctus testandi causa (more gentis suæ), ob sublatum tam carum parentem.

℣. 14. *Ubi est Deus Eliæ etiam nunc?* — Non dubitat de præsentia vel potentia Dei: sed miratur queriturque amice de negata sibi cælesti ope, q. d. Quid causæ esse potest, cur Deus qui paullo ante in dividendis aquis Jordanis tam promptus adfuit Eliæ, nunc mihi nolit adesse, tamen spiritu Eliæ certo certius donato? Nempe vel plusculum sibi blanditus fuerat Eliseus de duplicato spiritu: vel curiosius explorare voluit quantum spiritus novus posset. Unde dum mox correcto errore suo, suis diffisus viribus, uni innixus Deo nutuique divino, *percutit* secundo easdem *Jordanis aquas*, subito dissiliunt et in partes abeunt, et transitum sicco vestigio in ulteriorem ripam præbent.

℣. 19. *Civitatis hujus* Jericho *aquæ pessimæ sunt* — ob frequentes per quas colantur venas salis, quod in agro Jerichuntino fossile est, vel ex aqua salsa concretum. Unde et *Vallis salis* appellatur Genes. 14, vers. 3, et *mare* mortuum vicinum *salsissimum*. Unde cum salsugine ista redderetur ager exsuccus et infœcundus, nil mirum, hic *terram sterilem* vocari. Nolim tamen hoc intelligi de omni terra Jerichuntina, quam constat majori ex parte pinguem et fertilem fuisse, ut bene probat Abulensis: sed de illa sola quæ *Valli salis* versus mare Mortuum adjacebat, in qua forte domicilium fixerant *filii Prophetarum* et discipuli Elisei qui hic apud Eliseum questi sunt: nam et illi hic intelligi possunt per *viros civitatis* Jericho, ob habitationem quam istic sibi delegerant: ita Abulensis et Sanctius. Qui addunt, Eliseum ad aquas has in posterum dulcorandas *sal* expetiisse, et quidem *ab* Jerichuntinis *ipsismet* conquisitum, et *vasi novo* commissum, non aliam ob causam, quam ut palam faceret, se non magicis quibusdam præstigiis, herbis veneficis, aut vase intoxicato: neque etiam physico remedio vel naturali arte, sed sola virtute divina miraculum istud perfecisse. Porro ex hoc exemplo Elisei desumpsit Ecclesia *sal*, quod in *aquæ lustralis* benedictione admiscet, teste Abul. et Guiliel. Durando [1].

(1) De Rat. divin. offic. l. 4, c. 4.

misit in illum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.

22. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est.

23. Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes: Ascende, calve, ascende, calve.

24. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.

25. Abiit autem inde in montem Carmeli, et inde reversus est in Samariam.

CAPUT III.

Desciscente rege Moab a fœdere quo obstringebatur regibus Israel, bellum illi movet Joram rex Israel, Josaphat rex Juda, et huic vectigalis rex Edom. Quibus pene siti enectis Eliseus aquam curat, et victoriam promittit. Rex Moab immolato primogenito suo excidium urbis arcet.

1. Joram vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat regis Judæ. Regnavitque duodecim annis.

2. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus et mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater ejus.

3. Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis.

4. Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, et solvebat regi Israel centum millia agnorum, et centum millia arietum cum velleribus suis.

5. Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel.

6. Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel.

7. Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus; et equi mei, equi tui.

8. Dixitque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ.

9. Perrexerunt igitur rex Israel, et rex Juda, et rex Edom, et circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, et jumentis quæ sequebantur eos.

10. Dixitque rex Israel: Heu heu

℣. 2. *Fecit* Joram rex *malum coram Domino* — dum *vitulos aureos* in Dan et Bethel retinet et adorat. Non tamen peccavit tam graviter et impudenter *sicut Achab et Jezabel* parentes ejus, qui pristinæ *vitulorum* idololatriæ superinduxerant novam *Sidoniorum* superstitionem, nempe sacra *Baal*. Nam *statuas* illius *sustulit* Joram. Quod sane mirum, vivente videnteque matre Jezabele, filium ausum fuisse. Verum cum bellum cogitaret adversus Moabitas, quos rumor erat, in pœnam novæ idololatriæ per Jezabelem inductæ, permissu Numinis rebellasse Israeli, voluit offendiculum tollere prius quam belli aleam subiret.

℣. 9. *Et rex Edom* — Potius *prorex*, ut patet ex iis quæ dixi in fine libri 3 et hujus libri 4 c. 1, v. 1. Nam vicarium sibi substituebat rex Juda in Idumæa quem volebat, jam inde a tempore Davidis. Unde et *Josaphat* hic compellit eumdem seu regem seu proregem, cum subjecto sibi populo arma sumere, secumque ad-

heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab.

11. Et ait Josaphat: Estne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.

12. Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, et Josaphat rex Juda, et rex Edom.

13. Dixit autem Eliseus ad regem Israel: Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui, et matris tuæ. Et ait illi rex Israel: Quare congregavit Dñus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab?

14. Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.

15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait:

16. Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas.

17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra.

18. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.

19. Et percutietis omnem civitatem munitam, et omnem urbem electam, et universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, et omnem agrum egregium operietis lapidibus.

20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce, aquæ veniebant per viam Edom, et repleta est terra aquis.

21. Universi autem Moabitæ, audientes quod ascendissent reges ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, et steterunt in terminis.

22. Primoque mane surgentes, et orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinem,

23. Dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnaverunt reges contra se,

versus Moabitas in bellum venire. Rursum hæsitante Joramo qua via ducendus esset exercitus in terram Moabitidem, Josaphat decernit, per *Idumæam*, regionem sibi jam pridem subditam traduci.

℣. 11. *Est hic* in castris *Eliseus, qui fundebat aquam super manus Eliæ* — id est, qui famulus fuit Eliæ. Est enim familiare non modo sacræ, sed et profanæ litteraturæ, ut actio aliqua singularis totum officium seu ministerium designet. Sic *solvere corrigiam calceamenti* [1], idem quoque est quod *servire*. Notas pecoribus inurere [2] quibus distinguantur ab aliis, est pastoritium opus exercere. *In militum capita frangere vites*, est tribunum agere. *Cubito sese emungere*, est salsamentarium esse.

℣. 15. *Adducite mihi psaltem* — Levitam aliquem accitum dicit Theodoretus, qui suavi psalmorum Davidicorum modulatione excitaret animum Prophetæ ad internam recollectionem, pietatem ac devotionem: atque ita disponeret ad divinas inspirationes ac revelationes excipiendas. Quantum in hoc genere valeat musica, testatum in se reliquit S. Augustinus [3], et fuse probant quæ dixi l Regum 16, v. 23 de Davide sua cithara furibundum Saulem refocillante.

℣. 16. *Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas* — Id est, in sinu isto aridi torrentis fodite foveas plurimas et scrobes, quibus aquæ miraculo mox submittendæ excipiantur et detineantur.

℣. 22. *Orto jam sole viderunt aquas rubras quasi sanguinem* — nempe ex reflexione radiorum solis matutini, qui

(1) Joan. 1, vers. 27.
(2) Virg. 1 Georg., et Festus ib.

(3) Lib. 9 Confess., cap. 6.

et cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab.

24. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, et percusserunt Moab,

25. Et civitates destruxerunt: et omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: et universos fontes aquarum obturaverunt: et omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent: et circumdata est civitas a fundibulariis, et magna ex parte percussa.

26. Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom: et non potuerunt.

27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam.

ob vapores accensi videntur et rubri, sicut cum transeunt per vitrum rubrum, ita Hebræa, Chaldæa, Josephus, et ex eo Abulensis. Et 2 Regum 23, v. 4 expresse dicitur, *lux auroræ oriente sole mane* etiam *absque nubibus rutilare*, seu *rubricare*.

℣. 25. *Ut muri tantum fictiles remanerent* — Nomen est regiæ civitati Moabitarum, *Kir Chareseth* [1], quod significat *murum lateritium*. Et forsan ob ingentes e cocto latere moles pro muris erectas, nomen hoc inditum fuit regiæ urbi. Idem nomen habes etiam Isaiæ 16, vers. 7.

℣. 27. *Primogenitum suum obtulit holocaustum* — nempe idolo suo Moloch, seu Saturno, ut dixi 3 Reg. 11, v. 5. Quod teste Eusebio [2] familiare erat Gentilibus. Et tentavit etiam *Sennacherib*, infra c. 19.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 17.

Voluit vero rex Moabitarum ferali hoc holocausto partim offensum sibi placare idolum, ejusdemque opem advocare: partim infestos reges et exitio urbis imminentes ad misericordiam provocare, aut certe desperatione percellere. Ideo *super murum* civitatis obtulit et exussit filium suum videntibus Israelitis.

Et facta est indignatio magna in Israel — Nempe subirati sunt reges sibi ipsis, quod miserum patrem coegissent in filium tam indigne sævire, et in sua pene viscera ferrum adigere. Unde miserti illius, ne ad ulteriorem desperationem et suimet necem cogerent, ab urbis obsidione recedunt, innovatoque cum rege fœdere de tributo pristino ex fide pendendo, ad sua redeunt: ita Josephus, Vatablus, Abulensis et Lyranus.

(2) Lib. 4 de Præpar., cap. 7.

CAPUT IV.

Viduæ debitis oppressæ oleum multiplicat Eliseus, quo creditoribus faciat satis: Sunamitidi hospitæ suæ filium impetrat, quem et mortuum postea suscitat. Farina pulti infusa, illius aufert amaritudinem, et paucis panibus multos satiat.

1. Mulier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus

℣. 1. *Vir meus* — Hunc fuisse Abdiam, qui centum Prophetas capitis sui periculo adversus Jezabelis furorem occultavit, suoque ære nutrivit, unde et debita contraxerit, quibus immortuus est, et vidua solvendo non fuit; putant Josephus et alii a me citati 3 Reg. 18, v. 3. Sed hoc examinabimus in procemio prophetiæ Abdiæ.

Et ecce creditor venit, ut tollat filios meos ad serviendum sibi — Ita moris erat tum apud Hebræos, ut patet Isai. 50,

tuus fuit timens Dominum: et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.

2. Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.

3. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.

4. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu, et filii tui: et mitte inde in omnia vasa hæc: et cum plena fuerint, tolles.

5. Ivit itaque mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos: illi offerebant vasa, et illa infundebat.

6. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo: Stetitque oleum.

7. Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem, et filii tui, vivite de reliquo.

8. Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem.

9. Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.

10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.

11. Facta est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi.

12. Dixitque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, et illa stetisset coram eo,

13. Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedule in o-

vers. 1, et Matth. 18, vers. 25, tum apud Athenienses et Romanos, teste Plutarcho, Dionysio Halicarnassæo, et S. Ambrosio [1], qui et oculis id suis spectavit; et Justiniano in codice [2].

℣. 2. *Parum olei, quo ungar* — non elegantiæ studio aut philocalia (procul id ab honesta vidua, et inope), sed valetudinis causa, inquit Abulensis: nam id usitatissimum erat in Judæa, et omnibus Syriæ locis. Quamvis illud, *quo ungar*, non sit in Hebræo vel Chaldæo, sed in solo Græco et Latino textu.

℣. 6. *Stetitque oleum* — Tropologice, Charitas, quæ in se crescit dum aliis erogat, non crescit sed stat, quando non erogat, inquit S. Augustinus [3]. Oleum cælestis suavitatis et spiritualis gratiæ tum cessat influere, ait S. Bernardus [4], cum vas animæ non vacuum, sed plenum est vanis desideriis et curis.

℣. 8. *Transibat Eliseus per Sunam* — Hæc patria erat adolescentulæ Abisag, quæ suo complexu senilia Davidis membra vegetabat 3 Reg. 1, v. 3. Oppidum erat in tribu Issachar, ad radices montis Carmeli. Colligitur ex v. 23 ubi insinuatur, usitatum fuisse personis piis, et salva religione licuisse, Sabbato et Calendis ex *Sunam* proficisci ad cœnobium Elisei in Carmelo; utique ut divinis istic laudibus et sanctis exhortationibus interessent: ergo intervallum non erat nisi *sabbati iter*, scilicet bis mille cubitorum [5].

Erat ibi mulier magna — id est locuples et nobilis, et magno loco inter suos. Unde merito de se dicit:

℣. 13. *In medio populi mei ego habito* — Id est, non peregrinor in terra aliena, sed in propria domo et ditione, in medio amicorum, affinium et cognatorum potentium et divitum, quorum ope ac patrocinio, si quæ molestia ingrueret, tutari me commode possem.

(1) Plut. in Vita Solonis, qui legem illam abrogavit; Halicarn. lib. 2 Antiq. Rom.; Ambr. l. de Job, cap. 8.

(2) Lib. 4 Cod., tit. 43, lib. 2 de patribus qui filios distraxerunt.

(3) Serm. 206 de Temp. (4) Serm. 6 de Asc.

(5) Proleg. de Mensur. longitud.

mnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: in medio populi mei habito.

14. Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, et vir ejus senex est.

15. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, et stetisset ante ostium,

16. Dixit ad eam: In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso, domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.

17. Et concepit mulier, et peperit filium, in tempore, et in hora eadem, qua dixerat Eliseus.

18. Crevit autem puer. Et cum esset quædam dies, et egressus isset ad patrem suum, ad messores,

19. Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, et duc eum ad matrem suam.

20. Qui cum tulisset et duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est.

21. Ascendit autem, et collocavit eum super lectulum hominis Dei, et clausit ostium: et egressa,

22. Vocavit virum suum, et ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, et asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, et revertar.

23. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neque sabbatum. Quæ respondit: Vadam.

24. Stravitque asinam, et præcepit puero: Mina, et propera, ne mihi moram facias in eundo: et hoc age quod præcipio tibi.

25. Profecta est igitur, et venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa.

26. Vade ergo in occursum ejus, et dic ei: Rectene agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum? Quæ respondit: Recte.

27. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi.

28. Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? Numquid non dixi tibi: Ne illudas me?

29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi: et pones baculum meum super faciem pueri.

30. Porro mater pueri ait: Vivit

℣. 29. *Accinge lumbos tuos* — Phrasis est Hebræis quasi proverbialis, qua strenuam expeditamque operam ab aliquo exigunt, quasi a servo, qui, dum maturandum est, accingit se arctius, et lacinias ad cingulum reducit, ne properantem morentur aut impediant. Similis est et illa quæ sequitur, *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum*, q. d. Ne tantillum quidem volo interponas moræ, quanto opus esset ad aliquem ex itinere salutandum. Simili phrasi usus est Christus Lucæ 10, *Neminem per viam salutaveritis*, jubens Apostolis, a reliquis omnibus negotiis abstinere, et uni Evangelio prædicando totos incumbere: ita S. Ambrosius, Augustinus et Theodoretus [1], qui addit, idcirco Eliseum tantam a Giezi famulo suo accelerationem exegisse, primo, ut res secreto perficeretur, et prius puer revivisceret quam mors patri innotuisset. Secundo, ut ne vana sua gloriola, quam Giezi captare narrando obviis causam sui itineris adeo speciosam potuisset, impedimentum afferret perficiendo miraculo. Et quidem de facto attulisse,

(1) Ambr. l. 1 in Lucam; Aug. serm. 42 de Sanctis; Theod. hic q. 18.

Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, et secutus est eam.

31. Giezi autem præcesserat ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus: reversusque est in occursum ejus, et nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer.

32. Ingressus est ergo Eliseus domum, et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus:

33. Ingressusque clausit ostium super se, et super puerum, et oravit ad Dominum.

34. Et ascendit, et incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus: et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri.

35. At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: et ascendit, et incubuit super eum: et oscitavit puer septies, aperuitque oculos.

36. At ille vocavit Giezi, et dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.

37. Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram: tulitque filium suum, et egressa est,

38. Et Eliseus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram eo: dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis prophetarum.

39. Et egressus est unus in agrum ut colligeret herbas agrestes: invenitque quasi vitem silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas agri, et implevit pallium suum, et reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset.

40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere.

41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, et ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat.

43. Responditque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, et supererit.

44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, et superfuit juxta verbum Domini.

idem affirmat, uti et Rabbi Salomon apud Lyranum: dicuntque hanc causam fuisse, cur baculo Elisei puer non revixerit. Verum potuit ad hoc impediendum sufficere, quod Eliseus prece Sunamitidis inductus mentem mutarit de modo resuscitandi pueri, revocatoque instrumento baculi, decreverit id per se et propriis manibus perficere. Porro de applicatione singulorum membrorum ad membra pueri, aliaque huc spectantia, vide in simili facto Eliæ 3 Reg. 17, v. 21.

℣. 39. *Colocynthidas* — Herba est agrestis, admodum similis labruscæ, seu viti silvestri; fructus habet rotundos, qui proxime ad cucurbitæ similitudinem accedunt; qui sane amarissimi sunt. Sed hi Prophetarum discipuli ex insolito sapore suspicati sunt etiam mortiferas esse herbas, unde *clamant: Mors in olla.* Sed mortem illam et omnem amaritiem pauxillo farinæ hordeaceæ Propheta momento sustulit, non vi farinæ naturali, ut vult Levinus Lemnius [1]; sed virtute supernaturali, ut optime ex subita mutatione probat Franciscus Valesius [2], et est communis interpretum.

(1) Cap. 7. (2) Sacr. Philos. c. 37.

CAPUT V.

Eliseus Naaman leprosum septena in Jordane lotione mundat a lepra: quæ Giezi ob munera mendacio extorta, perpetuo adhæsit.

1. Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis et dives, sed leprosus.

2. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, et captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman,

3. Quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profecto curasset eum a lepra, quam habet.

4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, et nuntiavit ei, dicens: Sic et sic locuta est puella de terra Israel.

5. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, et mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, et tulisset secum decem talenta argenti, et sex millia aureos, et decem mutatoria vestimentorum,

6. Detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum a lepra sua.

7. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, et ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim et vivificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem a lepra sua? animadvertite, et videte quod occasiones quærat adversum me.

8. Quod cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, et sciat esse prophetam in Israel.

9. Venit ergo Naaman cum equis et curribus, et stetit ad ostium domus Elisei.

10. Misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.

11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini Dei sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.

12. Numquid non meliores sunt Abana et Pharphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans,

℣. 1. *Naaman princeps militiæ regis Syriæ* — puta Benadad, qui bellum varia fortuna sæpius gessit cum Achab, et tandem, ut habes infra cap. 8 ab Hazaele strangulatus interiit.

Per illum (Naaman) *dedit Dominus salutem Syriæ* — Quia ipse is fuit, qui excusso in incertum telo, regem Achab in ultimo bello prostravit, 3 Regum 22, v. 34, inquit Rabbi Salomon: qua fide, ipse viderit.

℣. 2. *Latrunculi* idem hic significant quod *milites*, ut dixi 2 Reg. 4, v. 2.

℣. 5. *Mutatoria vestimentorum* sunt vestes elegantes et lautæ, quibus homines in splendida utuntur fortuna, et festis diebus: et mutant cum vilioribus, quando feriatis diebus ab otio et nitore se rursus ad laborem expediunt.

℣. 12. *Abana et Pharphar fluvii Damasci* — Abana enim, teste Benjaminio[1], *Damascum influit*, ejusque *aquæ per trabes* (seu tubos) *in omnes magnatum domos, atque etiam in forum et plateas deducuntur. Pharphar urbem ipsam præterfluit, et hortos paradisosque omnes irrigat.*

(1) In suo Itinerario.

13. Accesserunt ad eum servi sui, et locuti sunt ei: Pater, et si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, et mundaberis?

14. [1] Descendit, et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est.

15. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, et stetit coram eo, et ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque, ut accipias benedictionem a servo tuo.

16. At ille respondit: Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit.

17. Dixitque Naaman: Ut vis: sed, obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino.

18. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.

19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.

20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid.

21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cum vidisset

℣. 17. *De terra* Israelitica *onus duorum burdonum* — seu quantum ferre possunt duo muli: scilicet ut ex terra sancta, et a Deo benedicta, construam in Syria altare, et in eo per legitimum sacerdotem sacrificium offeram Deo Israelis soli et vero Deo. Neque enim illicitum hoc erat Gentilibus extra terram sanctam ad Deum conversis, qui, nisi vellent, cæremoniis Judaicis non adstringebantur. Vide Abulensem.

℣. 18. *Si adoravero,* id est, me incurvavero, seu corpus inclinavero, *in templo* idoli *Remmon* — q. d. Liceat, quæso, mihi dum rex meus Benadad sese curvabit ad adorandum idolum *excelsum* (hoc enim significat *Remmon*), id est, primarium totius Syriæ, (Venerem, ut puto, juxta ea quæ de Dagon dixi 1 Reg. 5, v. 5) liceat, inquam, mihi tum in obsequium non idoli, sed regis mei, etiam me incurvare, quia rex mihi solet inniti partim commodi sui, partim decoris gratia. Non ergo vult Naaman cooperari ad adorationem idoli, sed ad solam curvationem physicam regis. Quod omnino licebat, inquit Cajetanus et alii [2].

℣. 19. *Abiit ab eo electo terræ tempore* — Hebraicum *kibrath* [3], *electum* significat, et potest designare vel electam anni tempestatem, ut hic *vernam* aut *æstivam* (nam alio anni tempore non res levis, sed *grandis* fuisset Naamano septies aquis immergi). Et sic vertit hanc vocem Vulgatus noster Gen. 35, v. 16, *tempus vernum.* Vel electum temporis spatium, quo potest certa viæ portio confici: quale antonomasticῶς, erat designatum seu electum a lege spatium magni quadrantis horæ, quo iter Sabbato licitum [4] confici poterat. Et secundum hunc sensum dicetur hic Naaman ab Eliseo recessisse quadrante unius horæ, cum simoniacus *Giezi* assecutus est abeuntem. Unde Chaldæus, Pagninus, Tigurini et alii recentiores vertunt, *milliare terræ,* puta Italicum, quod quadrante horæ percurri potest.

(1) Luc. 4, vers. 27.
(2) Vide inter hos P. Schwarz tom. 2 *colleg. hist. quæst.* 11, et P. Liron *singularit. historic. et litterar.* tom. 2, p. 427 seq.

(3) כִּבְרַת.
(4) Proleg. de Mensur. longit.

ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus, et ait: Rectene sunt omnia?

22. Et ille ait: Recte; dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, et vestes mutatorias duplices.

23. Dixitque Naaman: Melius est ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta, et imposuit duobus pueris suis, qui et portaverunt coram eo.

24. Cumque venisset jam vesperi, tulit de manu eorum, et reposuit in domo, dimisitque viros, et abierunt;

25. Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus: Unde venis, Giezi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam.

26. At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas.

27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo, usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

℣. 27. *Egressus est leprosus quasi nix* — id est, quasi si nive fuisset conspersus. Quæ erat lepra omnium teterrima, ad dolorem acerbissima, et curatu difficillima: ut medici docent.

Petes, Cur tam inique tulit Eliseus, quod nomine suo lucrum aliquod per famulum peteretur? Respondeo, Quia eo ipso suspicionem movebat famulus, herum suum non esse sincerum veri Dei Prophetam, nam hi numquam solebant miracula pretio venditare: sed esse unum e pseudoprophetis, qui venalem habebant omnem suam operam, etiam prophetalem, non secus atque aliud quodvis artificium quæstuarium, ut ipsis exprobrat *Michæas* [1], *Ezechiel* [2] et alii Prophetæ. Quocirca verisimile puto, Eliseum curasse quamprimum, ut causa scandali tolleretur, et Naaman intelligeret, infidi et avari servi illam fuisse calliditatem, non suum mandatum.

(1) Mich. c. 3, v. 11. (2) Ezech. c. 22, v. 27.

CAPUT VI.

Eliseum ferrum securis natare facit; regis Syriæ milites quasi excæcatos inducit in mediam Samariam. Qua post a Syris obsessa, matres urgente inedia filios suos comedunt. Qua de causa jubet rex occidi Eliseum.

1. Dixerunt autem filii prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis.

2. Eamus usque ad Jordanem, et tollant singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.

3. Et ait unus ex illis: Veni ergo, et tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam.

4. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna.

5. Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitque ille, et ait: Heu, heu, heu, dñe mi, et hoc ipsum mutuo acceperam.

6. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illuc: natavitque ferrum,

7. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, et tulit illud.

8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco illo et illo ponamus insidias.

9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Cave ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt.

10. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi non semel neque bis.

11. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: et convocatis servis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel?

12. Dixitque unus servorum ejus: Nequaquam, domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.

13. Dixitque eis: Ite, et videte ubi sit: ut mittam, et capiam eum. Annuntiaveruntque ei, dicentes: Ecce in Dothan.

14. Misit ergo illuc equos et currus et robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem.

15. Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus, vidit exercitum in circuitu civitatis, et equos, et currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus?

16. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.

17. Cumque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit: et ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum, in circuitu Elisei.

18. Hostes vero descenderunt ad eum: porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisei.

19. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via, neque ista est civitas: sequimini me, et ostendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam:

20. Cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine, aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dñus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ.

℣. 15. *Minister viri Dei* hic non erat jam *Giezi*, propter lepram procul ab hominum convictu relegatus, sed alius puer, cui, ut apparet, nondum sat erat explorata virtus et potentia Elisei.

℣. 17. *Ecce mons plenus equorum et curruum igneorum*— id est, instar ignis fulgentium, ut dixi c. 2, v. 11. Erant enim vel acies angelorum, qui igneum seu splendidum corpus assumpserant, vel erant ipsæ nubes splendidissimæ, in curruum equorumque similitudinem manibus angelorum efformatæ.

℣. 18. *Percute gentem hanc cæcitate* — Non plena, sed partiali, quam Græci ἀορασίαν vel ἀχρισίαν vocant, id est, *non videntiam*, vel *non distinctionem* certi objecti, licet circa alia objecta non cæcutiant: ut dixi in casu prorsus simili de Sodomitis ostia quærentibus nec reperientibus, Genes. 19, v. 11. Ita enim et jam his accidit *militibus* Syris, qui solum *Eliseum*, quem quærebant, et urbem *Dothan*, ac *Samariam* non agnoscebant, cetera omnia optime agnoscebant. Nempe species longe alia oculis ipsorum objiciebatur, quam esset vera forma Elisei, vel civitatis, quam quærebant: alia etiam signa viæ quæ ad illam urbem duceret. Unde merito et cum veritate Eliseus mox ait: *Non est hæc* quæ oculis vestris objicitur, *via* quam vos quæritis, *neque ista est civitas:* ita Sanctius.

Tropologice, imaginem in his videre est cæcitatis mortalium circa res divinas ac cælestes, quas tum demum a se neglectas agnoscent ac dolebunt miseri, cum in extremo vitæ suæ, ab hostibus undique conclusi, et coram tribunali Dei toties contempti, toties offensi serius oculos mentis aperient.

21. Dixitque rex Israel ad Eliseum, cum vidisset eos: Numquid percutiam eos, pater mi?

22. At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo, ut percutias: sed pone panem et aquam coram eis, ut comedant et bibant, et vadant ad dominum suum.

23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, et comederunt et biberunt, et dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, et ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel.

24. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam.

25. Factaque est fames magna in Samaria: et tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.

26. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me, domine mi rex.

27. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit:

28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras.

℣. 22. *Non percuties* — Non erat ex se illicitum, copias illas Syrorum prodigioso Elisei ductu in Samariam invectas, neci dare, atque ita vires hostiles debilitare, et spiritus insolentes frangere: quia non semel pene simili casu id alias factum legimus Judic. 7 sub Gedeone, et 1 Reg. 14 sub Jonatha, cum Deus, vel Madianitas, vel Philisthæos panico metu cælitus exanimatos, ac pene constrictos, ferro Israelitico jugulandos objecit. Sed hac vice Deus parcitum illis voluit, ut suam potentiam, ipsis etiam hostibus præconibus, ubique per Syriam vicinasque regiones manifestiorem redderet: ita S. Jo. Chrysostomus [1], Theod. et alii.

℣. 23. *Ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel* — Isti nempe jam deliniti tanto beneficio: sed neque alii milites prædandi causa, et paucis turmis (quod proprium est *latronum*, seu militum latrocinantium); ausi fuerunt excurrere. Vel simplicius, *ultra non venerunt*, id est, eo tempore ultra non processerunt Syri in isto bello prosequendo; sed copias omnes ex Israele reduxerunt in Syriam. Paucis vero post annis alio integro exercitu rursus accurrit idem ipse Syriæ rex Benadad, et obsedit regiam urbem Samariam, ut habes versu sequenti; compulitque obsessos ad *obscœnam et malesuadam famem*, ut cum Virgilio [2] loquar, quæ et *carnes asininas*, alioqui lege prohibitas, Levitici 11, v. 26, et *stercus columbarum* sane triste obsonium [3], in deliciis haberet, et incredibili pretio comparari juberet. De simili fame pluribus aliis locis scribunt Plinius et Valerius Maximus, et narrant exempla stupenda. Inter alia, dum *Annibal Casilinum* obsideret, *murem* unum *ducentis denariis*, seu regalibus Hispanicis vel Juliis Italicis veniisse.

℣. 28. *Da filium tuum, ut comedamus eum hodie* — Exemplum hoc famis est extreme abominandæ. Quam ut minatus fuerat Deus Israelitis, si quando a legis observatione recederent, Deut. 28, v. 53, ita de facto nunc recedentibus immittit. Immisitque rursum, cum a Chaldæis tempore Sedeciæ obsessa fuit Jerusalem, quando non solum parentes ex filiorum, sed etiam filii ex parentum carnibus sibi diras epulas pararunt, Ezechielis 5, v. 10. Denique iisdem tertio immisit, cum a Tito et Vespasiano in easdem angustias redacti sunt, teste Josepho [4] et aliis.

(1) Tom. 1 hom. de Eliseo et Syror. insidiis.
(2) 3 et 6 Æneid.
(3) Verum *stercus columbarum*, Tirinus videtur intellexisse. Arabes nescio quod pisorum genus hoc nomine appellant; atque id hoc loco denotari videtur, ut a Bocharto fuit demonstratum. Josepho videtur, *stercus* hoc *columbarum* tam caro emptum ad *salis* supplendum defectum fuisse; sed *salis* nomine non sal, sed eduli genus designatur. Confer Varronem *de re rustica*, cap. 36, et Gilletum *admot.* 1 *in* 9 *Ant. Judaic. lib.*
(4) Lib. 7 Belli, c. 8.

29. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum.

30. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.

31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie.

32. Eliseus autem sedebat in domo sua, et senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: et antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est.

33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

℣. 31. *Si steterit caput Elisei,* etc. — Cur vero rex audita tam horrenda fame, irascitur, mortemque minatur Eliseo? Respondet Sanctius, ex solo furore et præcipiti dolore id egisse: S. Ambrosius [1], eo quod Eliseus cum posset, urbem fame et obsidione liberare miraculo vel prece, ad id usque tempus noluisset. Sed verisimilius est, Eliseum regi forte minus cordato, et cum Syris pacisci volenti etiam iniquis conditionibus, perpetuo id dissuasisse, atque opem e cælo, et solutionem obsidionis addixisse. Quam quia rex æquo diutius differri, et omnia interim perditum ire videt, neque ullum præsentis exitii remedium apparet, idcirco in Eliseum tamquam mendacem, perfidum, et auctorem pessimi, ut putabat, consilii, et patriæ proditorem tam graviter excandescit.

(1) Lib. 3 de Offic.

CAPUT VII.

Eliseus prædicit ingentem crastino in Samaria frumenti fore abundantiam; quæ contigit, Syris obsidionem subita fuga solventibus, et omnibus suis prædæ relictis. Dux autem, qui Eliseo id prædicenti minus credulus fuerat, a turba conculcatur in porta Samariæ.

1. Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ.

2. Respondens unus de ducibus, super cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, et inde non comedes.

3. Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hic esse volumus donec moriamur?

4. Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: sive manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, et transfugiamus ad castra Syriæ; si pepercerint nobis,

℣. 2. *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo* — ut ex eo tamquam horreo vastissimo depluat frumentum vel farinam in terras, ut olim pluit *manna,* non poterit tamen tanta esse frumenti abundantia Samariæ die crastino, quantam prædicis futuram: ita Josephus et alii.

vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.

5. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt.

6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, et equorum, et exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum et Ægyptiorum, et venerunt super nos.

7. Surrexerunt ergo, et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua, et equos et asinos, in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes.

8. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, et comederunt, et biberunt: tuleruntque inde argentum, et aurum, et vestes, et abierunt, et absconderunt: et rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, et inde similiter auferentes absconderunt.

9. Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus; hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, et nuntiemus in aula regis.

10. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos et asinos alligatos, et fixa tentoria.

11. Ierunt ergo portarii, et nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus.

12. Qui surrexit nocte, et ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, et idcirco egressi sunt de castris, et latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, et tunc civitatem ingredi poterimus.

13. Respondit autem unus servorum ejus: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel: alii enim consumpti sunt), et mittentes explorare poterimus.

14. Adduxerunt ergo duos equos, misitque rex in castra Syrorum, dicens: Ite, et videte.

15. Qui abierunt post eos usque ad Jordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis, quæ projecerant Syri cum turbarentur: reversique nuntii indicaverunt regi.

16. Et egressus populus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini.

17. Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbebat, constituit ad

℣. 6. *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, et equorum, et exercitus plurimi* — Ope angelorum factus hic sonitus: sed verisimile est, eorumdem ope etiam speciem aliquam exercitus apparuisse oculis Syrorum (ut cap. præced., v. 17 contigit ministro Elisei). Unde subito terrore consternati, et mox in præcipitem fugam acti sunt Syri.

℣. 8. *Leprosi illi*, inquit Rabbi Salomon, teste Lyrano, erant *Giezi* (servus olim Elisei) et tres illius filii, qui propter fœdam lepram exulabant ab urbe regia, sibique in vicinia tentorium fixerant. Sed hoc non placet Abulensi: favet tamen familiare, quod initio cap. seq. instituitur, colloquium regis cum eodem *Giezi*, qui forsan occasione tam læti istius nuntii, carior familiariorque regi factus erat. Neque colloquium cum leprosis lege vetitum erat, neque noxium esse poterat, cum debita adhiberetur distantia. Nauseam vero, quæ ex aspectu lepræ timeri a delicatulis solet, viri cordati nihil faciunt; et rei novæ atque jucundæ voluptas, quæ ex alloquio quæritur, graveolentiam omnem, si quæ a leprosis est, facile absorbet.

portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, et mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum.

18. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo modii hordei statere uno erunt, et modius similæ statère uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ:

19. Quando responderat dux ille viro Dei, et dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, et inde non comedes.

20. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, et conculcavit eum populus in porta, et mortuus est.

CAPUT VIII.

Sunamitis hospita Elisei, eo suadente peregrinatum profecta, septennem famem evadit, reversa suos agros recuperat. Eliseus Benadad regem Syriæ prædicit moriturum, et impium Hazael illi successurum. Joram rex Juda percutit Idumæos rebelles. Mortuo succedit Ochozias.

1. Eliseus autem locutus est ad mulierem, [1] cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis.

2. Quæ surrexit, et fecit juxta verbum hominis Dei: et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philisthiim diebus multis.

3. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philisthiim, et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis.

4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus.

5. Cumque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, et hic est filius ejus quem suscitavit Eliseus.

6. Et interrogavit rex mulierem: quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos reditus agrorum, a die qua reliquit terram usque ad præsens.

7. Venit quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc.

8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, et vade in occursum

℣. 7. *Venit Eliseus Damascum* — Utique ut *Hazaelem* ungeret in regem Syriæ, juxta mandatum Dei 3 Regum 19, v. 15, Eliæ quidem tum datum, sed ad hoc usque tempus, eodem Deo inspirante dilatum. Sicut et alterum de *Jehu* in regem Israel ungendo, ibid. v. 16 eidem Eliæ commissum, sed hoc demum tempore per Elisei discipulum executioni mandatum, ut patet ex initio capitis jam

(1) Sup. 4, vers. 35.

sequentis: ita Cajetanus, et auctor Historiæ Scholasticæ. Sanctius vult, utrumque ab Elia tunc unctum fuisse, non ut sceptrum tunc usurparent, sed multis post annis; ut Davidi a Samuele primum uncto contigit: jam vero secundo ab Eliseo seu ungi, seu moneri de regno.

Benadad rex Syriæ ægrotabat — ægritudine corporis ex animi ægritudine, ut fit, enata, propter nuperrimam ex Israelitide fugam, maxime cum intelle-

viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?

9. Ivit igitur Hazael in occursum ejus, habens secum munera, et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac?

10. Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur.

11. Stetitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus: flevitque vir Dei.

12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides.

13. Dixitque Hazael: Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.

14. Qui cum recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem.

15. Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo.

16. Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.

---

xit vana omnia terriculamenta fuisse, quæ de recentibus ex Ægypto aut aliunde missis auxiliis sparsa, ipsum in fugam egerant: ita Josephus [1], Lyranus, Comestor, Dionysius, Abulensis.

℣. 10. *Vade, dic ei: Sanaberis* — Vel ironice loquitur propheta Eliseus, sicut in simili Michæas 3 Reg. 22, v. 15. Vel potius ad mentem interrogantis, qua quærebatur, an morbus esset *lethalis* regi; respondet Propheta, *non esse lethalem*, sed sanatum iri quantum est ex parte morbi. Neque vero morbo extinctus fuit rex, sed violenta suffocatione, ut dicitur vers. 15: ita Cajetanus et Sanctius.

℣. 13. *Quid enim sum canis?* — Videtur *Hazael*, utpote e primis regni proceribus, nomine *canis* non tam vilitatem et abjectionem suam insinuare, quam feritatem et crudelitatem caninam, sibi a Propheta propositam execrari, et cum admiratione ac stomacho repellere, q. d. Procul a me tanta impudentia, tanta barbaries: ferinum opus est, non humanum, infantes dilacerare, et ad saxa allidere, eviscerare matres, prægnantes serra dividere medias, etc. Sed subdit Propheta: *Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore* — et cum regio sceptro, non solum potentiam et vires regias acceptu-

(1) Lib. 9 Antiq., c. 2.

rum, ut possis et audeas quæ dixi, sed et innatum Syris adversus Israelem odium crudelitatemque hereditaturum: ita fere Lyranus, Sa, Mariana et Sanctius. Ergo audacior hoc Prophetæ vaticinio factus *Hazael*,

℣. 15. *Tulit stragulum* — seu mappam *aqua* frigida madefactam, et prætextu refrigerii domino suo regi, sic jubenti, ex officio procurandi, ita *expandit super faciem ejus*, ut simul obstructis clam et caute faucibus, quasi aliud agens, spiritum præcluderet: ita Josephus. Porro quam facili negotio hac via suffocetur æger, testes esse possunt qui torturæ causa similem subinde mappam vultui obductam habuerunt: nam aqua paullatim mappæ superinfusa copiam respirandi penitus tollit, estque id torturæ genus omnium sævissimum. Hujus tyranni nomen non minus quam *Benadad*, celebre perpetuo apud Syros permansit, adeo ut Syriæ regnum Amos 1 vocetur *domus Hazael*, perinde atque *domus Benadad*. Josephus [2] addit, *utrumque divinis apud Syros coli* solitum *honoribus*, et utriusque *effigiem quotidianis pompis honorari, tum propter aliam beneficientiam, tum quia magnifice templis extructis Damascenorum urbem ornatiorem reddiderunt* [3].

(2) Lib. 11 Antiq., c. 2.

(3) Vide Gilletum *adnot.* 3 *in* 9 *Judaic. Ant. lib.*

17. [1] Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem.

18. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor ejus: et fecit quod malum est in conspectu Domini.

19. [2] Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, et filiis ejus cunctis diebus.

20. [3] In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, et constituit sibi regem.

21. Venitque Joram Seira, et omnes currus cum eo: et surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, et principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua.

22. Recessit ergo Edom ne esset sub Juda, usque ad diem hanc. Tunc recessit et Lobna in tempore illo.

23. Reliqua autem sermonum Joram, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

24. Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo.

25. [4] Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram regis Judæ.

26. Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israel.

27. Et ambulavit in viis domus Achab: et fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit.

28. Abiit quoque cum Joram filio Achab, ad prœliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, et vulneraverunt Syri Joram:

29. Qui reversus est ut curaretur, in Jezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth, prœliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrahel, quia ægrotabat ibi.

℣. 18. *Filia Achab*, nempe *Athalia* Gentilis et impia, *erat uxor* Joram regis Juda, quæ v. 26 vocatur *filia*, id est neptis, *Amri* patris Achab. Hujus uxoriis illecebris inductus rex Joram, *fecit quod malum est in conspectu Domini*: nam et *idola* coluit, et *sex fratres suos* occidit, et alia infanda patravit, quæ habes 2 Paralip. 21. Hinc subsecutæ plagæ; quæ partim hoc capite, partim illo loco Paralipom. explicantur.

(1) 2 Par. 21, vers. 5. (2) 2 Reg. 7, vers. 16. (3) 2 Par. 21, vers. 8. (4) 2 Par. 22, vers. 1.

CAPUT IX.

Jehu in regem Israel inuncto per Prophetam mandat Deus ut deleat domum Achab. Occidit ergo Joram filium Achab regem Israel, simulque Ochoziam regem Juda. Corpus Jezabel e fenestra præcipitatæ canes devorant.

1. Eliseus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad.

2. [1] Cumque veneris illuc, videbis Jehu, filium Josaphat filii Namsi: et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum.

3. Tenensque lenticulam olei fun-

(1) 3 Reg. 19, vers. 16.

des super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, et fugies, et non ibi subsistes.

4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad.

5. Et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, et ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps.

6. Et surrexit et ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput ejus, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel,

7. Et percuties domum Achab domini tui, et ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel.

8. [1] Perdamque omnem domum Achab: et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israel.

9. Et dabo domum Achab, sicut [2] domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum [3] Baasa filii Ahia.

10. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, et fugit.

11. Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, et quid locutus sit.

12. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locutus est mihi, et ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel.

13. Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt: regnavit Jehu.

14. Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram: [4] porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse et omnis Israel, contra Hazael regem Syriæ:

15. Et reversus fuerat ut curaretur in Jezrahel propter vulnera quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, et nuntiet in Jezrahel.

16. Et ascendit, et profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi, et Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram.

17. Igitur speculator qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, et ait: Video ego globum. Dixitque Joram: Tolle currum, et mitte in occursum eorum,

℣. 5. *O princeps* — Absente rege Joram, cura belli et expugnandæ arcis Ramoth Galaad penes principes erat, inter quos præcellebat *Jehu*: qui hic in regem inungitur, jubeturque exscindere stirpitus familiam *Achab*, etiam *clausum et novissimum*. De qua phrasi vide 3 Regum 14, v. 10. De *lenticula* dixi 1 Regum 10, v. 1.

℣. 11. *Quid venit insanus iste ad te?* — Sic *Prophetæ* non joco tantum aut convitio, sed et serio subinde vocabantur: quia quibusdam quasi pythonico et fanatico spiritu putabantur instincti, et velut arreptitii, atque humano sensu destituti. Patet exemplo Jeremiæ c. 29, v. 26, ubi *arreptitius* vocatur a *Semeja*. Et Cicero [5], *Vaticinari idem esse* dicit *quod insanire:* sed *insanire divino beneficio*, ut ait Plato [6].

℣. 15. *Nemo egrediatur profugus de civitate* Ramoth, *ne nuntiet in Jezrahel* Joramo inaugurationem meam. Ex his colligo, urbem Ramoth jam tum ab Hebræis occupatam, et castra in ea locata fuisse, neque nisi arcem interiorem expugnandam superfuisse.

(1) 3 Reg. 21, vers. 21.
(2) 3 Reg. 15, vers. 29.
(3) 3 Reg. 16, vers. 3.
(4) Sup. 8, 28.
(5) Lib. 2 de Divinat.
(6) In Phædro.

et dicat vadens: Rectene sunt omnia?

18. Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum ejus, et ait: Hæc dicit rex: Pacatane sunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos et non revertitur.

19. Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, et ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est? Et ait Jehu: Quid tibi et paci? transi, et sequere me.

20. Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos et non revertitur: est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi, præceps enim graditur.

21. Et ait Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, et egressus est Joram rex Israel, et Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, et invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ.

22. Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, et veneficia ejus multa vigent.

23. Convertit autem Joram manum suam, et fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ, Ochozia.

24. Porro Jehu tetendit arcum manu, et percussit Joram inter scapulas: et egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo.

25. Dixitque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit super eum, dicens:

26. [1] Si non pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, et projice eum in agrum, juxta verbum Domini.

27. Ochozias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo; et percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, et mortuus est ibi.

28. Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, et tulerunt in Jerusalem: sepelieruntque eum in sepulcro cum patribus suis in civitate David.

℣. 22. *Fornicationes et veneficia Jezabel* — His figurate significatur idolatria, quæ est instar adulterii: et provocatio aliorum ad idem scelus: quæ dolis malis et furtivis irritamentis, quasi philtris quibusdam, aut venereis poculis, aut aliis sagarum lenociniis procurari solet. Porro quæ Jehu hic exprobrat Jezabeli, eadem Nahum propheta c. 3, v. 4 de *Ninive affirmat.*

℣. 25. *Dominus onus hoc levaverit super* Achab, id est, prophetiam hanc tristem pronuntiarit adversus eum.

℣. 27. *Ochozias rex Juda fugit per viam domus horti* — ubi ante fuerat vinea *Naboth*, fugit, inquam, *in*, seu versus, *Mageddo*, indeque *Samariam:* ubi *latitans comprehensus* est, 2 Par. 22, v. 9, *adductusque* ad Jehu *occisus* est *in ascensu Gaver, et ibi mortuus est.* Binomius hic fuit, nam qui hic et libr. 2 Paralipom. c. 22, v. 1 vocatur *Ochozias*, idem eodem libro Paral. c. 21, v. 17 *Jocachaz* appellatur. Et utroque loco dicitur fuisse *minimus natu filiorum* Joram, et solus subtractus furori et cædi *latronum Arabum.* Unde et stirps Josaphati defecisset in hoc Ochozia, ni soror ejus Josabeth prospexisset, ut ibidem additur c. 22, v. 9 et sequentibus. Quod vero miser in has calamitates inciderit, uni debet matri suæ Athaliæ, *quæ impulit eum ut impie ageret*, ibid. v. 3 et malis *consiliariis* de domo Achab, qui idem ei suaserunt *in interitum* et exitium ipsius vers. 4.

(1) 3 Reg. 21, vers. 22.

29. Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam,

30. Venitque Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram

31. Ingredientem Jehu per portam, et ait: [1] Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?

32. Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est ista? et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi.

33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum; et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam.

34. Cumque introgressus esset, ut comederet, biberetque, ait: Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam: quia filia regis est.

35. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus.

36. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: [2] Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel,

37. Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel?

℣. 30. *Jezabel, introitu* Jehu novi regis *audito, depinxit oculos suos stibio* — quo et dilatantur, et recreantur, atque a suffusione humorum purgantur oculi, teste Plinio: et communiter ab aliis *antimonium* vocatur. Eratque meretricium hoc blandimentum perfamiliare non modo Hebræis, sed et aliis nationibus, ut ex Jeremia et Ezechiele [3] colligitur. Et acriter id reprehendunt S. Cyprianus, et Hieronymus, et etiam ethnicus Juvenalis [4]. Sed mirum merito videatur, Jezabelem tunc lætum et elegantem cultum assumpsisse, cum ob cæsum filium, et regnum amissum, sordes et lacrymæ potius decerent. Respondet Abulensis, voluisse hoc lenocinio perstringere oculos novi regis, animumque ira inflammatum temperare, atque ita a jugulo suo ferrum illius avertere. Nam ostentatione pulcritudinis suæ feminas omnia posse, plurimis exemplis docent Pausanias, Plutarchus [5] et alii. Sed malim cum Sanctio dicere, ambitiosam et superbissimam feminam præ se ferre voluisse pristinos, constantes et regios animos, et licet confossum jam sciret filium et regnum perditum, licet hostem videret intra mœnia ob oculos suos exultantem; numquam tamen induci se passam ut vel minimam ederet mœrentis animi significationem, vel tantillum de solito fastu remitteret. Quod magnis heroibus solemne esse docet Valerius Maximus [6].

Nota, sub hoc ipsum tempus Jezabelis (quam Hispani interpretes Isabellam vocant), vixisse et Carthaginem suam condidisse *Didonem* Virgilii: quæ cum et ipsa Sidonia fuerit, et e regio genere, videtur hujus *Jezabelis* si non soror, certe cognata fuisse.

℣. 31. *Numquid pax potest esse Zambri?* — Id est, an ergo tam prospere cedent omnia tyranno Jehu, qui, ut alter *Zambri*, regem suum et dominum suum proditorie jugulavit, et vi regnum illius invasit? 3 Reg. 16, v. 10. Nomen enim Zambri jam apud Hebræos in proverbium abierat pro omni eo qui infidus evadit in illum quem modis omnibus observare ac tueri debuisset: sicut nomen *Judæ* apud nos *proditorem* designat.

(1) 3 Reg. 16, vers. 10.
(2) 3 Reg. 21, vers. 23.
(3) Jer. 4, vers. 30; Ezech. 23, vers. 40.
(4) Cyprian. de Opere et eleemosynis, sub medium; Hieron. tom. 1, epist. ad Furiam; Juvenal. satyra 2.
(5) Pausan. l. 1 in Atticis; Plutarch. in vita Hyperidis.
(6) Lib. 5, cap. 10.

CAPUT X.

Jehu 70 filios Achab, et 42 cognatos Ochoziæ necari jubet, totamque Achabi progeniem delet: omnes sacerdotes Baal callide evocatos occidit: in cultu tamen vitulorum aureorum perseverat; hinc cæditur ab Hazael rege Syriæ. Et mortuo succedit Joachaz ejus filius.

1. Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria: scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam, ad optimates civitatis, et ad majores natu, et ad nutritios Achab, dicens:

2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma,

3. Eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri.

4. Timuerunt illi vehementer, et dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quo modo nos valebimus resistere?

5. Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et majores natu, et nutritii, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem; quæcumque tibi placent, fac.

6. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur.

7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros, et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jezrahel.

8. Venit autem nuntius, et indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane.

9. Cumque diluxisset, egressus est, et stans dixit ad omnem populum: Justi estis: si ego conjuravi contra dominum meum, et interfeci eum, quis percussit omnes hos?

10. [1] Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dñus super domum Achab, et Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Eliæ.

11. Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, et universos optimates ejus, et notos, et sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.

12. Et surrexit, et venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram pastorum in via,

℣. 9. *Justi estis* — quia divinæ voluntatis administri fuistis, quicumque hos 70 filios Achabi morte mulctastis. Sed ex hoc facto facile dijudicabitis, non me solum (ut passim spargitur) in excidium stirpis Achabi insurrexisse: sed insuper primos quosque totius regni, qui filios omnes regis in manu sua habebant, et jam tam male mulctarunt, in idipsum unanimiter conspirasse.

℣. 12. *Cumque venisset* Jehu *ad cameram pastorum* — Chaldæus, *ad domum congregationis pastorum*; Hebræus, *ad domum colligationis pastorum*; alii, *ad domum tonstrinæ*. Recte et apte omnes: erat enim publica et ampla ruri domus, in qua congregari solebant stato tempore pastores, et colligatas de more oves tondere, ac deinde geniales lætosque convi-

(1) 3 Reg. 21, vers. 29.

13. Invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandos filios regis, et filios reginæ.

14. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta Cameram, quadraginta duos viros, et non reliquit ex eis quemquam.

15. Cumque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, et benedixit ei: Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum:

16. Dixitque ad eum: Veni mecum, et vide zelum meum pro Dño. Et impositum in curru suo,

17. Duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam.

18. Congregavit ergo Jehu omnem populum, et dixit ad eos: [1] Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.

19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, et universos servos ejus, et cunctos sacerdotes ipsius, vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal.

20. Et dixit: Sanctificate diem solemnem Baal. Vocavitque,

21. Et misit in universos termi-

viis dies transigere. Talis erat domus, in qua Nabal 1 Reg. 25, et Absalom 2 Regum 13 oves suas tondebant, et mox regio simile convivium instruebant.

Prope hanc pastorum domum, *in via* publica Jehu *invenit fratres Ochoziæ* — non germanos aut uterinos ex Athalia (nam hos omnes jugularant Arabes, 2 Paralip. 22, v. 1), sed vel ex aliis minoris notæ uxoribus aut concubinis; vel *fratres*, Hebræa phrasi, id est *cognatos*. Et licet hi forsan non essent de sanguine Achab, neque affinitate illi conjuncti, voluit tamen omnes sublatos, ne quis superesset, qui occisos ulcisci aut vellet, aut posset, atque ita primis imperii sui jam nascentis incunabulis moram aliquam vel offendiculum crearet. Quæ etiam caussa fuit, cur paullo ante idem Jehu horum eorumdem Ochoziæ fratrum seu cognatorum filios, qui pro ephebis vel pedisequis eidem Ochoziæ ministrabant, in Jezrahele ad unum omnes occisos voluerit, 2 Paralip. 22, v. 8.

℣. 15. *Jonadab filium Rechab* — Vir potens hic erat et sanctus ut patet Jerem. 35 qui more reliquorum Rechabitarum (de quibus dixi Numer. 10, v. 29) ruri in tabernaculis degebat, et copiosos alebat ovium greges, verisimiliter haud procul a jam dicta *camera pastorum*. Hunc ut suis Jehu partibus quamprimum jungeret, sua plurimum interesse putabat.

℣. 18. *Ego colam Baal amplius* quam Achab coluit. Facile cum S. Augustino [2] concesserim, mentitum officiose Jehu, sed non ausim damnare peccati mortalis, a quo eum excusant S. Hieronymus, Cajetanus et Abulensis. Primo, propter rectam intentionem, qua voluit astute colligere in unum et extirpare omnes sacerdotes Baal: quod alioqui non potuisset. Secundo, quia tantum jussit, ut, quod privatim faciebant isti sacrificuli, facerent jam publice, ut hoc illos signo deprehendere atque opprimere posset. Tertio, quia per *Baal*, quod dominum significat, potuit intellexisse verum *cæli ac terræ dominum*. Quarto, scandalum, si quod fuit in tanta rerum et religionis perturbatione, breve et leve fuit, statimque se prodidit veritas. Denique, quæcumque fecit, bona fide et bono zelo fecit, et præsente atque juvante, forsan et probante, Jonadab viro religioso et sancto, ut jam dixi.

(1) 3 Reg. 16, vers. 31.

(2) Lib. contr. mendacium, cap. 2.

nos Israel, et venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: et repleta est domus Baal, a summo usque ad summum.

22. Dixitque his qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes.

23. Ingressusque Jehu, et Jonadab filius Rechab, templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, et videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli.

24. Ingressi sunt igitur ut facerent victimas et holocausta: Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, et dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius.

25. Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus et ducibus suis: Ingredimini, et percutite eos, nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, et projecerunt milites et duces: et ierunt in civitatem templi Baal.

26. Et protulerunt statuam de fano Baal, et combusserunt,

27. Et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, et fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc.

28. Delevit itaque Jehu Baal de Israel.

29. Verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel et in Dan.

30. Dixit autem Dñus ad Jehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: [1] filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.

31. Porro Jehu non custodivit ut ambularet in lege Dñi Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel.

32. In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel: percussitque eos Azael in universis finibus Israel,

33. A Jordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad, et Gad, et Ruben, et Manasse, ab Aroer, quæ est super torrentem Arnon, et Galaad, et Basan.

34. Reliqua autem verborum Jehu, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

35. Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: et regnavit Joachaz filius ejus pro eo.

36. Dies autem, quos regnavit Jehu super Israel, viginti et octo anni sunt, in Samaria.

℣. 29. *Verumtamen non dereliquit vitulos aureos* — Etsi Jehu extirparet statuas et cultum omnem Baal idoli Sidoniorum, a Jezabele recenter inductum: non tamen sustulit *vitulos aureos* Jeroboami, sed iisdem thura et sacrificia obtulit, partim animi mollitie et magnatum precibus, partim perversis politicorum consiliis (iisdem quibus olim Jeroboam) ad eam impietatem amplexandam fovendamque impulsus, ut fuse explicat Oseas, c. 7, qui non longe post hæc tempora prophetavit.

(1) Infr. 15, vers. 12.

VIII.

IN IV. REGUM, X, *Jehu et Hazael.*

Ex tabulis cuneiformibus Assyriorum constat, *Jehu*, regem Samariæ, tributa solvisse regi Ninivitæ, Salmanasari III. Nam 1° in inscriptione, quam vocant, *Taurorum*, Salmanasar iste, postquam enarravit bellum a se gestum, anno circiter 841 a. C., contra *Khazailu* (Hazael), regem Damasci, atque insignem victoriam de eo relatam ad montem *Labnana* (Libanum); subdit: « Illis diebus, tributum regionis Tyri, regionis Sidonis, et *Jahua, habal Khumri*, recepi. » 2° In *Obelisco nigro* ejusdem Salmanasaris, secunda e quinque zonis, quæ superiorem Obelisci partem circumcingunt, ac tributa variarum gentium subditarum, Regi oblata, anaglyphis repræsentant; secunda, inquam, zona tributum a rege Israelitico missum describit. Ibi enim, ad pedes Salmanasaris stantis ac regia pompa circumdati humi prostratus figuratur princeps legationis hebraicæ, quem sequuntur socii, longo ordine portantes diversi generis donaria: anaglypho autem subjecta leguntur hæc verba : « *Madatu sa Jahua, habal Khumri, kaspi, khuratsi*, etc. *amkharsu*; idest: Tributum Jahua, filii Humri, aurum, argentum, etc. recepi. » (Vide SCHRADER, *Die Keilinscriften*, etc., pag. 105-107).

Jamvero hunc *Jahua*, ipsum esse biblicum *Jehu*, extra dubium est. Neque obstat, quod is appelletur in textibus assyricis *filius Humri* (sive *Omri, Amri*); dum contra Scriptura eum dicit *filium Josaphat filii Namsi* (IV. Regum, IX, 2), imo eum narrat exterminasse integram domum *Amri*, patris Achab. Apud Assyrios enim, regnum Israelis seu Samariæ, eo tempore et exinde quamdiu regnum stetit; uti videre est in inscriptionibus non solum Salmanasaris III, sed et Binnirari III, Tuklatpalasar II, Sargon; designabatur nomine *Mat Bit Khumri* (Regio Domus Amri), vel brevius *Mat Khumri* (Regio Amri), ex rege scilicet *Amri*, qui Samariam condidit (III. Regum, XVI, 24), ibique sedem principem regni Israelitici, incertam antea atque vagantem, stabilivit. Vox autem *habal* = *filius*, in textu assyrico non est accipienda sensu proprio et stricto, sed lato et improprio, quo significatur *nepos* cujusvis gradus, vel etiam solummodo *successor* regni, etsi non immediatus: hoc enim sensu passim vox *filius* occurrit in regiis annalibus Assyriorum, imo et Hebræorum (ut patet ex pluribus locis biblicis), aliarumque gentium.

Jehu ergo primus fuit e regibus Israel, qui regnum fecit vectigale Assyriis : primus qui, ut verbis utar Oseæ prophetæ, *fœdus cum Assyriis iniit*, qui *ad Assyrios abiit*, qui *ascendit ad Assur* et *munera dedit amatoribus* (Osee XII, 1; VII, 11; VIII, 9). Ante illum Achab (ac deinde fortasse etiam Joram, filius Achab) contra Assyrios pugnaverat, uti socius regis Syriæ Benadad II; at Jehu, novæ stirpis regiæ auctor, novam etiam iniit viam, et obsequium ac tributum regi Assyriorum præstitit. Id vero eo certe fecit consilio et spe, ut Assyrium haberet defensorem et auxiliarem contra novum regem Syriæ, Hazael, acerrimum regni Israelitici hostem: quæ tamen spes frustra illi cessit; impune enim, *in illis diebus*, idest regnante Jehu, *Hazael percussit Israel in universis finibus* ejus (IV. Reg. X, 32).

BRUNENGO.

CAPUT XI.

Athalia mater Ochoziæ audita filii morte reliquum omne semen regium ferro extinguit, et sibi sceptrum vindicat: sed agente Jojada pontifice occiditur, et Joas filius Ochoziæ tyrannidi matris clam subtractus, rex Juda constituitur, destructis aris et statuis Baal.

1. Athalia vero mater Ochoziæ, [1] videns mortuum filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium.

2. Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de

(1) 2 Par. 22, vers. 10.

medio filiorum regis qui interficiebantur, et nutricem ejus, de triclinio: et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur.

3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: porro Athalia regnavit super terram.

4. [1] Anno autem septimo misit Jojada, et assumens centuriones et milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: et adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis:

5. Et præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis:

6. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur: et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: et custodietis excubias domus Messa.

7. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem.

8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege introeunte et egrediente.

9. Et fecerunt centuriones juxta omnia quæ præceperat eis Jojada sacerdos: et assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Jojadam sacerdotem.

10. Qui dedit eis hastas, et arma regis David, quæ erant in domo Domini.

11. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem.

12. Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium: feceruntque eum regem, et unxerunt: et plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex.

13. Audivit autem Athalia vocem populi currentis: et ingressa ad turbas in templum Domini,

14. Vidit regem stantem super tribunal juxta morem, et cantores et tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem et canentem tubis: et scidit vestimenta sua clamavitque: Conjuratio, conjuratio.

15. Præcepit autem Jojada centurionibus, qui erant super exercitum, et ait eis: Educite eam [2] extra septa templi, et quicumque eam se-

℣. 4. *Anno autem septimo* vitæ Joas, *misit Jojada* pontifex *ad cunctas urbes* [3] *Juda,* qui Levitas undique Jerosolymam accerserent, quorum ingens erat numerus. Ex his *assumpsit centuriones et milites,* et *introduxit ad se in templum:* nam solis istis licebat atrium sacerdotale intrare. Ex his ergo clam et stato die collegit quantum potuit numerum, insuper ex classibus eorumdem sacerdotum et Levitarum, quæ erant numero *viginti quatuor,* et per vices ita ministrabant templo, ut ante [4] quodque Sabbatum prioribus abeuntibus alii perpetuo succederent. Jojada, ut numerum augeret suorum, jussit *cum his qui ingrediebantur* [5] *Sabbatum,* manere etiam priores *qui egrediebantur Sabbato.*

℣. 10. *Qui dedit eis hastas et arma regis David* — seu quæ rex David ad excubias *in domo Domini* agendas istic in armamentario juxta *portam* [6] *scutariorum* in eos usus constructo, jam olim reposuerat. Nimirum, vitandæ suspicionis causa nolebat pontifex armatos in templum adcurrere, sed ex templi armamentario necessariis omnes armis instruxit. Instructis paratisque omnibus,

℣. 12. *Produxit filium regis* in publicum, *et posuit super eum diadema* regium *et testimonium* — id est legem Moysis, Deuteronomio comprehensam, quod 2 Paralip. 23, v. 11 clarius sic exprimitur: *Dederunt in manu ejus tenendam legem.* Erat enim hæc decreto divino necessaria cæremonia, ut patet

(1) 2 Par. 23, vers. 1.
(2) " Vers. 15. *Extra septa templi,* ordines militum intelligit Calmet, sed hoc non placet Gilleto *admot.* 6 *in* 9 *Judaic. Antiq. lib.*"
(3) 2 Par. 23, vers. 2.
(4) 1 Par. 9, vers. 25.
(5) Hic vers. 9.
(6) Hic vers. 19.

cutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini.

16. Imposueruntque ei manus, et impegerunt eam per viam introitus equorum, juxta palatium, et interfecta est ibi.

17. Pepigit ergo Jojada fœdus inter Dominum, et inter regem, et inter populum, ut esset populus Domini, et inter regem et populum.

18. Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, et destruxerunt aras ejus, et imagines contriverunt valide: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini.

19. Tulitque centuriones, et Cerethi et Phelethi legiones, et omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum.

20. Lætatusque est omnis populus terræ, et civitas conquievit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis.

21. Septemque annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

Deut. 17; ita S. Hieronymus, Abulensis et Cajetanus.

℣. 16. *Per viam introitus equorum* — Id est, ad aversam portam palatii regii, protracta est Athalia, ubi equorum stabula erant: et in area ista, quæ etiam pars erat palatii, *gladio* [1] interfecta est.

(1) Hic vers. 20.

℣. 19. De legionibus *Cerethi et Phelethi* (quæ nomina in Hebræo, Chaldæo et Græco hic omittuntur) vide quæ dixi 1 Reg. 30, v. 14. Erant hi prætoriani milites, quibus credebatur regii corporis custodia. Prima hujus capitis vide 2 Paralip. 22.

CAPUT XII.

Joas sartatecta templi instaurat: Hazaelem regem Syriæ bellum Judæis parantem, obviam missis templi et palatii thesauris placat: tandemque a servis suis occiditur. Occiso succedit filius Amasias.

1. Anno septimo Jehu, regnavit Joas: et quadraginta annis regnavit in Jerusalem; nomen matris ejus Sebia de Bersabee.

2. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada sacerdos.

3. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat in excelsis incensum.

4. Dixitque Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini:

℣. 4. *Omnem pecuniam sanctorum* — id est sanctificatorum: id est, omne æs Deo consecratum, seu a populo in usus sacros collatum. Quale erat primo, didrachma seu semisiclus, id est duo argentei regales Hispanici, vel Julii Italici, qui pendebantur *a prætereuntibus*, id est, excedentibus annum ætatis vigesimum, ut Exodi 30 præscribitur. Pendebantur, inquam, *pro pretio animæ*, id est, pro capite ipsorum, seu pro ipsismet redimendis. Nam cum quis annum implesset vigesimum, solebat offerri seu præsentari Deo, quasi jam ætate idoneus ad ipsi militandum: illo vero semisiclo redimebat sese qui prius libertatem a seipso abdicasse videbatur. Vel simplicius potest tributum istud semisicli vo-

5. Accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, et instaurent sartatecta domus, si quidem necessarium viderint instauratione.

6. Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi.

7. Vocavitque rex Joas Jojadam pontificem et sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam.

8. Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, et instaurare sartatecta domus.

9. Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

10. Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, et pontifex, effundebantque et numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini:

11. Et dabant eam juxta numerum atque mensuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, et in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini,

12. Et sartatecta faciebant: et in iis, qui cædebant saxa, et ut emerent ligna, et lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini, in universis quæ indigebant expensa ad muniendam domum.

13. Verumtamen non fiebant, ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, et fuscinulæ, et thuribula, et tubæ, et omne vas aureum et argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Domini;

cari *pretium animæ*, quia ideo pendebatur; ut Deus vitam cuique longam et felicem largiretur: alioqui plagis sæviturus in fraudatores illius tributi, ut insinuatur Exodi 30, v. 12. Et experientia docuit in censu per Davidem instituto, ut dixi 2 Regum 24, v. 3. Solebat hoc tributum per singula oppida quotannis per destinatos quæstores exigi ab omnibus qui eo anno vigesimum ætatis suæ complessent annum. Et ita jubet hic rex Joas, ut quotannis deinceps fiat, 2 Paralip. 24, v. 5. Solebat quoque subinde, bello novo, vel alia necessitate publica, seu templi, seu reipublicæ, cogente, extra ordinem ab omnibus omnino Hebræis qui ætatem illam excessissent, quantumcumque adulti essent, idem census exigi: et ut jam fiat ad restauranda sartatecta templi, mandat hic rex Joas, loco jam citato vv. 6 et 9. Postea vero sub extrema Judaici regni tempora in morem inductum fuit, ut quotannis idem tributum ab omnibus per orbem Judæis persolveretur in usus templi Jerosolymitani, quod Vespasianus, destructo jam templo, voluit nihilominus ab iisdem mitti Romam ad Capitolium, teste Josepho [1]. Secundum genus æris sacri, quod populus conferre solebat, erat *spontaneum* et ultroneum pro libito *et arbitrio* cujusque in usus templi impendendum.

℣. 7. *Nolite amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum* — puta, non ad vestros privatos, aut etiam profanos usus, sed ad communes et sacros dumtaxat templi usus; *ad instaurationem templi.* Nam, ut idem rex Joas subdit 2 Par. 24, v. 7, *Athalia impiissima, et filius ejus* Ochozias *destruxerunt* magna ex parte *domum Dei, et de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.*

℣. 13. *Non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi*, etc. — aut alia supellex: nisi cum, jam perfecta omni instauratione templi, deprehensum fuit, ex illa collatitia pecunia plurimum adhuc superesse: nam tunc jussa sunt ex reliqua illa fieri *vasa templi aurea et argentea*, 2 Paralip. 24, v. 14.

(1) Lib. 7 Belli, cap. 16.

14. Iis enim qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini:

15. Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.

16. Pecuniam vero pro delicto, et pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.

17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, et pugnabat contra Geth, cepitque eam: et direxit faciem suam ut ascenderet in Jerusalem.

18. Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat et Joram et Ochozias, patres ejus reges Juda, et quæ ipse obtulerat, et universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis: misitque Hazaeli regi Syriæ, et recessit ab Jerusalem.

19. Reliqua autem sermonum Joas, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

20. Surrexerunt autem servi ejus, et conjuraverunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella.

21. Josachar namque filius Semaath, et Jozabad filius Somer, servi ejus, percusserunt eum, et mortuus est: et sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David, regnavitque Amasias filius ejus pro eo.

℣. 15. *Et non fiebat ratio iis hominibus* — Id est, non cogebantur quæstores ad rationes accepti vel expensi reddendas. Tam erant omnes certæ, tam exploratæ fidei.

CAPUT XIII.

Syri devastant Israelem sub Joachaz: cui defuncto succedit Joas, qui juxta vaticinium Elisei jam moribundi, Syros ter gravissima clade afflixit. Mortui vero Elisei sepulcro injectus quidam alius defunctus, extemplo revixit.

1. Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israel in Samaria decem et septem annis.

2. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, et non declinavit ab eis.

3. Iratusque est furor Domini contra Israel, et tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, et in manu Benadad filii Hazael, cunctis diebus.

4. Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, et audivit eum Dominus: vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ:

5. Et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis sicut heri et nudiustertius.

℣. 3. *Cunctis diebus* quibus vixit *Joachaz* — ut hic dicitur v. 22. Unde *fortitudo* Joachaz, cujus mentio est v. 8 non se prodidit in ulla victoria aut prospero successu adversus Syros, sed in variis generosis conflictibus, quos cum iisdem habuit. Neque enim fortuna a *fortibus* stat semper, sed aliquando ad infirmiorem partem declinat: et multi casus non raro intercurrunt, qui fortioribus eripiunt victoriam.

℣. 5. *Dedit Dominus salvatorem Israel* — nempe *Elisæum* prophetam, inquit Cajetanus. Vel potius regem *Joas*,

6. Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt: siquidem et lucus permansit in Samaria.

7. Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites, et decem currus, et decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in tritura areæ.

8. Reliqua autem sermonum Joachaz, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

9. Dormivitque Joachaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in Samaria: regnavitque Joas filius ejus pro eo.

10. Anno trigesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israel in Samaria sedecim annis,

11. Et fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulavit.

12. Reliqua autem sermonum Joas, et nuiversa quæ fecit, et fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

13. Et dormivit Joas cum patribus suis: Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israel.

14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua et mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi: currus Israel, et auriga ejus.

15. Et ait illi Eliseus: Affer arcum, et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, et sagittas,

16. Dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis,

17. Et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam.

18. Et ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset,

filium Joachaz, qui monitu et prædictione Elisei excitatus est ad bellum adversus Syriam resumendum, et resumpsit gessitque feliciter: ita Abulensis, Vatablus, Mariana et Sanctius.

ỳ. 14. *Currus Israel et auriga ejus* — Quid sibi velit hæc phrasis, dixi cap. 2, vers. 12.

ỳ. 15. *Affer arcum et sagittas*, etc. — Hoc signo hieroglyphico emissionis sagittarum, partim jubet Propheta indici de more bellum: quod fieri solitum vel jaculi missione, vel hastæ vibratione docent Virgilius, Servius, Gellius, Valerius, Statius, Rosinus et Alexander ab Alexandro [1], partim prædicit felicem expeditionis adversus Syros successum, ut qui hactenus illorum telis prostrati fuerant, exinceps suis vicissim illos prosternerent. Unde subdit Propheta, *Sagitta salutis Domini, et salutis contra Syriam*, supple contorta, quæ Syris exitium, Israelitis autem salutem portenderet. Quod vero *manui regis* arcum tendentis *suam Propheta manum superimposuit*, designabat, conatibus regis affuturam præsentem *manum* seu opem Dei, cujus Propheta personam hic gerebat: vel etiam, opem ipsiusmet Prophetæ, quamtumvis jam brevi e vivis abituri, numquam tamen regi defuturam: nam ex limbo quoque sanctorum patrum decreverat suis ad Deum precibus regi et Israeli deinceps opitulari.

ỳ. 18. *Percute jaculo terram* — Quod

(1) Virg. 9 Æneid., et Servius ibid.; Gellius l. 16, c. 14; Valer. l 3 ubi de Argonautis; Stat. l. 4; Rosin. lib. 5 Antiq. Rom., cap. 1; Alex. l. 4, c. 3.

19. Iratus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.

20. Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno.

21. [1] Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos.

22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Joachaz:

23. Et misertus est Dominus eorum, et reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, et Isaac, et Jacob: et noluit disperdere eos, neque projicere penitus, usque in præsens tempus.

24. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo.

25. Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii, tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israel.

ante præsignarat *emissione sagittæ*, jam idem designat Propheta *percussione terræ*, seu jaculo ad terram alliso: nempe victoriam adversus Syros; et quidem toties, quoties rex jaculo terram continuata allisione tangeret. Non tamen præscripsit certum regi numerum percussionum, Deo id nolente: neque exposuit ante regi, toties victoriam obtentum iri, quoties jaculo terram tangeret; sed in genere præcepit regi, ut sæpius tangeret. Unde cum vidit non nisi tertio tangentem,

℣. 19. *Iratus est vir Dei contra* regem, *et ait: Si percussisses quinquies aut sexies* terram (*sive septies*, omittunt Hebræi et Græci), *percussisses Syriam usque ad consumptionem.*

Dices, At jam ante vers. 17 dixit Propheta, *Percuties Syriam, donec consumas eam.* Respondeo, Id Propheta solum conditionate dixit, casu quo faceret rex id quod quasi futuræ rei signum Deus prærequirebat, nempe frequentem, id est septenam, terræ percussionem. Quam quia rex neglexit, satisque habuit tertio percussisse, nonnisi tertio victor a Syris rediit: *consumptionem* vero, seu plenam Syrorum extirpationem non obtinuit, quia septenam percussionem (conditionem a Deo prærequisitam), adhibere neglexit: ita Abulensis, Cajetanus, Suarez, Vasquez et Arrubal [2], qui etiam hoc exemplo probant Deum ab æterno certa scientia prænosse non solum ea quæ de facto futura sunt, sed et omnia quæ quaque conditione posita futura essent, licet numquam de facto futura sint, ut dixi 1 Reg. 23, v. 11.

(1) Eccli. 48, vers. 14.

(2) Suarez tom. 1 de gratia, proleg. 2; Vasquez t. 1 in 1 p., disp. 67; Arrubal 1 p., disp. 46 et 47.

IX.

IN IV. REGUM, XIII, 5.

Scriptura non edisserit, quis fuerit *Salvator* ille, quem, ad preces regis Joachaz, *Dominus dedit Israeli*, et quo Israel *liberatus est de manu regis Syriæ*, Hazaelis nempe, et ejus filii Benadad III. At pronum est credere, eum fuisse exterum aliquem ac præpotentem regem; et vix alium excogitare heic licet, quam regem ipsum Assyriorum, qui bella assidua jamdudum exercebat contra regem Syriæ, quique regem Israelis, utpote sibi, jam a tempore Jehu, vectigalem ac subditum, armis et auctoritate tueri tenebatur. Porro, ea ætate, sceptrum Assyriæ regebat *Binnirari III* (a. 809-780 a. C.),

cœvus Joachaz regis Israel, et deinde Joas ejus filii.

Certo autem constat: 1° Israelem tributarium fuisse regis Binnirari. In hujus enim *Inscriptione* potissima (quam vide apud SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 110-114; MÉNANT, *Annales des Rois d'Assyrie*, pag. 126-127; etc.) inter cetera regna Assyriæ subdita ac vectigalia numeratur diserte (lin. 12) *Mat Khumri*, idest *Regio Amri*, quo nomine jam diximus designari apud Assyrios regnum Samariæ, seu Israelis. Constat 2°, eumdem Binnirari, post alias victorias, insignem denique triumphum reportasse de rege Syriæ, eumque, capta Damasco (ut refert eadem *Inscriptio*, lin. 15-21), sibi subjugasse. Ex hisce vero non modica lux affunditur narrationi biblicæ. Prostratis enim brachio Assyriorum viribus Syriæ, facile explicatur repentina illa mutatio fortunæ, qua regnum Israelis, tot antea plagis afflictum ac pene attritum a Syris, revalescere cœpit, fortasse jam inde ab ultimis diebus regis Joachaz; tum reflorere perrexit sub Joas, qui triplicem victoriam retulit de Syris et captas ab eis civitates recepit (IV. Regum, XIII, 25); ac denique ad fastigium potentiæ ac prosperitatis pervenit sub Jeroboam II, filio Joas, qui *restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis* (Ibi, XIV, 25).

Ex eadem *Inscriptione Binnirari III* licet probabiliter inferre, *regnum* ipsum *Judæ*, nedum Israelis, fuisse, jam eo tempore, tributarium Assyriæ. Ibi enim, in recensione gentium subditarum (lin. 11-14), legitur: « Ultra flumen Euphra« tem, regionem *Khatti* (Syriam); regio« nem *Akharri* (Occidentis) universam; « (id est) regionem *Tsurru* (Tyri), re« gionem *Tsidunu* (Sidonis), regionem « *Khumri* (Samariæ, seu Israelis), regio« nem *Udumu* (Edom), regionem *Pala*« *stav* (Philistæam); usque ad Mare ma« gnum, quod (est) ad Solem occidentem, « jugo meo subjeci; tributa ipsis im« posui. » Quamvis autem heic regnum Judæ expressis verbis non nominetur, satis tamen indigitatur, ita ut vix credi possit, illud in recensione non comprehendi. Primo enim, enumerantur populi, qui regnum Judæ undequaque fere circumscribebant: a septentrione, Tyrii, Sidonii, Israelitæ; ab occidente, Philistæi; a meridie, Idumæi. Deinde, imperium Assyriorum protendi dicitur ad regionem *Akharri universam*, in qua comprehendebatur profecto Judæa. Quod vero Judæa diserte non exprimatur, probabilis ratio esse potest, quia Binnirari Judæos subintelligi putaverit cum Israelitis, quippe qui ad unam eamdemque gentem, Hebræam scilicet, pertinerent. Jamvero, tempore Binnirari III, sceptrum Judæ tenuere *Joas*, ac deinde ejus filius, *Amasias*. Alterutrum ergo probabile est imperium primo subiisse Assyriorum; ac fortasse Joas, quum ab exercitu Hazaelis, regis Damasci, acriter premeretur in Jerusalem (IV. Regum, XII, 17-18; II. Paralip. XXIV, 23-25), Assyriæ regis opem primus imploravit, eadem ratione qua, ob similem causam, nuper id fecerat Jehu, rex Israelis. Hinc in ea controversia, qua docti disputant, quo primum tempore *regnum Judæ* Assyriorum imperio subjectum fuerit; licet plerique autument, hanc subjectionem incœpisse cum Achaz, de quo certo constat ex Scriptura (IV. Regum, XVI, 7), eum implorasse auxilium Tuklatpalasar, regis Assyriorum, eidemque obsequium *servi* et *filii* præbuisse; tamen, ex dictis, probabiliter affirmari potest, primum ejusmodi subjectionis exemplum, sive sponte, sive coacte, præstitisse, integro fere antea seculo, Achazi atavum.

BRUNENGO.

CAPUT XIV.

Amasias rex Juda interfectis qui occiderant patrem suum Joas, victoriam refert ex Idumæis: qua factus elatior, provocat ad bellum Joas regem Israel, a quo vincitur, capitur, et Jerosolyma diripitur. Porro Joas regi Israel succedit filius Jeroboam, et huic Zacharias. Amasias vero a suis occiditur, cui in regno Juda succedit Azarias.

1. In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas regis Juda.

2. [1] Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset: viginti autem et novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem.

3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta omnia, quæ fecit Joas pater suus, fecit:

4. Nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis.

5. Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum:

6. Filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: [2] Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur.

7. Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, et apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel, usque in præsentem diem.

℣. 3. *Fecit* Amasias *rectum coram Domino* — ex una parte, quod idola sub initium regni sui non coluerit, *non tamen corde perfecto*, ut legimus 2 Paralip. 25, v. 2, quia *excelsa non abstulit*, atque ita permisit saltem aliis ut idola colerent; et ipsemet etiam postea delapsus est ad cultum idolorum, ut mox dicam. Unde procul abfuit a perfecta et constante pietate atavi sui *Davidis:* sed imitatus est imperfectam et inconstantem vitæ rationem patris sui *Joas*, qui sub initia regni pius utcumque, et patriæ, patriæque religionis zelator fuit, sed mortuo Jojada pontifice, ad pessima quæque deflexit.

℣. 7. *Ipse percussit Edom*, seu Idumæos, in *Valle Salinarum* — Rebellarant enim Idumæi, et jugum excusserant regum Juda sub Joramo, ut vidimus cap. 8, v. 20. Quos ut iterato subjuget Amasias, ex suis copias quantas potuit collegit, et ex vicino Israelis regno mercede centum talentorum multas quoque legiones conduxit. Sed mox hortatu Prophetæ cujusdam, conductitios istos domum remisit: qui remissione illa quasi sibi injuriosa et probrosa plusculum offensi, arma in ipsos Judæos converterunt, et occisis tribus hominum millibus opimas e Judæa prædas abstulerunt, 2 Par. 25, a v. 6 usque 14. Porro *Vallis Salinarum*, a copia *salis* sic dicta (quod istic ex vicino mari mortuo et salsissimo defluente aqua continuo concrescit), eadem illa vallis est in qua David eosdem Idumæos primum contrivit et subegit, 2 Regum 8, v. 13, et 1 Paralip. 18, v. 12.

Et apprehendit petram in prælio — id est urbem vel arcem in ardua et prærupta *petra* sitam, verisimiliter ad fauces et aditus tutandos. Ex hac rupe seu petra jam capta, in subjectam vallem præcipitarunt Judæi ex Idumæis decem millia, præter alia decem millia in prælio cæsa, 2 Par. 25, v. 12. Ceterum arcem illam vocavit *Jectehel*, id est *obedientiam* vel *expectationem Dei*, ut toti orbi notum esset jussu et potentia Dei

(1) 2 Par. 25, vers. 1.

(2) Deut. 24, vers. 16; Ezech. 18, vers. 20.

8. Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz, filii Jehu regis Israel, dicens: Veni et videamus nos.

9. Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum.

10. Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, et sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum?

11. Et non acquievit Amasias: ascenditque Joas rex Israel, et viderunt se, ipse et Amasias rex Juda, in Bethsames oppido Judæ.

12. Percussusque est Juda coram Israel, et fugerunt unusquisque in tabernacula sua.

13. Amasiam vero regem Juda, filium Joas filii Ochoziæ, cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit eum in Jerusalem: et interrupit murum Jerusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

14. Tulitque omne aurum, et argentum, et universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, et in thesauris regis, et obsides, et reversus est in Samariam.

15. Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, et fortitudo ejus qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

16. Dormivitque Joas cum patribus suis, et sepultus est in Samaria cum regibus Israel: et regnavit Jeroboam filius ejus pro eo.

17. Vixit autem Amasias, filius Joas, rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israel, quindecim annis.

18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

19. Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi.

20. Et asportaverunt in equis, sepultusque est in Jerusalem cum patribus suis in civitate David.

21. [1] Tulit autem universus populus Judæ Azariam annos natum sedecim, et constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia.

22. Ipse ædificavit Ælath, et restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis.

23. Anno quintodecimo Amasiæ filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria, quadraginta et uno anno:

24. Et fecit quod malum est coram Dño. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

25. Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum [2] Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.

26. Vidit enim Dñus afflictionem

Idumæos expugnatos et subactos esse, inquit Cajetanus. Et hoc quidem pie, sub initio victoriæ. Sed paullo post, occasione ejusdem hujus victoriæ Amasias valde impie, primo in idolomaniam, qua deos Idumæorum a se subjectorum coluit, et populo suo colendos proposuit: deinde in stultam elationem animi lapsus est, qua regem Israel ultro ad bellum provocans, cæsus, captus, thesauris spoliatus ab eo, denique a suis jugulatus est.

℣. 25. *Per Jonam*, etc. — De hoc Jonæ vaticinio (quod inter illius prophetias jam non reperitur) ita scribit Josephus [3]: *Jeroboamo* regi *Propheta Jonas prædixit, quod devictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis ejus terminis ad septemtrio-*

(1) 2 Par. 26, vers. 1. (2) Jon. 1, vers. 1.

(3) Lib. 9 Antiq., cap. 11.

Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere, et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli.

27. Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cælo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas.

28. Reliqua autem sermonum Jeroboam, et universa quæ fecit, et fortitudo ejus qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

29. Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israel, et regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

nem usque Ematham urbem: ad meridiem vero usque ad Asphaltitem lacum, seu mare mortuum, quod hic *mare solitudinis* vocatur. *Quo oraculo excitatus Jeroboamus, totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit.* Ex hoc loco aperte colligimus, Jonam [1] σύγχρονον fuisse *Isaiæ* patrueli Oziæ seu Azariæ regis Juda, ut tradunt Hebræi: item prophetis Oseæ, Joeli, Amos, Nahum, qui sub eodem Ozia rege Juda et Jeroboamo rege Israel prophetarunt, teste S. Hieronymo.

℣. 28. *Damascum et Emath* — Has easdem urbes ceperat olim David, 1 Paralip. 18, vv. 3 et 6, et suæ tribui Judæ vectigales annexas voluerat, sicut et *Siceleg* [2], et totam *Idumæam:* unde vocare solebant urbes vel provincias Juda. Et ideo hic dicitur Jeroboamus rex Israel eas urbes Syris ereptas *restituisse Judæ, in Israel,* seu junxisse aliis civitatibus jure spectantibus ad tribum Juda, sed quas rex Israel vi subditas sibi tenebat in terminis regni sui Israelitici: sicut et urbem *Siceleg* tenebat in finibus tribus Simeon, et alias plures urbes, quæ licet nomen retinerent *Judæ,* suberant tamen dominio regum Israel.

(1) Chronici cap. 30 et Præfat. in Jonam.

(2) 1 Reg. 27, vers. 6.

CAPUT XV.

Azariæ leproso succedit Joatham: Zachariæ vero Sellum, et huic Manahem, qui regnum Israel tributarium fecit regi Assyriorum. Illi succedit Phaceja, et huic Phacee. Quo regnante Theglath-Phul-Assar magnam partem Israelitarum transtulit in Assyrios. Phacee succedit Osee. In Juda vero mortuo Joatham succedit filius Achaz.

1. Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda.

2. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

3. Fecitque quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus.

4. Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis.

5. [1] Percussit autem Dominus re-

℣. 3. *Juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus* — fecit Azarias seu Ozias rex. Uterque enim initio pius, ac proinde in bello felix: sed occasione victoriæ uterque elatior factus, ille ad idola deflexit, ut vidimus cap. præced., iste vetitum sibi munus, *thymiama* ad altare incensi offe-

rendo, usurpavit. Sed scelerum pœnas uterque mox dedit, ille ab hoste prostratus, hic lepra percussus, ut habes 2 Paral. 26. Ubi et victorias illius celeberrimas ex Philisthæis, Ammonitis et Arabibus relatas, et alia certe illustria ab eo gesta leges, uti et apud Josephum [2].

(1) 2 Par. 26, vers. 21.

(2) Lib. 9 Antiq., cap. 12.

gem, et fuit leprosus usque in diem mortis suæ, et habitabat in domo libera seorsum: Joathan vero filius regis gubernabat palatium, et judicabat populum terræ.

6. Reliqua autem sermonum Azariæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

7. Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David, et regnavit Joathan filius ejus pro eo.

8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in Samaria sex mensibus:

9. Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

10. Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: percussitque eum palam, et interfecit, regnavitque pro eo.

11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

12. [1] Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita.

13. Sellum filius Jabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria.

14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samariam, et percussit Sellum filium Jabes in Samaria, et interfecit eum, regnavitque pro eo.

15. Reliqua autem verborum Sellum, et conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta

℣. 7. *Sepelieruntque eum in civitate David — In agro regalium sepulcrorum*, 2 Par. 26, vers. ult., id est, prope quidem sepulcrum regum, sed non in communi regum sepulcro, *eo quod* fuisset *leprosus;* quasi lepram, etiam in regio corpore et cognato cadavere, mortuorum ossa refugerent et horrerent.

℣. 14. *Ascendit Manahem de Thersa* — quam nomine regis sui Zachariæ obsidebat, inquit Josephus [2]. Cumque post occisum *Sellum* rapuisset sibi sceptrum, et ad *Thersam* rediisset non jam dux, sed rex, nollentque *Thersani* eum regem agnoscere, expugnavit eam vi, et cum in totam ditionem furibundus sæviret, tum maxime in *Thapsam* illa edidit crudelitatis exempla, quæ hic describuntur. Et quia hoc nomine, aliisque compluribus valde exosus esset Israelitis tyrannus, ut regnum sibi stabiliret, ad externa confugit auxilia, ad *Phul* regem Assyriorum tum temporis admodum celebrem, recentibusque victoriis maxime formidandum. Hic enim est ille *Phul-Belochus* Babyloniæ præfectus, qui sub hoc tempus junctis cum *Arbace Medo* viribus [3] Sardanapalum ultimum Assyriorum Monarcham post biennalem obsidionem in eas adegit angustias, ut, constructa in regiæ suæ penetralibus altissima pyra quadringentorum pedum, in eaque mensis aureis quinquaginta, cum totidem lectis, seipsum, uxores, pellices, liberos, mille myriades auri, et decem mille myriades argenti, et quidquid pretiosum supererat, flammis absumpsit, quæ videntibus foris hostibus totos quindecim dies durarunt: ita Athenæus [4] et alii. Extincta his flammis regia Assyriorum stirpe, quæ mille trecentis et duobus annis, ducto a Jove Belo exordio monarchiam tenuerat, *Phul-Belochus* ad Chaldæos sceptrum transtulit; in Ninive tamen, utpote urbe regia, et capite Assyriaci imperii, sedem fixit: unde et nomen gerere voluit regis Assyriorum tam ipse quam posteri illius *Teglat-Phul-Assar*, *Salman-Assar*, *Sennacherib*, et *Assar-Addon*, etc. ut dixi in Chronico [5]. E quo etiam patet, annum primum regni *Phul-Belochi* concurrere cum 9 anno regni Oziæ regis Juda: cujus quinto anno cœpit initium Olympiadum, 23 annis ante conditam urbem Romam.

(1) Sup. 10, vers. 30.
(2) Lib. 9 Antiq., cap. 11.
(3) Chron. cap. 33 sub initium.
(4) Lib. 12, cap. 12. (5) Cap. 33 et 34.

sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

16. Tunc percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erant in ea, et terminos ejus de Thersa: noluerant enim aperire ei: et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas.

17. Anno trigesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadis super Israel decem annis in Samaria.

18. Fecitque quod erat malum coram Dño: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus.

19. Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, et dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, et firmaret regnum ejus.

20. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus et divitibus, ut daret regi Assyriorum quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, et non est moratus in terra.

21. Reliqua autem sermonum Manahem, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

22. Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceja filius ejus pro eo.

23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceja filius Manahem super Israel in Samaria biennio:

24. Et fecit quod erat malum coram Dño: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

25. Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, et percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, juxta Argob, et juxta Arie, et cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, et interfecit eum, regnavitque pro eo.

26. Reliqua autem sermonum Phaceja, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

27. Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis.

28. Et fecit quod erat malum coram Dño: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

29. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Ajon, et Abeldomum Maacha, et Janoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam, et universam terram Nephthali, et transtulit eos in Assyrios.

30. Conjuravit autem, et tetendit

℣. 29. *Theglath-Phalasar cepit Abel-Domum Maacha* — Nomen est urbis unius vel provinciæ, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Græco. Cepit et *Galaad* trans Jordanem, in qua regione erant Ruben, Gad et dimidia tribus Manasse, ut dicitur 1 Paral. 5, v. 6. Cepit et *Galilæam*, quæ magna ex parte constabat *Zabulonitica* tribu et *Nephthali*, de quibus Isaias c. 9, v. 1: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim: et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium*, id est Galaaditis regio, quæ trans Jordanem opposita jacet Galilææ. Et hæc est prima translatio Israelitarum in Assyriam, quando fere dimidia pars eo avecta fuit, nempe quinque fere integræ tribus, quas tyrannus primo sibi obvias, magisque propinquas habuit. Quod contigit *anno quarto* regni *Achaz* regis Judæ, et *anno primo Osee* filii Ela regis Israel. Cum paullo ante idem *Theglath-Phul-Assar* occiso *Rasin* rege Syriæ, etiam habitatores Damasci transtulisset Cyrenem, ut habes cap. seq. v. 9, et 2 Paral. 28. Prædixerat autem Amos cap. 1, vers. 5 et Isaias propheta cap. 7, v. 16 aliquot annis antequam id fieret, tam *Damascum* quam *Samariam* suis regibus spoliandos per regem Assyriorum.

insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, et percussit eum, et interfecit : regnavitque pro eo vigesimo anno Johatam filii Oziæ.

31. Reliqua autem sermonum Phacee, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

32. [1] Anno secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda.

33. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc.

34. Fecitque quod erat placitum coram Domino : juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est.

35. Verumtamen excelsa non abstulit : adhuc populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis: ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.

36. Reliqua autem sermonum Joatham, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ.

38. Et dormivit Joatham cum patribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David patris sui, et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

(1) 2 Par. 27, vers. 1.

X.

IN IV. REGUM, XV, 1-7;

CF. II. PARALIP. XXVI, 1-15, *Azarias.*

In Fragmentis *Annalium* regis Assyriorum, *Tuklatpalasar II*, habetur iterata mentio cujusdam *Azriyahu*, regis *Mat Jahudi* (Regionis Judæ) ; qui procul dubio idem est ac noster *Azarias* (alias *Ozias*). Quamvis autem ea fragmenta mutila sunt ac subobscura, satis tamen ex iis constat, hunc *Azriyahu* bellum gessisse contra Assyrios, imo veluti caput fuisse ac ducem, sub cujus vexillo Hamath, pluresque aliæ civitates finitimæ, imperio Assyriorum rebelles, militarent. « Undeviginti (ita in *Fragmentis*, quæ vide, sis, apud SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 115-117; SMITH, *Assyrian Discoveries*, pag. 275-279; etc.) pagi Hamath, urbesque finitimæ, sitæ juxta mare ad Solem occiduum, perfide rebellantes, ad *Azriyahu* se converterunt, etc. » Nullum autem indicium ibidem exstat, Azariam a rege Assyrio devictum, uti alios rebelles, ac domitum fuisse. Hæc vero, licet in Scriptura non memorentur, egregie tamen conveniunt cum iis, quæ de Azaria Scriptura enarrat, eum scilicet regem fuisse magnæ potentiæ et fortitudinis, exercitu instructum florentissimo, et insignes ac *crebras* victorias reportasse contra Philistæos, Arabes, Ammonitas, ita ut *nomen ejus divulgatum sit usque ad introitum Ægypti*. Unde nihil est mirum, eum excussisse dominium qualecumque Assyriorum, cui decessores ejus, Joas et Amasias, fortasse, uti superius diximus, obediverant, regnumque Judæ in pristinam libertatem feliciter vindicasse.

XI.

IN IV. REGUM, XV, 19-20,

Manahem et Phul.

Quis fuerit rex iste Assyrius, *Phul*, cui *Manahem*, rex Israel, *mille talenta argenti* persolvit, *ut esset ei in auxilium et firmaret regnum ejus*, magna est ac vetus inter doctos controversia : neque ullus rex hujus nominis occurrit in fastis cuneiformibus regum Assyriorum. At ex pluribus gravibusque argumentis infertur, hunc Phul eumdem esse ac *Tuklat-habal-asar*, seu brevius *Tuklatpalasar II*, qui Assyriæ imperavit a. 744-726 a. C., et quem Vulgata nostra

pluries memorat sub nomine, parum ab assyrica forma detorto, *Theglathphalasar*, seu *Thelgathphalnasar*. Atque in hanc sententiam, ut ceteris longe probabiliorem, ac pene certam, conveniunt hodie plerique assyriologi et interpretes. (Vide, si lubet, quæ in hanc rem disputavimus in *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. III, pag. 160-166).

Porro, in *Annalibus* regis Tuklatpalasar II, paullo ante memoratis, habetur locus insignis, ubi inter alios reges, octodecim numero, qui, anno circiter 737, obsequium ac tributum præstitere Regi Assyriorum, enumeratur Manahem, rex Samariæ. « Tributum (inquit locus iste) *Kustaspi*, (regis) *Kummuha* (Comagenes); *Ratsunnu* (*Rasin*, regis) Damasci; *Minhimmi Samirinai* (*Manahem* Samaritæ, i. e. regis Samariæ); *Hirom*, (regis) Tyri, etc. aurum, argentum, etc. recepi. » (Vide SMITH, *Assyrian Discoveries*, pag. 278-279; SCHRADER, *Die Keilinschriften*, etc., pag. 120-121). Quo loco optime confirmatur narratio biblica. Manahem scilicet, ut regnum, quod inique invaserat et tyrannice exercebat, nutans firmaret contra adversarios, sese ultro tributarium ac subditum dedidit regi Assyriorum; jugumque quod jampridem Jehu subierat, at deinde Jeroboam II, cum floreret opibus, admodum probabiliter excusserat, rursus ipse in colla recepit.

XII.

IN IV. REGUM, XV, 29-30; XVI, 7-10.

Quæ hisce locis Scriptura tradit de *Phacee* et *Osee*, regibus Israel, de *Rasin* rege Syriæ, de *Achaz*, rege Judæ, et de *Theglathphalasar* rege Assyriorum, ea confirmantur ex *Annalibus* cuneiformibus Tuklatpalasar II, ubi narratur trienne bellum (733-731 a. C.) ab ipso gestum in Syria, finitimisque regionibus. Ibi enim:

1° Tuklatpalasar memorat, se arma victricia tulisse etiam contra regnum Israel. « Regionem *Bit-Khumri* (Domus Amri, i. e. regnum Samariæ) remotam..... ejus nobiliores incolas, cum suis opibus, in Assyriam transtuli. *Pakaha* (*Phacee*, hebraice *Pekah*) regem suum interfecerunt; et *Ausih* (*Osee*) super ipsos (regem) constitui; 10 talenta auri, 1000 talenta argenti..... ab ipsis recepi et in Assyriam tuli. » Alibi innuitur: « ..... *Samariam* solummodo (eis) reliqui; *Pakaha* ipsorum regem..... ». Unde liquet, a Tuklatpalasar magnam regni Israelitici partem fuisse captam, Samaria pene sola dimissa; captivos inde plures in Assyriam fuisse translatos; regi Phacee, postquam is a conjuratoribus fuit interfectus, novum regem Osee, conjurationis caput, ab ipso Tuklatpalasar (quod in Scriptura siletur) suffectum fuisse, sub conditione tributi.

2° Syriam, ejusque regem *Rasin*, ex narratione assyrica, præcipuum fuisse patet belli scopum; in quo bello, Rasin ingenti clade percussus fugam cepit et in regiam suam urbem, Damascum, confugit; quæ diu obsessa, tandem in potestatem venit Assyriorum, et cum ea, tota Syria Damasci, deleto rege, redacta est in provinciam Assyriæ.

3° Quoad *Achaz* vero, in cujus præcipue gratiam (ut e Scriptura novimus) Tuklatpalasar bellum susceperat contra Phacee et Rasin, habetur ejus expressa mentio inter *22 reges*, qui, tamquam subditi, tributum regi Tuklatpalasar solverunt, eique, anno 731, in urbe Damasco, de qua nuper triumphaverat, obsequium præstitere. « Tributum *Kustaspi*, (regis) *Kumuha* (Comagenes), etc..... *Metinti* Ascalonitæ, *Jahuhazi Jahudai* (*Achaz* Judæi, seu regis Judæ), *Kavusmalaka* Edomitæ, etc. aurum, argentum, etc. (recepi). »

De his omnibus, vide, sis, *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. III, pag. 414-428.

BRUNENGO.

CAPUT XVI.

Achaz filium suum per ignem immolat idolis: evocat regem Assyriorum adversus reges Syriæ et Israel obsidentes Jerosolymam. Mortuo succedit Ezechias.

1. Anno decimo septimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham regis Juda.

2. [1] Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus;

3. Sed ambulavit in via regum Israel: insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel.

4. Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.

5. [2] Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem ad prælian-dum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.

6. In tempore illo restituit Rasin

℣. 3. Achaz *filium suum consecravit, transferens per ignem* — Theodoretus putat solum afflatum leviter, atque ita lustratum igni fuisse, ritu Gentili, ut Virgilius, Ovidius et Tibullus [3] testantur, et Abulensis dicit *Tartaris* etiamnum in usu esse. Sed verisimilius est, quod Josephus [4], Hugo, Comestor et Abulensis tradunt, Chananæorum ritu holocaustum ab Achaz oblatum fuisse filium idolo Moloch, et totum igne absumptum fuisse: ut et Manasses fecit infra, c. 21, v. 6, et familiare erat tum temporis, teste Jeremia c. 7, v. 31 et Psalmo 105, v. 37. Vide infra c. 21. Lyranus putat, præter unum istum filium vere exustum, reliquos etiam omnes filios Achaz piacularibus flammis, ut supra Theodoretus censebat, lustratos fuisse, quia 2 Paral. 28, vers. 3 in plurali dicitur, *Lustravit filios suos in igne juxta ritum Gentium.*

℣. 5. *Tunc ascendit Rasin* — Sed antequam hi duo reges, puta *Syriæ et Israel,* junctis viribus obsiderent *Jerosolymam,* jam ante seorsim et diversis prælis gravissime afflixerant *Judæam,* ut fuse narratur 2 Paral. 28, vers. 5 et sequentibus. Et rex quidem *Syriæ*, qui paullo ante recuperarat *Damascum* a Jeroboamo interceptam 4 Reg. 14, v. 28 recuperavit quoque hoc prælio *Ailam* ab Ozia Syris ereptam, 2. Paral. 26, vers. 2, eamdemque *Idumæis* Judææ jam rebellibus incolendam tradidit, ut hic dicitur v. 6. Qui iidem *Idumæi,* sicut et *Philisthini,* sub idem tempus multas alias urbes *Judæ* subtraxerunt, 2 Paral. 28, v. 17. Quin et ipse rex Assyriorum *Theglath-Phul-Assar,* multis precibus maximisque impensis evocatus a rege *Achaz* ut sibi succurreret, ita morem illi gessit, ut, occiso rege Syriæ *Rasin,* et incolis *Damasci* in *Cyrenem* [5] non illam Libyæ vel Moabitidis, sed aliam Mediæ, translatis, et paullo post etiam de *Israele* fere *quinque tribubus* eodem abductis, ut vidimus cap. præced., nihilominus etiam arma mox in eumdem a quo evocatus fuerat, regem *Achaz* et in terram illius Judaicam tyrannus converterit, eamdemque *nullo resistente vastarit,* 2 Par. 28, vers. 20. Et hoc prædixerat Isaias c. 7, v. 17, ubi inter alia, quibus ab evocando rege Assyrio deterrere regem *Achaz* Propheta conabatur, minando prædicit: *Adducet Dominus cum rege Assyriorum,* non tam subsidium quod expectas, quam exitium et pestem *super te, et super populum tuum, et super domum patris tui,* quales *dies non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda.*

(1) 2 Par. 28, vers. 1. (2) Isa. 7, vers. 1.
(3) Virg. 6 Æneid.; Ovid. in Fastis lib. 4; Tibul. lib. 2, elegia 5.
(4) Sup. cap. 12.
(5) Act. 2, vers. 10; Isa. 16, vers. 7; Joseph. l. 9 Antiq., c. 13.

rex Syriæ, Ailam Syriæ, et ejecit Judæos de Aila: et Idumæi venerunt in Ailam, et habitaverunt ibi usque in diem hanc.

7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, et filius tuus ego sum: ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me.

8. Et cum collegisset argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.

9. Qui et acquievit voluntati ejus: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, et vastavit eam: et transtulit habitatores ejus Cyrenen, Rasin autem interfecit.

10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum; cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar ejus, et similitudinem juxta omne opus ejus.

11. Extruxitque Urias sacerdos altare, juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco.

12. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, et veneratus est illud: ascenditque et immolavit holocausta, et sacrificium suum,

13. Et libavit libamina, et fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare.

14. Porro altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi et de loco altaris et de loco templi Domini: posuitque illud ex latere altaris ad aquilonem.

15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: super altare majus offer holocaustum matutinum, et sacrificium vespertinum, et holocaustum regis, et sacrificium ejus, et holocaustum universi populi terræ, et sacrificia eorum, et libamina eorum: et omnem sanguinem holocausti, et universum sanguinem victimæ super illud effundes: altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam.

16. Fecit igitur Urias sacerdos, juxta omnia quæ præceperat rex Achaz.

17. Tulit autem rex Achaz cælatas bases, et luterem, qui erat desuper: et mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, et posuit super pavimentum stratum lapide.

18. Musach quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, et ingressum regis exterius convertit in tem-

ỳ. 18. *Musach quoque sabbati* — Ita est hebraice, et significat tentorium sabbatinum, seu theatrum regium, juxta portam atrii interioris sacerdotalis, splendide constructum, et pretioso conopœo desuper coopertum, in quo sedebat rex in sabbatis, et aliis solemnioribus diebus, et audiebat hymnos, spectabatque sacrificia, ut colligitur ex Ezechielis 46, v. 1. Et hoc est *tribunal*, in quo 4 Regum 11, v. 14 Athalia vidit regem Joas in templo stantem *juxta morem*, id est, eo loco et modo, quo reges solerent communiter in templo sedere. Porro ad theatrum istud seu tribunal regium ingressus patebat ex ipso regis palatio per intermedia atria. Achaz vero in gratiam regis Assyriorum, qui probro sibi duxisset, foris cum populo stare, Musach istud seu tribunal regium *convertit in templum Domini*, seu in interius atrium sacerdotum, juxta ipsum Sanctuarium, ut nempe conspicere cominus posset omnia, etiam quæ intus in Sancto seu Sanctuario fiebant. Jam vero promoto Musach, promoveri quoque seu protendi debuit per transversum atrium sacerdotale, illa fabricæ pars, qua rex e suo palatio ad Musach descendebat: et hic vocatur *ingressus regis*, qui ante *exterius*, seu extra atrium sacerdotale terminabatur, nunc vero usque ad ipsum templum seu Sanctuarium pertingebat. Ita fere ex Rabbi Salomone Lyranus et Sanctius.

plum Domini, propter regem Assyriorum.

19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

20. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David, et regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

CAPUT XVII.

Osee recusante condictum Assyrio pendere tributum, Salmanasar transfert reliquum Israelem in Assyrios: et Assyrii aliæque nationes demigrant in Samariam, qui idolis ibidem, et simul Deo serviunt.

1. Anno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis.

2. Fecitque malum coram Domino: sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant.

3. [1] Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa.

4. Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi

ỳ. 2. *Fecit malum* Osee rex Israel, *sed non sicut* alii *reges Israel* — quia licet idola coleret, tamen, ut ajunt Hebræi [2], non inhibuit subditis suis adire, si vellent, Jerosolymam et templum Domini, et sacra istic obire, quod alii reges severe inhibuerant, etiam dispositis per vias custodibus, ne cui aditus eo pateret.

ỳ. 3. *Factus est Osee servus* Salmanassari regi Assyriorum, qui defuncto Theglath-Phul-Assari recens successerat. Cum enim res Israelitica, abductis fere quinque tribubus, admodum accisa esset, et Osee rex initio regni imparatus ab instrumentis bellicis, resistendo non esset tam potenti monarchæ, maluit se suosque ultro dedere, et vectigales facere Assyriis, saltem ad tempus, et quoad evocasset aliunde auxilia, quam vires hostiles cum certo regni sui excidio frustra experiri. Hæc est secunda Assyriorum expeditio adversus Israelitas, itemque secunda Samariæ ceterarumque urbium captivitas; toto octennio posterior altera priore, quando fere media incolarum pars in Assyriam abducta fuerat, ut dixi cap. 15. Sed in hac secunda, quia ultronea deditione contigit, nulla facta fuit abductio: solum tributa imperata, et alia quæ subditis præscribi solent. Et præstita hæc ex fide ad quinque vel sex annos, quando fultus auxiliis *Sua* regis Ægypti conatus est Osee jugum et servitutem Assyriorum excutere: sed frustra, nam mox reverso Salman-assare, obsessa jam tertio Samaria, ac post triennium capta spoliataque fuit, et rex in compedes conjectus, et reliquæ tribus Israeliticæ in *Halam et Habor civitates Medorum*, in perpetuum exilium abductæ sunt. Et hæc est tertia et ultima captivitas domus Israel, novem annis posterior secunda: nam contigit anno 6 Ezechiæ regis Juda et anno 9 Osee, ex quo ipse a Salman-assare subactus, ipsique vectigalis, et ab eo rex Israeliticus confirmatus fuit. Stetit ergo regnum Israelis, a primo anno Jeroboami, seu a morte Salomonis, usque ad præsentem annum abducti Israelis in regionem Medorum, totis 256 annis: ut patet ex nostro Chronico [3]. Ab hoc vero anno usque ad exustum templum et urbem Jerosolymitanam, quando etiam tertio capta, et in Babyloniam abducta fuit tribus Juda, undecimo anno regis Sedeciæ, fluxerunt anni 130.

(1) Infr. 18, vers. 9; Tob. 1, vers. 2.

(2) In Seder-olam, c. 22. (3) Cap. 29.

Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem.

5. Pervagatusque est omnem terram: et ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis.

6. [1] Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios; posuitque eos in Hala, et in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum.

7. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos.

8. Et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant.

9. Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dñum Deum suum: et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a Turre custodum usque ad civitatem munitam.

10. Feceruntque sibi statuas, et lucos, in omni colle sublimi, et subter omne lignum nemorosum:

11. Et adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas transtulerat Dñus a facie eorum: feceruntque verba pessima irritantes Dominum:

12. Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc.

13. Et testificatus est Dominus in Israel et in Juda, per manum omnium prophetarum et videntium, dicens: [2] Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et cæremonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris: et sicut misi ad vos in manu servorum meorum prophetarum.

14. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo.

15. Et abjecerunt legitima ejus, et pactum, quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, et vane egerunt: et secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, ut non facerent sicut et illæ faciebant.

16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, et lucos, et adoraverunt universam militiam cæli: servieruntque Baal,

17. Et consecraverunt filios suos et filias suas per ignem: et divinationibus inserviebant et augurijs: et tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum.

18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo.

19. Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui: verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat.

20. Projecitque Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua:

21. [3] Ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, et con-

v. 9. *A turre custodum* — non speculatoria militum, sed rustica pastorum vel agricolarum, ad quam, seu hostibus, seu imbribus ingruentibus, haberent paratum et familiare refugium. Alio nomine *castella* vocant: et sunt rusticanæ villæ, horreis et stabulis instructæ. Tales enim ipsis *turres* complures et castella extruxit *Ozias* rex Juda 2 Par. 26, v. 10. Hæ turres civitatibus munitis ac frequentibus in Scriptura opponi solent: et proverbiali phrasi, cum omne habitationum genus Hebræi complecti volunt, *turres custodum* cum *civitatibus munitis* conjungunt, ut videre iterum est cap. sequenti v. 8 et aliis locis.

(1) Infr. 18, vers. 10. (2) Jer. 25, vers. 5. (3) 3 Reg. 12, vers. 19.

stituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat: separavit enim Jeroboam Israel a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum.

22. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat: et non recesserunt ab eis,

23. [1] Usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum prophetarum: translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc.

24. Adduxit autem rex Assyrio-

rum de Babylone, et de Cutha, et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim: et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel: qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus.

25. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

26. Nuntiatumque est regi Assyriorum, et dictum: Gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant le-

℣. 24. *Adduxit rex Assyriorum de Babylone*, etc. — Hinc patet, hoc adhuc tempore Babyloniam subjectam fuisse regibus Assyriorum in Ninive imperantibus. Sicut ex v. 6 supra constat, regionem Medorum eidem tunc paruisse. Neque enim alias potuisset tantam Israelitarum catervam in civitates Medorum transmittere: neque incolas Babylonis in terram Israel evocare. Sed paucis posthac annis et Medi, auctore *Dejoce*; et Babylonii, duce Merodach, rebelles facti sunt Assyriis, fere sub idem tempus quo *Ezechias* rex Juda ab iisdem defecit, et *Merodacho* regi Babylonis novo fœdere sociatus est.

Collocavit item *rex Assyriorum in civitatibus Samariæ* — etiam evocatos *e Cutha*. Et forte nobiliores, forte etiam plures ex illa, quam ex aliis regionibus, eo traducti sunt: unde *Samaritani* multis seculis etiam *Cuthæi* vocati fuerunt, teste Josepho, Epiphanio, et ex his Abulensi, Toleto et Pereira [2]. Porro ex tot gentium, tot religionum, tot deorum colluvie, tanta legum, tanta morum confusione, id consecuti sunt Samaritani, ut monstrum quoddam essent ex variis variorum maximeque dissidentium rituum assumentis compactum. A Judæis habebant circumcisionem et Sabbata, et alias plerasque cæremonias Pentateucho Moysis comprehensas; neque alios Scripturæ libros admittebant, teste Origene, Ambrosio [3] et aliis jam citatis. Ab aliis gentibus mutuabantur ingentem farraginem uti falsorum et ignotorum deorum (qui hic vv. 30 et 31 recensentur) ita etiam vanarum religionum ac rituum sacrorum et profanorum. Unde et vicinis omnibus contemptui ac risui erant, maximeque exosi; sed præ omnibus nationi Judæorum, in qua qui maxime odiosus alicui foret, *Samaritanus* vocabatur, neque induci potuerunt unquam *Judæi* ut couterentur *Samaritanis*, Jo. 4. Et vicissim *Samaritani* ubicumque possent, officiebant Judæis, ut patet Esdræ 2, c. 4, ubi remigrantes Judæos ab exilio in patriam conantur impedire ab instauratione urbis et templi. De hoc odio mutuo vide S. Hieron. [4] et alios jam citatos. Interim *Samaritani* pro temporum et rerum varietate, sic suadente seu necessitate seu publica utilitate, fingebant modo se Judæos esse, ut qui saltem in pauculis cæremoniis cum Judæis convenirent: modo se prorsus alienos esse (ut erant revera) a genere et religione Judæorum: usi eodem artificio, quo apud Æsopum *vespertilio*, qui quod alas gestaret instar *volucris*, reliqua forma *muri* similis esset, modo *volucrem*, modo *murem* se nominans, bis periculum mortis effugit. Sic Samaritani cum didicissent, Alexandrum Magnum Judæis amicum, et in ipsos admodum beneficum esse, ut similem ab Alexandro gratiam beneficiaque referrent, ortos se ex Judæis, et iisdem cum ipsis institutis uti jactabant. At vero cum sentirent Antiochum Epiphanem infensum esse Judæis, et pessima quæque adversus ipsos moliri, Judæos se palam negabant: ita Josephus [5].

(1) Jer. 25, vers. 9.
(2) Joseph. sup.; Abul. hic, q. 24; Tolet. et Perer. in c. 4 Joan.
(3) Orig. t. 4 in Joan.; Ambros. in 1 ad Cor. 9.
(4) Epist. ad Algasiam q. 5, tom. 3.
(5) Lib. 11 Antiq., c. 8, et l. 12, c. 7.

gitima Dei terræ: et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ.

27. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, et vadat, et habitet cum eis: et doceat eos legitima Dei terræ.

28. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, et docebat eos quomodo colerent Dominum.

29. Et unaquæque gens fabricata est deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, gens et gens in urbibus suis, in quibus habitabat.

30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: et viri de Emath fecerunt Asima.

31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni, Adramelech et Anamelech diis Sepharvaim,

32. Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de [1] novissimis sacerdotes excelsorum, et ponebant eos in fanis sublimibus.

33. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam:

34. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, judicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, [2] quem cognominavit Israel:

35. Et percusserat cum eis pactum, et mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, et non adoretis eos, neque colatis eos, et non immoletis eis:

36. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de terra Ægypti in fortitudine magna, et in brachio extento, ipsum timete, et illum adorate, et ipsi immolate.

37. Cæremonias quoque, et judicia, et legem, et mandatum, quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus: et non timeatis deos alienos.

38. Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos,

39. Sed Dominum Deum vestrum timete, et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum.

40. Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant.

41. Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dñum, sed nihilominus et idolis suis servientes: nam et filii eorum, et nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

(1) Vers. 32. *Novissimis*, id est obscuris hominibus. *Sublimibus;* Hebr., Chald. et LXX *excelsorum.*

(2) Gen. 32, vers. 28.

XIII.

IN IV. REGUM, XVII, 3-5; XVIII, 9.

Osee et Salmanasar.

Salmanasar, de quo heic est sermo, in ordine regum Assyriorum est *Salmanasar V*; qui, ut constat ex *Canone* chronologico assyrico, successit regi Tuklatpalasar II, regnumque obtinuit per quinquennium, 726-721 a. C. De ejus gestis nulla superest quidem inscriptio historica apud Assyrios; at, quæ de illo Scriptura innuit, optime consonant cum aliis monumentis cuneiformibus. Quod enim Osee coactus fuerit ei servitium ac tributa reddere, id pronum est colligere

ex eo quod idem Osee jam antea regi Tuklatpalasar II, uti hujus *Annales* referunt, subditus fuisset ac tributarius. Quod vero Salmanasar contra Osee rebellantem et contra Samariam acre bellum susceperit, abunde constat ex inscriptionibus regis Sargon, qui Salmanasari successit, et bellum istud, capta tandem Samaria, se in ipso regni sui exordio confecisse testatur.

XIV.

IN IV. REGUM, XVII, 6, 23-24 (CF. XVIII, 10-11).

Captivitas Israelitica.

Luculenta hujus Captivitatis testimonia habentur apud Assyrios, in Inscriptionibus historicis regis *Sar-Kin*; i. e. *Sargon* (721-704 a. C.), qui gloriatur se primordia sui regni triumpho insigni de Samaria et regno Israelis illustrasse. Etenim 1° In Inscriptione, quam vocant, *Taurorum* legitur: « Ipse (Sargon) evertit urbem *Samirina* (Samariam) et totam *Bit-Khumri* (Regnum Israelis). » 2° In Inscriptione *Cylindri*, seu *Cadi:* « Ego (Sargon) amplam regionem *Bit-Khumri* subjugavi. » 3° In Inscriptione *Fastorum:* « Urbem *Samirina* obsedi, cepi; 27,280 ejus cives in captivitatem abduxi; ... meos præfectos ipsis (reliquis incolis) præposui; tributum regis anterioris ipsis imposui. » 4° In Inscriptione *Annalium:* « In exordio regni mei..... urbem *Samirina* obsedi, cepi; 27,280 incolas captivos abduxi.....; in eorum locum homines (aliarum) regionum, quas manus mea acquisivit, habitare feci; tributum, uti Assyriis, ipsis imposui. » Et rursus in eadem Inscriptione: « Ego vastavi totum agrum circa *Samirina*, et regionem *Bit-Khumri*. »

Ex quibus liquet, regem Sargon, a. 721 a. C. quo regnare cœpit (atque in eumdem annum conspirat cum chronologia assyrica, pro expugnatione Samariæ, chronologia biblica, juxta recentiores), expugnata Samaria, regnum Israelis, quod jam magna ex parte Tuklatpalasar II in bello contra Phacee, ac postea Salmanasar V in bello contra Osee vastaverant ac ceperant, integrum subjugasse et in provinciam redegisse, a præfectis assyriis deinceps administrandam; plurimos ex Israelitis captivos abduxisse in Assyriam; novosque incolas, eorum loco, in regionem Samariæ deinde transtulisse, ex aliis gentibus imperio Assyriorum subditis; quas inter, ut constat e ceteris inscriptionibus ejusdem regis, fuere non solum Babylonii et Chaldæi et Hamathitæ, verum etiam plures Arabum tribus a Sargon debellatæ, e quibus captivos idem memorat a se « translatos in mediam regionem longinquam *Bit-Khumri* » vel « collocatos in ipsa urbe *Samirina*. »

Hæc porro generatim apprime consonant cum narratione biblica. Gravis tamen discrepantia inter textus cuneiformes et biblicos in eo, prima fronte, esse videtur, quod illi, dum alte silent de Salmanasar, regi Sargon unice adscribunt expugnationem Samariæ et consequentem Israelitarum captivitatem; isti contra, eam attribuere videntur regi Salmanasar, ne verbum quidem heic de Sargon habentes. Unde nonnulli recentiores, ut rem componerent, in hanc devenerant sententiam, Sargon et Salmanasar unum esse eumdemque regem: quæ tamen sententia, utpote repugnans disertis Assyriorum monumentis, nec defendi omnino potest, neque ullum fere habet amplius defensorem. Discrepantia vero illa non est nisi apparens, et facili ratione tollitur. Ex duobus enim Scripturæ locis, in quibus unice expugnatio Samariæ per Assyrios facta memoratur, primus (IV. Regum, XVII, 6) nihil habet unde inferri debeat, *regem Assyriorum*, qui Samariam *cepit*, fuisse eumdem ipsum Salmanasar, qui eam *obsedit*. Quoad secundum vero (ibi, XVIII, 9 10), Vulgata quidem habet: *Ascendit Salmanasar in Samariam, et oppugnavit eam. Et cepit;* at textus hebraicus, loco hujus *Et cepit*, habet: *Et ceperunt eam* (Vayyilkeduah), subintellige, *Assyrii:* qua forma loquendi, non solum expresse non tribuitur ipsi Salmanasari *expugnatio* Samariæ, quam ipse *oppugnare* cœperat, sed potius videtur illi denegari. Ex Scriptura ergo nihil obstat, quominus credamus, regem, qui Samariam, jam tres annos obsessam, denique *cepit*, fuisse non Salmanasar, sed Sargon, uti monumenta assyrica testantur. Atque hoc pacto ambæ narrationes, biblica et assyrica, non modo amice inter se conciliantur, verum etiam sese mutuo confirmant atque illustrant. (Confer, si pla-

cet, quæ fusius de his disputantur in *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. IV, pagine 414-420).

XV.

IN IV. REGUM, XVII, 30-31.

Chutæi fecerunt Nergel. Ex monumentis cuneiformibus splendida huic commati lux affunditur. Apud Assyrios et Chaldæos celebri religione colebatur deus *Nirgal*, unus e 12 diis majoribus earum gentium; ejusque frequentissima est mentio in ipsorum tabulis. At singulari cultu honorabatur a Chutæis, ab incolis scilicet urbis Chuta, vel Cutha, prope Babylonem sitæ. Ipse enim *Nirgal* appellatur in inscriptionibus: *Deus hominum Cutha*; et vicissim Cutha appellatur: *Civitas Dei Nirgal*; et in ea Nirgal insigne habebat templum, cujus ruinæ nuper in lucem prodiere e pago Oheimir, qui antiquæ urbi successit. Nullum autem dubium est, quin *Nirgal* iste, idem omnino sit ac *Nergel* biblicus, quem *fecerunt Chutæi*, coloni nempe ex urbe Cutha deducti in Samaritidem. (Vide SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 166-167).

De aliis vero diis, qui hoc loco memorantur; quod spectat ad *Adramelech* et *Anamelech, deos Sepharvaim*, illud in comperto est, eos nihil aliud esse quam *Adar* et *Anu*, adjuncto titulo *melech* = *princeps*, qui ab Assyriis et Chaldæis inter 12 deos majores numerabantur, et in inscriptionibus passim celebrantur; urbem autem *Sepharvaim* eamdem esse ac *Sippara* vel *Šipar* ad ripam Euphratis, in Chaldæa septentrionali sitam. Jamvero sub nomine istorum deorum antiquitus colebatur Sol; ejusque religio apud Chaldæos exercebatur crudeli etiam ritu ignis, cui comburendæ tradebantur victimæ humanæ, eodem fere modo ac in cultu dei *Moloch* apud Ammonitas, et dei *Melkarth* apud Tyrios. Urbs autem *Sippara* peculiari modo sacra erat Soli, unde etiam appellatur in inscriptionibus civitas *Solis*, Sippara *sa Samas*. Coloni ergo qui hinc in Samaritidem translati fuere, secum deos ritusque patrios asportantes, perrexerunt etiam ibi *filios suos igni comburere* suis diis *Adar* et *Anu*.

Quoad ceteros deos novorum Samariæ incolarum: *Sochoth benoth* Babyloniorum, *Asima* Emathæorum, *Nebahaz* et *Tharthac* Hevæorum; monumenta cuneiformia nihil hactenus attulere bene certi ad eos illustrandos. Vide tamen quæ probabiliter de iis conjectando dici possunt, in *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. IV, pag. 687-691.

BRUNENGO.

CAPUT XVIII.

Ezechias dissipat idolorum delubra: æneum Moysis serpentem confringit: vincit Idumæos: jugum excutit Assyriorum: qui mox ingenti exercitu accurrunt Jerosolymam, multis probris in Ezechiam et blasphemiis in Deum jactatis.

1. Anno [1] tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda.

2. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset: et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ.

3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

4. Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, [2] quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant

℣. 4. Ezechias *confregit serpentem*

(1) 2 Par. 28, vers. 27, et 29, vers. 1.
(2) Num. 21, vers. 9.

æneum quem fecerat Moyses — De hoc vide Numer. 21.

Vocavitque nomen ejus Nohestan —

ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan.

5. In Domino Deo Israel speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt:

6. Et adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi.

7. Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei.

8. Ipse percussit Philisthæos us-

vel, ut in Hebræo est, *Nechustan* [1], id est, *parvum æs*, seu *ærulum*, vel *metallulum*, nempe vile ac nihili, q. d. In illo serpente nihil est magnum, nihil vivum, quod ab homine prudente observari, multoque minus quod pro Deo (ut factum hactenus) coli debeat. Vide plura apud Philastrium, in hæresi de *æneo serpente*. Chronicon Alexandr. [2] et Eusebius [3] tradunt, ab eodem Ezechia etiam *libros* aliquos *Salomonis*, quod quidam illis abuterentur, *de medio sublatos* fuisse, ut *quos de omni genere morborum curando* conscripserat, et *de natura plantarum, et de omni genere animalium:* idque *quia populus hausta inde sufficienti morborum medela, negligebat petere a Deo curationem*. Quod in rege Asa reprehenditur 2 Paral. 16, v. 12. Sane S. Franciscus Xaverius, cum Evangelii gratia in regionem barbaram ingrederetur, ubi frequens erat venenorum usus, et quotidianæ cædes, noluit tamen antidota ab amicis oblata admittere, ne quid de spe, quam in Deo semper collocarat, vel tantillum ea ratione remittere videretur.

℣. 5. *Post* Ezechiam *non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt* — Idem de Josia dicitur c. 23, v. 25. Et quidem vere ac proprie: nam licet David sanctitate præcelluerit, ut est communis opinio, morum tamen innocentia non præcelluit, propter adulterium, homicidia, etc. In aliquo etiam deliquit Josias, in quo Ezechias non deliquit, ut quod bello non necessario adversus regem Ægypti sese implicuerit, et se et suos perdiderit. In pluribus quoque *Ezechias* cessit *Josiæ*, v. g. cum se vectigalem et tributarium [4] fecit regi Assyriorum, cum ex jactantia [5] legatis Babylonici regis suos ostentavit thesauros, etc. Itaque æqua-

litas sanctitatis inter hos tres hic non negatur: sed sola similitudo morum gestorumque, quibus sanctitatem nacti vel promeriti fuerunt, propter diversos modos, occasiones et tempora, in quibus suam singuli probarunt vel patientiam, vel magnanimitatem, vel zelum, vel fortitudinem, vel morum innocentiam. Simili prorsus modo Ecclesia de singulis Confessoribus Pontificibus canit: *Non est inventus similis illi, qui custodiret legem Excelsi.* Quia singuli habuerunt aliquid peculiare, quod non inveniretur in aliis. Porro præclara Ezechiæ gesta, quæ hic non nisi obiter insinuantur, fuse expressa habes 2 Paral. 29, 30 et 31.

℣. 7. *Rebellavit quoque contra regem Assyriorum* — Jam enim a tempore Achaz patris Ezechiæ dediderant se Judæi Assyriis, ut patet ex 4 Reg. 16, vers. 7. Unde usque ad hoc tempus Ezechias subditus illis et tributarius fuerat: sed jam urgenti Assyrio ut consuetum tributum penderet, negabat Ezechias, bellumque ni faxit minanti resistere et bellum bello propulsare parabat. Nam, ut habes infra cap. 20, vers. 20, et 2 Paral. 32, et Ecclesiast. 48, muros urbis instauravit, militem undique evocavit, et ad Assyriorum impetus retardandos *obturavit capita fontium*, et perfossa rupe rivum *Gihon* ita detorsit, ut aquæ illius, quæ extra urbis Jerosolymæ muros late vagabantur, et obsidentibus maxime usui futuræ erant, omnes in urbem cogerentur et obsessis servirent. Sed brevi conciderunt tanti animi. Nam ut primum sensit Assyrium tyrannum ferro flammaque vicinam vastare, non ausus aleam belli expectare, misit obviam in urbem *Lachis* haud procul Jerosolyma legatos, qui suo nomine sponderent ultroneam subjectionem, et tributi quantumcumque imperaret pensitationem. Quin et imperanti sub-

(1) נחשתן.

(2) Chronic. Alexandr. ad Olympiad. 9.

(3) Citatos ab Anastasio Niceno.

(4) Hic vers. 14. (5) 2 Par. 32, vers. 25.

que ad Gazam, et omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad civitatem munitam.

9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam,

10. Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est, [1] nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria:

11. Et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala et in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum:

12. Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia, quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt, neque fecerunt.

13. [2] Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas; et cepit eas.

14. Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: et omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, et triginta talenta auri.

15. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Dñi, et in thesauris regis.

16. In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, et laminas auri, quas ipse affixerat, et dedit eas regi Assyriorum.

17. Misit autem rex Assyriorum Tharthan, et Rabsaris, et Rabsacen, de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jerusalem: qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, et steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis.

18. Vocaveruntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis.

19. Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua niteris?

20. Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium? In quo confidis, ut audeas rebellare?

21. An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.

misit statim *trecenta talenta argenti, et triginta auri*. Neque tamen hac via quidquam profecit: nam tyrannus etiam accepto tributo, nihilo moderatius aut mitius se gessit, quam si repudiatus aut hostiliter rejectus fuisset.

℣. 18. *Præpositus domus* — supple regiæ, ut Josephus [3] habet et Abulensis et Torniellus [4] et Vatablus et Arias et Pradus [5]. Potest nihilominus etiam admitti fuisse præpositum *domus Domini*, nempe vel thesaurarium templi, ut habent LXX et tenet Forerius: vel unum ex 24 principibus sacerdotum, ut volunt S. Hieronymus, S. Thomas, Dionysius et alii [6]. Nam plures fuisse præpositos domus Domini, patet infra c. 22, vers. 5. Et forte præerat hic militari custodiæ templi, sicut 2 Machab. 3, vers. 4 Simon Benjaminita præpositus templi fuisse dicitur. *Scriba*, est doctor in lege. Porro de *Sobna et Eliacim*, qui hic legati designantur, qui et quales fuerint, vide Isaiæ 22 ubi alteri *Sobnæ* a præpositura ob nimiam animi superbiam deposito alius Eliacim successisse scribitur. *A commentariis* is est, qui res gestas et præclariora facinora publicis monumentis consignat, et regi commodo tempore in memoriam revocat, patet Esther 6, vers. 1. Reliqua hujus cap. vide exposita Isaiæ 36.

(1) Supra 17, vers. 6; Tob. 1, vers. 2.
(2) 2 Par. 32, vers. 1; Eccli. 48, vers. 20; Isa. 36, vers. 1.
(3) Lib 10 Antiq., cap. 1.
(4) Anno mundi 3322.
(5) In Ezech. 17, v. 23.
(6) In Isaiæ 22.

22. Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria: et præcepit Judæ et Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem?

23. Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, et dabo vobis duo millia equorum, et videte an habere valeatis ascensores eorum.

24. Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus et equites?

25. Numquid sine Dñi voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, et demolire eam.

26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ et Sobna, et Joahe, Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis syriace: siquidem intelligimus hanc linguam: et non loquaris nobis judaice, audiente populo, qui est super murum.

27. Responditque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, et non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum?

28. Stetit itaque Rabsaces, et exclamavit voce magna judaice, et ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum.

29. Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea.

30. Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, et non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum.

31. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est utile, et egredimini ad me: et comedet unusquisque de vinea sua, et de ficu sua: et bibetis aquas de cisternis vestris:

32. Donec veniam, et transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, et fertilem vini, terram panis et vinearum, terram olivarum, et olei ac mellis, et vivetis, et non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dñus liberabit nos.

33. Numquid liberaverunt dii gentium terram suam de manu regis Assyriorum?

34. Ubi est deus Emath, et Arphad? ubi est deus Sepharvaim, Ana, et Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

35. Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?

36. Tacuit itaque populus, et non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei.

37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam, scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

XVI.

IN IV. REGUM, XVIII, 13-15 (CF. II. PARALIP., XXXII, 1; ISAIAS, XXXVI, 1). *Bellum Sennacheribi contra Ezechiam.*

Insignia hujus belli monumenta prostant in inscriptionibus cuneiformibus, ad Sennacherib, assyrice *Sin-akhi-irib*, filium regis Sargon, pertinentibus, qui, juxta *Canonem* Assyriorum, regnavit a. 704-680 a. C.

1° In inscriptione, quam vocant, *Prismatis Taylori*, exarata anno 690, ubi inter cetera gesta bellica narratur expeditio regis (ea fuit ordine temporis tertia, et incidit in annum 700) contra Phœniciam et Palæstinam, hæc leguntur: eademque repetuntur fere ad verbum in duabus aliis inscriptionibus, *Cylindri C* et *Taurorum*. « Magistratus, magnates et populus urbis *Amgarruna* (Ekron, seu Accaron), qui *Padi*, ipsorum regem, mihi fœderatum et Assyriæ subditum, catenis ferreis devinxerant, et *Khazakiahu Yahudai* (Ezechiæ Judæo, i. e. regi Judæ) hostili animo, in noctis umbra, tradiderant; ipsorum cor contremuit. » Narrata deinde illustri victoria, a se relata de Ægyptiorum exercitu ad *Altaku* (Eltheca), Sennacherib subdit, se urbem deinde *Amgarruna* cepisse et de ejus civibus rebellibus sævam vindictam sumpsisse; tum pergit: « Effeci, ut *Padi*, ipsorum rex, e medio urbis *Ursalimmu* (Jerusalem, ubi apud Ezechiam captivus tenebatur) egrederetur: regem super ipsos in throno eum restitui: tributum majestati meæ solvendum ipsi imposui. At *Khazakiahu Yahudai*, qui jugo meo non paruit; ejus 46 urbes munitas, præter castella et vicos innumeros in earum circuitu, aggressus sum....., machinis obsidionalibus eas oppugnavi, cepi: 200,150 captivos, masculos et fœminas; equos, mulos, asinos, camelos, boves et pecora absque numero inde abduxi, tamquam prædam belli. Ipsum autem (Ezechiam) inclusi, ut avem in cavea, in *Ursalimmu*, ejus urbe regia. Contra hanc munitiones exstruxi; egressum magnæ portæ interclusi. Urbes ejus, e quibus captivos abduxi, ab ejus ditione separavi, easque dedi *Mitinti*, regi *Asdud* (Azoti), *Padi*, regi *Amgarruna*, et *Ismibil*, regi *Khaziti* (Gazæ); hoc pacto ejus regnum imminui..... Ipsum *Khazakiahu* timor vehemens majestatis meæ invasit; idemque (timor invasit) ejus milites et subditos, hominesque quos ad defensionem *Ursalimmu*, suæ urbis regiæ, in ea collegerat. Itaque ad tributa præstanda animum induxit: nempe *30 talenta auri, 800 talenta argenti*, lapides pretiosos etc.; quæ in meam urbem regiam, *Ninua* (Niniven), asportavi. Ad solvendum tributum ac pollicendum obsequium ipse legatum suum misit. » (Vide SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 172-177; MÉNANT, *Annales des Rois d'Assyrie*, pag. 218-219; etc.).

2° In *inscriptione Nabiyunus* innuitur: « Amplam regionem *mat Jahudi* (terram Judæ), *Khazakiahu sar su* (Ezechiam, regem ejus) ad obedientiam coegi. » (SCHRADER, l. cit., pag. 170; MÉNANT, l. cit., pag. 231).

Hæc autem, uti patet, mire consonant cum historia biblica, ac vero etiam illam illustrant, quatenus adjuncta quædam superaddunt, quæ Scriptura omittit. Ejusmodi sunt; amicitia Ezechiæ cum Ekronitis, rebellibus proprio regi *Padi*, et regi Assyrio, quæ hunc nova ira inflammavit contra regem Judæ; numerus definitus, *46*, civitatum munitarum, quas Sennacherib cepit, quasque a regno Judæ distractas, inter tres reges, Azoti, Ekron et Gazæ, distribuit; itemque numerus captivorum, 200,150, et cetera præda ex iis civitatibus abducta. Unum tamen est, in quo discrepare narrationes, biblica et assyrica, videntur: *tributum* enim, a Sennacherib indictum et ab Ezechia solutum, in Scriptura definitur, auri talenta 30 et *argenti talenta 300*; in inscriptione vero assyrica, auri quidem talenta 30, sed *argenti talenta 800*. At notandum est cum BRANDIS (*Das Münz — Mass — und Gewichtswesen in Vorderasien bis auf Alexander den Grossen*, Berlin 1866; pag. 98 et seqq.) talentum magnum Hebræorum et talentum parvum Assyriorum fuisse, quoad *argentum*, in ratione 3 ad 8; ita ut 300 talenta Hebræorum ad amussim æquarent 800 talenta Assyriorum: quoad *aurum* vero, apud utramque gentem eumdem prorsus fuisse valorem talenti. Constat ergo egregie, in hoc etiam, utriusque narrationis concordia; et melius etiam inde emicat independens utriusque veracitas.

XVII.

IN IV. REGUM, XVIII, 17.

Lachis. Inter anaglypha, in palatio regis Sennacherib Ninive nuper reperta et inde in Museum Britannicum allata, insigne est illud quod repræsentat deditionem urbis *Lakis* ipsi regi a civibus factam; atque hanc præ se fert epigraphen: « Sennacherib, rex populorum, rex Assyriæ, in sublimi throno sedet et spolia bellica *'ir Lakisu* (urbis Lakis) coram ipso (allata) recipit. » (BOSANQUET, *Transactions of the Society of biblical Archaeology*, vol. VI, pag. 84; SCHRADER, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pag. 170). Ea nempe est ipsa *Lachis*, apud quam Scriptura heic innuit Sennacheribum, eo tempore quo cum Ezechia de tributo solvendo ac de redditione urbis Jerusalem tractabat, castrametatum fuisse; et, II. *Paralip.* XXXII, 9, *cum universo exercitu* eam *obsedisse* testatur.

Tharthan, Rabsaris, Rabsaces. Hæc nomina *missorum* regis Sennacherib ad Ezechiam, non sunt nomina propria (uti JOSEPHUS in *Antiq. Jud.* X, 1, aliique perperam intellexere), sed meri tituli dignitatis, apud Assyrios, ut patet ex inscriptionibus, usitati. *Tharthan* (quem memorat etiam *Isaias* XX, 1), assyrice *Turtanu*, frequenter occurrit in textibus cuneiformibus, eoque titulo significatur *Supremus Duæ exercitus. Rab-saris*, alias *Rab-lub*, in iisdem textibus designat Caput seu *Principem Eunuchorum:* quæ apud reges Orientales semper fuit inlustris dignitas, et est etiamnum apud Turcas, Constantinopoli, ubi *Kizlar-aga*, i. e. *Princeps Eunuchorum nigrorum*, eminet inter primores aulæ Sultanicæ. *Rãb-saces*, assyrice *Rab-sak*, erat *Magnus Pincerna:* quamvis interdum videatur hoc titulo designari in inscriptionibus aliquis e principibus seu *præfectis exercitus.* Constat autem ex iisdem inscriptionibus in usu fuisse apud reges Assyrios, Rabsacen potissimum adhibere in legationibus hujusmodi. Ita inscriptio quædam regis Tuklatpalasar II habet: « Ministrum meum, *Rab-sak*, Tyrum misi, qui *Mitinnæ* Tyrio (regi Tyri) 150 talenta auri (imponeret)..... » (Vide SCHRADER, l. cit., pag. 200).

BRUNENGO.

CAPUT XIX.

Ezechia rege et Isaia propheta Domino supplicantibus, angelus occidit 185,000 Assyriorum. Quare fugiens Sennacherib, a propriis filiis in templo idoli sui obtruncatur.

1. [1] Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, et opertus est sacco, ingressusque est domum Domini.

2. Et misit Eliacim præpositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos.

3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ, dies iste: venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.

4. Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus,

℣. 2. *Filium Amos* — Non est hic *Amos* is Propheta, qui inter minores numeratur, sed alius, ut dicam Isaiæ 1, vers. 1.

℣. 3. *Dies*, seu tempus, jam est *tribu-*

(1) Isa. 37, vers. 1.

lationis populi, *increpationis*, seu punitionis, Dei; *et blasphemiæ* Sennacherib: ita S. Hieron.

Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens — et consequenter, vehementissimo cruciatu tor-

ut exprobraret Deum viventem, et argueret verbis, quæ audivit Dñus Deus tuus: et fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

5. Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

6. Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dñus: Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

7. Ecce, ego immittam ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et dejiciet eum gladio in terra sua.

8. Reversus est ergo Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: audierat enim quod recessisset de Lachis.

9. Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est ut pugnet adversum te: et iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens:

10. Hæc dicite Ezechiæ regi Juda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum.

11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari?

12. Numquid liberaverunt dii gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, et Haran, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thelassar?

13. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex civitatis Sepharvaim, Ana, et Ava?

14. Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Dñi, et expandit eas coram Domino,

15. Et oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ: tu fecisti cælum et terram.

16. Inclina aurem tuam, et audi: aperi Domine oculos tuos, et vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis Deum viventem.

17. Vere, Domine, dissipaverunt reges Assyriorum gentes, et terras omnium.

18. Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dii, sed opera manuum hominum ex ligno et lapide, et perdiderunt eos.

19. Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.

quetur, propter rupturam vulvæ, cujus os, dum angustius est, a fœtu disrumpitur. Videtur Ezechias alludere ad apparatum quem fecerat bellicum: nam ut summis animis pararit omnia tum ad urbis defensionem, tum ad hostis invasionem necessaria, tamen, cum ad rem jam ventum est, ipsa experientia deprehendit se tantæ potentiæ parem non esse: ita Theodoretus, Procopius, Eucherius, Abulensis et Cajetanus.

℣. 7. *Ecce, ego,* dicit Dominus, *immittam ei spiritum* — id est affectum, seu internum in animo motum, puta *timoris* ingentis; forte ne rex Æthiopum, quem jam pridem aliquid novi moliri audierat, se absente res turbaret Assyrias: atque ita dum aliena venatur in Judæa, ipse propria sua sede spolietur in Assyria. Hoc anxius metu, ecce *nuncium* trepidum *audit, Tharacas rex Æthiopum egressus est ut pugnet adversum te.* Rex hic erat *Æthiopiæ,* non illius in deserto Sinai, in regione Madianitarum, unde erat uxor Moysis *Æthiopissa:* sed alterius quæ post Ægyptum sita est, et nunc *Abyssina* vocatur: ita Josephus [1], et apud eum Berosus: itemque Herodotus, ut citat S. Hieron. [2]. Et idem sentiunt alii Patres. Et colligitur ex Isaiæ 20, vv. 3, 4, 5 ubi *Æthiopiam et Ægyptum* Propheta tertio simul conjungit, dum de hac eadem agit Sennacheribi expeditione.

(1) Lib. 10 Antiq., cap. 1.

(2) In Isa. 22.

20. Misit autem Isaias, filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi.

21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Sprevit te et subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem.

22. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel.

23. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, et succidi sublimes cedros ejus, et electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus, et saltum Carmeli ejus

24. Ego succidi. Et bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.

25. Numquid non audisti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, et nunc adduxi: eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ.

26. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt et confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem.

27. Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me.

28. Insanisti in me, et superbia

℣. 23. *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium* — id est, loca inaccessa, et vix peditibus pervia, disjectis scopulorum et silvarum obstaculis, sic aperui et complanavi, ut etiam quadrigis commodus pateat transitus. Eadem hæc loca aperuit etiam postea Vespasianus, teste Josepho [1], cum per easdem Libani fauces exercitum traduceret, juxta illud Zach. 11: *Aperi, Libane, portas tuas.* Idem in Alpibus fecit Annibal, ut Juvenalis [2] canit, et historici describunt.

℣. 24. *Bibi aquas alienas*, id est, quas vos Judæi vobis vestrisque familiis asservabatis more patriæ in cisternis vestris, ego per meos milites exhausi; *et siccavi omnes aquas clausas* — scilicet aggeribus: nam Isaiæ 37, v. 25 dicit siccatos a se *omnes rivos aggerum*, id est omnia *stagna et fluvios.* Sic Xersen, cum copias in Græciam traduceret, flumina siccasse testantur Herodotus, Justinus et Juvenalis [3].

℣. 25. *Numquid non audisti*, etc. — q. d. Ignoras, o stulte Sennacherib, quod quæcumque fecisti seu adversus Judam, seu adversus alias gentes jam subactas, mea unius potentia ac decreto feceris? An nescis, me jam inde ab initio conditi universi solitum scelera mortalium punire gladio aliunde immisso? De te certe jam pridem *illud* statui, et in mente mea quasi *plasmavi*, quin et per prophetam meum Isaiam non obscure prædixi, quod tu *Assur virga* esses *furoris mei. Et nunc* te eo *adduxi*, ut colles sterneres, et urbes quantumcumque munitas subverteres, quæ contra me pugnant, et me sceleribus suis offendunt: has enim omnes per te quasi per flagellum meum corripere volui, et *humiles manu*, seu, ut habet Isaias c. 37 *breviata manu*, id est, destitutas viribus et potentia resistendi, *contremiscentes* subjeci tibi.

℣. 27. *Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum ego præscivi* — Id est, quæcumque molitus es hactenus, sive in intimis regiæ tuæ penetralibus, sive in eductione copiarum, sive in expugnatione urbium, omnia a me prægnita, a me permissa, pleraque et a me prædecreta sunt: nec sine me potuisses movere vel manum, vel pedem. At tu tuis omnia viribus insigni superbia adscribis: quin et stupendo furore et bruta insania meam ausus es blasphemare potentiam. Ego quoque te instar bruti tractabo, et naribus hamum ceu bubalo infigam, et ori blasphemo frænum injiciam: neque te patiar ad ulteriores

(1) Lib. 3 Belli, c. 5. (2) Satyra 10. (3) Herod. lib. 7; Justin. lib. 2; Juven. sup.

tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.

29. Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate et metite: plantate vineas, et comedite fructum earum.

30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum.

31. De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, et quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc.

32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.

33. Per viam, qua venit, revertetur: et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.

34. Protegamque urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.

35. [1] Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centumoctoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: et recedens abiit,

36. Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum et mansit in Ninive.

37. [2] Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

triumphos, ut ardes, provehi, sed in infamem fugam, in tristem cladem, in horrendam mortem te cogam: ita fere S. Hieronymus, Abulensis, Vatablus et Lyran.

℣. 29. *Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum*, omnia quæ jam dixi, a me profecta fuisse, ac prædisposita: meoque unius nutu ac potentia abactum e Judæa tyrannum Sennacherib. *Signum*, inquam, istud *tibi* manifestum *erit*, quod licet jam tyrannus immensis copiis suis segetes omnes protriverit, arboresque vitesque pene totius regionis tuæ succiderit, neque spes hoc anno videatur alicujus messis aut vindemiæ: insequens quoque annus, eo quod sabbaticus sit, non permittat aut serere, aut metere; tamen reipsa deprehendes, nihil tibi tuisque defuturum: sed benedicente et multiplicante me colliges etiam hujus anni reliquum ex relictis stipulis et truncis, proximo vero anno sabbatico ex deciduis granis tantam copiam frumenti, uvarum et pomorum, ut abunde sufficiat omnibus toto regno alendis usque ad tertii anni messem et vindemiam. Quod certe miraculum esse evidentissimum nemo negarit.

Reliqua hujus capitis de clade, de fuga, de cæde Sennacherib, vide 2 Paral. 32, et Isaiæ 37.

(1) Tob. 1, vers. 21; Eccli. 48, vers. 24; Isa. 37, vers. 36; 1 Mach. 7, vers. 41; 2 Mach. 8, vers. 19.

(2) Tob. 1, vers. 24.

XVIII.

IN IV. REGUM, XIX, 35 (CF. II. PARALIP., XXXII, 21; ISAIAS, XXXVII, 36). *Clades Sennacheribi.*

Portentosæ hujus cladis Sennacheribi nulla quidem exstat mentio in ejus Inscriptionibus; neque ab iis profecto est expectanda. In more enim solemni erat regum Assyriorum (uti et Pharaonum Ægypti) in propriis fastis victorias tantummodo ac triumphos a se relatos memorare, bellica autem infortunia vel res male gestas silentio premere aut dissimulare. Attamen ex ipsa narratione Sennacheribi, quam supra attulimus (Vide Adnotationem XVI), satis translucet, eum

nsignem aliquam calamitatem in Palæstina, seu in via Ægypti, subiisse, eaque adactum repente fuisse ad redeundum, re infecta, in Assyriam. Postquam enim Ezechiam in Jerusalem, *uti avem in cavea*, incluserat, urbemque obsidere cum parte exercitus cœperat, ea profecto intentione illam expugnandi, regemque rebellem servituti vel carceri vel etiam morti, ut mos erat Assyriorum, addicendi; extemplo, obsidione dimissa, belloque omni intermisso, ac contentus tributo quod jampridem ab Ezechia extorserat, revertitur Niniven; quin ulla hujus repentini reditus reddatur ratio, neque profecto reddi possit, posito quod regi integer stetisset exercitus ille 200 fere millium hominum. Patet igitur immanem aliquam et inopinatam exercitus cladem regem adegisse invitum ad reditum. (Vide sis, quæ de hoc aliisque indiciis disseruimus in *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. VI, pag. 672-675).

Ceterum hujus prodigiosi eventus memoria, quæ apud Assyrios desideratur, ab Ægyptiis quadantenus servata est; a quibus haustam Herodotus eam Græcis tradidit, l. II, c. 141. Ejus summa hæc est: — Cum Sennacheribus, rex Assyriorum, bello Ægyptum adortus esset, et ad Pelusium castra haberet, repente, una nocte, turba innumera *murium* campestrium castra invasit, et coria omnia arcuum, pharetrarum, scutorum corrosit; itaque, die sequenti, milites Assyrii, armorum usu prohibiti, fugam capere coacti sunt, in qua multi, ab Ægyptiis impetiti, periere. Hoc autem prodigium evenit numine Dei Vulcani (Phtah), cujus opem rex Ægyptius, idemque sacerdos, Sethon, in extremo discrimine positus, imploraverat: unde in Vulcani templo statua ejusdem regis erecta fuit, *murem* manu præseferentis, cum hac inscriptione: « Qui me intuetur, discat pietatem. » — Jamvero hæc narratio, etsi fabulis, uti patet, involuta, quoad substantiam tamen facti convenit cum veritate biblica: quatenus docet atque confirmat, Sennacheribum in bello contra Ægyptum subita et horrenda clade percussum, in fugam adactum fuisse, idque portentoso Divinitatis interventu contigisse.

XIX.

IN IV. REGUM, XIX, 37 (CF. II. PARALIP., XXXII, 21; ISAIAS, XXXVII, 38). *Mors Sennacheribi.*

Nullum hactenus repertum est apud Assyrios monumentum, quo diserte tradatur violenta mors Sennacheribi, gladio filiorum interempti. At non desunt aliunde gravia indicia et argumenta, quibus narratio biblica plane comprobetur.

1° *Canon* assyrius τῶν *Limmu*, sive Eponymorum (quorum scilicet nomine, uti Consulum apud Romanos, signabantur singuli anni), refert ad annum 680 a. C. finem regni Sennacheribi, et successionem ejus filii, Asarhaddon, assyrice *Asur-akh-iddin*. 2° E fragmentis cujusdam inscriptionis regis Asarhaddon (quam vide apud Layard, *Inscriptions in the cuneiform character, from Assyrian monuments*. London 1851; tab. 54-58) constat turbulenta fuisse ejus primordia, ac bellum ipsi gerendum fuisse cum fratribus, regni invasoribus; quibus prælio devictis apud *Khanirabbat*, et in fugam actis, tranquillo tandem imperio potitus fuit (Cf. Smith, *History of Assyria*, pag. 127, aliosque assyriologos). 3° E Berosso Chaldæo, Polyhistor et Abydenus hæc referunt apud Eusebium; quæ licet subobscura et partim corrupta, facti tamen veritatem satis confirmant. Polyhistor tradit « Sennacheribum annis vixisse regnantem octodecim, donec ei, structis a filio *Arduzane* (is est biblicus *Adramelech*) insidiis, exstinctus est » (Euseb., *Chron. Can.*, Pars I, c. V). Abydenus vero ait: « Proximus huic (Sennacheribo) regnavit Nergilus (?), quem *Adrameles* (*Adramelech*) filius occidit. Hunc frater suus *Axerdis* (*Asarhaddon*) interfecit, patre eodem, alia tamen matre genitus, atque Byzantium (?) usque ejus exercitum persecutus est, quem antea mercede conduxerat auxiliarem » (Euseb., ibid. c. IX). 4° Moses Chorenensis, diligens *Historiæ Armeniacæ* scriptor, hæc ex vetustis patriæ monumentis refert: « Octoginta ferme annos ante regnum Nabuchodonosoris, vigebat Sennakerib, rex Assyriæ, ille ipse qui Jerusalem obsedit sub Ezechia, Principe Judæorum. Filii autem

Sennakeribi, *Atramelek* et *Sanassar*, cum patrem interfecissent, apud nos confugerunt. Eorum alter, *Sanassar* a strenuo atavo nostro, *Sgaïorti*, collocatus fuit ad Africum regionis nostræ, prope confinia Assyriæ: ejusque posteri incoluere montem *Sim*; ex iis autem præstantiores aliqui, cum lapsu temporis egregias obsequii demonstrationes erga reges nostros exhibuissent, digni habiti sunt, qui illarum terrarum regimen tenerent. *Arkamozan* vero (idem ac *Atramelech*; cf. *Ardumuzanes* Polyhistoris) consedit ad Euroaustrum regionis; atque ab eo originem ducunt duæ ex illustrioribus Armeniæ gentibus, *Ardzuni* et *Kenuni*, e stirpe Sennakeribi ambæ profectæ. » (Vide *Fragmenta Historicorum Græcorum*, vol. v, pars II, pag. 34 et 47; Parisiis, Didot, 1872).

Ex hisce ergo confirmantur, uti patet, tria hæc capita narrationis biblicæ: Sennacheribum gladio duorum filiorum occubuisse; filios parricidas in Armeniam deinde transfugisse, bello scilicet profligatos ab Asarhaddon eorum fratre; Asarhaddon in regnum patris successisse.

Quoad deum *Nesroch*, in cujus templo Sennacherib interemptus fuit, ipse nempe est *Nisruk*, unus e majoribus diis Assyriorum et Babyloniorum, cujus mentio in tabulis cuneiformibus sæpe occurrit, quemque Sennacherib, utpote ejus numini insigniter devotus, in suis inscriptionibus speciatim invocat. (Cf. Finzi, *Ricerche per lo studio dell' antichità assira*, pag. 480; Schrader, *Die Keilinschriften und das alte Testament*, pagina 205; etc.) Brunengo.

CAPUT XX.

Ægrotanti Ezechiæ Isaias mortem denuntiat. Sed precibus ille vitam ad alios 15 annos impetrat, accepto signo per umbræ solis regressum ad decem lineas. Babyloniis vero de recuperata valetudine congratulatum missis omnes suos thesauros ostendit; sed ab Isaia audit eos omnes in Babyloniam devehendos. Mortuo succedit impius Manasses.

1. In diebus illis ægrotavit Ezechias [1] usque ad mortem: et venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, et non vives.

2. Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens:

3. Obsecro, Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.

4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens:

5. Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: et ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini.

℣. 3. *Flevit Ezechias fletu magno* — non tam quod moreretur (uti comminando prædixerat Isaias) quam quod illiberis, et sine herede, ex quo nasciturus esset Christus, moreretur. Nam Manasses successor Ezechiæ, moriente patre, non erat nisi duodecim annorum: Ezechias vero ab hoc morbo supervixit totis quindecim annis; ergo Manasses nonnisi tertio anno ab hoc patris morbo natus est: ita Josephus, Augustinus, Abulensis, Cajetanus.

(1) 2 Par. 32, vers. 24; Isa. 38, vers. 1.

6. Et addam diebus tuis quindecim annos, sed et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum.

7. Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super ulcus ejus, curatus est.

8. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini?

9. Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?

℣. 6. *Sed et de manu regis Assyriorum liberabo te* — Cum ex Isaiæ 36 constet, regem Assyriorum Sennacherib venisse in Judæam anno decimoquarto regis Ezechiæ: et Ezechias post morbum suum supervixerit quindecim annis [1]: neque pluribus universim regnarit quam viginti novem [2] annis; certo colligitur, hunc morbum regi Ezechiæ obvenisse cum primum Sennacherib in Judæam ascendit: idque, ut ait Hieronymus, ne rex Ezechias prodigiosa clade et fuga Assyrii tyranni, et tam glorioso rerum eventu nimis insolesceret.

℣. 7. De *ficorum* cataplasmate, quo ulcus regis sanavit propheta Isaias, an vi naturali potuerit afferre sanitatem, vide Franciscum Valesium [3] et alios medicos. Ego supra naturæ medicinæque vires accidisse certum habeo, quod tam brevi spatio, rex a morbo secundum naturæ cursum lætali, non modo convaluerit, sed et tanto robori redditus sit, ut tertio post die in templum se conferret.

℣. 9. *Vis ut ascendat umbra decem lineis?* — quibus vel horæ in horologio notantur, ut vult Chaldæus, S. Dionysius [4], Beda, Eucherius [5] et Angelomus; vel potius mediæ horæ, ut putat Abulensis, Cajetanus, Cornelius a Lapide [6] et Alvarez. Nam cum daretur optio Ezechiæ, ut aut progressum umbræ, aut regressum ad decem lineas eligeret; erat sine dubio talis descriptio linearum in horologio, et talis jam situs solis, ut utrumque fieri, et ab Ezechia spectari posset. Ergo sol momento isto ut minimum decem post se lineas ad ortum, totidemque ante se versus occasum designatas relinquebat. At vero dies, etsi longissimus, in climate Judææ, numquam extenditur ad horas viginti. Quare ad semihorarum lineas confugiamus necesse est.

Petes primo, An sola umbra retrocessit. Ita censet Vatablus, Paulus Burgensis, Arias Montanus, et probabile putant Emmanuel Sa et Gaspar Sanctius. Sed communis est SS. Patrum sententia, etiam solem ipsum retroactum fuisse: et consequenter, prodigium hoc toti orbi patuisse. Probatur ex Isaiæ 38, v. 8, ubi expresse dicitur, *Reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Et Ecclesiast. 48: *In diebus ipsius retro rediit sol.* Et cur alioqui 2 Paral. 32, v. 31 e Babylone submissi legati inquirerent de hoc portento, si istud umbratile tantum, nec nisi Jerosolymis in unico regis horologio spectatum fuisset [7]?

Petes secundo, An solus sol, an vero etiam reliqua astra et cæli omnes retrocesserint? Respondeo, simul omnia retrocessisse: sicut Josue 10 simul omnia steterunt. Nam alioqui, majori nec necessario miraculo totus cælorum ordo perturbatus fuisset: ita Abulensis, et subindicat S. Dionysius.

Petes tertio, An hæc retrogressio facta sit subito, an successive et lente, motu solis ordinario? Cajetanus cum quibusdam aliis vult, subito et quasi in momento, vel saltem velociori motu quam solet, retrogressum solem. Sed probabilius cum Chaldæo et S. Dionysio [8] putarim, motu prorsus ordinario retrocessisse, et decem lineas mediarum singulas horarum percurrendo, impendisse in

(1) Hic vers. 6.
(2) 4 Reg. 18, vers. 2, et 2 Par. 29, vers. 1.
(3) De sacra Philosophia, c. 39.
(4) Epist. ad Polycarpum.
(5) Et alii hic.
(6) In Isa. 38.

(7) Confer Abbatem Artigny tom. 3 *Novor. Monument.*, p. 123, ubi etiam Spinosam refellit, non solum umbram unice retrocessisse sentientem, sed naturali vi parelii id explicantem absque ullo miraculo.
(8) Epist. ad Polycarpum.

10. Et ait Ezechias: Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.

11. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

12. [1] In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset Ezechias.

13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque, et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua.

14. Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

15. At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias; Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis.

16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini:

17. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus.

18. Sed et de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

19. Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax et veritas in diebus meis.

20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et omnis fortitudo ejus, et quomodo fecerit piscinam, et aquæ-

regressu quinque horas, et rursus alias quinque in secundo progressu: atque ita totis decem horis auctum fuisse hoc miraculo diem. Patet, quia lentiore illo solis regressu certius evidentiusque redditum fuit miraculum. Addit S. Dionysius, Persas in memoriam tanti prodigii solitos triplicem solem celebrare, puta progredientem, regredientem, ac rursus progredientem.

Notat S. Augustinus [2] et Angelomus, hoc signum litteraliter significasse, retexendam esse telam vitæ regi Ezechiæ. Tropologice, convertentibus se cum Ezechia ad Deum per pœnitentiam, redditum iri pristina merita et gratiam. Allegorice, Christum in passione totis decem lineis, id est, summe, infra novem choros angelorum, et decimum hominum, descendisse: rursumque inde longe altius ascendisse ad Patrem. Denique Nota, Herodotum quoque in sua Euterpe mentionem fecisse tum cædis Sennacheribi, tum solaris hujus prodigii, sed veris multa falsa permiscuisse, ut ait Josephus [3].

ỳ. 12. *Berodach* — Isaiæ 39 *Merodach* vocatur, filius *Baladan*. Hic enim parens ejus cum adhuc privatam degeret vitam, *Baladan* vocabatur: sed cum prorex Babylonis a rege Assyriorum constitueretur, dictus est *Nabon-Assar*, a quo nomen sumpsit celebris *æra Nabon-Assaris*. Hujus nepos et successor Ben *Merodach* occasione prostrati Sennacheribi, cui vectigalis factus fuerat, excussit jugum Assyrium, seque suumque regnum Babylonicum rursus in libertatem asseruit. Et ideo jam ad Ezechiam, quem norat hostem quoque esse ejusdem Assyrii tyranni [4], solemnem hanc legationem mittit. Paullatim vero in tantam crevit potentiam, ut paucis post annis ab excusso jugo Assyrio, Assyrium ipsum imperium, devicto Assar-Haddone non parum labefactarit.

(1) Isa. 39, vers. 1.
(2) De Mirab. Scriptur. lib. 2, c. 48, etc.
(3) Lib. 10 Antiq., cap. 1.
(4) Chron. c. 33 et 34.

ductum, et introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

21. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et regnavit Manasses filius ejus pro eo.

XX.

IN IV. REGUM, XX, 12 (CF. ISAIAS, XXXIX, 1).
Ezechias et Merodachbaladan.

De hoc Berodachbaladan, seu potius *Merodachbaladan* ut eum appellat Isaias, frequens est mentio in monumentis Assyriorum, sub nomine *Marduk-bal-iddin:* celebratur enim in fastis regum Tuklatpalasar II, Sargon et Sennacherib, quorum fuit cœvus. Neque identitati, quam asserimus, obstat quod in inscriptionibus assyricis dicatur *filius Yakin*, dum in Scriptura appellatur *filius Baladan:* quæ difficultas adeo vexavit doctos aliquot, ut animum inducerent, alii quidem ad credendum, esse mendum in codice biblico, alii vero ad effingendum duplicem Merodachbaladan, I et II, alterum, filium Yakin, alterum, filium Baladan. Difficultas enim facile solvitur, omniaquæ apte componuntur, si accipias in textibus assyricis vocem, *filium* Yakin, non stricto sensu sed lato, ita ut significet *nepotem*, sive etiam solummodo *successorem*, quamvis remotum, in regno: quæ acceptio frequenter usuvenit in inscriptionibus assyricis et in ipsa Scriptura.

Jamvero ex iis monumentis constat, hunc Merodachbaladan primitus regnavisse in regione *Bit-Yakin*, ad oram septentrionalem Sinus Persici sita in inferiori Chaldæa, atque, anno 730 a. C., sponte cum aliis regulis tributa obtulisse regi Tuklatpalasar II; tum, a. 721, regnum Babylonis, Assyriæ subditum, invasisse, illudque sub conditione tamen tributi Assyrio regi solvendi per 12 annos (721-709) tenuisse; at interea, absolutæ potestati inhiantem, rebellionem contra Assyrium machinatum fuisse, atque in hunc finem fœdus inivisse cum rege Elamitico, et socios atque amicos undequaque conquisivisse *missis legationibus.* « *Marduk-bal-iddin* ..... fœdus inivit cum *Khumbanigas* rege Elam, et contra me omnes populos concitavit. Paravit se ad bellum ..... Per 12 annos ipse, contra voluntatem Deorum Babylonis, civitatis Beli judicis Deorum, *miserat legatos.* » (Ita Sargon, in suis *Annalibus* et in *Fastis;* vide MÉNANT, *Annales des Rois d'Assyrie*, pag. 169, 187). Constat denique, eum aperte bellum suscepisse contra regem Sargon; a quo tamen iterata clade profligatus, a. 709-708, non solum regno Babylonico, verum etiam nativo principatu Bit-Yakin, spoliatus fuit.

Inter eas ergo *legationes* connumeranda sane est illa, quam Merodachbaladan, teste Scriptura, misit ad Ezechiam, regem Judæ; eo profecto consilio, ut ipsum Ezechiam, qui jampridem *rebellaverat contra regem Assyriorum* (IV. Regum, XVIII, 7), socium et amicum in propria rebellione haberet; occasione autem commodissime arrepta ab ægritudine, a qua nuper rex Judæ convaluerat, et a *portento quod* tunc *acciderat super terram* (II. Paral. XXXII, 31). Tempus vero legationis hujus, quæ, ut patet ex Scriptura, incidit vel in annum ipsum 14^{m} regni Ezechiæ, vel in 15^{m}, idest in 713-712 a. C., optime congruit cum historia assyrica; cadit enim in mediam illam periodum 12 annorum, 721-709, quibus Merodachbaladan, uti testantur inscriptiones regis Sargon, rebellionem et bellum parabat contra Assyrios, et fœderatos ex omni parte, missis legatis, conquirebat (Cf. *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. V, pag. 405-423).

BRUNENGO.

CAPUT XXI.

Propter abominanda scelera Manassis prædicit Deus se Juda quoque ac Jerusalem deleturum. Mortuo succedit Amon. Cui a servis occiso succedit Josias.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, [1] et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Haphsiba.

2. Fecitque malum in conspectu Domini, juxta idola gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Israel.

3. [2] Conversusque est, et ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus: et erexit aras Baal, et fecit lucos sicut fecerat Achaz rex Israel, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam.

4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: [3] In Jerusalem ponam nomen meum.

5. Et extruxit altaria universæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini.

6. Et traduxit filium suum per ignem: et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit pythones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum.

7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini, [4] super quod locutus est Dominus ad David, et ad Salomonem filium ejus: In templo hoc, et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum;

8. Et ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opere omnia quæ præcepi eis, et universam legem, quam mandavit eis servus meus Moyses.

9. Illi vero non audierunt: sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel.

10. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum prophetarum, dicens:

℣. 7. *Idolum luci* — id est, idolum, quod antea colebatur in luco a Manasse constructo, transtulit e luco publico, et *posuit in templo Domini*. Erat idolum istud, qualecumque fuerit, luco minore ex argento, ligno, vel ære, affabre ad instar nativi luci, conflato circumdatum, ut patet ex c. 23, vv. 6 et 7.

℣. 10. *Locutus est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum* — id est, per Prophetas suos, puta *Joelem, Oseam, Amos, Nahum, Jonam, Abdiam, Michæam*, et præ omnibus *Isaiam*, regi Manasse sanguine et affinitate quoque junctum, immo *socerum* ipsius: qui quod liberius in impios regis mores inveheretur, ab illo serra dissectus fuit, ut tradunt Hebræi. De reliquis Prophetis Isaiæ coætaneis, eamdem ob causam scribit Josephus [5], *ex eorum numero per singulos dies aliquem supplicio affectum fuisse a Manasse*. Porro scelerum illius farraginem habes fusius expressam 2 Par. 33, uti et pœnam subsecutam, nempe captivitatem Manasse, et abductionem in Babylonem. Seriam deinde ejusdem pœnitentiam, et restitutionem in regnum: restitutionem quoque cultus per eumdem divini, et omnis impietatis extirpationem: denique longum et felix regimen, et mortem felicem graphice ibidem descriptam habes. Sub hæc tempora, reducto jam Manasse e carcere Babylonico, contigisse historiam Judith existimat Car-

(1) 2 Par. 33, vers. 1. (2) 2 Par. 33, vers. 3. (3) 2 Reg. 7, vers. 10.

(4) 2 Reg. 7, v. 26; 3 Reg. 8, v. 16, et 9, 5. (5) Lib. 10 Antiq., c. 4

11. [1] Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis:

12. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus.

13. Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab: et delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ: et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem ejus.

14. Dimittam vero reliquias hereditatis meæ, et tradam eas in manus inimicorum ejus: eruntque in vastitatem, et in rapinam cunctis adversariis suis:

15. Eo quod fecerint malum coram me, et perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem.

16. Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.

17. Reliqua autem sermonum Manasse, et universa quæ fecit, et peccatum ejus quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

18. Dormivitque Manasses cum patribus suis, et sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza; et regnavit Amon filius ejus pro eo.

19. Viginti duorum annorum erat

dinalis Bellarminus, Serarius, Bonfrerius [2] et quidam alii.

℣. 13. *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab* — id est, eamdem mensuram, idem genus pœnæ. Sicut enim eadem fuerunt vitia *Samariæ*, seu decem tribuum Israelis, et *Jerusalem* seu tribus Judæ et Benjaminiæ, idcirco idem etiam utrisque exitium minatur. Metaphora sumpta a fabris utentibus perpendiculo seu filo quod extenditur pondere plumbeo, ut juxta normam et mensuram ædificent, vel restaurent: ita Cajetanus. Alia similis metaphora desumpta a ceratis tabulis, subdit: *Delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ: et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem ejus.* Solet enim stylus, qui olim pro calamo erat, una parte acutus esse, et notas in cerata tabula exarare: altera vero parte obtusior et latior, qua, si scripta minus probarentur, subito delebantur, complanata cera, ut rursus novæ notæ vel imagines induci possent. Quod si vox una alterave, vel brevis versus obcæcandus esset, semel inducebatur adversus stylus: si plures versus, sæpius, donec deletis omnibus litteris, pura restitueretur tabula. Quod sane accidit in hac Jerosolymæ vastatione, in quam hostilis primum inductus est stylus, quando Babylonius rex captivum inde Manassen [3] regem cum magna nobilitatis parte in carcerem Babylonicum abduxit. Secundo, quando Pharao Nechao, occiso Josia rege, regem Joachaz [4] in Ægyptum misit exulatum cum suis. Tertio et quarto, quando Nabuchodonosor nunc Joakimum [5] subjugavit, nunc Joachinum [6] ejus filium et successorem in Babylonem abduxit cum aliis decem millibus nobilium et militum, et octo millibus opificum captivis. Quinto, quidquid reliquum fuerat, erasit funditus idem Nabuchodonosor anno undecimo Sedeciæ, quando et urbem et templum [7] flammis exussit, et incolas omnes in Chaldæam captos transmisit.

℣. 18. *Et sepultus est in horto Ozæ* — Nam loco nomen fecerat infelix casus *Ozæ* sacerdotis, ob extensam temere manum in arcam fœderis, morte mulctati, 2 Reg. 6, v. 8. Hic locus Jerosolymæ vicinus erat, et jam regiis hortis adjunctus: ubi Manasses redux Babylone, mausoleum sibi construxerat, dignum regio cadavere: in quo mausoleo tam ipse, quam filius ejus *Amon* sepultus fuit.

(1) Jer. 15, vers. 4.
(2) Bellarm. tom. 1, lib. 1, c. 12; Serar. in Judith 1, q. 2; Bonfrer. post Pentateuchum.
(3) 2 Par. 33, vers. 11. (4) Cap. 23, vers. 33.
(5) Ibid. et c. 24, v. 1. (6) Cap. 24, vv. 14, 16.
(7) Cap. 25, vers. 9, etc.

Amon cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Jerusalem; nomen matris ejus Messalemeth filia Harus de Jeteba.

20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus.

21. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus: servivitque immunditiis, quibus servierat pater ejus, et adoravit eas,

22. Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, et non ambulavit in via Domini.

23. Tetenderuntque ei insidias servi sui, et interfecerunt regem in domo sua.

24. Percussit autem populus terræ omnes qui conjuraverant contra regem Amon: et constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo.

25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

26. Sepelieruntque eum in sepulcro suo, in horto Oza: et regnavit Josias filius ejus pro eo.

Porro *Amon* jam rex creatus maluit parenti suo juveni, et in omnem impietatis turpitudinem abjecto similis esse, quam ejusdem senis et resipiscentis vestigiis inhærere. Forte etiam, quod ait Glycas, animo sic constituerat: *Pater meus a puero multa scelerata fecit, ac in senecta pœnitentiam egit: quare et ego in hac ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam.* Et hæc præsumptio illius videtur movisse Deum, ne perinde expectaret pœnitentiam ipsius, atque expectarat pœnitentiam Manassis, quia paternis calamitatibus, et domesticis exemplis nullo modo melior aut prudentior evaserat: hinc justa Numinis vindicta in ipso pene regni sui limine extinctus est, cum biennio solo regnasset, et violenta servorum manu de medio sublatus est.

CAPUT XXII.

Josias divinum cultum instaurat. Reperto forte libro Deuteronomii, prædictis in eo pœnis et minis territus, ex prophetide audit, ipsius tempore mala illa super Judam inductum non iri, sed eo defuncto omnia certo obventura.

1. Octo [1] annorum erat Josias cum regnare cœpisset, triginta et uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Idida, filia Hadaia de Besecath.

2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit ad dexteram sive ad sinistram.

3. Anno autem octavo decimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messulam, scribam templi Domini, dicens ei:

4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo,

5. Deturque fabris per præpositos domus Dñi: qui et distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi;

6. Tignariis videlicet, et cæmentariis, et iis qui interrupta componunt: et ut emantur ligna, et lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini.

7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, et in fide.

℣. 7. *Non supputetur eis argentum*— Idem est quod c. 12, v. 15 dixerat *Joas* rex, *Non fiat ratio his hominibus*, id

(1) 2 Par. 34, vers. 1.

8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud.

9. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait: Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini.

10. Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege,

11. Et audisset rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua.

12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens:

13. Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba Libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

14. Ierunt itaque, Helcias sacerdos, et Ahicam, et Achobor, et Saphan, et Asaia, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: locutique sunt ad eam.

15. Et illa respondit eis: Hæc

est,[2] ne cogantur quæstores reddere rationem accepti vel expensi, sed credatur ipsis per omnia. Vide ibidem exposita reliqua hujus capitis ad sartatecta templi spectantia: nam Joæ vestigiis institit Josias, et eumdem quem ipse tunc præscripsit, etiam nunc servari modum jussit in instaurandis quæ diruta vel corrupta fuerant.

℣. 8. *Librum Legis* — puta *Deuteronomium*, ut censet Chrysostomus [1]: vel etiam reliquos Pentateuchi libros, ut vult Josephus; qui addit, repertos inter promendum aurum ex gazophylacio. Sed Rabbi Salomon, quem citat et sequitur Lyranus, vult omnes libros legis combustos jam pridem fuisse ab impio Achaz, ut omnes impietatis suæ testes et syndicos amoveret, qui ipsum violatæ legis divinæ, et abjuratæ patriæ religionis arguere possent; cum vero sacerdotes aliqui religiosiores nollent, legem divinam sic ex hominum memoria prorsus perire, libros legis in muro templi hinc inde perfosso, id est in secretis loculamentis, abscondisse: quæ jam per cæmentarios, dum sartatecta instaurant, aperta, et libri in lucem producti fuerint [2].

℣. 11. *Scidit vestimenta sua rex, cum audisset verba Libri Legis Domini* — v. g. minas Deuteronom. 28 et Levit. 26 quæ merito terreant legentem, et tinnire faciant ambas aures.

℣. 14. *Ierunt ad Holdam*, alias, *Oldam prophetidem, uxorem Sellum* — sed tum verisimiliter viduam, vel saltem toro viri jam abstinentem. Nam quæ toro adhuc uterentur (una dempta Anna Samuelis matre, 1 Regum 2, v. 20) nullas legimus spiritu prophetico afflatas. Certe quatuor Philippi filiæ Actor. 21 virgines erant. De Sibyllis, aliisque Gentilium vatibus idem docet S. Hieronymus [3]; Deboram, quo tempore prophetavit, Judicum 4, viduam fuisse affirmat S. Ambrosius [4]. Elisabetham a conceptu Joannis Baptistæ, toro mariti abstinuisse, putat Sanctius: et ita de reliquis.

Porro hæc nostra *Holda* prophetissa *habitabat in Jerusalem in Secunda*, scilicet *parte civitatis*, q. d. In secunda seu exteriore civitate: quam nempe secundus et extrarius murus vallabat ad munitionem civitatis obductus ab Ezechia rege, 2 Paral. 32, vers. 5: ita S. Hieronymus [5] in Traditionibus Hebraicis. Alibi tamen *secundam* mavult *portam* exponere, nempe quæ erat in illo secundo civitatis muro. Sed eodem redit. Domicilium vero Prophetidis idcirco videtur

(1) Hom. 9 in cap. 2 Matth., et hom. in 1 ad Cor. 2.

(2) Vide quæ de libro legis invento adversus Vandalæi somnia disputat Gilletus *admot.* 2 *in* 10 *ant. Jud. lib.*

(3) Lib. 1 adv. Jovin. (4) Lib. de Viduis.

(5) In Sophoniæ 1, vers. 10.

dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me:

16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, et super habitatores ejus, omnia verba Legis quæ legit rex Juda:

17. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: et succendetur indignatio mea in loco hoc, et non extinguetur.

18. Regi autem Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis,

19. Et perterritum est cor tuum, et humiliatus est coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem et in maledictum: et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, ait Dominus:

20. Idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

sacer scriptor voluisse hic exprimere, ut causam haberemus cur ad illam potius missum fuerit a rege, quam ad *Jeremiam*, vel *Sophoniam*, vel alium quempiam eo tempore florentem Prophetam. Nempe, *Holda* vicina erat, ejusdem urbis incola, et omnibus notissima: alii vel urbe aberant, vel necdum innotuerant. Reliqua hujus capitis vide 2 Paral. 34.

CAPUT XXIII.

Josias innovat fœdus Deum inter et populum: Pascha celebrat maxima solemnitate: a rege Ægypti in Mageddo vulneratur. Mortuo substituit populus Joachaz filium natu minorem: sed Pharao eum captivum ducit in Ægyptum, regno Juda tradito seniori filio Eliacim, quem Joakim nominavit.

1. Et renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui misit: [1] et congregati sunt ad eum omnes senes Juda et Jerusalem.

2. Ascenditque rex templum Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.

3. Stetitque rex super gradum: et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias, in omni corde et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto.

4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, et sacerdotibus secundi ordinis, et janitoribus, [2] ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, et in luco, et universæ militiæ cæli: et combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel.

℣. 3. *Stetit* rex Josias *super gradum* — 2 Paral. 34, v. 31 dicitur stetisse *in tribunali suo:* quod, ut dixi cap. 16, v. 18 vocabatur *Musach sabbati:* quod ex interiori sacerdotum atrio, in quod *Achaz* illud invexerat, ad exterius atrium jubente *Ezechia* jam reductum erat in locum stationis regis ordinarium.

℣. 4. *Sacerdotes secundi ordinis* hic vocantur principes sacerdotum, qui a summo pontifice seu *primo* sacerdote *secundi erant*, et præerant reliquæ turbæ sacerdotum per 24 classes distributorum.

(1) 2 Par. 34, vers. 28. (2) Eccli. 49, vers. 3.

5. Et delevit aruspices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem: et eos qui adolebant incensum Baal, et Soli, et Lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cæli.

6. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulcra vulgi.

7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.

8. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda: et contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: et destruxit aras portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis.

9. Verumtamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem: sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum.

10. Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennom: ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.

11. Abstulit quoque equos quos dederant reges Juda Soli, in introitu templi Dñi juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni.

12. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, et altaria quæ

ỳ. 6. De simulacro *luci* vide cap. 21, vers. 7. Hujus idoli et luci flammis absumpti *cineres* sparsit super *sepulcra vulgi*, id est, in locum ubi vulgares homines tumulari solebant: qui erat *in convalle Cedron*, cujus pars una vocabatur *Topheth*, de quo mox v. 10.

ỳ. 7. *Effeminati* quinam fuerint dixi 3 Reg. 14, v. 24. Quorum turpitudini in loco sacratissimo saltem ad speciem tegendæ, texebant meretrices seu ex filis, seu ex ramis opertoria quædam instar tentoriorum vel *domunculorum* silvestrium, ut in templo lucum aut silvam, si non nativam, saltem factitiam haberent, ad sua scelera quadantenus tegenda.

ỳ. 9. *Sacerdotes excelsorum* — Id est, qui ex posteris Aaron, impuris sacris operam aliquando dederant *in excelsis*, jam conversi *non* permittebantur *ascendere ad altare Domini in Jerusalem*, nempe ad sacrificandum. Ne tamen omnibus vitæ necessariis destituerentur, permissum fuit ut in *medio fratrum suorum*, id est, inter reliquos Aaronis posteros, *comederent azyma*. Synecdochice species pro genere, q. d. Participes essent omnium eorum, quibus alii sacerdotes vesci poterant. Simile habes Ezech. 44, v. 10 de Levitis, qui in Bethel aureis vitulis sacrificarant.

ỳ. 10. *Moloch* — Idolum hoc erat Ammonitarum: idemque quod *Melech*, id est rex quia erat forma regis. Huic idolo Judæi per fœdam mollitiem semen humanum, per abominabilem idololatriam filios suos filiasque in holocaustum vivas offerebant. Siquidem cavæ æneæ statuæ, sed intus ab igne substructo candenti puerulos in manus dabant, sacerdotibus interim psallentibus altissima voce, tubisque tympanisque (unde et loco nomen *Topheth*, id est *tympanum*, hic et Isaiæ 30, vers. ultimo) perstrepentibus, ne miserorum puellorum ejulatus audiri posset a parentibus vel affinibus, quibus persuadebant, infantes hac via a diis ad æthera rapi. Porro *Topheth*, istud, et infernalis carnificina erat in *Ge-Ennon*[1], id est *valle Ennon* veteris cujusdam Jebusæi, quæ pars est vallis *Cedron*. Unde *gehennæ* nomen desumptum ad infernum designandum: nam crudelis illa laniena, et horrendum incendium typus erat tormentorum infernalium: ita sanctus Hieronymus, Abulensis et alii. Quis deorum hoc idolo repræsentatus fuerit, dixi 3 Reg. 11, v. 5.

ỳ. 11. *Abstulit*, et publicis usibus reddidit, *equos* Persarum deo *Soli* a regibus Juda devotos. Sicut enim *tauri* Jovi, sic *equi* Soli a profanis immolabantur, et in

(1) Jos. 15, vers. 8.

fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex: et cucurrit inde, et dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron.

13. Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem montis offensionis, [1] quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex.

14. Et contrivit statuas, et succidit lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum.

15. [2] Insuper et altare, quod erat in Bethel, et excelsum quod fecerat Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel: et altare illud, et excelsum destruxit, atque combussit, et comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum.

16. Et conversus Josias, vidit ibi sepulcra, quæ erant in monte: misitque et tulit ossa de sepulcris, et combussit ea super altare, et polluit illud juxta verbum Dñi, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.

17. [3] Et ait: Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulcrum est hominis Dei, qui venit de Juda, et prædixit verba hæc quæ fecisti super altare Bethel.

18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria.

19. Insuper et omnia fana excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias, et fecit eis secundum omnia opera quæ fecerat in Bethel.

20. Et occidit universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria: et combussit ossa humana super ea: reversusque est Jerusalem.

21. [4] Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus.

22. Nec enim factum est Phase tale a diebus Judicum, qui judicaverunt Israel, et omnium dierum regum Israel et regum Juda,

sacrificio flammis absumebantur, testibus Xenophonte, Strabone et Ovidio [5]. Hi equi stabulabantur tantisper *in Pharurim*, quod Pagninus vertit *in suburbanis:* juxta *exedram Nathan-melech*, id est, juxta aulam publicis concurrentium ad Deum Solem colendum consessibus destinatam, cujus curam habebat *eunuchus* iste seu minister aulicus *Nathan-Melech*, et præerat tum curribus, tum equis Soli sacris.

℣. 20. *Universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi* (in Samaria) *occidit super altaria* — Sic enim de Josia prædixerat ille Propheta, qui olim ad corripiendum Jeroboamum, a Deo missus fuerat in Bethel 3 Reg. 13, v. 2. Sed hinc patet primo, post abductas decem tribus in Assyriam, remansisse nihilominus, aut certe ex latebris revertisse in Samariam et Bethel plures ex genere Israelitico cum suis Sacerdotibus et sacrificulis, quos hic *Josias* ferro jugulatos, loco brutarum victimarum, in suismet profanis altaribus immolavit. Secundo, *Josiam*, collapso jam Assyrio imperio [6], *Samariam, Bethel*, et alias antea *Israelitarum urbes*, seu vi, seu ultronea deditione redegisse in suam potestatem: neque enim alias potuisset tam libere in illas urbes sævire.

℣. 22. *Nec factum est Phase tale a diebus Judicum* — Non est hic sermo de immolatione solius agni Paschalis 14 luna ad vesperam: quia certum est, abductis jam in Assyriam decem tribubus, pro ratione capitum tum Jerosolymæ præsentium, longe tenuiorem fuisse, multo-

(1) 3 Reg. 11, vers. 7.
(2) 3 Reg. 13, vers. 32.
(3) 3 Reg. 13, vers. 2.
(4) 2 Par. 35, vers. 1.

(5) Xenophont. lib. 8 Cyripædiæ; Strabo l. 15; Ovid. lib. 1 Fastorum.
(6) Chron. c. 33 in Cyaxare, et c. 34 in Nabo-Pol-Assare.

23. Sicut in octavo decimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem.

24. Sed et pythones, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, et abominationes, quæ fuerant in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Dñi.

25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi.

26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam: propter irritationes quibus provocaverat eum Manasses.

27. [1] Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel: et projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, et domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi.

28. Reliqua autem sermonum Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

29. [2] In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphraten: et abiit Josias rex in occursum ejus: et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum.

30. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: et pertulerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulcro suo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ: et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo.

que minori numero agnorum Paschalium immolationem, quam fuerit omnibus anteactis tot seculorum annis, cum omnes duodecim tribus ad illius agni immolationem concurrerent. Sed *Phase* hic vocatur illa omnis hostiarum copia, quæ totis septem azymorum diebus offerebantur Deo, et pleræque spontanea et libera oblatione. Uti hoc anno Josias obtulit pecorum *triginta millia:* et alii principes pro rata, ut habes 2 Paral. 35. Ex quo loco elucidatur istud Joan. 18, v. 28: *Ipsi* principes sacerdotum *non introierunt in prætorium* Pilati Gentilis hominis, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha,* i. e., sacrificia quæ septem illis azymorum diebus immolabantur: nam agnum Paschalem jam pridie comederant, ut est communis sententia.

℣. 25. *Similis illi* (Josiæ) *non fuit ante eum rex* — Quomodo id verum sit, dixi cap. 18, v. 5.

℣. 29. *Ascendit Pharao contra regem Assyriorum* — et quidem jubente ac mittente Deo, ut dicitur 2 Paral. 35, vv. 21 et 22. Ii qui putant historiam Judith contigisse tempore Manassis regis, putant hunc *regem Assyriorum* eumdem fuisse qui Judith 1 et sequentibus capitibus vocatur *Nabuchodonosor,* qui ob devictum *Arphaxat* regem Medorum factus insolentior, non solum rebellis factus fuit regi Babylonio, cui videtur fuisse cognatus (ut dixi in Chronico [3]), sed insuper omnia alia Orientis regna suo voluit unius imperio subjicere. Verum fractus a Judæis per Juditham, ab aliis dein, et nominatim ab Ægyptiis et Chaldæis, lacessitus et pluries attritus, iterum Babylonio jugo collum subdere coactus est. Forte tamen probabilius est per *regem Assyriorum* non alium hic intelligi quam *regem Babylonis,* ut colligi videtur ex c. 24, v. 7.

℣. 30. *Tulit populus terræ,* plebs nempe promiscua, *Joachaz filium Josiæ* — alio nomine vocatum *Sellum* Jeremiæ 22, vers. 11, et *Jechoniam,* Esdræ 3, c. 1, v. 34. Hunc 23 annorum juvenem videtur populus ideo præposuisse *Eliacimo* fratri ejus seniori qui annum 25 jam excesserat, quia magis strenuus et acrior futurus credebatur adversus recentem hostem regem Ægypti. Sed in suos magis sæviit hic leunculus, quam in hostes, a quibus trimestri post prælio victus, captus, et in Ægyptum abductus est, ut hic habes vers. 33, et Ezech. 19, vv. 3 et 4, et Jerem. 22, v. 11.

(1) Infr. 24, vers. 2. (2) 2 Par. 35, vers. 20. (3) Chron. c. 33.

31. [1] Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

32. Et fecit malum coram Dño, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem: et imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, et talento auri.

34. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus: vertitque nomen ejus Joakim; porro Joachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mortuus est ibi.

35. Argentum autem et aurum dedit Joakim Pharaoni, cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis: et unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao.

36. Viginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset: et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida filia Phadaia de Ruma.

37. Et fecit malum coram Dño, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

(1) 2 Par. 36, vers. 2.

CAPUT XXIV.

Joakim subjugatur a Nabuchodonosore rege Babylonis. Defuncto successit filius Joachin, qui ultro se suosque dedidit Babylonio, a quo translatus est Babylonem, suffecto ei Sedecia patruo illius.

1. In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joakim servus tribus annis: et rursum rebellavit contra eum.

2. Immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon: et im-

℣. 1. *In diebus ejus* — Puta *tertio anno* Joakim jam completo, Daniel. 1, vers. 1, et anno quarto inchoante, Jeremiæ 25, vers. 1, *ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis*, anno primo regni sui: *et obsedit* [1] *Jerosolymam*, et capta urbe *vinctum* Joakim [2] *catenis duxit in Babylonem*, cum Daniele [3], ejusque sociis et aliis pluribus *de semine regio*. Sed supplex tyranno factus mox a vinculis exsolvitur Joakim, et libertati regnoque suo redditur: nobilibus Babylone pro obsidibus relictis. Joakim redux Jerosolymam jam *servus*, id est subditus et tributarius, regi Babylonis, tribus annis ex fide tributum, nec pluribus pependit. Quod cum graviter ferret Babylonius, neque tamen bellis aliis implicitus ipse in Judæam recurrere posset, misit nihilominus quantas potuit copias ex *latrunculis*, id est militibus (ut dixi 2 Reg. 4, vers. 2) *Chaldææ*, *Syriæ*, *Moab* et *Ammon* raptim collectas, a quibus subinde variis cladibus affecti Judæi: denique finiente anno undecimo [4] regni Joakim, plane subacti, et rursum servituti subjecti sunt, rege Joakimo morte infami sublato, et *cadavere* illius *sepultura asini* [5] *sepulto, et extra portas Jerusalem projecto* (utique a Chaldæis) *ad æstum per diem* [6], *et ad gelu per noctem*, ibidemque *putrefacto* [7]: ita fere Josephus [8], Comestor, Dionysius, Cajetanus, Hugo, Vatablus, Barradius, Emmanuel Sa, Serarius et Sanctius. De sceleribus Joakimi vide Jeremiæ 22, v. 13 et sequentibus.

(1) Dan. 1, vers. 1.
(2) 2 Par. 36, vers. 7.
(3) Dan. 1, vers. 3, etc.
(4) 4 Reg. 23, vers. 36.
(5) Jer. 22, vers. 19.
(6) Jer. 36, vers. 30.
(7) Jer. 22 sup.
(8) L. 10 Ant., c. 8.

misit eos in Judam, ut disperderent eum, [1] juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas.

3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se propter peccata Manasse universa quæ fecit,

4. Et propter sanguinem innoxium, quem effudit et implevit Jerusalem cruore innocentium: et ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5. Reliqua autem sermonum Joakim, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum patribus suis:

6. Et regnavit Joachin filius ejus pro eo.

7. Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

8. Decem et octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta filia Elnathan de Jerusalem.

9. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

10. [2] In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus.

11. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam.

12. Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus: et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui.

13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ: et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini juxta verbum Domini,

14. Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem; et omnem artificem et clusorem: nihilque reli-

℣. 6. *Et regnavit Joachin filius ejus pro eo* — jure ad se devoluto sceptro. Sed non placuit regi Nabuchodonosor, ut filius parenti tam indignis modis a Chaldæis tractato, paternarum verisimiliter injuriarum futurus ultor succederet: ita Josephus [3]. Eodem ergo *tempore illo*, nempe *octavo* [4] *anno regni Nabuchodonosoris*, cum *Joachin*, qui et *Jechonias*, nonnisi *trimestri* [5] regnasset, cum infestis copiis iterum *Jerosolymam* [6] Babylonius recurrit. Sed Joachin diffisus viribus suis, et persuasus a *Jeremia* propheta, noluit incertam belli aleam experiri: et *egressus* [7] obviam Nabuchodonosori seipsum, suosque, suaque omnia ultro illi dedidit; ea tamen conditione, ut ait Josephus [8], ne quid mali inferret seu urbi seu civibus. Verum Nabuchodonosor putavit magis expedire rebus suis, si regem Joachin cum universa aula et nobilitate, omneque civitatis robur in Babyloniam deveheret et urbem Jerosolymam a civium splendore nudam, fabrorum aliorumque artificum et *clusorum*, seu, ut est apud Jeremiam [9], *inclusorum* (id est, claudentium castra, et metantium, et vallis fossisque cingentium, quos *metatores* jam, vel *architectos*, vel *ingeniarios* vocamus), ope et industria spoliatam, omnique robustiorum militum præsidio destitutam relinqueret. Sicut enim olim 1 Reg. 7 et 13 caverant Philisthæi, ne Hebræi ullos haberent penes se fabros ferrarios, qui gladios, lanceas, aliave arma ad rebellandum cuderent; ita nunc satagunt Chaldæi, ut nullus in Judæa maneat faber, nullus artifex, nullus architectus, qui vel mœnia urbium aut arcium componere, vel arma aliave instrumenta bellica conficere posset, inquit Angelomus.

(1) Sup. 23, vers. 27. (2) Dan. 1, vers. 1.
(3) Lib. 10 Antiq., c. 9. (4) Hic vers. 12.
(5) Vers. 8. (6) Vers. 10.
(7) Vers. 12. (8) Ibid. (9) Cap. 24.

ctum est, exceptis pauperibus populi terræ.

15. [1] Transtulit quoque Joachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus: et judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem.

16. Et omnes viros robustos, septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem.

17. [2] Et constituit Matthaniam patruum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam.

18. Vigesimum et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

19. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim.

20. Irascebatur enim Dñus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua; recessitque Sedecias a rege Babylonis.

℣. 17. *Et constituit Matthaniam patruum ejus* regem *pro* Joachino: et, quod supremæ in alium potestatis, et plane paternæ auctoritatis est, *Matthaniæ* nomen mutavit, et *Sedeciam* vocitari jussit: quod idem valet, atque *justitia Dei*. Quo nomine præmonuit et quasi præsagiit Nabuchodonosor, in rege Judaico, si a fœdere et jurata fide deflecteret, exemplum statutum iri divinæ justitiæ: quod revera contigisse seq. cap. patebit.

(1) 2 Par. 36, v. 10; Esth. 2, v. 6, et 11, v. 4.

(2) Jerem. 37, vers. 1, et 52, vers. 1.

CAPUT XXV.

Sedecias rebellis Nabuchodonosori ab eo obsidetur, expugnatur, capitur, excæcatur, occisis coram eo filiis omnibus, et vinctus in Babylonem abducitur cum reliquo populo. Templum omniaque palatia urbis flamma absumuntur, mœnia solo æquantur. Godolias plebeculæ reliquæ præfectus occiditur ab Ismaele. Rex Joachin Babylone, mortuo Nabuchodonosore, exaltatur.

1. Factum est autem anno nono regni ejus, [1] mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus in Jerusalem, et circumdederunt eam: et extruxerunt in circuitu ejus munitiones.

2. Et clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ;

3. Nona die mensis: prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.

4. Et interrupta est civitas: et

℣. 2. *Clausa est civitas atque vallata* — Tamen ad tempus interrupta fuit obsidio, Pharaone ex Ægypto cum innumeris copiis in Judæam adversus Nabuchodonosorem excurrente: et Chaldæis, intermissa tantisper obsidione Jerosolymorum, Ægyptio obviam profectis, ut habes Jeremiæ 37, v. 4. Sed exiguum respirandi spatium fuit, Pharaone (ut ibidem v. 6 prædicitur) præ metu in Ægyptum recurrente, et Chaldæis ad intermissam obsidionem mox reductis.

℣. 3. *Prævaluitque fames in civitate* — usque eo ut et parentes [2] carnibus filiorum vescerentur, et filii [3] carnibus parentum.

℣. 4. *Et interrupta est civitas* crebris ictibus arietum et catapultarum hostilium.

Fugit itaque Sedecias — media nocte,

(1) Jer. 39, vers. 4, et 52, vers. 4.

(2) Thren. 4, vers. 10, et Baruch 2, vers. 3.

(3) Ezech. 5, vers. 10.

omnes viri bellatores nocte fugerunt, per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem): fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis.

5. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho: et omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum.

6. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo judicium.

7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem.

8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem.

9. [1] Et succendit domum Dñi, et domum regis: et domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni.

10. Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.

11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus, transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas.

inquit Josephus [2], cum jam in urbem irrupissent Chaldæi. Sed transfugarum indicio proditus, desertus a suis, ex fuga retractus, *in Reblatha ad regem Babylonis* adductus est. Hic vers. 21, et c. 39 Jer. v. 5 *Reblatha* dicitur esse *in terra Emath*, quæ teste S. Hieronymo, eadem est quæ *Antiochia Syriæ*, seu *Epiphania*, ab Antiocho Epiphane sic postmodum nominata: estque in confiniis Judææ, qua via eo descendendum ex Chaldæa. Ibi enim cum magna parte copiarum hærebat Nabuchodonosor, ut propius absens a Chaldæa, si quid ibi forte turbarum moveretur, facilius commodiusque occurreret: simul etiam ut ex pingui vicinia, commodius de supplemento militum, et commeatu necessario suis Jerosolymam cingentibus provideret.

℣. 6. *In Reblatha* adducto Sedecia, *rex Babylonis locutus est cum eo judicium* — id est, curavit solemni judicio disceptari dijudicarique ejus causam, et quid supplicii commeruerit, publice pronunciari.

℣. 7. *Filios* ergo *Sedeciæ*, quibus nihil illi carius erat, jussit in conspectu parentis omnes jugulari. Ubi vero parentis oculos tam acerbo spectaculo pupugit, mox stylo ferreo eosdem illi oculos expunxit, et vinctum catenis in Babylonem abduxit. Scribit Josephus [3], Sedeciam regem, postquam Jeremias propheta prædixisset [4], *abductum iri* illum *in Babylonem:* et Ezechiel, ipse quoque propheta, constanter affirmaret [5], numquam visurum illum Babylonem; cum hæc duo putaret simul conciliari non posse, utrumque vaticinium contempsisse, atque ita in rebellione, et obstinata urbis defensione perstitisse. Nec intelligebat miser, abduci posse in Babylonem, sed oculis prius captum, quibus illam licet captivus inveheretur, videre tamen non poterat. Porro quando, aut qua morte defunctus sit Babylone Sedecias, non liquet ex sacra Scriptura, quæ solum affirmat, *in carcere* fuisse *usque ad diem* [6] *mortis ejus.* Post mortem vero, regii funeris honore condecoratum fuisse, ut ei Jeremias prædixerat [7], et Nabuchodonosorem jussisse, testatur Josephus [8], et Hebræi in Sederolam [9]: qui addunt, inter consuetas nænias et planctus, Judæos in funere Sedeciæ, etiam hoc miscuisse: *Heu! qui mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum?* id est, luens peccata omnium superiorum ætatum, inquit Genebrardus.

(1) Psalm. 73, vers. 7. (2) L. 10 Ant., c. 11.
(3) Supra.
(4) Jerem. 32, vers. 5, et 34, vers. 3.
(5) Ezech. c. 12, vers. 13.
(6) Jer. 52, vers. 11, et Joseph. sup.
(7) Jerem. 34. (8) Supra. (9) Cap. 28.

13. [1] Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne in Babylonem.

14. Ollas quoque æreas, et trullas, et tridentes, et scyphos, et mortariola, et omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt.

15. Necnon et thuribula, et phialas: quæ aurea, aurea; et quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ:

16. Id est, columnas duas, mare unum, et bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum.

17. [2] Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna una: et capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: et retiaculum, et malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem et columna secunda habebat ornatum.

18. Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres janitores.

19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros: et quinque viros de his qui steterant coram rege, quos reperit in civitate: et Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: et sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate.

20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha.

21. Percussitque eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: et translatus est Juda de terra sua.

22. Populo autem qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan.

23. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi et viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam: venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, et Johanan filius Caree, et Saraia filius Thanehumeth Netophathites, et Jezonias filius Maachathi, ipsi et socii eorum.

24. Juravitque Godolias ipsis et sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra,

ỳ. 21. *Interfecit eos* — Cur summum pontificem, aliosque hic commemoratos interfecerit Nabuchodonosor, in causa fuit, quod regi suo Sedeciæ familiares et a consiliis fuerint, auctoresque rebellionis et violatæ fidei crederentur. Ex Threnis Jeremiæ colligi videtur, suspendios necatos fuisse, c. 5, v. 12: *Principes manu suspensi sunt.* Erat enim istud supplicii genus Chaldæis, Persis et Medis usitatissimum, ut patet ex patibulo Aman Esther 7, vers. 10, et litteris Darii 1 Esdræ 6, v. 11. Alii tamen malunt, capite plexos fuisse tam hos principes, quam filios regis, de quibus vers. 7. Porro hic *Sarajas sacerdos primus*, id est summus pontifex, pater fuit *Esdræ* et fratris ejus *Josedec*, ut dicitur 1 Esdræ 7, v. 1, et 1 Paral. 6, v. 14. *Sophonias* vero vocatur *sacerdos secundus*, id est, unus ex sacerdotibus secundi ordinis, qui erant principes sacerdotum et capita familiarum sacerdotalium in 24 classes distributarum, ut dixi c. 23, v. 4.

ỳ. 22. *Populo præfecit Godoliam* — tamquam vicerégem, et Chaldæis stipendiarium. Hic (ut ex Hebræorum traditione docet Lyranus) ex obsessa urbe ad Chaldæorum castra, hortante Jeremia, transfugerat utilemque in multis operam præstiterat Chaldæis, utpote locorum peritus et secretorum hostilium conscius. Quæ res uti favorem ipsi apud Chaldæos, ita odium extremum apud Judæos peperit et intempestivæ mortis occasio fuit.

(1) Jer. 27, vers. 19.

(2) 3 Reg. 7, vers. 15; 2 Par. 3, vers. 15; Jer. 52, vers. 21.

et servite regi Babylonis, et bene erit vobis.

25. Factum est autem in mense septimo venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regio, et decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui et mortuus est: sed et Judæos, et Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha.

26. Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, et principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos.

27. Factum est vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis: sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere.

28. Et locutus est ei benigne: et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.

29. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ.

30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ et dabatur ei a rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

℣. 27. *Evil-merodach rex Babylonis*, filius et successor Nabuchodonosoris, quamprimum extinctus fuit parens, *sublevavit caput Joachin regis Juda de carcere* — in quo jam 37 annos egerat. Notant ex Rabbinorum scriptis Lyranus, Abulensis et Sanctius, ipsum hunc quoque *Evil-merodach* a parente in eumdem cum *Joachino* carcerem ultimo regni et vitæ Nabuchodonosoris anno, cum hic jam sibi regnoque redditus esset, compactum fuisse, quod cum septennio illo, quo Nabuchodonosor maniacus cum bestiis ageret, et filius regnum administraret, multa visus fuerit in eo administrando secus quam parenti placeret, peccasse, forsan et parenti detraxisse, sibique de mania illius, et intemperiis applaudisse. In communi ergo carcere amicitia hæc inter *Evil-merodach* et *Joachinum* conciliata fuit. Hic *Evil-merodach* alio et quidem proprio nomine *Baltassar* dictus fuit, ut patet ex Danielis 5 et ex nostro Chronico [1]. *Merodach* vero commune Chaldæis regibus nomen fuit, a primo illo, qui jugum Assyriorum excussit, in reliquos successores derivatum, sicut nomen *Pharao* apud Ægyptios, *Cæsar* apud Romanus, etc. Vide Chronicon nostrum c. 35 in quæstione *De initio et fine septuaginta annorum Babylonicæ captivitatis*.

(1) Cap. 34 et 35.

LIBER I.

PARALIPOMENON

His duobus libris Paralipomenon seu derelictorum, supplentur ex actis publicis quæ in Regum libris hinc inde deesse deprehensa sunt, vel non nisi leviter tacta; vel quæ obscurius ibi dicta magis hic explicantur. Videntur compendium esse eorum librorum qui subinde in iisdem citantur, *verborum dierum regum Juda*, vel *Israel*. Olim non nisi unus liber erat, ex his duobus conflatus, inquit S. Hier. (1). Auctor seu compendiator putatur fuisse Esdras, eo quod ultima verba libri II. Paralipomenon, prorsus eadem sint cum primis Esdræ I, cap. 1. Ita plerique Rabbini, et ex iis Sixtus Senensis, Joannes Driedo (2), Mariana et alii.

CAPUT I.

Genealogia ab Adamo usque ad Abraham, et Abrahæ posteros, maxime Idumæos; quorum reges ac duces recensentur.

1. Adam, [3] Seth, Enos,
2. Cainan, Malalael, Jared,
3. Henoch, Mathusale, Lamech,
4. Noe, Sem, Cham, et Japheth.
5. Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, Thubal, Mosoch, Thiras.
6. Porro filii Gomer: Ascenez, et Riphath, et Thogorma.
7. Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim.
8. Filii Cham: Chus, et Mesraim, et Phut, et Chanaan.
9. Filii autem Chus: Saba, et He-

℣. 4. *Noe*, supple genuit, *Sem, Cham, et Japheth* — Nota ex S. Hieronymo, Josepho, Oleastro, Aria, Cornelio a Lapide, Emmanuele Sa et aliis, a Japheti primogenito *Gomer* prognatos Comaros sive Cimbros, qui nunc Dani et Holsatii dicuntur. A *Magog*, Getas et Massagetas. A *Madai*, Medos. A *Javan*, Jonas et reliquos Græcos. A *Thubal*, Iberos, seu Tiberos, qui in *Asia* sunt juxta Pontum *Euxinum:* ex quibus orti, et colonia traducta propagati sunt Iberi Europæi, seu Hispani. Ex *Mosoch* sunt Mosci. Ex *Thiras*, Thraces.

℣. 6. Ex *Ascenez*, orti sunt Ascanii seu Thuiscones, id est Germani. Ex *Riphath*, Riphæi et Paphlagones. Ex *Thogorma*, Phryges, seu Turcæ.

℣. 7. Ex *Elisa*, Æoles. Ex *Tharsis*, Cilices; et etiamnum Ciliciæ metropolis Tharsus vocatur, patria Apostoli Pauli. Ex *Cethim*, Cyprii, et Cretenses. Ex *Dodanim*, Dodonæi in Chaonia, regione Epiri, ubi olim Jovis Dodonæi oraculum fuit, omnium apud Græcos vetustissimum. Sed forte legendum *Rodanim*, a quo Rhodii processerint, et ita vertunt LXX [4] et explicant Hieronymus et Isidorus.

℣. 8. Ex *Chus*, Æthiopes. Ex *Mesraim*, Ægyptii. Ex *Phut*, Afri. Ex *Chanan*, Chananæi.

℣. 9. Ex *Saba*, per samech, Sabæi in Arabia Felici. Ex *Saba*, per scin, Sabæi Æthiopiæ. Ex *Hevila*, Indi. Ex *Sabatha*, Sabatheni: et sic de ceteris. Has omnes generationes ordine digestas habes in nostro Chronico c. 46.

(1) In Prologo priori ad Domnionem.
(2) Rabbini Moses, Kimhi et Salomon; Sixtus lib. 1 Bibl. SS. PP.; Driedo l. 1 de Script. Eccl.
(3) Gen. 2, vers. 7, et 4, vers. 25, et 5, vv. 6, 9.
(4) In Gen. 10, v. 4, et alii ibid.

vila, Sabatha, et Regma, et Sabathacha. Porro filii Regma: Saba, et Dadan.

10. Chus autem genuit [1] Nemrod: iste cœpit esse potens in terra.

11. Mesraim vero genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephthuim,

12. Phetrusim quoque et Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, et Caphtorim.

13. Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum quoque,

14. Et Jebusæum, et Amorrhæum, et Gergesæum,

15. Hevæumque, et Aracæum, et Sinæum;

16. Aradium quoque, et Samaræum, et Hamathæum.

17. Filii [2] Sem: Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram, et Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch.

18. Arphaxad autem genuit Sale, qui et ipse genuit Heber.

19. Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra; et nomen fratris ejus Jectan.

20. Jectan autem genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, et Jare,

21. Adoram quoque, et Huzal, et Decla,

22. Hebal etiam, et Abimael, et Saba, necnon

23. Et Ophir, et Hevila, et Jobab; omnes isti filii Jectan:

24. Sem, Arphaxad, Sale,

25. Heber, Phaleg, Ragau,

26. Serug, Nachor, Thare,

27. Abram, [3] iste est Abraham.

28. Filii autem Abraham, Isaac et Ismahel.

29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus [4] Ismahelis, Nabajoth, et Cedar, et Adbeel, et Mabsam,

30. Et Masma, et Duma, Massa, Hadad, et Thema,

31. Jetur, Naphis, Cedma; hi sunt filii Ismahelis.

32. Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, et Sue. Porro filii Jecsan: Saba, et Dadan. Filii autem Dadan: Assurim, et Latussim, et Laomim.

33. Filii [5] autem Madian: Epha, et Epher, et Henoch, et Abida, et Heldaa; omnes hi, filii Ceturæ.

34. Genuit [6] autem Abraham Isaac: cujus fuerunt filii Esau et Israel.

35. Filii [7] Esau: Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom, et Core.

36. Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec.

37. Filii Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza.

38. Filii Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan.

℣. 10. De *Nemrod* vide dicta Genesis 10, v. 3. Porro

℣. 19. *In diebus* Phaleg (quod divisionem significat) *divisa est terra* — Præviderat enim sanctus parens ejus *Heber*, tempore filii sui *Phaleg*, divisum iri linguas et gentes. Unde non ait Scriptura divisionem hanc factam *in ortu Phaleg*, sed *in diebus ejus*, seu in decursu vitæ illius, nempe regnante et turrim Babel moliente Nemrodo: ita S. Augustinus, Diod. Tarsensis, Lyranus, Pererius, etc. [8].

℣. 32. *Ceturæ concubinæ Abraham* — Id est, uxoris legitimæ quidem, sed minus principalis. Hæ ducebantur sine solemni apparatu, et dote: neque ad illas spectabat administratio familiæ; neque jus hereditatis competebat illarum filiis, ut dixi Genes. 25, v. 6.

℣. 36. *Thamna, Amalec* — *Thamna* genitivi casus est: quia Genesis 36, v. 12 dicitur, *Eliphaz de Thamna concubina* sua *genuisse Amalec.*

℣. 38. *Seir*, non est hic *Esau* (licet et-

(1) Gen. 10 8.
(2) Gen. 10, vers. 22, et 11, vers. 10.
(3) Gen. 11, vers. 26. (4) Gen. 25, vers. 13.
(5) Gen. 25, vers. 4. (6) Gen. 25, vers. 19.
(7) Gen. 36, vers. 10.
(8) In Gen. 10.

39. Filii Lotan: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna.

40. Filii Sobal: Alian, et Manahath, et Ebal, Sephi, et Onam. Filii Sebeon: Aia et Ana. Filii Ana: Dison.

41. Filii Dison: Hamram, et Eseban, et Jethran, et Charan.

42. Filii Eser: Balaan, et Zavan, et Jacan. Filii Disan: Hus et Aran.

43. Isti sunt reges, qui imperaverunt in terra Edom, antequam esset rex super filios Israel: Bale filius Beor: et nomen civitatis ejus, Denaba.

44. Mortuus est autem Bale, et regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra.

45. Cumque et Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.

46. Obiit quoque et Husam, et regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in terra Moab: et nomen civitatis ejus, Avith.

47. Cumque et Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca.

48. Sed et Semla mortuus est, et regnavit pro eo Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est.

49. Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor.

50. Sed et hic mortuus est, et regnavit pro eo Adad: cujus urbis nomen fuit Phau, et appellata est uxor ejus Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.

51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth,

52. Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,

53. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

54. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom.

iam ipse hoc nomine vocatus fuerit): neque filius Isaaci: sed ex alia gente *Horræus*, qui ante Esau Idumæam tenuit: cujus genealogia describitur Genes. 36, vers. 20. Et hic mentio fit illius, tantum ut innotescat *Thamnæ* genus, ex qua processit *Amalec*.

℣. 43. *Isti* qui sequuntur, *sunt reges qui imperaverunt in terra Edom* cum titulo et diademate regio, *antequam esset rex super filios Israel* — id est, antequam in Israele constitutus esset aliquis cum titulo regis: nempe diu ante tempora Saulis. Sicut enim inter Israelitas primum fuerunt duces seu Judices usque ad Saulem: dein reges, a Saule usque ad captivitatem Babylonicam: exinde rursus duces, a Zorobabele usque ad Machabæos. Ita etiam in Idumæa republica, ut constat ex Genes. 36, primum fuerunt duces, usque ad *Bale*. Dein reges, a *Baale* usque ad mortem secundi *Adad*. Tum rursus, mutata reipublicæ forma, duces successerunt.

℣. 44. *Pro Bale*, primo Idumæorum rege, regnavit *Jobab*, seu Job, *filius Zare* — non ergo hereditaria regni successione, sed vel electitia, vel jure belli parta. Porro hunc Jobab eumdem esse cum Jobo illo patientiæ typo, docui Genes. 36, v. 4. Licet ergo *Esau* non rex, sed dux solummodo fuerit, pronepos tamen illius, *Job*, (qui erat filius Zaræ, filii Raguel, filii Esau) regiam dignitatem obtinuit.

CAPUT II.

Genealogia Judæ patriarchæ usque ad Isai patrem David, fratrumque ejus ac sororum.

1. Filii [1] autem Israel: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, et Zabulon,

2. Dan, Joseph, Benjamin, Nephthali, Gad, et Aser.

(1) Gen. 29, vers. 32, et 30, vers. 5, et 35, vers. 23.

3. Filii [1] Juda: Her, Onan, et Sela; hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Juda, malus coram Domino, et occidit eum.

4. [2] Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares et Zara; omnes ergo filii Juda, quinque.

5. Filii autem Phares: Hesron et Hamul.

6. Filii quoque Zaræ: Zamri, et Ethan, et Eman, Chalchal quoque, et Dara, simul quinque.

7. Filii [3] Charmi: Achar, qui turbavit Israel, et peccavit in furto anathematis.

8. Filii Ethan: Azarias.

9. Filii [4] autem Hesron qui nati sunt ei: Jerameel, et Ram, et Calubi.

10. Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Juda.

11. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz.

12. Booz vero genuit Obed, qui et ipse genuit Isai.

13. [5] Isai autem genuit primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simmaa,

14. Quartum Nathanael, quintum Raddai,

15. Sextum Asom, septimum David;

16. Quorum sorores fuerunt, Sarvia, et Abigail. Filii Sarviæ: Abisai, Joab, et Asael: tres.

17. Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismahelites.

18. Caleb vero filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth: fueruntque filii ejus Jazer, et Sobab, et Ardon.

19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb Ephrata, quæ peperit ei Hur.

20. Porro Hur genuit Uri: et Uri genuit Bezeleel.

21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, et accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub.

22. Sed et Segub genuit Jair, et

℣. 3. *Fuit Her primogenitus Juda, malus coram Domino, et occidit eum* — præmatura morte, in ipsa juventute: et forte dæmonis interventu: sicut contigit septenis *Saræ* maritis Tobiæ 6. Quale id fuerit ipsius Her scelus, Scriptura nusquam exponit. Sed Rabbini ex majorum traditione dicunt, Thamaram, quam *Her* uxorem habebat, forma pulcherrimam fuisse, cui ne gestatio uteri et dolores partus aliquid detraherent, atque ita minus ipse Her voluptatis ex deflorescente uxoris venustate caperet, ita cum illa consuevisse, ut ex illa consuetudine non sequeretur generatio: ita Cassianus [6] et alii interpretes.

℣. 7. *Achar*, id est, *qui turbavit*, ut ibidem additur, *Israel* — furto subducens aliquid de anathemate Jericho, Josue 7 ubi *Achan* vocatur. Sic v. 9 ponitur hic *Ram*, pro *Aram*, ut est Matth. 1 et alibi, et *Calubi*, pro *Caleb*. Frequens enim est Hebræis partem aliquam nominum propriorum seu præscindere, seu mutare.

℣. 15. *Septimum David* — Quomodo septem hic solummodo filii tribuuntur Isai, cum ex 1 Regum 16, v. 10 constet, octo habuisse? Respondet Magister Historiæ Scholasticæ, et Rupertus [7], Isai præter septem hic numeratos unum habuisse filium adoptivum, nempe *Jonathan* filium *Samaa* 2 Reg. 21, v. 21, id est, nepotem suum ex tertio suo filio *Samma*. Forte etiam dici posset, ex octo propriis et naturalibus filiis unum præmatura morte sublatum in ipso adolescentiæ flore, nulla dum re gesta, quæ memoriæ mandari mereretur: ac proinde silentio hic suppressum fuisse [8].

(1) Gen. 38, vers. 3, et 46, vers. 12
(2) Infr. 4, vers. 1; Matth. 1, vers. 3.
(3) Jos. 7, vers. 1.
(4) Ruth 4, vers. 19.
(5) 1 Reg. 16, vers. 6, et 8, vers. 9, et 17, vers. 12.
(6) Collat. 8, cap. 11.
(7) Comestor et Rup. in lib. 1 Regum.

(8) Gilletus *in* 4 *Judaic. Ant. lib. admot.* 3, mendum in locum Regum inrepsisse suspicatur, facile enim Amanuensibus alter numerus pro altero excidit. Septem certe Isai filios, ut hic, Josephus commemorat. Verum absque manifesta necessitate ejusmodi menda sacro Codici non sunt attribuenda.

possedit viginti tres civitates in terra Galaad.

23. Cepitque Gessur, et Aram, oppida Jair: et Canath, et viculos ejus sexaginta civitatum; omnes isti, filii Machir patris Galaad.

24. Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephratha. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ.

25. Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, et Buna, et Aram, et Asom, et Achia.

26. Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam.

27. Sed et filii Ram primogeniti Jerameel, fuerunt Moos, Jamin, et Achar.

28. Onam autem habuit filios, Semei et Jada. Filii autem Semei: Nadab, et Abisur.

29. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, et Molid.

30. Filii autem Nadab fuerunt Saled et Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis.

31. Filius vero Apphaim, Jesi: qui Jesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai.

32. Filii autem Jada fratris Semei: Jether et Jonathan. Sed et Jether mortuus est absque liberis.

33. Porro Jonathan genuit Phaleth, et Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel.

34. Sesan autem non habuit filios, sed filias; et servum Ægyptium nomine Jeraa.

35. Deditque ei filiam suam uxorem, quæ peperit ei Ethei.

36. Ethei autem genuit Nathan, et Nathan genuit Zabad.

37. Zabad quoque genuit Ophlal, et Ophlal genuit Obed,

38. Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam,

39. Azarias genuit Helles, et Helles genuit Elasa,

40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum,

41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama.

42. Filii autem Caleb fratris Jerameel: Mesa primogenitus ejus, ipse est pater Ziph: et filii Maresa patris Hebron.

43. Porro filii Hebron, Core, et Thaphua, et Recem, et Samma.

44. Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, et Recem genuit Sammai.

45. Filius Sammai, Maon: et Maon pater Bethsur.

46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, et Mosa, et Gezez. Porro Haran genuit Gezez.

47. Filii autem Jahaddai, Regom, et Joathan, et Gesan, et Phalet, et Epha, et Saaph.

48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber et Tharana.

49. Genuit autem Saaph, pater Madmena, Sue patrem Machbena, et patrem Gabaa. Filia vero Caleb fuit Achsa.

50. Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephratha, Sobal pater Cariathiarim,

51. Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader.

52. Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum.

53. Et de cognatione Cariathia-

℣. 34. *Sesan autem non habuit filios, sed filias* — Ergo *Oholai* nomen, quod supra v. 31 tribuitur proli *Sesani*, non est masculinum nomen, sed femininum.

℣. 52. *Qui videbat dimidium requietionum* — Id est tamquam propriam possidebat, et tam oculis quam pedibus usurpabat, dimidiam partem regionis, in qua requieverant seu quiete habitarant parentes ejus: et hanc dimidiam partem hereditatis *Sobal* transcripsit filiis suis. Eadem phrasis recurrit iterum post duos versus.

rim, Jethrei: et Aphuthei, et Semathei, et Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, et Esthaolitæ.

54. Filii Salma, Bethlehem, et Netophathi, Coronæ domus Joab, et dimidium requietionis Sarai.

55. Cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

Et eadem phrasi dicitur de *Issachar* Genes. 49, vers. 15: *Vidit requiem, quod esset bona,* id est (ut per epexegesim mox additur), vidit *terram* requietioni seu inhabitationi suæ assignatam, *quod* esset *optima.* Psalmo quoque 131, v. 8: *Surge Domine in requiem tuam,* et v. 14: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo.* Et alibi frequentissime *requies* pro *loco habitationis* usurpatur.

℣. 54. *Coronæ,* id est gloria et decus, *domus Joab* — q. d. Præcipui familiæ istius heroes.

℣. 55. *Cinæi,* de quibus dixi Numer. 10 et Judicum 1 *venerunt de Calore patris domus Rechab* — Hebraice, venerunt de *Chamath patre familiæ Rechabitarum.* Est enim nomen parentis illorum proprium, ideoque et LXX illud retinuerunt, sed Noster quid significaret exposuit, et interpretatus est *calorem.* Sic pro triplici *Cinæorum* familia habitantium in Jabes, puta *Thirathæorum, Simathæorum, et Suchotæorum* [1], ut est in Hebræo. Noster nomina Hebraica explicans vertit *Canentes, Resonantes, et in tabernaculis commorantes.*

(1) Chron. c. 46, tabula 2 in filiis Ceturæ.

CAPUT III.

Posteri Davidis, et reges Juda, cum filiis ac filiabus.

1. David vero [1] hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron; primogenitum Amnon ex Achinoam Jezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide,

2. Tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith,

3. Quintum Saphatiam ex Abital, sextum Jethraham de Egla uxore sua.

4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, et sex mensibus. Triginta autem et tribus annis regnavit in Jerusalem.

5. [2] Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel,

6. Jebaar quoque, et Elisama,

7. Et Eliphaleth, et Noge, et Nepheg, et Japhia,

℣. 1. *Jezrahelitide* — Duplex erat in terra promissionis *Jezrahel,* una in tribu *Juda,* Josue 15, v. 55 prope montem *Gelboe.* Altera in tribu *Manasse,* Josue 17, v. 16 ubi occisus Naboth [3].

℣. 3. *De Egla uxore sua* — Id est, etiam uxore sua. Vel dic cum Sanctio, illud, *uxore sua,* per zeugma seu adjunctionem, referri ad omnes feminas præcedentes, hoc modo: *De Achinoam* uxore sua: *de Abigail* uxore sua: *de Maacha* uxore sua.

℣. 5. *Quatuor* filii *de Bethsabee* — Dices, Prov. 4, v. 3 dicit Salomon se *unigenitum* fuisse *coram matre sua.* Quidam respondent, Ex Davide unigenitus fuit, unde et ultimo loco hic numeratur. Nam tres priores susceperat Bethsabee ex priore suo marito *Uria* Hethæo: sed illos David ad compensandam misellis injuriam adempti parentis, sibi adoptavit, inquit Mariana. Sed verisimilius Salianus cum pluribus aliis a se citatis, censet, omnes hos quatuor ex Bethsabee et Davide procreatos fuisse; et Salomonem istic vocari *unigenitum,* id est, *unice dilectum,* ut

(1) 2 Reg. 3, vers. 2. (2) 2 Reg. 5, vers. 14. (3) 3 Reg. 21, vers. 1.

8. Necnon Elisama, et Eliada, et Elipheleth, novem:

9. Omnes hi, filii David, absque filiis concubinarum: habueruntque sororem Thamar.

10. Filius autem Salomonis, Roboam: cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphath,

11. Pater Joram: qui Joram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Josas.

12. Et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Joathan

13. Procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses.

14. Sed et Manasses genuit Amon patrem Josiæ.

15. Filii autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.

16. [1] De Joakim natus est Jechonias, et Sedecias.

17. Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel,

18. Melchiram, Phadaia, Senneser, et Jecemia, Sama, et Nadabia.

19. De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, et Salomith sororem eorum:

20. Hasaban quoque, et Ohol, et Barachian, et Hasadian, Josabhesed, quinque.

21. Filius autem Hananiæ, Phal-

ibidem transtulerunt LXX. Alioqui *Nathan*, ad quem Christi genealogiam Lucas deducit, non fuisset filius Davidis, sed Uriæ. Denique filiolus ex adulterio Bethsabee susceptus, impedit quo minus Salomon absolute dici possit unigenitus fuisse matri suæ, etiam ex Davide. Porro *Bethsabee* parens, qui hic *Ammiel* vocatur, 2 Regum 11, v. 3 dicitur *Eliam*, nempe binomius erat: ita Emmanuel Sa.

℣. 15. *Primogenitus Josiæ Johanan*, ad regni solium non ascendit, forte vivo adhuc patre decessit. *Secundus Joakim* ætate: sed in regno præcessit illum qui hic quarto loco numeratur *Sellum*, ut patet Jeremiæ 22, v. 11 qui alio nomine *Joachaz* dicebatur, 4 Reg. 23, vers. 30, itemque *Jechonias*, lib. 3 Esdræ c. 1. Hic cum toto biennio junior esset *Joakimo*, prælatus tamen a populo fuit ob causam quam dixi 4 Reg. 23, v. 30. Nempe 25 [2] ætatis annum agebat *Joakim*, cum *Joachaz* seu *Sellum* sub idem tempus non ageret nisi 23 [3]. Omnium junior erat *Sedecias*: nam, inchoante regnum *Joakimo* jam 25 annorum, ipse non nisi decimum excesserat ætatis annum: nam undecim post annis, cum succederet Joakimo, loco filii illius Joachini, non erat nisi viginti et unius [4] annorum.

℣. 19. *De Phadaia orti sunt Zorobabel et Semei* — Hic *Zorobabel* non est iste qui Matthæi 1 recensetur in genealogia Christi, sed patruelis illius, nam iste genitus est ex *Salathiele*, ut ibidem dicitur; hic vero ex *Phadaia* fratre Salathielis. Nisi malis dicere, unum eumdemque, natura fuisse filium *Phadaiæ*, adoptione *Salathielis*, cujus, eo quod sterilis esset, nulli hic filii recenseantur. Sed tunc consequenter dicendum erit, aliquem filiorum Zorobabel, qui hoc et sequenti versu recensentur, cognomen habuisse *Abiud*: nam hic Matthæi 1 inter progenitores Christi ponitur filius *Zorobabelis*. Quod de *Hanania* suspicatur Mariana et alii quidam, eo quod inter omnes Zorobabelis filios, hujus solius posteri hic recenseantur. Sed malim ego priori sententiæ adhærere, quæ duos Zorobabeles distinguit. Et ita sentit Sanctius.

Petes, Quo modo *Jechonias* dicitur hic pater fuisse Salathielis, et tot insuper aliorum filiorum, cum Jeremiæ 22, v. 30 vocetur *vir sterilis?* Respondeo, Sterilis fuit non respectu omnis prolis aut seminis (nam ibidem v. 28, dicitur *ipse et semen ejus projecti in terram* Babylonis, sed respectu *prolis regiæ et seminis regalis*, seu quod regnum obtineat paternum. Sic enim sese explicat ibidem Jeremias, cum dicit ita sterilem futurum; ut *non* sit *de semine ejus* futurus *vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda.*

(1) Matth. 1, vers. 11.
(2) 4 Reg. 23, vers. 36.
(3) Ib. vers. 31.
(4) 4 Reg. 24, vers. 18.

tias pater Jeseiæ, cujus filius Raphaia; hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias.

22. Filius Secheniæ, Semeia: cujus filii, Hattus, et Jegaal, et Baria, et Naaria, et Saphat, sex numero.

23. Filius Naariæ, Elioenai, et Ezechias, et Ezricam, tres.

24. Filii Elioenai, Oduia, et Eliasub, et Pheleia, et Accub, et Johanan, et Dalaia, et Anani, septem.

CAPUT IV.

Posteri Judæ ac Simeonis patriarcharum; eorumdemque victoriæ et præclara gesta.

1. Filii [1] Juda: Phares, Hesron, et Charmi, et Hur, et Sobal.

2. Raia vero filius Sobal genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai et Laad; hæ cognationes Sarathi.

3. Ista quoque stirps Etam: Jezrahel, et Jesema, et Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni.

4. Phanuel autem pater Gedor, et Ezer pater Hosa; isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha patris Bethlehem.

5. Assur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa, et Naara.

6. Peperit autem ei Naara, Oozam, et Hepher, et Themani, et Ahasthari; isti sunt filii Naara.

7. Porro filii Halaa, Sereth, Isaar, et Ethnan.

8. Cos autem genuit Anob, et Soboba, et cognationem Aharehel filii Arum.

9. Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, et mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens: Quia peperi eum in dolore.

10. Invocavit vero Jabes Deum Israel, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, et dilataveris terminos meos, et fuerit manus tua mecum, et feceris me a malitia non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est.

11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.

12. Porro Esthon genuit Bethrapha, et Phesse, et Tehinna patrem urbis Naas: hi sunt viri Recha.

13. Filii autem Cenez, Othoniel, et Saraia. Porro filii Othoniel, Hathath, et Maonathi.

14. Maonathi genuit Ophra, Safrater Ethnani, pater Jephone, v. 15, avus Calebi secundi et Othonielis v. 13, unde uterque a communi avo dictus fuit Cenezæus, ut dixi alibi [2].

℣. 1. Nomen *filii* in his capitibus non semper proprie sumitur, sed sæpe pro *posteris*: nam *Esron* nepos fuit Judæ, *Charmi* fuit pronepos: et sic de ceteris. Tantum enim intendit hic sacer scriptor commemorare quinam ex quaque familia insignes fuerint seu virtute, seu prolixa posteritate. Pari modo neque nomen *patris* semper proprie accipitur, sed subinde pro principe: v. g. *Hur* v. 4, vocatur *pater Bethlehem: Assur* v. 5 *pater Thecuæ:* v. 14 *Joab, pater Vallis artificum,* id est *princeps* loci sic nominati.

℣. 8. *Cos* (ut ex affinitate nominis apparet) idem videtur esse cum Cenez v. 13,

℣. 9. *Jabes* significat *dolorem.* Quo nomine voluit filium mater vocari, eo quod exquisitissimis doloribus partus illum enixa esset. Quis hic *Jabes* fuerit, non constat: sed neque quis pater illius, quis avus: solum constat, ex posteris Juda fuisse, ac præ contribulibus suis inclytum et prælustrem. Verisimile autem est filium fuisse Arum, fratrem Aharelis v. 8 et Othonielis v. 13 nepotem Cenez seu Cos, de quo supra.

(1) Gen. 38, vers. 3, et 46, vers. 12; Supra 2, vers. 4; Matth. 1, vers. 3.

(2) Num. 32, vers. 12.

raia autem genuit Joab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant.

15. Filii vero Caleb filii Jephone, Hir, et Ela, et Naham. Filii quoque Ela: Cenez.

16. Filii quoque Jaleleel: Ziph, et Zipha, Thiria, et Asrael.

17. Et filii Ezra, Jether, et Mered, et Epher, et Jalon, genuitque Mariam, et Sammai, et Jesba patrem Esthamo.

18. Uxor quoque ejus Judaia peperit Jared patrem Gedor, et Heber patrem Socho, et Icuthiel patrem Zanoe; hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.

19. Et filii uxoris Odaiæ sororis Naham patris Ceila, Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi.

20. Filii quoque Simon, Amnon, et Rinna filius Hanan, et Thilon. Et filii Jesi, Zoheth, et Benzoheth.

21. Filii [1] Sela, filii Juda: Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum in Domo juramenti.

22. Et qui stare fecit solem, virique Mendacii, et Securus, et Incendens, qui principes fuerunt in Moab, et qui reversi sunt in Lahem; hæc autem verba vetera.

23. Hi sunt figuli habitantes in plantationibus, et in sepibus, apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi.

24. Filii [2] Simeon. Namuel et Jamin, Jarib, Zara, Saul.

25. Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus.

26. Filii Masma: Hamuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus.

27. Filii Semei sedecim, et filiæ sex: fratres autem ejus non habuerunt filios multos, et universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda.

28. Habitaverunt autem in Bersabee, et Molada, et Hasarsuhal,

℣. 15. *Caleb filii Jephone* — Quo sensu id verum sit: itemque quis fuerit hic *Caleb* et *Othoniel*, dixi Num. 32, v. 12, et in Chronico [3].

℣. 21. *In Domo juramenti* — Hebraice *Esbaa:* estque nomen proprium. Sed Noster pro nomine proprio significationem nominis posuit, uti sæpissime facit his decem primis hujus libri capitibus. Simili modo:

℣. 22. *Qui stare fecit*, supple *solem*, significatio est nominis proprii *Jokim*. Sic *viri Mendacii*, pro *viris* oppidi *Cozeba*. Rursum *Securus et Incendens*, pro *Joas et Seraph* [4]. Hi enim quatuor fuere principes ex posteris Juda per *Selam* propagatis: qui peregrinati fuerunt in *Moabitica* regione, forte cum *Elimelech et Noemi*, Ruth 1 occasione famis in Judæa: *sed reversi sunt* postea in *Lahem*, seu *Bethlehem*. Nam Hebræi sæpe partem alteram nominum propriorum abjiciunt, ut vidimus supra c. 2, vers. 9 *Ram*, pro *Aram*. Et Ruth 1, ubi Noemi et Ruth simili modo reversæ dicuntur *in Bethlehem*, hebraice est, *in Lehem*. Et 1 Paralipom. 20, v. 5, ubi Adeodatus vocatur *Bethlehemites*, hebraice est *Lehemites*. Et Jeremiæ 22, c. 24 *Jechonias* rex, in Hebræo vocatur *Chonias*. Ex his clarissime patet fabulosum esse, quod S. Hieronymus [5], Dionysius, Hugo, Lyranus, Fevardentius [6], Abulensis, et Glossa Ordinaria, ex Hebræorum somniis tradunt, ad preces *Elimelechi*, ut suos Bethlehemitas converteret, *stetisse solem* ut steterat tempore Josue. Nam *Jokim* nomen proprium est, et significat, *stare fecit*, sed non *solem*, cujus neque mentio est in Hebræo: neque videtur ad Latinum textum adjungi debere: forsan ab aliquo sciolo ad marginem primo, deinde etiam in textum insertum fuit. Certum de Elimelecho nullam hic mentionem esse, ubi de quatuor illis agitur, qui e Moabitide *in Bethlehem reversi sunt*. Atqui constat ex Ruth 1 Elimelechum in Moabitide defunctum esse, neque unquam *in Bethlehem revertisse*.

(1) Gen. 38, vers. 5.
(2) Gen. 46, vers. 10.
(3) Cap. 46 in genealog. Judæ.
(4) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 17.
(5) In Trad. Hebr.
(6) In cap. 1 Ruth. Alii hic.

29. Et in Bala, et in Asom, et in Tholad,
30. Et in Bathuel, et in Horma, et in Siceleg,
31. Et in Bethmarchaboth, et in Hasarsusim, et in Bethberai, et in Saarim; hæ civitates eorum usque ad regem David.
32. Villæ quoque eorum: Etam, et Aen, Remmon, et Thochen, et Asan, civitates quinque.
33. Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal; hæc est habitatio eorum et sedium distributio.
34. Mosobab quoque et Jemlech, et Josa filius Amasiæ,
35. Et Joel, et Jehu filius Josabiæ filii Saraiæ filii Asiel,
36. Et Elioenai, et Jacoba, et Isuhaia, Asaia, et Adiel, et Ismiel, et Banaia,
37. Ziza quoque filius Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Samaia.
38. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer.
39. Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad orientem vallis, et ut quærerent pascua gregibus suis.
40. Inveneruntque pascuas uberes, et valde bonas, et terram latissimam et quietam et fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham.
41. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda: et percusserunt tabernacula eorum, et habitatores qui inventi fuerant ibi, et deleverunt eos usque in præsentem diem: habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas, ibidem reperererunt.
42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam et Raphaiam et Oziel filios Jesi:
43. Et percusserunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, et habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

℣. 40. *De stirpe Cham* — nempe Chananæi, posteri *Chami*. Cum enim sentirent Simeonitæ se nimis angustis finibus arctari, Chananæis, e vicinia, ubi hactenus substiterant, vi submotis, eorum urbes et agros et pascua sibi vindicarunt initio regni Ezechiæ, ut hic dicitur versu sequenti. Sed amplificatis ita finibus non diu uti potuerunt; nam anno sexto regni Ezechiæ, capta Samaria, tribus Simeonis cum reliquis novem Israelitarum tribubus captiva in Assyriam abducta est, 4 Regum 17, v. 6, et cap. 18, v. 10.

CAPUT V.

Posteri Ruben, Gad, et dimidiæ tribus Manasse. Qui etiam Ismaelitas expulerunt propriis sedibus, tempore Joathan regis Juda: sed tandem ob idololatriam ab Assyriis in captivitatem abducti sunt.

1. Filii quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus ejus: sed cum [1] violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Joseph filii Israel, et non est ille reputatus in primogenitum.

(1) Gen. 35, vers. 22, et 49, vers. 4.

2. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Joseph.)

3. Filii [1] ergo Ruben primogeniti Israel: Enoch, et Phallu, Esron et Carmi.

4. Filii Joel: Samia filius ejus, Gog filius ejus, Semei filius ejus,

5. Micha filius ejus, Reia filius ejus, Baal filius ejus,

6. Beera filius ejus, quem captivum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, et fuit princeps in tribu Ruben.

7. Fratres autem ejus, et universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes Jehiel et Zachariam.

8. Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Joel, ipse habitavit in Aroer usque ad Nebo et Beelmeon.

9. Contra orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, et flumen Euphraten. Multum quippe jumentorum numerum possidebant in terra Galaad.

10. In diebus autem Saul prœliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ respicit ad orientem Galaad.

11. Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in terra Basan usque Selcha:

12. Joel in capite, et Saphan secundus: Janai autem, et Saphat, in Basan.

13. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Mi-

℣. 2. *Primogenita* Ruben *reputata sunt Joseph* — Id est, duplo major pars hereditatis paternæ, quam cuivis aliorum fratrum obtingeret, quæ Rubeno jure nativitatis primogenito debebatur, propter incestum sublata illi, et fratri ejus Josepho concessa est. Fuit vero duplex illa portio a Jacobo consignata Josepho, partim in proprio peculio et parva sua hereditate, quando Gen. 48, v. 22 ait Josepho: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.* Partim in communi et magna hereditate, id est in terra cælitus ipsi promissa, quando ibidem v. 5 duos filios Josephi, Ephraimum et Manassen sibi in immediatos filios adoptat: nam eo ipso duas sortes seu ex duodecim partibus terræ promissæ duas portiones uni Josepho consignat. Porro *duplex* illa *portio* hereditatis cedebat olim primogenito. Primum solo nutu et voluntate parentum, et quia consonum id videbatur rectæ rationi. Deinde consuetudine, et quasi communi nationum consensu. Denique etiam lata lege Hebræis Deuter. 21, v. 17: *Dabit ei* parens *de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita.* Sed præter duplicem illam hereditatis portionem debebatur primogenito etiam locus primus inter fratres, et quasi *dominium* in illos et *regnum*: ut patet ex benedictione Isaac Gen. 27, v. 29: *Serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.* Hoc vero dominium et regnum Rubeno ablatum, et concessum partim Judæ, partim Josepho, ut dixi Gen. 49, v. 3. Denique præter jam dicta pertinebat quoque ad primogenitum ante legem Mosaicam *dignitas sacerdotalis*, ut docet S. Hieronymus, S. Thomas [2], et reliqui Doctores. Hæc dignitas translata fuit in *Levi*, quando solus Aaron ejusque posteri jussi sunt sacerdotio fungi in Israele.

℣. 8. *Bala* pronepos *Joel*, magnus et potens fuerit oportet, quando dominatus fuit ab *Aroer* urbe totius terræ promissæ maxime orientali, Deut. 2 et Josue 13, *usque ad* montem *Nebo* qui adjacet Jordani, Deuter. ultimo.

℣. 12. *Joel in capite* — Id est, caput et princeps (ut est in Hebræo et Græco), totius tribus *Gad* fuit *Joel:* qui sequuntur, secundas, tertias et quartas partes tenuerunt. Erant hi non filii, sed nepotes *Gad*, ut patet Gen. 46, v. 16.

(1) Gen. 46, vers. 9; Exod. 6, vers. 14; Num. 26, vers. 5.

(2) Hieron. epist. 126 ad Evagrium; Thom. 2. 2. q. 100, a. 4, et in ep. ad Hebr. 9.

chael, et Mosollam, et Sebe, et Jorai, et Jachan, et Zie, et Heber, septem.

14. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jara, filii Galaad, filii Michael, filii Jesesi, filii Jeddo, filii Buz.

15. Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis.

16. Et habitaverunt in Galaad, et in Basan, et in viculis ejus, et in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos.

17. Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, et in diebus Jeroboam regis Israel.

18. Filii Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes et gladios, et tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadraginta quatuor millia et septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam.

19. Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi vero, et Naphis, et Nodab,

20. Præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, et universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur: et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum.

21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, et ovium ducenta quinquaginta millia, et asinos duo millia, et animas hominum centum millia.

22. Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem.

23. Filii quoque dimidiæ tribus Manasse possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, et Sanir, et montem Hermon, ingens quippe numerus erat.

24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, et Jesi, et Eliel, et Ezriel, et Jeremia, et Odoia, et Jediel, viri fortissimi et potentes, et nominati duces in familiis suis.

25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, et fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis;

26. Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, et spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: et transtulit Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Lahela, et in Habor, et Ara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

℣. 17. *In diebus Jeroboam regis Israel* — non primi, nempe filii *Nabat:* sed secundi istius nominis, puta filii *Joas:* nam iste cœvus fuit Joathano regi Juda, cujus hic fit mentio.

℣. 19. *Contra Agareos* — Id est *Ismaelitas*, qui et *Agareni* dicebantur ab *Agar* matre Ismaelis. *Ituræi vero et Nephisæi et Nodabæi* (sic habent Hebræa et Græca) *præbuerunt* Agarenis *auxilium* adversus *Rubenitas:* sed fœde ab his cæsi, bonis omnibus et agris exuti, et vers. 22: *Vulnerati multi corruerunt: fuit enim bellum Domini,* id est, Deo auspice susceptum, et singulariter adjuvante confectum.

XXI.

IN I. PARALIPOMENON, V, 26.

Alibi adnotavimus (vide supra, in IV. Regum, XV, 19), ex probabilibus admodum argumentis confici, regem *Phul* unum eumdemque esse cum rege Assyriorum Tuklatpalasar II, idest cum Theglathphalasar, seu *Thelgathphalnasar* Scripturæ. Huic porro sententiæ minime obstat locus iste Paralipomenon; imo eam confirmare videtur. Cum enim utrique regi Assyrio, Phul et Thelgathphalnasar, heic tribuatur unum idemque factum, translationis scilicet duarum tri-

buum et dimidiæ Israelitarum in Assyriam, vehemens oritur suspicio, sub duplici illo nomine unicam intelligi personam, quæ alterutro nomine ad libitum (uti de aliis Assyriorum regibus constat) appellaretur. Adde, quod hoc loco veteres interpretes, Syriacus et Arabicus, unicum regem nominant: Syriacus *Thelgathphalnasar*, Arabicus *Phul* (WALTON, *Biblia Polyglotta*, in h. l.): ideo profecto, quod utrique interpreti persuasum esset, de unica persona ibi sermonem esse.

BRUNENGO.

CAPUT VI.

Posteri Levi. Et quos ex iis constituerit rex David cantores ac ministros templi. Speciatim recensentur posteri Aaron sacerdotes, cum urbibus sacerdotalibus et refugii.

1. Filii Levi: [1] Gerson, Caath, et Merari.
2. Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron, et Oziel.
3. Filii Amram: Aaron, Moyses, et Maria: Filii Aaron: Nadab et Abiu, Eleazar et Ithamar.
4. Eleazar genuit Phinees, et Phinees genuit Abisue,
5. Abisue vero genuit Bocci, et Bocci genuit Ozi.
6. Ozi genuit Zaraiam, et Zaraias genuit Meraioth.
7. Porro Meraioth genuit Amariam, et Amarias genuit Achitob.
8. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Achimaas,
9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan,
10. Johanan genuit Azariam; ipse est qui sacerdotio functus est in domo, quam ædificavit Salomon in Jerusalem.
11. Genuit autem Azarias Amariam, et Amarias genuit Achitob,
12. Achitob genuit Sadoc, et Sadoc genuit Sellum,
13. Sellum genuit Helciam, et Helcias genuit Azariam,
14. Azarias genuit Saraiam, et Saraias genuit Josedec.
15. Porro Josedec egressus est, quando transtulit Dominus Judam et Jerusalem per manus Nabuchodonosor.
16. Filii [2] ergo Levi: Gerson, Caath, et Merari.
17. Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, et Semei.
18. Filii Caath: Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel.
19. Filii Merari: Moholi et Musi.

℣. 5. *Ozi* — Post hunc *Heli* fuit summus sacerdos, translato pontificatu a posteris *Eleazari* primogeniti Aaronis, ad posteros *Ithamaris* secundogeniti, ut dixi 1 Regum 2, v. 31. Heli in pontificatu successerunt quatuor ejus posteri usque ad *Abiathar*, quem Salomon loco movit [3], 3 Regum 2, v. 26, reddito in *Sadoc* pontificatu posteris Eleazari, penes quos mansit usque ad captivitatem Babylonicam, ut hic recensetur. Itaque quatuor isti, nempe a Zaraia filio *Ozi*, usque ad *Sadoc* [4] v. 8 non fuerunt summi pontifices: ceteri usque ad *Josedec*, v. 15 omnes fuerunt.

℣. 10. *Azarias* secundus, *ipse est qui sacerdotio functus est* — egregie scilicet et excellenter: nam muneri suo præclare satisfecit, quando regi *Oziæ* volenti incensum offerre viriliter restitit, et e templo expulit, ut habes infra 2 Paralipom. 26.

℣. 14. *Saraias* summus pontifex fuit quo tempore templum et urbs Jerosoly-

(1) Gen. 46, vers. 11; Infra 23, vers. 6.
(2) Exod. 6, vers. 16.
(3) Chron. c. 42.
(4) Chron. c. 42.

Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum.

20. Gersom, Lobni filius ejus, Jahat filius ejus, Zamma filius ejus,

21. Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus.

22. Filii Caath, Aminadab filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus,

23. Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus.

24. Thahath filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus.

25. Filii Elcana, Amasai et Achimoth

26. Et Elcana. Filii Elcana: Sophai filius ejus, Nahath filius ejus,

27. Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus.

28. Filii Samuel, primogenitus Vasseni et Abia.

29. Filii autem Merari, Moholi: Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus,

30. Sammaa filius ejus, Haggia filius ejus, Asaia filius ejus.

31. Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca:

32. Et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem: stabant autem juxta ordinem suum in ministerio.

33. Hi vero sunt, qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Heman cantor filius Joel, filii Samuel,

34. Filii Elcana, filii Jeroham, filii Eliel, filii Thohu,

35. Filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai,

36. Filii Elcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ,

37. Filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core,

38. Filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel.

39. Et frater ejus Asaph, qui stabat a dextris ejus, Asaph filius Barachiæ, filii Samaa,

40. Filii Michael, filii Basaiæ, filii Melchiæ,

41. Filii Athanai, filii Zara, filii Adaia,

42. Filii Ethan, filii Zamma, filii Semei,

43. Filii Jeth, filii Gersom, filii Levi.

44. Filii autem Merari fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Cusi, filii Abdi, filii Maloch,

mitana a Nabuchodonosore eversa sunt, et ipse ab eodem cum aliis 70 e primis Idumæorum extremo supplicio affectus est 4 Regum 25, v. 18 et sequentibus.

℣. 22. *Core* contra Moysen excitante seditionem, et terra dehiscente, ipsumque *Core* absorbente, filii ejus ingenti miraculo servati sunt, Numer. 16 et per posteros propagati, qui hic recensentur: inter quos

℣. 27. *Elcana* — quartus ejus nominis, parens *Samuelis*. Cum enim mox additur, *filii Samuel*, etc. nullo *Samuelis* patre designato; intelligitur, filium fuisse ejus qui proxime nominatus est, puta *Elcanæ*, ut dixi, et constat ex 1 Reg. 1.

℣. 28. *Filii Samuel, primogenitus Vasseni, et Abia* — Dices 1 Regum 8, v. 2 dicitur: *Nomen filii ejus primogeniti Joel, et nomen secundi Abia.* Et hic quoque v. 34 filius Samuel vocatur *Joel.*

Et eodem nomine etiam hoc v. 26 vocant primogenitum LXX. Respondet Mariana, binomium fuisse. Forte dici posset, incuria librarii excidisse nomen *Joel*, qui fuit primogenitus: et *Vasseni*, idem esse quod, *Et Seni*, q. d. Secundo genitus. Porro *Joel et Abia* sunt duo isti *Samuelis* filii, qui non bene præfuerunt reip. et occasionem populo dederunt, regem loco Judicum postulandi, 1 Reg. 8.

℣. 34. *Filii Eliel, filii Thohu* — Ne nos turbet, quod hæc et sequentia quædam nomina cum superiori genealogia Samuelis non per omnia videantur concordare. Nam multi apud Judæos erant binomines, et interdum quædam personæ, quod minus claræ fuerint, in catalogo familiarum uno loco reticentur, altero recensentur: quod sæpe contingit in his decem primis Paralipomenon capitibus.

45. Filii Hasabiæ, filii Amasiæ, filii Helciæ,

46. Filii Amasai, filii Boni, filii Somer,

47. Filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi.

48. Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini.

49. Aaron vero, et filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, et super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum: et ut precarentur pro Israel, juxta omnia quæ præceperat Moyses servus Dei.

50. Hi sunt autem filii Aaron: Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus,

51. Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus,

52. Meraioth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus,

53. Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus.

54. Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant.

55. Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, et suburbana ejus, per circuitum:

56. [1] Agros autem civitatis, et villas, Caleb filio Jephone.

57. Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum, Hebron, et Lobna, et suburbana ejus,

58. Jether quoque et Esthemo cum suburbanis suis, sed et Helon et Dabir cum suburbanis suis,

59. Asan quoque et Bethsemes et suburbana earum.

60. De tribu autem Benjamin, Gabee et suburbana ejus, et Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis; omnes civitates, tredecim, per cognationes suas.

61. Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem.

62. Porro filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, et de tribu Aser, et de tribu Nephthali, et de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim.

63. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, et de tribu Gad, et de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim.

64. Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates et suburbana earum:

65. Dederuntque per sortem, ex tribu filiorum Juda, et ex tribu filiorum Simeon, et ex tribu filiorum Benjamin, urbes has quas vocaverunt nominibus suis,

66. Et his qui erant de cognatione filiorum Caath, [2] fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim.

67. Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, et Gazer cum suburbanis suis,

68. Jecmaam quoque cum suburbanis suis, et Bethoron similiter,

69. Necnon et Helon cum suburbanis suis, et Gethremmon in eumdem modum.

70. Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner et suburbana ejus, Baalam et suburbana ejus: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant.

71. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan et suburbana ejus, et Astharoth cum suburbanis suis.

72. De tribu Issachar, Cedes et

℣. 54. *Hæc habitacula* sacerdotum. De urbibus sacerdotalibus et Leviticis vide quæ dixi in Chronico c. 46 et Josue 21 ubi pene eodem ordine quo hic recensentur.

(1) Jos. 21, vers. 12. (2) Jos. 21, vers. 21.

suburbana ejus, et Dabereth cum suburbanis suis,

73. Ramoth quoque et suburbana ejus, et Anem cum suburbanis suis.

74. De tribu vero Aser: Masal cum suburbanis suis, et Abdon similiter,

75. Hucac quoque et suburbana ejus, et Rohob cum suburbanis suis.

76. Porro de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa et suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, et Cariathaim et surbana ejus.

77. Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono et suburbana ejus, et Thabor cum suburbanis suis:

78. Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra orientem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, et Jassa cum suburbanis suis,

79. Cademoth quoque et suburbana ejus, et Mephaat cum suburbanis suis;

80. Necnon et de tribu Gad, Ramoth in Galaad et suburbana ejus, et Manaim cum suburbanis suis,

81. Sed et Hesebon cum suburbanis suis, et Jezer cum suburbanis suis.

CAPUT VII.

Posteri Issachar, Benjamin, Nephthali, Manasse, Ephraim et Aser.

1. Porro filii [1] Issachar: Thola, et Phua, Jasub, et Simeron, quatuor.

2. Filii Thola: Ozi et Raphaia, et Jeriel, et Jemai, et Jebsem, et Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti.

3. Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, et Obadia, et Joel, et Jesia, quinque omnes principes.

4. Cumque eis per familias et populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, et filios.

5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt.

6. Filii [2] Benjamin: Bela, et Bechor, et Jadiel, tres.

7. Filii Bela: Esbon, et Ozi, et Oziel, et Jerimoth, et Urai, quinque principes familiarum, et ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia et triginta quatuor.

8. Porro filii Bechor: Zamira, et Joas, et Eliezer, et Elioenai, et Amri, et Jerimoth, et Abia, et Anathoth, et Almath: omnes hi, filii Bechor.

9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia et ducenti.

10. Porro filii Jadihel: Balan.

℣. 3. *Filii Ozi* — Pro *filius Ozi:* neque enim numeratur alius præter *Izrahiam:* non quod nullus alius fuerit, sed quod hic solus prælustris fuerit, et hujus solius posteros recensere decreverit scriptor sacer. Simili modo

℣. 6. Soli tres *filii Benjamin* recensentur, cum tamen cap. sequent. vers. 1, et Numer. 26, v. 38 quinque illius filii: et Genes. 46, v. 21 multo plures nominentur.

(1) Gen. 46, vers. 13. (2) Gen. 46, vers. 21.

Filii autem Balan: Jehus, et Benjamin, et Aod, et Chanana, et Zethan, et Tharsis, et Ahisahar:

11. Omnes hi filii Jadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem et septem millia et ducenti, ad prælium procedentes.

12. Sepham quoque, et Hapham filii Hir, et Hasim filii Aher.

13. [1] Filii autem Nephthali, Jaziel, et Guni, et Jeser, et Sellum, filii Bala.

14. Porro filius Manasse, Esriel: concubinaque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad.

15. Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim et Saphan: et habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ.

16. Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares: porro nomen fratris ejus, Sares: et filii ejus, Ulam et Recen.

17. Filius autem Ulam, Badan: hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse.

18. Soror autem ejus regina peperit Virum decorum, et Abiezer, et Mohola.

19. Erant autem filii Semida, Ahin, et Sechem, et Leci, et Aniam.

20. Filii autem Ephraim: Suthala, Bared filius ejus, Thahath filius ejus, Elada filius ejus, Thahath filius ejus, hujus filius Zabad;

21. Et hujus filius Suthala, et hujus filius Ezer et Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum.

22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, et venerunt fratres ejus ut consolarentur eum.

23. Ingressusque est ad uxorem suam: quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset:

24. Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem et superiorem, et Ozensara.

25. Porro filius ejus Rapha, et Reseph, et Thale, de quo natus est Thaan,

26. Qui genuit Laadan: hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elisama,

27. De quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue.

28. Possessio autem eorum et habitatio, Bethel cum filiabus suis, et contra orientem Noran, ac occidentalem plagam Gazer et filiæ ejus, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus.

29. Juxta filios quoque Manasse, Bethsan et filias ejus, Thanach et filias ejus, Mageddo et filias ejus,

℣. 18. *Regina peperit Virum decorum* — Hebraice *Molecheth* (græce *Melchath*) peperit *Ishod*; quorum prius significat *reginam*, posterius Is, *virum*; Hod, *decorem* [2]. Vide supra c. 4, v. 22.

℣. 21. *Occiderunt* Ephraimitas *viri* Palæstini *indigenæ* urbis *Geth, quia descenderant* in loca vicina terræ *Gessen* ad confinia Ægypti, *ut invaderent possessiones* Ephraimitarum: hebraice, *greges*; Septuaginta, *pecora*, quæ possidebant filii Ephraim: vel etiam terras Ephraimi filiis proprias, quis enim dubitet, *Ephraimo* Josephi proregis, seu vicedomini, totius Ægypti filio terras aliquas proprias in Ægypto fuisse? Porro hujus invasionis Palæstinorum, et infelicis belli Ephraimitici meminit fusius Paraphrastes Chaldæus Canticorum 2, vers. 7. Sed veram historiam multis fabulis more suo respergit.

℣. 24. *Filia autem ejus*, id est, una ex neptibus seu posteris Ephraim, *fuit Sara* — Vide cap. 4, vers. 1. Neque enim potuisset filia propria Ephraim, dum moratur cum parente in Ægypto, ædificare in Chanaanitide tres urbes, *Beth-Horon inferiorem, et superiorem, et Ozen-Saram.*

(1) Gen. 46, vers. 24.

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 17.

Dor et filias ejus: in his habitaverunt filii Joseph, filii Israel.

30. Filii [1] Aser: Jemna, et Jesua, et Jessui, et Baria, et Sara soror eorum.

31. Filii autem Baria: Heber, et Melchiel: ipse est pater Barsaith.

32. Heber autem genuit Jephlat, et Somer, et Hotham, et Suaa sororem eorum.

33. Filii Jephlat: Phosech, et Chamaal, et Asoth: hi filii Jephlat.

34. Porro filii Somer: Ahi, et Roaga, et Haba, et Aram.

35. Filii autem Helem fratris ejus: Supha, et Jemna, et Selles, et Amal.

36. Filii Supha: Sue, Harnapher, et Sual, et Beri, et Jamra,

37. Bosor, et Hod, et Samma, et Salusa, et Jethran, et Bera.

38. Filii Jether: Jephone, et Phaspha, et Ara.

39. Filii autem Olla: Aree, et Haniel, et Resia.

40. Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis, quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

℣. 38. *Jephone* — Hic de tribu *Aser* est: ergo alius ab illo *Jephone,* qui c. 4, v. 15 vocatur pater *Caleb,* quia ille erat de tribu Juda.

(1) Gen. 46, vers. 17.

CAPUT VIII.

Rursum posteri Benjamin, et primi Judæorum regis Saul.

1. Benjamin autem genuit [1] Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium,

2. Nohaa quartum, et Rapha quintum.

3. Fueruntque filii Bale: Addar, et Gera, et Abiud;

4. Abisue quoque et Naaman, et Ahoe,

5. Sed et Gera, et Sephuphan, et Huram.

6. Hi sunt filii Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath.

7. Naaman autem, et Achia, et Gera ipse transtulit eos, et genuit Oza, et Ahiud.

8. Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim et Bara uxores suas.

9. Genuit autem de Hodes uxore sua Jobab, et Sebia, et Mosa, et Molchom,

10. Jehus quoque, et Sechia, et Marma; hi sunt filii ejus, principes in familiis suis.

11. Mehusim vero genuit Abitob et Elphaal.

12. Porro filii Elphaal: Heber, et Misaam, et Samad: hic ædificavit Ono, et Lod, et filias ejus.

13. Baria autem et Sama, principes cognationum habitantium in Ajalon: hi fugaverunt habitatores Geth.

℣. 7. *Naaman* — primogenitus Ahodi. Ergo redundat conjunctio *autem,* uti in Hebræo et Græco copula, *Et.* Et ea sublata, constat sententia, alioquin obscura. Et *Gera* tertius Ahodi filius *transtulit eos,* nempe Ahoditas *e Gobaa in Manahath.*

℣. 8. Idem Gera *Genuit Saharaim in regione Moab* — ubi sedem fixerat, forte ut famem Judaicam fugeret: ut de *Elimelecho* ejusque matre *Noemi* legimus c. 1 libri Ruth.

(1) Gen. 46, vers. 21; Sup. 7, vers. 6.

14. Et Ahio, et Sesac, et Jerimoth,
15. Et Zabadia, et Arod, et Heder,
16. Michael quoque, et Jespha, et Joha, filii Baria,
17. Et Zabadia, et Mosollam, et Hezeci, et Heber.
18. Et Jesamari, et Jezlia, et Jobab, filii Elphaal,
19. Et Jacim, et Zechri, et Zabdi,
20. Et Elioenai, et Selethai, et Eliel,
21. Et Adaia, et Baraia, et Samarath, filii Semei.
22. Et Jespham, et Heber, et Eliel,
23. Et Abdon, et Zechri, et Hanan,
24. Et Hanania, et Ælam, et Anathothia,
25. Et Jephdaia, et Phanuel, filii Sesac,
26. Et Samsari, et Sohoria, et Otholia,
27. Et Jersia, et Elia, et Zechri, filii Jeroham;
28. Hi patriarchæ, et cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem.
29. In [1] Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, et nomen uxoris ejus Maacha:
30. Filiusque ejus primogenitus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Nadab.
31. Gedor quoque, et Ahio, et Zacher, et Macelloth:
32. Et Macelloth genuit Samaa: habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis.
33. [2] Ner autem genuit Cis; et Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal.
34. Filius autem Jonathan, Meribbaal: et Meribbaal genuit Micha.
35. Filii Micha, Phiton, et Melech, et Tharaa, et Ahaz;
36. Et Ahaz genuit Joada: et Joada genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri: porro Zamri genuit Mosa,
37. Et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel.
38. Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, et Hanan; omnes hi filii Asel.
39. Filii autem Esec fratris ejus, Ulam primogenitus, et Jehus secundus, et Eliphalet tertius.
40. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, et magno robore tendentes arcum: et multos habentes filios ac nepotes, usque ad centum quinquaginta. Omnes hi filii Benjamin.

℣. 28. *Hi patriarchæ* — Hebraice *capita patrum*, seu principes.

Habitaverunt in Jerusalem — quæ erat pro magna parte in tribu *Benjamin*. Quo modo vero tribus *Juda* illam sibi vindicarit, dixi Josue 18, v. 28. Sequitur:

℣. 33. *Ner autem genuit Cis* — vers. 30 dicitur *Cis* fuisse filius *Abigabaon*, id est principis Gabaon, puta *Jehielis*, cujus nomen hic omissum, sed exprimitur c. seq. v. 35. Unde colligit Mariana et Emmanuel Sa, eumdem *Jehiel* esse cum *Ner*, sic dictum a nobilitate, quod instar *lucernæ* esset in sua familia. Id enim significat *Ner*. Sed ex cap. seq. v. 36 constat, *Ner* fuisse filium *Jehiel*. Porro *Esbaal* filius hic Saulis, idem est qui *Isboseth*, qui fere septennio regnavit a morte *Saulis*, 2 Reg. 2, v. 8. Eodem modo

℣. 34. *Meribbaal* filius Jonathæ, idem est qui *Miphiboseth*, 2 Regum 9, vers. 6, ut constat ex eodem et parente Jonatha, et filio *Micha*, qui utroque loco ei sub utroque nomine *Meribbaalis* et *Miphibosethi*, tribuuntur.

(1) Infr. 9, vers. 35.

(2) 1 Reg. 14, vers. 51; Infr. 9, vers. 39.

CAPUT IX.

Principes Israelitæ qui e Babylone remigrarunt Jerosolymam cum sacerdotibus et Levitis et Nathinæis. Recensentur iterum Benjaminitæ et parentes ac posteri Saulis.

1. Universus ergo Israel dinumeratus est: et summa eorum scripta est in Libro regum Israel et Juda: translatique sunt in Babylonem propter delictum suum.

2. Qui autem habitaverunt primi in possessionibus, et in urbibus suis: Israel, et sacerdotes, et Levitæ, et Nathinæi.

3. Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, et de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, et Manasse.

4. Othei filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Juda.

5. Et de Siloni: Asaia primogenitus, et filii ejus.

6. De filiis autem Zara: Jehuel, et fratres eorum, sexcenti nonaginta.

7. Porro de filiis Benjamin: Salo filius Mosollam, filii Oduia, filii Asana:

8. Et Jobania filius Jeroham: et Ela filius Ozi, filii Mochori: et Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Jebaniæ,

9. Et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum.

10. De sacerdotibus autem: Jedaia, Joiarib, et Jachin:

11. Azarias quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Maraioth, filii Achitob, pontifex domus Dei.

12. Porro Adaias filius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ: et Maasai filius Adiel, filii Jezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer:

13. Fratres quoque eorum prin-

℣. 1. *Universus Israel dinumeratus est*, nempe jubente Davide, 2 Regum 24, *translatique sunt in Babylonem* — Huc usque ergo, præcedentibus omnibus capitibus recensiti sunt, qui captivitatem Babylonicam antecesserunt: hoc vero 9 c. recensentur ii principes, qui, soluta jam captivitate, ad suas sedes in Judæam remigrarunt. Et plurimi ex his sacerdotibus, Levitis et aliis qui hoc cap. enumerantur, etiam libro 2 Esdræ cap. 11 iisdem nominibus recensentur.

℣. 2. *Nathinæi* — Sic etiam vocantur 2 Esdræ 11, v. 21, q. d. *Donati*, seu dono dati templo. Erant hi Gabaonitæ, qui, quod Israelitis imposuissent, ad aquam et ligna in usus templi convehenda perpetuo damnati fuerunt, Josue 9, v. 23. Hi ergo ex Babylonica captivitate reduces cum *Israel*, id est Israelitico populo, nempe qui evaserant manus Assyriorum: cum decem tribus a *Theglath-Phul-Assur* et *Salman-Assar* in Assyriam et Mediam captivæ abducerentur, et sese subjecerant umbræ ac protectioni regum Juda, sed post una cum ipsis Babylonem avecti fuerunt. Hi, inquam, etiam cum tribu Juda e Babylone in Judæam reversi sunt ad possessiones suas et urbes, in quibus *primi*, seu prius, *habitarant*.

℣. 5. *Et de Siloni* — supple filiis. Vir erat olim nobilis et famosus e tribu Juda, sed non ex posteris *Phares* aut *Zare*.

℣. 11. *Azarias pontifex domus Dei* — non primarius aut summus (nam is in reditu Babylone erat Jesus, vel Josue, filius Josedechi, 1 Esdræ 3, v. 8), sed ex secundariis, nempe capitibus 24 familiarum sacerdotalium, qui et *principes sacerdotum, et pontifices templi* vocabantur.

cipes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei.

14. De Levitis autem: Semeia filius Hassub, filii Ezricam, filii Hasebia, de filiis Merari.

15. Bacbacar quoque carpentarius, et Galal, et Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph:

16. Et Obdia filius Semeiæ, filii Galal, filii Idithun; et Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis Netophati.

17. Janitores autem: Sellum, et Accub, et Telmon, et Ahimam, et frater eorum Sellum princeps.

18. Usque ad illud tempus, in porta regis ad orientem, observabant per vices suas de filiis Levi.

19. Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, et domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi: et familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum.

20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino.

21. Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii.

22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: et descripti in villis propriis: quos constituerunt David, et Samuel videns, in fide sua,

23. Tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, et in tabernaculo, vicibus suis.

24. Per quatuor ventos erant ostiarii: id est, ad orientem, et ad occidentem, et ad aquilonem, et ad austrum.

25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, et veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus.

26. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, et erant super exedras, et thesauros domus Domini.

27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis: ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.

28. De horum genere erant, et super vasa ministerii: ad numerum enim et inferebantur vasa, et efferebantur.

29. De ipsis, et qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, et vino, et oleo, et thuri, et aromatibus.

30. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.

31. Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur.

32. Porro de filiis Caath, fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.

℣. 15. *Bacbacar quoque carpentarius* — seu præfectus fabrorum templi.

℣. 16. *In atriis* — Hebraice *in villis*, quæ vocabantur *Netophati*.

℣. 18. *Usque ad illud tempus*, nempe a prima janitorum templi institutione, usque ad eversum templi a Nabuchodonosore, *observabant* hi Levitæ, *per vices suas* — Hebraice, *excubabant per turmas suas* vicissim, tum in aliis atriorum templi portis, tum vel maxime *in porta regis ad orientem*, i. e., quæ vicinior erat palatio regio, et per quam rex in templum, cum palam vellet, introire solebat.

℣. 22. *Descripti in villis propriis* — v. 25 dicitur, *In viculis morabantur*. Neque enim Levitæ omnes habitabant Jerosolymis, sed in propriis morabantur villis, viculis, urbibus. Omnes tamen per classes descripti et distributi erant, ut suis singuli temporibus ad sua ministeria Jerosolymam convenirent: prout *constituerant*, et singulis suas vices distribuerant rex *David*, et ante ipsum *Samuel Videns*, seu Propheta: distribuerant, inquam, *in fide sua*, id est fide seu commissione sibi credita tam a Deo, quam a reipublica.

33. Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent.

34. Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Jerusalem.

35. In [1] Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Jehiel, et nomen uxoris ejus Maacha.

36. Filius primogenitus ejus Abdon, et Sur, et Cis, et Baal, et Ner, et Nadab,

37. Gedor quoque, et Ahio, et Zacharias, et Macelloth.

38. Porro Macelloth genuit Samaan: isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis.

39. [2] Ner autem genuit Cis: et Cis genuit Saul: et Saul genuit Jonathan, et Melchisua, et Abinadab, et Esbaal.

40. Filius autem Jonathan, Meribbaal: et Meribbaal genuit Micha.

41. Porro filii Micha, Phithon, et Melech, et Tharaa, et Ahaz.

42. Ahaz autem genuit Jara, et Jara genuit Alamath, et Azmoth, et Zamri: Zamri autem genuit Mosa.

43. Mosa vero genuit Banaa: cujus filius Raphaia genuit Elasa: de quo ortus est Asel.

44. Porro Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, Hanan: hi sunt filii Asel.

℣. 33. *Principes cantorum* erant certi Levitæ designati, *qui in exedris morabantur* — In Hebræo additur *liberi*, nempe ab omni alia cura et ministerio, ut solis laudibus divinis decantandis, et populo docendo vacarent. *Exedra* quidem omne cubiculum et aulam significat: sed hic videtur pro iis solis locis usurpari, quæ psalmis et hymnis publice decantandis, populoque instruendo in anterioribus atriis deputata erant, quæ et *Synagogæ* postea vocatæ sunt, et *pastophoria* ante vocabantur.

℣. 35. *In Gabaon autem* — Jam a Levitis redit ad Benjaminitas, ad familiam et parentes et filios primi Israelitarum regis *Saul*, de quo plura cap. seq.

(1) Sup. 8, vers. 29. (2) Sup. 8, vers. 33.

CAPUT X.

Rex Saul reprobatus a Deo in monte Gelboe a Philisthæis occiditur cum filiis suis: ejusque caput resectum affigitur in templo Dagon, reliquum corpus cum cadaveribus filiorum suorum sepelitur a viris Jabes Galaad.

1. Philisthiim autem [1] pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæsthinos, et ceciderunt vulnerati in monte Gelboe.

2. Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, et filios ejus, percusserunt Jonathan, et Abinadab, et Melchisua, filios Saul.

3. Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, et vulneraverunt jaculis.

4. Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et interfice me: ne forte veniant incircumcisi isti, et illudant mihi. Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul ensem, et irruit in eum.

℣. 4. *Timore perterritus* cur fuit *armiger;* nec morem gerere ausus est *Sauli* domino suo jubenti ut ad evadendos hostiles annos, se interficeret? Nempe, horrebat ad immane facinus, quo jubebatur unctum Domini interficere. Forte etiam timebat, ne vel apud Israelitas, si evade-

(1) 1 Reg. 31, vers. 1.

5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, et mortuus est.

6. Interiit ergo Saul, et tres filii ejus, et omnis domus illius pariter concidit.

7. Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt: et Saul ac filiis ejus mortuis, dereliquerunt urbes suas, et huc illucque dispersi sunt: veneruntque Philisthiim, et habitaverunt in eis.

8. Die igitur altero detrahentes Philisthiim spolia cæsorum, invenerunt Saul, et filios ejus jacentes in monte Gelboe.

9. Cumque spoliassent eum, et amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur, et ostenderetur idolorum templis, et populis:

10. Arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui, et caput affixerunt in templo Dagon.

11. Hoc cum audissent viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerant super Saul,

12. Consurrexerunt singuli virorum fortium, et tulerunt cadavera Saul et filiorum ejus: attuleruntque ea in Jabes, et sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Jabes, et jejunaverunt septem diebus.

13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit [1] mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud: sed [2] insuper etiam pythonissam consuluerit,

14. Nec [3] speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum ejus ad David filium Isai.

ret: vel apud Philisthæos, si caperetur, fraudi sibi esset, regem jugulasse, qui tanti ab omnibus fieret. Hunc Saulis armigerum dicunt Hebræi, teste S. Hieronymo [4], fuisse *Doeg* Idumæum, qui Davidem prodiderat Sauli, et sacerdotes Domini jugularat 1 Regum 22, et in tanti obsequii compensationem, primarii armigeri et custodis corporis regii dignitate condecoratus sit.

℣. 9. *Ut* caput Saulis *ostenderetur idolorum templis* — tamquam nobilissimum spolium, quasi ope idolorum ex hostibus relatum, et jam illis victoribus oblatum.

℣. 10. *Arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui* — puta *in templo Astaroth*, ut habetur 1 Reg. ultim. v. 10, ubi reliqua omnia ad Saulis mortem spectantia fusius explicui.

(1) Exod. 17, vers. 14; 1 Reg. 15, vers. 3.
(2) 1 Reg. 28, vers. 8.
(3) Vers. 14. *Speraverit in Domino.* Hebr. et LXX *quæsierit*, seu *consuluerit Dominum.*
(4) In Trad. Hebr.

CAPUT XI.

Ungitur David in regem ab omnibus tribubus Israel; expellit Jebusæos ex arce Jerusalem. Nomina et heroica gesta fortium virorum David. Allatam e cisterna Bethlehem per medios hostes aquam noluit bibere.

1. Congregatus est [1] igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus, et caro tua.

2. Heri quoque, et nudiustertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas et introducebas Israel: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris princeps super eum.

3. Venerunt ergo omnes majores

℣. 2. *Tu pasces populum meum* — De his usque ad v. 8 egi 2 Reg. 3, v. 9, et toto cap. 5.

(1) 2 Reg. 5, vers. 1.

natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermonem Dñi, quem locutus est in manu Samuel.

4. Abiit quoque David, et omnis Israel in Jerusalem; hæc est Jebus, ubi erant Jebusæi habitatores terræ.

5. Dixeruntque qui habitabant in Jebus ad David: Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quæ est civitas David,

6. Dixitque: Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, et factus est princeps.

7. Habitavit autem David in arce, et idcirco appellata est civitas David.

8. Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum, Joab autem reliqua urbis extruxit.

9. Proficiebatque David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo.

10. [1] Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, juxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel.

11. Et iste est numerus robustorum David: Jesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta: iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice.

12. Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres potentes.

13. Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in prælium: et erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum.

14. Hi steterunt in medio agri, et defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos, dedit Dñus salutem magnam populo suo.

15. Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philisthiim fuerant castrametati in valle Raphaim.

16. [2] Porro David erat in præsidio, et statio Philisthinorum in Bethlehem.

17. Desideravit igitur David, et dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta!

18. Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, et attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, sed magis libavit illam Dño,

19. Dicens: Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, et sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere; hæc fecerunt tres robustissimi.

20. Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, et ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, et ipse erat inter tres nominatissimus,

℣. 11. De primo ternione fortium Davidis, vide 2 Regum 23, vv. 8 et 9.

℣. 15. *In valle Raphaim* — id est gigantum ut habetur 2 Regum 23, v. 13. Forte istic gigantes aliqui famosi olim perierunt, aut aliquid memorabile patrarunt. Sicut a simili casu locus ille, ubi duodecim ex parte David, et totidem ex parte Isboseth congressi perierunt 2 Regum 2, vers. 16 appellatus est *ager robustorum.*

℣. 20. *Abisai*, frater Joabi senior, ut constat ex 1 Paral. 2, vers. 16 ponitur primus in secundo ternione fortium Davidis. Secundus *Banaias*, qui et *robore* præcelluit, et prætorianis cohortibus *Cerethi et Phelethi* præpositus fuit, et *consilio* valebat in paucis, unde et *posuit*

(1) 2 Reg. 23, vers 8.

(2) 2 Reg. 23, vers. 14.

21. Et inter tres secundos inclytus, et princeps eorum: verumtamen usque ad tres primos non pervenerat.

22. Banaias filius Jojadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos ariel Moab: et ipse descendit, et interfecit leonem in media cisterna tempore nivis.

23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, et habebat lanceam ut liciatorium texentium: descendit igitur ad eum cum virga, et rapuit hastam, quam tenebat manu: et interfecit eum hasta sua.

24. Hæc fecit Banaias filius Jojadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus,

25. Inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat: posuit autem eum David ad auriculam suam.

26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Joab, et Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem,

27. Sammoth Arorites, Helles Phalonites,

28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites,

29. Sobbochai Husathites, Hai Ahohites,

30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites,

31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharatonites.

32. Hurai de torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites.

33. Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage Ararites,

34. Ahiam filius Sachar Ararites,

eum David ad auriculam suam, id est, habuit eum pro uno e primis consiliariis suis. Tertius secundi ternionis nullus a Scriptura nominatur: sed verisimile est, Joabum, supremum militiæ regiæ principem, eum locum tenuisse, et ex eo ad primum istum dignitatis gradum sua virtute evectum fuisse, ut insinuatur hic vers. 6.

Nota, fuisse Jerosolymis in arce Sion particularem fortium istorum Heroum domum, dictam *domum fortium* 2 Esdræ 3, v. 16, in qua conventus suos et privata exercitia habebant, teste Adrichomio. Allegorice de *fortibus Christi*, primo Apostolis, secundo Martyribus, tertio Confessoribus, quarto Virginibus, vide Rupertum et alios.

℣. 22. *Ipse* (Banaias) *percussit duos ariel Moab* — seu *duos leones Moab,* ut est 2 Regum 23, vers. 20. *Ariel* enim significat *leonem Dei,* id est præferocem et magnitudinis inusitatæ. Forte leones, quos alunt Moabiticæ silvæ, ferociores et robustiores aliis sunt: sicut leones Punici sæviores sunt, quam quos alit India, et aliæ regiones magis temperatæ. Vide Conradum Gesnerum [1], qui ex Alberto, Avicenna et Aristotele [2] id demonstrat. Abulensis et Sanctius putant, hos a Banaia consectos leones, fuisse veros, proprie dictos et naturales leones. Sed sanctus Hieronymus ex Hebræorum traditione, Josephus, Lyran., Glossa, Historia Scholastica et Cajetanus dicunt, fuisse duos potentissimos duces, instar leonum truculentos et robustos, qui subsidio accurrerunt Moabitis tum cum David illos expugnaret, 2 Regum 8, v. 2. Sed quidquid sit de duobus istis leonibus, certum est, tertium, cujus hoc eodem versu mentio fit, verum fuisse et naturalem *leonem,* quem idem Banaias *in media cisterna interfecit tempore nivis,* id est hiemali et nivoso tempore, cum membra contracta minus apta sunt ad arma tractanda, maxime in silvis, ubi nullum est ad fovendum frigidum et contractum corpus adjumentum: cum interim leo natura calidissima et quasi ignea, nihil, aut certe parum, a frigore patiatur; et hic lateret in profunda cisterna, quasi in tuto nido. Unde Banaiæ robur tum animi, tum corporis, maxime commendatur, qui non veritus est foveam subintrare, in qua non tam expedita esset armorum tractatio adversus truculentissimum hostem, et e qua tamen nullum nisi victori effugium pateret.

(1) Lib. 1 tit. de leone.

(2) Lib. 8 Hist. anim., cap. 28.

35. Eliphal filius Ur,
36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites,
37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai,
38. Joel frater Nathan, Mibahar filius Agarai.
39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Joab filii Sarviæ.
40. Ira Jethræus, Gareb Jethræus,
41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi,
42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, et cum eo triginta:
43. Hanan filius Maacha, et Josaphat Mathanites,
44. Ozia Astarothites, Samma et Jehiel filii Hotham Arorites,
45. Jedihel filius Samri, et Joha frater ejus Thosaites,
46. Eliel Mahumites, et Jeribai et Josaia filii Elnaem, et Jethma Moabites, Eliel, et Obed, et Jasiel de Masobia.

CAPUT XII.

Catalogus eorum qui adhæserunt Davidi cum fugeret Saulem. Item, qui primi ex omnibus tribubus venerunt ad Davidem in Hebron, ut cum regem constituerent.

1. Hi quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul, filium Cis, qui erant fortissimi et egregii pugnatores,
2. Tendentes arcum, et utraque manu fundis saxa jacientes, et dirigentes sagittas: de fratribus Saul ex Benjamin.
3. Princeps Ahiezer, et Joas, filii Samaa, Gabaathites; et Jaziel, et Phallet filii Azmoth; et Baracha, et Jehu Anathotites.
4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta et super triginta. Jeremias, et Jeheziel, et Johanan, et Jezabad Gaderothites;
5. Et Eluzai et Jerimuth, et Baalia, et Samaria, et Saphatia Haruphites.
6. Elcana, et Jesia, et Azareel, et Joezer, et Jesbaam de Carehim:
7. Joela quoque, et Zabadia, filii Jeroham de Gedor.
8. Sed et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam: facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus:
9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius,
10. Masmana quartus, Jeremias quintus,
11. Ethi sextus, Eliel septimus,
12. Johanan octavus, Elzebad nonus,
13. Jeremias decimus, Machbanai undecimus;
14. Hi de filiis Gad principes exercitus: novissimus centum militibus præerat, et maximus, mille.

℣. 2. *De fratribus Saul* — Id est, de cognatis et contribulibus Saulis regis, etiam tum Davidi se junxerunt tot principes; cum fugeret *Saulem* et latitaret in *Siceleg*. Quod sane stupendum fuit divinæ providentiæ miraculum. Uti et istud infra, v. 29, quod tria millia de Benjamin et fratribus Saul, maluerint Davidi regi de aliena tribu Juda, quam *Isbosetho* de sua propria tribu Benjaminia subesse.

℣. 6. *De Carehim* — Id est, hebraice et græce, de *Coritis* seu posteris *Core*, Levitis.

℣. 8. *Sed et de Gaddi* — id est, *de tribu Gad*.

15. Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas: et omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus, ad orientalem plagam et occidentalem.

16. Venerunt autem et de Benjamin, et de Juda, ad præsidium, in quo morabatur David.

17. Egressusque est David obviam eis, et ait: Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et judicet.

18. Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta, et ait: Tui sumus, o David, et tecum filii Isai: pax, pax tibi, et pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmæ.

19. Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthiim adversus Saul, ut pugnaret: et non dimicavit cum eis: [1] quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul.

20. Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, et Jozabad, et Jedihel, et Michael, et Ednas, et Jozabad, et Eliu, et Salathi, principes millium in Manasse;

21. Hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, et facti sunt principes in exercitu.

22. Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.

23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum juxta verbum Domini.

24. Filii Juda portantes clypeum et hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium.

25. De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum.

26. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti.

27. Jojada quoque princeps de stirpe Aaron, et cum eo tria millia septingenti.

28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, et domus patris ejus, principes viginti duo.

29. De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul.

30. Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis.

℣. 15. *Mense primo* — puta Nisan, qui nostro Martio et Aprili respondet [2], *quando inundare consuevit Jordanis super ripas suas,* quod fit tempore messis, Josue 3, v. 15. In qua Gaditarum audacia eluxit, quos fluminis quaquaversum inundatio non impedivit, quo minus et trajicerent, et hostes suos fugarent.

℣. 21. *Adversus latrunculos* — scilicet Amalecitas, 1 Reg. 30, v. 8.

℣. 22. *Exercitus Dei* — Id est, maximus: ut maxima sunt quæcumque Dei sunt.

℣. 28. *Sadoc* — Hic videtur fuisse tum summus pontifex, a Saule constitutus loco Abimelechi ab eodem Saule occisi: de quo 1 Regum 22. Quis enim credat, cum tanto pene totius gentis concursu regnum Davidi deferretur, summum pontificem abfuisse? Et quis præter pontificem duxisset secum de domo Aaron principes viginti duos? Nam *Jojada,* cujus mentio fit versu præcedenti, etsi sacerdos, militaris tamen princeps erat et dux agminis quod ad Davidem deducebat: ita Mariana.

(1) 1 Reg. 29, vers. 4.

(2) Chron. c. 4.

31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem et octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent regem David.

32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur.

33. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, et stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici.

34. Et de Nephthali, principes mille: et cum eis instructi clypeo et hasta, triginta et septem millia.

35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti.

36. Et de Aser egredientes ad pugnam, et in acie provocantes, quadraginta millia.

℣. 32. *De filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel* — Erant enim, ut teste S. Hieronymo [1] tradunt Hebræi, ex ea tribu *doctores et computatores ad festivitates* per annum occurrentes populo denunciandas. Vel potius, astrologica scientia pollebant, qua ex vario siderum aspectu variæ temporum tempestatumque mutationes colliguntur. Qua scientia fere præcellere solent qui ruri vitam quietam agunt, vel solis agris colendis, aut gregibus pascendis vacant, ut faciebant *Issacharitæ:* et prædixerat patriarcha Jacob Genes. 49, v. 14, et Moyses Deut. 33, v. 18. Et solet hæc rustica Astrologia sæpe certior esse illa quam etiam peritiores Astronomi scriptis tradiderunt: et in militia quoque non exiguos usus et commoditates habet. Nam experientia constat, magnas subinde, tum olim, tum recens quoque in Indiis et alibi, ex eclipsi seu solis, seu lunæ, aliisque temporum tempestatumve mutationibus opportune prædictis, et ex occasione observatis, mutationes rerum etiam in militia factas: ita Sanctius ex Abulensi et aliis.

(1) In Trad. Hebr.

37. Trans Jordanem autem de filiis Ruben, et de Gad, et dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia.

38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel: sed et omnes reliqui ex Israel uno corde erant, ut rex fieret David.

39. Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes et bibentes: præparaverant enim eis fratres sui.

40. Sed et qui juxta eos erant, usque ad Issachar, et Zabulon, et Nephthali, afferebant panes in asinis, et camelis, et mulis, et bobus, ad vescendum: farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes, ad omnem copiam; gaudium quippe erat in Israel.

CAPUT XIII.

E Cariathiarim reducitur arca fœderis: rex David ante eam ludit et psallit. Oza quia arcam contingit a Deo occiditur. Arca in domum Obededom deflectit magno illius gaudio et bono.

1. Iniit autem consilium David cum tribunis, et centurionibus, et universis principibus,

2. Et ait ad omnem cœtum Israel: Si placet vobis, et a Domino Deo nostro egreditur sermo, quem lo-

℣. 2. *Ad Levitas qui habitant* etiam *in suburbanis urbium* — nam in Hebræo, est, *in urbibus* (et) *suburbiis ipsarum*, id est, ad omnes, quocumque in loco habitent, mittamus nuntios.

quor: mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, et ad sacerdotes, et Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos,

3. Et reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus eam in diebus Saul.

4. Et respondit universa multitudo ut ita fieret: placuerat enim sermo omni populo.

5. Congregavit ergo David cunctum Israel, a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, [1] ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim.

6. Et ascendit David et omnis vir Israel ad collem Cariathiarim, qui est in Juda, ut afferret inde arcam Dñi Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen ejus.

7. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum de domo Abinadab: Oza autem, et frater ejus minabant plaustrum.

8. Porro David, et universus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis, et in citharis, et psalteriis, et tympanis, et cymbalis, et tubis.

9. Cum autem pervenissent ad aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam.

10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam: et mortuus est ibi coram Domino.

11. Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam: vocavitque locum illum: Divisio Ozæ, usque in præsentem diem.

12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quomodo possum ad me introducere arcam Dei?

13. Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi.

14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: et benedixit Dñus domui ejus, et omnibus quæ habebat.

℣. 3. *Non enim requisivimus* arcam *in diebus Saul* — Id est, non magna nobis cura fuit, immo nulla, collocandi arcam fœderis loco decenti: præpedientibus id continuis bellis ab initio regni Saulis usque ad præsens tempus.

℣. 5. *A Sihor Ægypti* fluvio. *Sihor* hebraice *Nigrum* significat. Unde putant quidam *Nilum* hic designari, quod ejus aqua, quia turbida, vocari soleat *Nigra*. Et Jeremiæ 2 v. 18 ubi nos habemus, *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam* turbidam? hebraice est, *aquam Sihor?* Ego malim de *Rhinocorura* altero fluvio Ægypti, et termino Palæstinæ, hunc locum intelligere, juxta dicta Josue 13, v. 3. Nam *Nilus* non *Sihor*, sed *Gehon* vocari consuevit, Genes. 2, v. 13.

℣. 7. *Oza, et frater ejus* — 2 Reg. 6, v. 3 vocatur *Ahio*, quod idem est ac *frater ejus* [2].

Minabant plaustrum — Id est, deducebant et observabant plaustrum quo arca vehebatur.

℣. 9. *Chidon* — 2 Reg. 6, v. 6 *Nachon* vocatur, quia binomius.

℣. 11. *Divisisset* — nempe animam separando a corpore. Reliqua hujus capitis exposui 2 Reg. 6.

(1) 2 Reg. 6, vers. 2.

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 17.

CAPUT XIV.

Hiram rex Tyri ligna et opifices mittit Davidi, qui regium illi palatium struunt. David ex pluribus uxoribus plurimos gignit liberos: bis ingenti strage cædit Philisthæos.

1. Misit quoque Hiram [1] rex Tyri nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices parietum, lignorumque, ut ædificaret ei domum.

2. Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem super Israel, et sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel.

3. [2] Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem: genuitque filios, et filias.

4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem: Samua, et Sobad, Nathan, et Salomon,

5. Jebahar, et Elisua, et Elipha-let,

6. Noga quoque, et Napheg, et Japhia,

7. Elisama, et Baaliada, et Eliphalet.

8. [3] Audientes autem Philisthiim eo quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quærerent eum: quod cum audisset David, egressus est obviam eis.

9. Porro Philisthiim venientes, diffusi sunt in valle Raphaim.

10. Consuluitque David Dñum, dicens: Si ascendam ad Philisthæos, et si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, et tradam eos in manu tua.

11. Cumque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi David, et dixit: Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut diviuntur aquæ: et idcirco vocatum est nomen illius loci Baalpharasim.

12. Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David jussit exuri.

13. Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, et diffusi sunt in valle.

14. Consuluitque rursum David Deum, et dixit ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, et venies contra illos ex adverso pyrorum.

15. Cumque audieris sonitum gra-

℣. 1. *Misit Hiram rex Tyri* — An requisitus a Davide, uti post a Salomone 3 Regum 5, v. 2; an ultro et sponte sua fœdus amicitiamque obtulit, ne forsan et ipse aliquando adversarium pateretur, quem videbat tam prosperis initiis, et felicibus successibus uti?

℣. 2. *Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in regem* — Non potuit id certo nosse ex primis adeoque prosperis regni initiis: nam et Sauli obtigerant similia, nec tamen confirmatum aut stabilitum fuerat regnum ipsius: sed *prophetice*, et revelante Deo id cognovit.

℣. 11. *Baal-Pharasim* significat vel *vallem divisionis* seu occisionis, ut dixi cap. præced., v. 11. Vel *idolorum divisionem*. Sic enim voluit hanc vallem ante dictam *Raphaim*, id est gigantum, vocare David occasione hujus novæ victoriæ, qua et *hostes divisi*, et instar aquæ rupta hydria, dispersi in terram: et *idola quoque divisa* sunt, tum ab iis qui illa coluerant: nam, ut subditur, *Dereliquerunt ibi deos suos;* tum a seipsis et in seipsis: nam *David jussit exuri* ad unum omnes, juxta præceptum Domini, Deut. 7, vers. 25.

℣. 14. *Non ascendas post eos* — 2 Regum 5, v. 23 dicit, *Non ascendas contra eos*, nempe recta in adversos hostes irruendo: sed *recede ab eis*, et capto circuitu mitte qui illos a tergo aggrediantur: sed ne prius vel inde quis irruat in

(1) 2 Reg. 5, vers. 11. (2) 2 Reg. 5, vers. 13. (3) 2 Reg. 5, vers. 17.

dientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim.

16. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, et percussit castra Philisthinorum, de Gabaon usque Gazera.

17. Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

hostem, quam cælitus signum dederim: consistant ergo tui istic immoti *ex adverso pyrorum*, quoad audiant strepitum aurææ tenuis, qua arborum cacumina, sine alio vento moveantur. Hoc enim certum erit tibi signum, adesse tum præsentem opem Dei, qua roboratus sternes omnes acies hostiles, cohorte angelica præeunte et territante ac turbante hostes, eosdemque fugante, et una vobiscum cædente: ita Josephus, Theodoretus et alii. Cur ex illa adversa parte jusserit Deus castra Philisthinorum invadi causam dant Hebræi, teste S. Hieronymo: neque improbat Angelomus, et Magister Historiæ Scholasticæ, quod collocassent in ea castrorum parte idola sua, quæ secum præsidii causa advexerant. Quasi hoc facto voluerit Deus indicare, nullum totis castris locum, quam quem idola tuerentur, expugnatu faciliorem esse, immo per illam præcise partem, tamquam minime omnium munitam, aditum apertum iri ad facilem illustremqué victoriam.

CAPUT XV.

Parato Jerosolymis tabernaculo, arcam in illud inducit rex David comitante omni Israele. Michol filia Saul, quod despexisset regem David coram arca saltantem, sterilitate punitur.

1. Fecit quoque sibi domos in civitate David: et ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.

2. Tunc dixit David: Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dñus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi usque in æternum.

3. Congregavitque universum Israel in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei.

4. Necnon et filios Aaron, et Levitas;

5. De filiis Caath, Uriel princeps fuit; et fratres ejus centum viginti.

6. De filiis Merari, Asaia princeps; et fratres ejus ducenti viginti.

7. De filiis Gersom, Joel princeps; et fratres ejus centum triginta.

8. De filiis Elisaphan, Semeias princeps; et fratres ejus ducenti.

9. De filiis Hebron, Eliel princeps; et fratres ejus octoginta.

10. De filiis Oziel, Aminadab princeps; et fratres ejus centum duodecim.

11. Vocavitque David Sadoc, et Abiathar sacerdotes, et Levitas, Uriel, Asaiam, Joel, Semeiam, Eliel, et Aminadab;

12. Et dixit ad eos: Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei præparatus est:

13. [1] Ne ut a principio, quia non

ỳ. 12. *Afferte arcam*, humeris vestris, et non plaustro: illicitum enim portari arcam ab aliis quam a Levitis, ut v. 2 dixerat: et Numer. 4, vers. 15 expresse decernitur.

ỳ. 13. *Ne ut a principio* — cum nempe ex *Cariathiarim* nuper arcam deduximus cap. 13 *quia* vos Levitæ *non eratis præsentes*, nempe bajulando arcam hu-

(1) Sup. 13, vers. 10.

eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic et nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.

14. Sanctificati sunt ergo sacerdotes, et Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel.

15. [1] Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis in vectibus.

16. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.

17. Constitueruntque Levitas: Heman filium Joel, et de fratribus ejus, Asaph filium Barachiæ: de filiis vero Merari, fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ.

18. Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, et Ben, et Jaziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, Eliab, et Banaiam, et Maasiam, et Mathathiam, et Eliphalu, et Maceniam, et Obededom, et Jehiel, janitores.

19. Porro cantores, Heman, Asaph, et Ethan, in cymbalis æneis concrepantes.

20. Zacharias autem, et Oziel, et Semiramoth, et Jahiel, et Ani, et Eliab, et Maasias, et Banaias, in nablis arcana cantabant.

21. Porro Mathathias, et Eliphalu,

meris vestris, ut oportebat; *percussit nos Dominus*, occidendo *Ozam: sic et nunc fiat.* Hinc, et ex vers. seq. patet, causam percussi *Ozæ* fuisse neglectum legis divinæ, quæ jubebat arcam, cum transferenda esset, non aliis quam Levitarum humeris transferri, ut fusius dixi 2 Reg. 6.

℣. 18. *Obededom et Jehiel janitores* — Vers. 24 vocantur iidem *janitores arcæ:* et v. 23 duo alii illis in eodem munere junguntur. Nempe hi quatuor designati jam erant *janitores* et custodes introitus ad locum arcæ, seu ad tabernaculum, quod rex David in arce Sion pro custodia arcæ tetenderat, ut dicitur vers. 1 hujus capitis. Sed ex nunc in devehenda quoque arca, jubebantur obire idem suum munus, nempe submovere alios, alios admittere ad arcæ viciniam, prout cujusque dignitas aut ordo postularet: simili fere modo quo solent œconomi regis in publica pompa, a regis lateribus arcere arcendos, admovere admovendos.

℣. 19. *Cymbala ænea* vocantur quæ ex solo ære, sine admixtione alterius materiæ conflata sunt, et artificioso concussu vel collisione concrepant, qualia sunt *sistra, crotali,* et alia his similia. Quo etiam refero *tintinnabula* et *pelves:* quæ percussione resonant. De *tubis* agitur v. 24 et seq.

℣. 20. *Nablum,* seu *nablium,* instrumentum est quod aerem excipit ab utriculo, et eumdem per fistulam reddit cum modulato sono, sine inflatu cujusquam. *Utriculum* Latini vocant, Græci ἀσκόν; et qui eo utitur *Ascaules,* et *Utricularius* vocatur. Forte istud Davidicum pluribus compactum erat fistulis, ut sonum magis varium ederet, videturque idem esse cum eo, quod S. Hieronymus [2] *symphoniam* vocat.

℣. 21. Per *arcana,* et *octavam* indicantur illi Psalmi qui talibus titulis insigniti erant: qualis est Psalmus 9 et Psalmus 45, quorum titulus est *Alamoth* [3], quod Noster nunc *arcana* vertit, nunc *occulta.* Et sunt illi duo Psalmi ad illum temporis articulum, quo solemniter translata est arca, sic accommodati, ut in illam rem videantur a Davide ex professo compositi fuisse. Psalmus 4, 6 et 11 titulum habent *super Seminith* [4], quod Noster vertit, *in Octava,* vel *pro Octava,* videturque instrumentum fuisse *octachordum,* v. g. cithara *octo chordis* instructa; sicut erant aliæ *heptachordæ,* et *dechachordæ.* In his *octochordis* cani jubebatur *epinicium,* id est *carmen triumphale,* seu *pro victoria:* quale continent Psalmi jam citati.

(1) Num. 4, vers. 15.
(2) Epist. ad Dardanum, tom. 4.

(3) עלמות.
(4) שמינית.

et Macenias, et Obededom, et Jehiel, et Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion.

22. Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens.

23. Et Barachias, et Elcana, janitores arcæ.

24. Porro Sebenias, et Josaphat, et Nathanael, et Amasai, et Zacharias, et Banaias, et Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: et Obededom, et Jehias erant janitores arcæ.

25. Igitur David, et omnes majores natu Israel, et tribuni ierunt ad deportandam arcam fœderis Dñi de domo Obededom cum lætitia.

26. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Dñi, immolabantur septem tauri, et septem arietes.

27. Porro David erat indutus stola byssina, et universi Levitæ qui portabant arcam, cantoresque, et Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo.

28. Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantes.

29. Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David saltantem atque ludentem, et despexit eum in corde suo.

℣. 22. Per *prophetiam* intelligitur *melodia*, seu *laudes Deo decantandæ*, ut dixi 1 Regum 10, v. 5. Sequitur

℣. 26. *Cumque adjuvisset Deus Levitas* in deferenda arca; ut nempe sine ulla offensione ad fastigium usque arcis Sion, per viam sat acclivem deferretur. Nam quod Hebræi dicunt, arcam nulli oneri Levitis fuisse, reliquis illorum fabulis adjungendum: ita Abulensis et Sanctius [1].

℣. 27. *Stola byssinæ* eadem est cum *ephod lineo*, ut alibi [2] dixi. Unde et LXX verterunt *ephod byssinum:* byssus autem est linum subtilius.

(1) In 2 Reg. 6, vers. 12.

(2) Exod. 28, et 1 Reg. 22, vers. 18.

CAPUT XVI.

Coram arca victimæ offeruntur Deo. Populo benedicitur a rege, et epulum præbetur. Levitarum ministeria coram arca decernuntur, cum cantico laudum divinarum.

1. Attulerunt igitur arcam Dei, et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: [1] et obtulerunt holocausta, et pacifica coram Deo.

2. Cumque complesset David offerens holocausta, et pacifica, benedixit populo in nomine Domini.

3. Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem, tor-

℣. 2. *Benedixit* David *populo* — duplici benedictione, una spirituali, dum bene illi precatur, Deumque rogat, ut populi pietatem cælestium terrestriumque rerum abundantia compenset. Altera corporali, cum discedentem populum xenio et hospitali ferculo prosequitur. Ita 1 Regum 25, v. 27 munera quæ Abigail ad Davidem offert, *benedictionem* vocat. Simili modo vers. 43 dicitur David *benedixisse* etiam *domui* seu familiæ et aulæ *suæ*.

℣. 3. *Divisit universis tortam panis* — Hebræum *chala* [2] Noster interpres

(1) 2 Reg. 6, vers. 17.

(2) חלה. (Hic tamen est *kiccar* ככר, non *challa*.)

tam panis, et partem assæ carnis bubalæ, et frixam oleo similam,

4. Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel.

5. Asaph principem, et secundum ejus Zachariam: porro Jahiel, et Semiramoth, et Jehiel, et Mathathiam, et Eliab, et Banaiam, et Obededom: Jehiel super organa psalterii, et lyras: Asaph autem ut cymbalis personaret;

6. Banaiam vero et Jaziel sacerdotes, canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini.

7. In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, et fratres ejus.

8. [1] Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus.

9. Cantate ei, et psallite ei, et narrate omnia mirabilia ejus.

10. Laudate nomen sanctum ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

11. Quærite Dñum, et virtutem ejus: quærite faciem ejus semper.

12. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit: signorum illius, et judiciorum oris ejus.

13. Semen Israel servi ejus: filii Jacob electi ejus.

14. Ipse Dominus Deus nŏster: in universa terra judicia ejus.

15. Recordamini in sempiternum pacti ejus: sermonis, quem præcepit in mille generationes,

16. Quem pepigit cum Abraham: et juramenti illius cum Isaac.

17. Et constituit illud Jacob in præceptum: et Israel in pactum sempiternum,

18. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ,

19. Cum essent pauci numero, parvi et coloni ejus.

20. Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.

21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges.

vertit subinde *tortam*, ut hic: subinde *collyridam*, ut 2 Reg. 6, v. 19: subinde *crustulam*, ut Exodi 29, v. 2. Erat vero genus *placentæ*, cui ad conciliandum saporem, admixtum erat aliquid dulciarium. De quo vide Rhodiginium [2].

Et partem assæ carnis bubalæ — Ex 2 Regum 6, v. 19 patet legendum *bubalæ*. Hebræum *Espar* [3], quod *frustum carnis* significat, videtur Noster in duas partes dissecuisse, hoc modo *Es par*, id est, *bos ignitus*, seu *assatus*; ideoque reddidit, *assam carnem bubulam* seu vitulinam. Similis ratio excipiendi cum xenio populi apud multas nationes olim in usu fuit, et est etiamnum hodie apud nonnullas, ut in Hispania pluribus locis, cum ad festum aliquod solemnius celebrandum populus concurrit. Quod officium vulgo *caritatem* vocant: ut Græci olim Agapen.

Et similam oleo frixam — Hebræum *hasisah* [4] solum in genere significat id *quod hominem exhilarat*, maxime in convivio. Unde pro rerum ac temporum opportunitate varie interpretes vertunt, nunc *similam oleo frixam*, ut hic, nunc *laganum*, ut hic LXX vel *artolaganum*, vel *lalangium* (sunt ex secundarum mensarum bellariis, ex pane, saccaro, aliisque palato demulcendo idoneis confecta): nunc *flores* vertunt, ut Cant. 2, vers. 5: *Fulcite me floribus:* nunc *lagenam*, supple vini: ut hic plerique recentiores vertendum contendunt; credo, ne vinum mensæ Davidicæ defuisse videatur.

℣. 8. *Confitemini Domino:* et ℣. 23: *Cantate Domino omnis terra* — duo Psalmi sunt, rudiori primum opere in hac arcæ translatione compositi a Davide: sed postmodum magis expoliti, numerisque suavioribus donati, in Psalterium translati sunt, prior ordine 104, posterior 95. Ubi eosdem explicatos invenies.

(1) Psalm. 104, vers. 1; Isa. 12, vers. 4.
(2) Lib. 9 Lect. antiq., c. 16.
(3) אשפר.
(4) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 11. אשישה.

22. [1] Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari.

23. [2] Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare ejus.

24. Narrate in gentibus gloriam ejus: in cunctis populis mirabilia ejus.

25. Quia magnus Dominus, et laudabilis nimis: et horribilis super omnes deos.

26. Omnes enim dii populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.

27. Confessio et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco ejus.

28. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam et imperium.

29. Date Domino gloriam, nomini ejus, levate sacrificium, et venite in conspectu ejus: et adorate Dominum in decore sancto.

30. Commoveatur a facie ejus omnis terra: ipse enim fundavit orbem immobilem.

31. Lætentur cæli, et exultet terra: et dicant in nationibus, Dñus regnavit.

32. Tonet mare, et plenitudo ejus: exultent agri, et omnia quæ in eis sunt.

33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit judicare terram.

34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

35. Et dicite: Salva nos Deus salvator noster; et congrega nos, et erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et exultemus in carminibus tuis.

36. Benedictus Dñus Deus Israel ab æterno usque in æternum: et dicat omnis populus: Amen, et hymnum Domino.

37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph et fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter, per singulos dies, et vices suas.

38. Porro Obededom, et fratres ejus sexaginta octo; et Obededom filium Idithun, et Hosa constituit janitores.

39. Sadoc autem sacerdotem, et fratres ejus sacerdotes coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon,

40. Ut offerrent holocausta Dño super altare holocautomatis jugiter, mane et vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli.

41. Et post eum Heman, et Idithun, et reliquos electos, unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino: Quoniam in æternum misericordia ejus.

42. Heman quoque et Idithun canentes tuba, et quatientes cymbala, et omnia musicorum organa, ad canendum Deo; filios autem Idithun fecit esse portarios.

43. Reversusque est omnis populus in domum suam; et David, ut benediceret etiam domui suæ.

℣. 39. *Sadoc autem sacerdotem* — scilicet summum nuper a Saule constitutum, jussit David eo munere fungi, non in arce Sion coram arca fœderis, sed *in Gabaon, coram tabernaculo Domini* a Moyse olim concinnato in deserto Sinai: Abiatharum vero jussit sacerdotio fungi Jerosolymis coram arca. Cum enim jure successionis deberetur ea dignitas Abiatharo, utpote filio *Achimelechi* injuste a Saule occisi: nollet tamen David Sadoco, recens sibi conciliato, ut dixi cap. 12, v. 28, et forsan ex pactis conventis, et propter egregia merita, in eodem munere, quo a Saule condecoratus fuerat, publice per Davidem continuato, non posset quidquam derogare; sic munus utriusque distribuit pacis et concordiæ causa, ut unus pontificatu fungeretur in *Gabaon*, alter in urbe *Jerosolyma*.

(1) Psalm. 104, vers. 15.

(2) Psalm. 95, vers. 1.

CAPUT XVII.

Paranti Davidi ædificare templum Domino, cœlitus id inhibetur: sed filius ei promittitur, qui id facturus sit, cum longa posteritate. Unde David prolixas Deo gratias agit.

1. Cum autem habitaret David in domo sua, [1] dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Dñi sub pellibus est.

2. Et ait Nathan ad David: Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est.

3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:

4. Vade, et loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.

5. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israel usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, et in tentorio

6. [2] Manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israel, quibus præceperam ut pascerent populum meum, et dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

7. Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David: Hæc dicit Dñus exercituum: Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel.

8. Et fui tecum quocumque perrexisti: et interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra.

9. Et dedi locum populo meo Israel, plantabitur, et habitabit in eo, et ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atterent eos sicut a principio,

10. Ex diebus quibus dedi judices populo meo Israel, et humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus domum.

11. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: et stabiliam regnum ejus.

12. Ipse ædificabit mihi domum,

℣. 9. *Et dedi locum*, supple stabilem, *populo meo* — Commemorat beneficia tum Davidi ejusque familiæ, tum reliquo omni populo cælitus collata; spondetque, eadem divina manu ac potentia, qua subacti fuerunt Israelis hostes, servatum quoque iri Israelitas in læto otio et stabili pace. Non quod omnimoda libertas et integra pax, plenumque otium concedendum sit (nam sæpe id non expedit: et constat, non raro posthac tum a vicinis hostibus, tum ab inquilinis turbatum fuisse Israelis imperium): sed non esse affligendum populum *sicut a principio, cum judices populo præessent*, id est, eo modo quo Judicum temporibus subinde affligebatur, v. g. a Madianitis, Ammonitis, Moabitis, et Philisthæis: quæ afflictio pene similis videbatur Ægyptiacæ servituti. Porro, quod hic dicitur, Israelitas *ultra* non sic afflictum iri, intelligendum de tempore longissimo: et sub conditione, si (de novo Deum non provocent suis sceleribus ad similes aut majores plagas infligendas: uti provocarunt tempore sequentium regum, atque ita merito similes, si non graviores, pœnas dederunt Assyriis et Chaldæis.

Reliqua hujus cap. explicata habes 2 Regum 7.

(1) 2 Reg. 7, vers. 2.

(2) * Vers. 6: *Manens cum omni Israel.* Hæc verba Hieronymus junxit cum superioribus. Hebr. et LXX jungunt cum sequentibus, sic: *In omnibus* (scilicet locis) *quibus ambulavi in* (pro cum) *omni Israel, num verbum locutus sum uni Judicum Israel?* Sic Hebr. habent. Vide Mariana. „

et firmabo solium ejus usque in æternum.

13. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit,

14. Et statuam eum in domo mea, et in regno meo, usque in sempiternum: et thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.

15. Juxta omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

16. Cumque venisset rex David, et sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum, Domine Deus, et quæ domus mea, ut præstares mihi talia?

17. Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: et fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.

18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, et cognoveris eum?

19. Dñe, propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, et nota esse voluisti universa magnalia.

20. Domine, non est similis tui: et non est alius Deus absque te, ex omnibus, quos audivimus auribus nostris.

21. Quis enim est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, et faceret populum sibi, et magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat?

22. Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, et tu Domine factus es Deus ejus.

23. Nunc igitur, Domine, sermo quem locutus es famulo tuo, et super domum ejus, confirmetur in perpetuum, et fac sicut locutus es.

24. Permaneatque et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, et dicatur: Dominus exercituum Deus Israel, et domus David, servi ejus permanens coram eo.

25. Tu enim, Domine Deus meus, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: et idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te.

26. Nunc ergo, Dñe, tu es Deus, et locutus es ad servum tuum tanta beneficia.

27. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

CAPUT XVIII.

Victoriæ Davidis de Philisthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis, Amalecitis: cum catalogo officialium Davidis.

1. Factum est autem post hæc, ut percuteret[1] David Philisthiim, et humiliaret eos, et tolleret Geth, et filias ejus, de manu Philisthiim,

2. Percuteretque Moab, et fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera.

3. Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut dila-

℣. 3. *Regio Hemath* est Antiochia Syriæ. Ideo autem hic exprimitur, ut differentia notetur inter hanc Syriæ partem cujus metropolis est *Antiochia*, ab alia cujus caput est *Damascus*, cujus propterea rex hic v. 5 vocatur *Syrus Damascenus*. Sed hic prævaluit David, et tributum injunxit, ut dicitur vers. 6. Altero *usus est amico* et confœderato, ut

(1) 2 Reg. 8, vers. 1.

taret imperium suum usque ad flumen Euphraten.

4. Cepit ergo David mille quadrigas ejus, et septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit tibi.

5. Supervenit autem et Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed et hujus percussit David viginti duo millia virorum.

6. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, et offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.

7. Tulit quoque David pharetras aureas quas habuerant servi Adarezer, et attulit eas in Jerusalem.

8. Necnon de Thebath et Chun, urbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, et columnas et vasa ænea.

9. Quod cum audisset Thou rex Hemath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba,

10. Misit Adoram filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, et congratularetur ei, quod percussisset et expugnasset Adarezer: adversarius quippe erat Thou Adarezer.

11. Sed et omnia vasa aurea, et argentea, et ænea, consecravit David rex Domino, cum argento et auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, et Moab, et filiis Ammon, quam de Philisthiim et Amalec.

12. Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum, decem et octo millia:

13. Et constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David: salvavitque Dominus David in cunctis, ad quæ perrexerat.

14. Regnavit ergo David super universum Israel, et faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo.

15. Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum, et Josaphat filius Ahilud a commentariis,

16. Sadoc autem filius Achitob, et Ahimelech filius Abiathar, sacerdotes: et Susa scriba.

17. Banaias quoque filius Jojadæ super legiones Cerethi et Phelethi: porro filii David, primi ad manum regis.

patet ex v. 9, licet partem regni ipsius, quam tyrannice sibi usurparat *Adarezer*, eo devicto David jure belli expilarit, v. 8. Cap. seq. vers. 6 habes aliam Syriæ partem dictam *Maacha:* item aliam *Mesopotamiam:* de quibus vide Geographos.

℣. 12. *In valle Salinarum* — Hæc vallis inter Syriam est et Palæstinam, non longe a *mari mortuo* quod et *salissimum* appellatur, ob salsuginem et salis ex aqua concrescentis abundantiam. Et spectat ad terminos *Idumæorum*, quibus locus ille fatalis fuisse videtur, ob crebram istic cladem ab Israelitis acceptam: nam, ut hanc omittam Abisai victoriam, qua cæsa sunt *octodecim millia;* Joab in eadem valle cecidit alia duodecim millia Idumæorum, ut ex titulo Psalmi 59 colligit S. Hieronymus [1], ubi id de Joab expresse affirmatur. Deinde

(1) In Trad. Hebr. ad lib. Reg. (2) 1 Reg. 22, v. 10.

Amasias rex Juda 4 Regum 14, v. 7 dicitur percussisse filios *Seir*, seu Edom, vel Esau, id est Idumæos, *decem millia in valle Salinarum*, præter alia eorumdem decem millia, quos e rupe in subjectam vallem præcipites dederunt, 2 Par. 25, 12.

℣. 16. *Ahimelec filius Abiathar* — In Hebræo, Chaldæo et Græco est *Abimelec:* et hic est genitivi casus, et nomen parentis *Abiathari* [2], quia *Abiathar* mansit una cum Sadoco sacerdos summus usque ad initium regni Salomonis, a quo demum privatus est ea dignitate, 3 Regum 2, v. 27. Nisi malis dicere, hunc *Ahimelech* eumdem esse cum *Ahimelech* filio *Abiathari* infra, c. 24, vers. 6 et parentem filio suo eumdem secum honorem communicasse, ut olim Heli fecerat, et Samuel, 1 Regum 2, v. 12, et c. 8, v. 1: ita Mariana.

Reliqua hujus cap. explicui 2 Reg. 8.

CAPUT XIX.

Hanon rex Ammon, ob injuriam et contumeliam, qua legatos Davidis affecerat, bello invaditur et superatur, una cum Syris auxiliaribus.

1. Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, [1] et regnaret filius ejus pro eo.

2. Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon,

3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadvertis, quod ut explorent, et investigent, et scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus.

4. Igitur Hanon pueros David decalvavit, et rasit, et præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, et dimisit eos.

5. Qui cum abiissent, et hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant), et præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, et tunc reverterentur.

6. Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, et de Syria Maacha, et de Soba, currus et equites.

7. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, et regem Maacha, cum populo ejus. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum.

8. Quod cum audisset David, misit Joab, et omnem exercitum virorum fortium.

9. Egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis: reges autem qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt.

10. Igitur Joab intelligens bellum ex adverso, et post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, et perrexit contra Syrum.

11. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris

℣. 4. *Decalvavit* — Id in Hebræo, Chaldæo et Græco non habetur, sed solum, *rasit*, nempe dimidiam capitis partem et *barbæ:* ut habes 2 Reg. 10, v. 4. Neque ibi dicitur, præscidisse vestes *a natibus usque ad pedes:* sed præscidisse *vestes medias usque ad nates:* nempe a pedibus usque ad cingulum, ita ut nates detegerentur, hoc enim majori probro erat ac dedecori.

℣. 7. *Triginta duo millia curruum* (metonymice continens pro contento) sunt totidem millia equitum e curribus pugnantium, pro more illius temporis. Nam equites vocabantur non ii soli qui equis insiderent: sed etiam qui equis currum cui armati inerant protrahentibus vehebantur. Patet Isaiæ 21, v. 7: *Vidit currum duorum equitum,* id est, in quo duo vehebantur. Et v. 9: *Vir bigæ equitum.* Et cap. 22, v. 6: *Currum hominis equitis.* Et quis alioquin Cantic. 1 esset *equitatus in curribus Pharaonis?* Aut quo sensu diceretur hic v. 18 David *interfecisse de Syris septem millia curruum?* Reliqua hujus cap. habes 2 Reg. 10.

(1) 2 Reg. 10, vers. 1.

sui, et perrexerunt contra filios Ammon.

12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium.

13. Confortare, et agamus viriliter pro populo nostro, et pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.

14. Perrexit ergo Joab, et populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: et fugavit eos.

15. Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, et ingressi sunt civitatem: reversusque est etiam Joab in Jerusalem.

16. Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, et adduxit Syrum, qui erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum.

17. Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, et transivit Jordanem, irruitque in eos, et direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus.

18. Fugit autem Syrus Israel: et interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, et Sophach exercitus principem.

19. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, et servierunt ei: noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

CAPUT XX.

Supplicia quibus affecti Ammonitæ. Terna prælia contra Philisthæos, et prodigiosos gigantes.

1. Factum est autem post anni circulum [1] eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum, et robur militiæ, et vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque et obsedit Rabba: porro David manebat in Jerusalem quando Joab percussit Rabba, et destruxit eam.

2. Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit:

3. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: et fecit super eos tribulas, et trahas, et ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, et contererentur: sic fecit David cun-

ỳ. 2. *Tulit David coronam Melchom* — Quod nomen quia est *idoli*, putant aliqui, non fuisse hoc diadema *regis*, sed *idoli* Ammonitarum. Sed quomodo ausus fuisset David ex auro idoli sibimet diadema conficere? cum Deuter. 7 diserte caveatur, *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes quidquam ex eis.* Ergo *Melchom*, seu, ut in Hebræo est, *Malcham*, idem est quod *regis eorum*. Neque est quod quemquam terreat pondus *talenti*, quod erat 125 librarum Romanarum, quale nemo facile patietur capiti suo imponi. Nam non debebat immediate capiti infigi, sed supra caput in throno, et conopœo regio affigi: quod inde sublatum jussit David suo deinceps throno et conopœo alligari, ut vertici sedentis perpetuo immineret.

ỳ. 3. *Tribulas et trahas et ferrata carpenta fecit transire super* Ammonitas. *Tribula et traha* instrumentum illud est quo segetes teruntur in area. Quin et plaustris et rotis ferratis teri fruges,

(1) 2 Reg. 10, vers. 7, et 11, vers. 1.

ctis urbibus filiorum Ammon: et reversus est cum omni populo suo in Jerusalem.

4. [1] Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos: in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, et humiliavit eos.

5. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium.

6. Sed et aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui et ipse de Rapha fuerat stirpe generatus.

7. Hic blasphemavit Israel: et percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David et servorum ejus.

colligo ex illo Isaiæ 41, v. 15: *Posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia.* Eo igitur modo egit David in Ammonitas humi stratos rotas et plaustra serrantia, et tribulas ferreis cuspidibus horrentes, quo modo agricola tribulas immittit in fruges, quas in area triturat. Hebraice et græce est, *Discerpsit eos serris et rastris ferreis*, et 3 Regum 12, v. 31: *Serravit, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum;* græce, *per fornacem*, nempe ut solent lateres, q. d. Ammonitæ conjecti sunt in ignitum clibanum seu fornacem, sicut in illum conjiciuntur lateres, prorsus ad illorum typum seu exemplar: nam et talia ibi patiebantur, qualia lateres igne coquendi: neque magis ex eorum dolore et circuitu dolebat aut curabat David, quam doleret aut curaret figulus, qui formatos e luto lateres in fornacem coquendos immittit.

Sic fecit David non uni civitati *Rabba*, sed *cunctis urbibus filiorum Ammon* — Crudelia profecto et horrenda supplicia, et forsan ad id tempus sine exemplo: nisi quod aliquid fere simile præcesserit in Gedeone, qui, ut est Judic. 8, v. 16: *Tulit seniores civitatis, et spinas deserti ac tribulos, et cum eis contrivit atque comminuit viros Socoth.* Sed posterioribus seculis talia frequentius usurpata legimus: nam Proverb. 20, v. 26 mentio hujus fit tamquam usitati supplicii, et Manasses serra dissecuit Isaiam, et *Hazael* rex Syriæ mulieres prægnantes 4 Reg. 8. Et Ammonitæ eadem quæ jam a Davide passi sunt, exercuerunt post in Israelitas Galaad, Amos 1, v. 13, forsan id numquam facturi, nisi prius in Davide exemplum habuissent.

Petes, An peccarit David ita sæviendo in Ammonitas? Negat Abulensis, eo quod gravem injuriam contra jus gentium intulissent legatis Davidis. Sed hoc crimen ad solum regem et aulicos ac consiliarios illius spectabat: non item ad omnes reliquas urbes filiorum Ammon, quas tamen eodem supplicii genere omnes involvit David. Unde probabilius est, peccasse hic Davidem, et quidem gravissime. Quod minus mirabimur, si consideremus, hæc tam crudelia patrasse Davidem eo tempore quo adhuc hærebat in luto adulterii Bethsabee, et homicidii Uriæ, neque pœnituerat de tantis sceleribus. Solent vero tales ex uno in aliud scelus ruere, et magis magisque sordescere in dies, ut docet Concilium Tridentinum, et Doctores passim. Atque ita fuerit enormis hæc sævitia appendix quædam *sermonis* seu historiæ *Uriæ*, qua speciatim *peccasse* dicitur *David* 3 Regum 15, v. 5.

(1) 2 Reg. 21, vers. 18.

CAPUT XXI.

David populum numerando Deum offendit: pro expiando delicto, e tribus propositis pœnis pestem deligit, qua plurima millia intereunt; donec oratione et sacrificio placaretur Deus.

1. Consurrexit autem Satan contra Israel: [1] et concitavit David ut numeraret Israel.

2. Dixitque David ad Joab, et ad principes populi: Ite, et numerate Israel a Bersabee usque Dan: et afferte mihi numerum ut sciam.

3. Responditque Joab: Augeat Dñus populum suum centuplum, quam sunt: nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?

4. Sed sermo regis magis prævaluit: egressusque est Joab, et circuivit universum Israel: et reversus est Jerusalem:

5. Deditque Davidi numerum eorum, quos circuierat: et inventus est omnis numerus Israel, mille millia et centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.

6. Nam Levi et Benjamin non numeravit: eo quod Joab invitus exsequeretur regis imperium.

7. Displicuit autem Deo quod jussum erat: et percussit Israel.

8. Dixitque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi.

9. Et locutus est Dominus ad Gad videntem David, dicens:

10. Vade, et loquere ad David, et dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do; unum, quod volueris, elige, et faciam tibi.

11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris:

12. Aut tribus annis famem: [2] aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, et gladium eorum non posse evadere: aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel. Nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me.

13. Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, ut incidam in

℣. 12. *Aut tribus annis famem* — 2 Regum 24, v. 13 dicitur: *Aut septem annis veniet tibi fames* et ita etiam ibidem est in Hebræo, nisi dicas ex similitudine vocum Hebraicarum quibus ternarius et septenarius significantur, errore positos esse *septem* annos loco *trium*. Certe LXX etiam ibi non nisi trium annorum meminerunt: et, cum in diebus ac mensibus per ternarium procedatur, verisimile est etiam in annis ita factum fuisse. Qui tamen errorem excusare volet, dicat cum Sanctio [3], Prophetam initio comminationis proposuisse famem *septem annorum*, uti in libris Regum habetur: sed, cohorrescente Davide, mitioremque pœnam urgente, eamdem ad triennii spatium contractam fuisse, ut hic legimus. Simile habes Gen. 18, ubi a 50 justis delabitur angelus ad 10. Et Ezechielis 4 pro *fimo humano* ob preces Prophetæ indulgetur ei *bovinus*.

℣. 13. *Melius mihi est, ut incidam in manus Domini* — Atqui Susanna, Daniel. 13, v. 23 ait impiis judicibus: *Melius mihi est incidere in manus vestras*. Et Eccli. 2, v. 22 idem comprobatur. Respondeo, *David* loquitur de sola *pœna*

(1) 2 Reg. 24, vers. 1; Infr. 27, vers. 24.
(2) 2 Reg. 24, vers. 13.
(3) In 2 Reg. 24, vers. 13.

manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum.

14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel: et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum.

15. Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali: et imperavit angelo, qui percutiebat: Sufficit, jam cesset manus tua. Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi.

16. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem: et ceciderunt, tam ipse quam majores natu vestiti ciliciis, proni in terram:

17. Dixitque David ad Deum: Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi; ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.

18. Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, extrueretque altare Dño Deo in area Ornan Jebusæi.

19. Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.

20. Porro Ornan cum suspexisset, et vidisset angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum.

21. Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, et processit ei obviam de area, et adoravit eum pronus in terram.

22. Dixitque ei David: Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Dño: ita ut quantum valet argenti accipias et cesset plaga a populo.

23. Dixit autem Ornan ad David: Tolle, et faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: sed et boves do in holocaustum, et tribulas in ligna, et triticum in sacrificium: omnia libens præbebo.

24. Dixitque ei rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, et sic offerre Domino holocausta gratuita.

corporali et temporali, in qua infligenda Deus longe magis misericors est, quam soleant homines, et maxime hostes: *Susanna* vero et Ecclesiasticus agunt de *pœna æterna et malo etiam spirituali*, puta morte animæ per adulterium: et præ illis prudenter eligunt potius quodvis malum corporale et temporale, puta mortem corporis, item infamiam, etc. Aliæ sunt ergo manus Dei quas optat David; aliæ quas fugit Susanna et Ecclesiasticus; optat David *paternas* ex amore castigantes: fugit Susanna et Ecclesiasticus *judiciales* æternis flammis scelera punientes.

℣. 14. *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel* — 2 Regum 24, v. 15 additur, *de mane usque ad tempus constitutum*. Nempe cœpit sævire pestis ipso illo articulo, quo illam præelegit David, puta a summo *mane*, quo ibidem v. 11 dicitur *surrexisse David;* et a propheta Gad jussus est unum e tribus eligere. Duravitque eadem plaga *triduo*, ait Abulensis, quia triduanum spatium fuerat a Deo per Prophetam illi pœnæ præfixum et præstitutum. Vel usque ad vesperam primi diei: quod tempus præstitutum a Deo erat sacrificio jugi et quotidiano a meridie offerendo, ita Hebræi, teste sancto Hieronymo [1]. Cui ex parte subscribunt Dionysius, Cajetanus, Hugo, Lyranus et Emmanuel Sa. Nam sub id tempus videtur David sacrificio suo in area *Areuna* Jebusæi placasse iratum Dominum, neque verisimile est expectasse secundum vel tertium diem.

℣. 18. *Ornan Jebusæi* — Hic in 2 libro Regum cap. 24, vocatur *Areuna*, et quidem *rex* vers. 23. Nempe fuerat *regulus* inter Jebusæos, priusquam Jerosolymam expugnasset David: ita Mariana.

(1) In Trad. Hebr.

25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.

26. [1] Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum: et exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti.

27. Præcepitque Dñus angelo: et convertit gladium suum in vaginam.

28. Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.

29. Tabernaculum autem Dñi, [2] quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon.

30. Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini.

℣. 25. *Dedit David Ornan pro loco siclos auri sexcentos* — id est bis mille quadringentos aureos [3]. Atqui 2 Reg. 24, v. 24 dicitur emisse aream et boves, argenti siclis quinquaginta, id est florenis Belgicis 50 qui non conficiunt totos 17 aureos. Respondeo, pro parva area condendo altari necessaria, itemque pro bobus dedit 50 *argenteos:* neque enim latiore spatio tunc egebat. Ast vero pro reliqua area, quam templo condendo destinavit, quæ vasta erat et ampla, addidit postmodum sexcentos siclos aureos. Prius illud pretium expressit liber Regum, posterius Paralipomenon. Tradunt Hebræi, hanc *Areunæ aream,* in qua templum conditum fuit a Salomone, fuisse non solum in monte *Moria,* quod certum est ex 2 Paral. 3, v. 1, sed etiam eo loco, ubi Abraham filium suum Isaac jussus fuerat immolare. Et ita sensit etiam Josephus, S. Hieronymus [4], et pene omnes antiqui Patres.

℣. 26. *Et exaudivit eum Dominus in igne de cælo super altare holocausti* — Solebat enim Deus igne cælitus in hostiam immisso testari, gratum sibi accidere sacrificium, ut docui variis exemplis 3 Reg. 18, v. 24.

(1) 2 Par. 3, vers. 1. (2) Exod. 36, vers. 2. (3) Proleg. de Ponderib. (4) Joseph. l. 1 Antiq., c. 14; Hieron. in Trad. Hebr.

CAPUT XXII.

Præparatis omnibus necessariis ad construendum templum, David filio suo Salomoni formam modumque cælitus sibi revelatum tradit, hortaturque ut Deum semper sedulo colat: et principes, ut illi sint auxilio.

1. Dixitque David: Hæc est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel.

2. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, et constituit ex eis latomos ad cædendos lapides et poliendos, ut ædificaretur domus Dei.

3. Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, et ad commissuras atque juncturas præparavit David: et æris pondus innumerabile.

4. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii et Tyrii deportaverant ad David.

5. Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est et delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas.

6. Vocavitque Salomonem filium

℣. 1. *Hæc est domus Dei* — Id est, hoc loco condi debet templum Domini, nempe in area Areunæ Jebusæi, in monte Moria. Ita *dixit,* id est decrevit, *David,* nempe revelatione et jussu Dei.

℣. 5. *Salomon puer parvulus est* —

suum: et præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel.

7. Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei,

8. Sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me:

9. Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam Pacificus vocabitur: et pacem et otium dabo in Israel cunctis diebus ejus.

10. [1] Ipse ædificabit domum nomini meo, et [2] ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum.

11. Nunc ergo, fili mi, sit Dominus tecum, et prosperare, et ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.

12. Det quoque tibi Dñus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Dñi Dei tui.

13. Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata et judicia, quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israel: confortare et viriliter age, ne timeas, neque paveas.

14. Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum: æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine; ligna et lapides præparavi ad universa impendia.

15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, et cæmentarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos,

16. In auro et argento et ære et ferro, cujus non est numerus. Surge igitur, et fac, et erit Dominus tecum.

17. Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adjuvarent Salomonem filium suum.

18. Cernitis, inquiens, quod Dñus Deus vester vobiscum sit, et dederit vobis requiem per circuitum, et tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, et subjecta sit terra coram Domino, et coram populo ejus.

19. Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum: et consurgite, et ædificate sanctuarium Dño Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, et vasa Dño consecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

Ita potuisse vocari Salomonem, qui tunc annum vitæ agebat circiter vigesimum primum (loquor de tempore quo jam inunctus erat rex, vivente adhuc et jubente patre, anno regni ejus ultimo), docui 1 Reg. 16, v. 11.

℣. 14. *Auri talenta centum millia* faciunt mille ducentos septuaginta quinque milliones aureorum in specie.

Mille millia talenta argenti totidem milliones aureorum conficiunt, uti docui in tractatu de monetis. Ergo in solis duabus istis speciebus, puta *auro et argento*, reliquit David Salomoni *bis mille quingentos et quinquaginta milliones aureorum.*

Æris vero et ferri non poterat *pondus* æstimari: uti nec copia lignorum *setim et marmorum* [3].

Ad universa impendia — In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *His adde universa impendia*, seu res alias necessarias, quæ impendi debebunt tanto operi perficiendo. Præpararat enim David quæcumque poterant præparari.

(1) 2 Reg. 7, vers. 13; 3 Reg. 5, vers. 5.
(2) 2 Reg. 7, vers. 14; ad Hebr. 1, vers. 5.

(3) De immensis hisce divitiis erudite agit Abbas Artigny tom. 1 *Novor. Monum. Histor. critic.*, etc., art. 14.

CAPUT XXIII.

David senex, jamque moriturus, Salomone rege designato, officia quoque Levitarum et classes distribuit; etiam filiis Moysis inter Levitas annumeratis.

1. Igitur David senex et plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel.

2. Et congregavit omnes principes Israel, et sacerdotes atque Levitas.

3. Numeratique sunt Levitæ a triginta annis, et supra: et inventa sunt triginta octo millia virorum.

4. Ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia: præpositorum autem et judicum sex millia.

5. Porro quatuor millia janitores: et totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.

6. [1] Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, et Caath, et Merari.

7. Filii Gerson: Leedan, et Semei.

8. Filii Leedan: princeps Jahiel, et Zethan, et Joel, tres.

9. Filii Semei: Salomith, et Hosiel, et Aran, tres: isti principes familiarum Leedan.

10. Porro filii Semei, Leheth: et Ziza, et Jaus, et Baria: isti filii Semei, quatuor.

11. Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porro Jaus et Baria non habuerunt plurimos filios, et idcirco in una familia, unaque domo, computati sunt.

12. Filii Caath: Amram, et Isaar, Hebron, et Oziel, quatuor.

13. [2] Filii Amram: Aaron, et Moyses. [3] Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse et filii ejus in sempiternum, et adoleret incensum Dño secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum.

14. Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi.

15. [4] Fili Moysi: Gersom, et Eliezer.

16. Filii Gersom: Subuel primus.

17. Fuerunt autem filii Eliezer: Rohobia primus: et non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis.

℣. 6. *Distribuit David* Levitas *per vices* — per 24 classes, sicut distributi erant sacerdotes: ut sic bis quotannis recurrerent singularum classium vices, quibus *a sabbato ad sabbatum*, id est, integra una hebdomada deserviebant in templo. Vide cap. seq., v. 31.

℣. 11. *Jaus et Baria non habuerunt plurimos filios* — Id est, duo isti simul non habebant plures filios, quam unus solus ex prænominatis: *idcirco* cum alii singuli, seu singulorum filii constituerent singulas classes, horum duorum familiæ simul junctæ non nisi unam classem confecerunt.

(1) Sup. 6, vers. 1.
(2) Sup. 6, vers. 3.

℣. 13. *Separatusque est Aaron* — olim jussu Dei segregatus ex omni Israele, ut sacerdotio fungeretur: et nunc quoque ejus filii et posteri a Davide ad idem munus segregati sunt.

℣. 14. *Moysi filii annumerati sunt in tribu Levi* — Magna Moysis modestia, nihil sibi suisve posteris præ reliquis suæ tribus arrogantis. Josue relinquit regiam potestatem: fratri suo Aaroni ejusque filiis sacerdotalem dignitatem: proprios filios suos in communi Levitarum grege relinquit. Idem quoque institutum tenet hoc loco David.

(3) Ad Hebr. 5, vers. 4.
(4) Exod. 2, vers. 22, et 18, vv. 3, 4.

18. Filii Isaar: Salomith primus.
19. Filii Hebron: Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus.
20. Filii Oziel: Micha primus, Jesia secundus.
21. Filii Merari: Moholi, et Musi. Filii Moholi: Eleazar, et Cis.
22. Mortuus est autem Eleazar, et non habuit filios, sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum.
23. Filii Musi: Moholi, et Eder, et Jerimoth, tres.
24. Hi filii Levi in cognationibus et familiis suis, principes per vices, et numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Dñi, a viginti annis et supra.
25. Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, et habitationem Jerusalem usque in æternum.
26. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, et omnia vasa ejus ad ministrandum.
27. Juxta præcepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra.
28. Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis, et in sanctuario, et in universis operibus ministerii templi Domini.
29. Sacerdotes autem, super panes propositionis, et ad similæ sacrificium, et ad lagana azyma, et sartaginem, et ad torrendum, et super omne pondus atque mensuram.
30. Levitæ vero, ut stent mane ad confitendum et canendum Dño: similiterque ad vesperam
31. Tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis et calendis et solemnitatibus reliquis juxta numerum, et cæremonias uniuscujusque rei, jugiter coram Domino.
32. Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, et ritum sanctuarii, et observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

℣. 24. *Filii Levi, a viginti annis et supra* — Bis ergo numerari jussit David Levitas, semel *a triginta annis et supra*, ut patet v. 3. Et hi erant qui actu serviebant templo in præcipuis muneribus. Iterum *a viginti annis et supra*, ut dicitur hoc vers. et 27. Et hi parabantur ut in locum aliorum paullatim succederent, interim ritus necessarios et cæremonias addiscebant, exercebanturque in minoris momenti ministeriis, ad nutum et præscriptum aliorum.

℣. 26. *Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, et omnia vasa ejus* — propediem nempe, quando templum stabile constructum fuerit; quare qui talibus solebant ministeriis vacare, ni velimus otiosos esse, aliis servitiis impendamus oportet, quæ vers. 28 et seq. recensentur.

℣. 29. *Sacerdotes autem* — Hæc verba neque in Hebræo sunt, neque apud LXX. Sed omnia ministeria, quæ hic quasi pro solis sacerdotibus subjiciuntur, etiam Levitis ibi assignantur, quia muneris horum erat ea parare; sacerdotum vero, jam parata offerre Deo in sacrificium.

Super omne pondus atque mensuram —Id est, quæcumque ad certum pondus aut mensuram in templo offerenda erant, ea omnia mensurare debebant Levitæ. Quamquam etiam ad eosdem spectaret (ut olim ad Ædiles Romæ), justa et ex legis præscripto pondera mensurasque adservare in templo, ut, si successu temporis a populo fraude aliqua vitiari contingeret, ad horum collationem instaurari perpetuo possent: ita Villalpandus, Mariana et alii.

CAPUT XXIV.

Sacerdotum classes seu vices 24 ac totidem reliquorum etiam Levitarum, qui sacerdotibus in ministerio sacrificiorum assisterent.

1. Porro filiis Aaron hæ partitiones erant: Filii Aaron: Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar.

2. [1] Mortui sunt autem Nadab et Abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, et Ithamar.

3. Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas et ministerium.

4. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est, filiis Eleazar, principes per familias sedecim: et filiis Ithamar per familias et domos suas octo.

5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarii et principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.

6. Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram rege et principibus, et Sadoc sacerdote, et Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium et Leviticarum: unam domum, quæ ceteris præerat, Eleazar: et alteram domum, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar.

7. Exivit autem sors prima Joiarib, secunda Jedei,

8. Tertia Harim, quarta Seorim,

9. Quinta Melchia, sexta Maiman,

10. Septima Accos, octava Abia,

11. Nona Jesua, decima Sechenia,

12. Undecima Eliasib, duodecima Jacim,

13. Tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab,

14. Decimaquinta Belga, decimasexta Emmer,

15. Decimaseptima Hezir, decimaoctava Aphses,

16. Decimanona Pheteia, vigesima Hezechiel,

℣. 2. *Mortui sunt Nadab et Abiu* filii Aaronis, igne cælesti absumpti, eo quod uterentur igne profano, Levitici 10, v. 2 et Numer. 3, v. 4. Reliquos Aaronis posteros

℣. 3. *Divisit David* — per 24 classes distribuendo sacerdotes omnes, et singulis classibus suas vices assignando, idque per sortes, ut hic dicitur v. 5 ne quid favori datum videretur, nec quisquam queri posset se aliis postpositum fuisse.

℣. 5. *Erant enim* pari jure, pari decreto, omnes *principes sanctuarii, et principes Dei* — id est maximi, in iis quæ ad Deum pertinent, seu in rebus divinis. Unde et *principes sacerdotum* vocabantur capita 24 istarum classium. Et hoc sensu S. Dionysius [2] *Zachariam* vocat *principem sacerdotum*. Extra has classes et supra omnes classes erat *summus sacerdos*, qui et *pontifex* dicebatur.

℣. 6. *Ahimelech filio Abiathar* — Hinc apparet *Abiatharum*, summum tunc pontificem una cum *Sadoco*, magnam partem functionum suarum subinde transcripsisse filio suo Achimelecho, ac nominatim curam hujus distributionis sacerdotum in suas classes et vices: forte quod ægrotaret tum temporis, vel aliis negotiis magis urgentibus distineretur.

℣. 10. *Octava Abia* — De hac sorte fuit Zacharias pater Joannis Baptistæ, Lucæ 1, v. 5. Verum, *princeps* ne fuerit *sacerdotum* suæ sortis seu vicis, ut voluit sanctus Dionysius, incertum est: ut et, an ex *Eleazari* primogeniti Aaronis posteris esset, an ex *Ithamari* secundogeniti.

(1) Lev. 10, vers. 2; Num. 3, vers. 4.

(2) Cæl. Hierar., c. 4.

17. Vigesimaprima Jachin, vigesimasecunda Gamul,

18. Vigesimatertia Dalaiau, vigesimaquarta Maaziau.

19. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, et juxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dñus Deus Israel.

20. Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, et de filiis Subael, Jehedeia.

21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Jesias.

22. Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Jahath:

23. Filiusque ejus Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaan quartus.

24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir.

25. Frater Micha, Jesia: filiusque Jesiæ, Zacharias.

26. Filii Merari: Moholi et Musi. Filius Oziau: Benno.

27. Filius quoque Merari: Oziau et Soam et Zachur et Hebri.

28. Porro Moholi filius: Eleazar, qui non habebat liberos.

29. Filius vero Cis, Jerameel.

30. Filii Musi: Moholi, Eder, et Jerimoth; isti filii Levi secundum domos familiarum suarum.

31. Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, et Sadoc, et Ahimelech, et principibus familiarum sacerdotalium et Leviticarum, tam majores, quam minores; omnes sors æqualiter dividebat.

℣. 27. Sic lege ex Hebræo, Chaldæo et Græco: *Filius quoque Merari* fuit prædictus *Oziau*: cujus filii, præter *Bennonem*, fuerunt *Soam et Zachur et Hebri*.

℣. 31. *Contra fratres suos* — Id est, ex altera parte, seu ad exemplum et imitationem cognatorum suorum: ita LXX; nam sicut posteri Aaronis distributi in 24 classes, sortem jecerant, quo quique ordine in templo deservirent, ita etiam Levitæ sorte distributi sunt.

CAPUT XXV.

Cantorum, Psaltarum ac Citharœdorum ex Levitis 24 classes.

1. Igitur David et magistratus exercitus, segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun: qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes.

2. De filiis Asaph: Zacchur, et Joseph, et Nathania, et Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph prophetantis juxta regem.

3. Porro Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Jeseias, et Hasabias, et Mathathias, sex, sub manu pa-

℣. 1. *Magistratus exercitus* — Id est principes tam politici, quam Ecclesiastici, de quibus c. præc. v. 6 ex Levitis [1] *segregaverunt in ministerium* canendi et modulandi in templo: hoc enim significat hic *prophetare in psalteriis*, etc. Porro *psalterium* videtur lyra fuisse 7, 8 vel 10 chordarum, quæ plectro pulsabatur: ita Lucas Tudensis in Chronico.

(1) Sup. cap. 6, vv. 33, 39.

Secundum numerum suum — Id est, tanto numero quanto ad id munus destinati fuerunt, et eo ordine quo sunt sorte designati cantores.

℣. 2. *Prophetantis*, id est, laudes divinas decantari curantis, *juxta regem* — id est, juxta regis præscriptum, nisi velis per hoc indicari, hos non in *Gabaon* (ubi alii erant constituti), sed in arce Sion, functos esse cantorum officio, ubi rex

tris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes Dominum.

4. Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, et Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, et Romemthiezer, et Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth:

5. Omnes isti filii Heman videntis regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, et filias tres.

6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, et psalteriis, et citharis, in ministeria domus Domini juxta regem: Asaph videlicet, et Idithun, et Heman.

7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti, octoginta octo.

8. Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam major quam minor, doctus pariter, et indoctus.

9. Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi et filiis ejus, et fratribus ejus duodecim.

10. Tertia Zachur, filiis et fratribus ejus duodecim.

11. Quarta Isari, filiis et fratribus ejus duodecim.

12. Quinta Nathaniæ, filiis et fratribus ejus, duodecim.

13. Sexta Bocciau, filiis et fratribus ejus, duodecim.

14. Septima Isreela, filiis et fratribus ejus duodecim.

15. Octava Jesaiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.

16. Nona Mathaniæ, filiis et fratribus ejus duodecim.

suam sedem habebat; vel in separato loco templi, ubi rex adorare et laudibus divinis vacare solebat. Nam in vastissimo loco templi, ut plura atria, ita etiam plura erant loca, in quibus laudes Deo decantabantur. Mundi enim habebant sua loca separata ab immundis: item rex a plebe, etc.

℣. 5. *Videns regis* est Propheta, seu curator laudum divinarum apud regem, ut jam exposui.

In sermonibus Dei — Id est, cum rex vacaret *sermonibus*, id est negotiis, non suis profanis aut politicis, sed *Dei*, id est divinis et sacris, q. d. Rex pro se suaque familia habebat quidem in sua aula musicos excellentes, qui inter epulas vel choreas profana et ludicra canerent. Sed de his nulla hic mentio, ubi de solis *Levitis* agitur, qui sacros hymnos et psalmos præcinebant regi in loco et negotio sacro.

Ut exaltaret cornu — Id est, ut curaret eos psalmos præsente rege cani, in quibus de *exaltatione cornu* agitur, quales multi sunt psalmi. Per *cornu* vero in illis intelligebatur regnum Davidis, et Christi filii Davidis: de quo augendo exaltandoque pluribus psalmis agitur, et accidebat ea materia regiis auribus certe gratissima et optatissima. Ad populum vero ea præcinebantur, et concione quoque exponebantur, quæ ad officium et solatium illius maxime spectabant. Quales psalmi etiamnum plures extant [1].

℣. 7. *Qui erudiebant canticum* — Id est, ceteros in canticis tum canendis, tum concinnandis instruebant.

℣. 8. *Doctus pariter*, de quo versu præced. jam actum, *et indoctus* — id est, qui instruebatur a doctis, q. d. Distributi sunt cantores per 24 classes, in quarum singulis erant duodecim magistri seu periti ejus rei: ceteri adhuc discipuli, qui ad nutum et præscriptum doctorum seu magistrorum suorum canere debebant laudes divinas, singuli per vices et classes suas.

℣. 9. *Sors prima Joseph* — supple, cum duodenario suorum seu filiorum, seu cognatorum, qui reliquis ejus sortis, seu classis, cantoribus tamquam magistri præerant, ut jam dixi. Nisi enim hunc duodenarium hic suppleas, non invenies inter cantores summam 288 doctorum seu magistrorum, qui v. 7 dicuntur designati fuisse.

(1) Longe aliam hujus loci explanationem suppeditat P. Martin in *explic. diffic. Script. locor.*, p. 235 seq.

17. Decima Semeiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
18. Undecima Azareel, filiis et fratribus ejus, duodecim.
19. Duodecima Hasabiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
20. Tertiadecima Subael, filiis et fratribus ejus duodecim.
21. Quartadecima Mathathiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
22. Quintadecima Jerimoth, filiis et fratribus ejus duodecim.
23. Sextadecima Hananiæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
24. Septimadecima Jesbacassæ, filiis et fratribus ejus duodecim.
25. Octavadecima Hanani, filiis et fratribus ejus duodecim.
26. Nonadecima Mellothi, filiis et fratribus ejus duodecim.
27. Vigesima Eliatha, filiis et fratribus ejus duodecim.
28. Vigesimaprima Othir, filiis et fratribus ejus duodecim.
29. Vigesimasecunda Geddelthi, filiis et fratribus ejus duodecim.
30. Vigesimatertia Mahazioth, filiis et fratribus ejus duodecim.
31. Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis et fratribus ejus duodecim.

CAPUT XXVI.

Janitorum templi ex Levitis etiam variæ classes: itemque custodum thesaurorum tum templi, tum regis.

1. Divisiones autem janitorum: de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph.
2. Filii Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Jadihel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus,
3. Ælam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus.
4. Filii autem Obededom: Semeias primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus,
5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus: quia benedixit illi Dominus.
6. Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi;
7. Filii ergo Semeiæ: Othni, et Raphael, et Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi: Eliu quoque et Samachias.
8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, et filii, et fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexaginta duo de Obededom.
9. Porro Meselemiæ filii, et fratres eorum robustissimi, decem et octo.
10. De Hosa autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater ejus in principem),
11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus; omnes hi filii, et fratres Hosa, tredecim.
12. Hi divisi sunt in janitores, ut semper principes custodiarum, sicut et fratres eorum, ministrarent in domo Domini.

℣. 5. *Quia benedixit ei* (Obededom) *Dominus* — scilicet multitudine et robore prolium, in compensationem arcæ tam religiose exceptæ et custoditæ domi suæ, 2 Regum 6, v. 12. Superat enim hic numero prolium omnes alios Levitas janitores hic recensitos, ut patet ex v. 8.

℣. 10. *Non enim habuerat* — pro non habebat tum temporis in vivis qui *primogenitus* fuerat: quare constituit in locum ipsius suum secundogenitum *Semri principem* et caput familiæ suæ.

℣. 12. *Janitores* — Non erat hoc vile ministerium, sed quale est prætorianorum

13. Missæ sunt ergo sortes ex æquo, et parvis, et magnis, per familias suas, in unamquamque portarum.

14. Cecidit ergo sors orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, et erudito, sortito obtigit plaga septentrionalis.

15. Obededom vero et filiis ejus ad austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium.

16. Sephim, et Hosa ad occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam.

17. Ad orientem vero Levitæ sex: et ad aquilonem quatuor per diem: atque ad meridiem similiter in die quatuor: et ubi erat concilium, bini et bini.

18. In cellulis quoque janitorum ad occidentem quatuor in via, binique per cellulas.

19. Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core et Merari.

20. Porro Achias erat super thesauros domus Dei, et vasa sanctorum.

21. Filii Ledan, filii Gersonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, et Gersonni, Jehieli.

22. Filii Jehieli: Zathan, et Joel fratres ejus, super thesauros domus Domini,

23. Amramitis, et Isaaritis, et Hebronitis, et Oziheli tis.

24. Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris.

25. Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, et hujus filius Isaias, et hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri; et hujus filius Selemith.

26. Ipse Selemith, et fratres ejus, super thesauros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, et principes familiarum, et tribuni, et centuriones, et duces exercitus,

27. De bellis, et manubiis prælio rum, quæ consecraverant ad instaurationem et supellectilem templi Domini.

28. Hæc autem universa sanctificavit Samuel videns, et Saul filius Cis, et Abner filius Ner, et Joab filius Sarviæ: omnes, qui sanctificaverant ea per manum Selemith, et fratrum ejus.

militum, vel potius aulicorum etiam e primis, qui excubant in palatio regis. Tale, immo longe nobilius, erat horum Levitarum munus excubantium in domo Domini, Regis regum, et Domini dominantium. Unde et subditur hic, fuisse *principes custodiarum*. Iisdem credebatur et custodia thesaurorum tum templi, tum regis, ut dicitur vv. 20, 26, 30 et 32. Iidem præerant sartis tectis templi, v. 27, et *operibus forinsecus*, v. 29, v. g. ligna cædentibus, lapicidis, cultoribus agrorum templi, etc. Ex iisdem etiam doctores desumebantur, et præfecti et judices populi tum in sacris, tum in politicis, vv. 29, 30 et 32.

℣. 14. *Selemiæ* — Hic idem est qui vv. 1, 2 et aliis vocatur *Meselemias*, juxta consuetudinem Hebræorum sæpe capita nominum præcidentium, ut supra docui c. 4, v. 24. Porro

℣. 15. sic verba construe: *In qua parte* palatii *erat domus seniorum*, nempe *concilium* magnum Sanedrim 72 judicum, de quo Numeror. 11. Hi solebant in eam domum convenire.

℣. 16. *Via ascensionis* vocatur acclivis illa via, qua ex subjecta urbis parte ascendebatur, primo, ad tabernaculum in arce Sion: deinde etiam ad templum in monte Moria constructum.

Custodia contra custodiam — q. d. Gemina, seu duobus locis, ibi debebat esse custodia; forte propter adventantium frequentiam, et majus periculum. Patet ex vers. seq. 18 ubi ad hanc portam occidentalem dicuntur *quatuor* Levitæ, principes custodiarum excubasse *in via* illa acclivi publica: præter *binos* alios qui *per cellulas*, id est in consuetis ædibus excubitorum templi, excubabant cum subjectis sibi cohortibus.

℣. 18. *In cellulis quoque ad occidentem* (sic enim est in Hebræo et Græco) erant *janitorum*, seu janitores, *quatuor in via*, vel versus viam publicam.

29. Isaaritis vero præerat Chonenias, et filii ejus, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum et judicandum eos.

30. Porro de Hebronitis Hasabias, et fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Jordanem contra occidentem: in cunctis operibus Domini, et in ministerium regis.

31. Hebronitarum autem princeps fuit Jeria, secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, et inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad,

32. Fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David rex Rubenitis, et Gaditis, et dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei et regis.

CAPUT XXVII.

Duodecim principes militiæ regiæ ex variis tribubus, quorum singuli suo mense præerant 24 millibus armatorum. Item alii principes singularum tribuum, et officialium regiorum.

1. Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, et centuriones, et præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas, ingredientes et egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant.

2. Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat filius Zabdiel, et sub eo viginti quatuor millia.

3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo.

4. Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, et post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium.

5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio erat Banaias filius Jojadæ sacerdos: et in divisione sua viginti quatuor millia.

6. Ipse est Banaias fortissimus

℣. 1. *Qui ministrabant regi* — Præcedentibus capitibus recensuit omnes principes, qui de tribu Levi templo Domini deserviebant per vices et classes suas in variis ministeriis: hoc nunc cap. recenset principes, qui selecti ex omnibus tribubus serviebant regi, tum in negotiis domesticis, tum in re militari, etiam pacis tempore, ut et armis magis assueti, et notiores essent regi, et familiariores, et ad omnem casum semper parati. Hi distributi erant in duodecim classes, et in unaquaque classe 24 millia bellatorum, qui toto mense uno lunari erant in armis, eo in loco, eo in munere seu officio, quo rex pro temporum necessitate præscribebat. Reliquis dein undecim mensibus quiescebant hi ab armis, et alii totidem in locum succedebant post singulos quosque menses. Hac ratione nec gravis cuipiam erat militia, nec admodum sumptuosa, licet sine stipendiis militarent: neque præpediebat rei domesticæ aut propriorum negotiorum curationem; cum facile cuique esset, uno mense per annum domo abesse, et sub signis ære proprio degere. Interim regi prospectum semper erat de recenti et tamen veterano milite; et quidem adeo numeroso, ut quibusvis hostibus resistendo esset: nam pro multitudine hostium poterat quot vellet millia ex singulis pro rata classibus evocare: quin et poterat, si opus esset, in singulis classibus numerum duplicare vel triplicare. Principes, qui præerant his turmis menstruis, nominatim hic recensentur usque ad vers. 16, et habebant singuli vicarium unum generalem, qui absente vel impedito principe præerat toti illi exercitui. Et hoc est quod v. 4 dicitur, *post se alterum* habuisse: et vers. 7 *post eum* fuisse.

inter triginta, et super triginta; præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius ejus.

7. Quartus, mense quarto, Asahel frater Joab, et Zabadias filius ejus post eum: et in turma ejus viginti quatuor millia.

8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites: et in turma ejus viginti quatuor millia.

9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: et in turma ejus viginti quatuor millia.

10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: et in turma ejus viginti quatuor millia.

11. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: et in turma ejus viginti quatuor millia.

12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini: et in turma ejus viginti quatuor millia.

13. Decimus, mense decimo, Marai, et ipse Netophathites de stirpe Zarai: et in turma ejus viginti quatuor millia.

14. Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: et in turma ejus viginti quatuor millia.

15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: et in turma ejus viginti quatuor millia.

16. Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha:

17. Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc:

18. Juda, Eliu frater David: Issachar, Amri filius Michael:

19. Zabulonitis, Jesmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Jerimoth filius Ozriel:

20. Filiis Ephraim, Osee filius Oaziu: dimidiæ tribui Manasse, Joel filius Phadaiæ:

21. Et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ: Benjamin autem, Jasiel filius Abner:

22. Dan vero, Ezrihel filius Jeroham: hi principes filiorum Israel.

23. Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius: quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israel quasi stellas cæli.

24. [1] Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israel: et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.

25. Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel; his autem thesauris, qui erant in urbibus, et in vicis, et in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ.

26. Opere autem rustico, et agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub:

27. Vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites.

ỳ. 16. *Porro tribubus præerant* alii, qui mox recensentur. Hi erant jure primogenituræ principes singuli suarum tribuum. At qui militiæ præerant designabantur a rege pro robore, prudentia, experientia et talento cujusque.

ỳ. 23. *Noluit David numerare* Israelitas *a viginti annis inferius* — id est, qui nondum essent viginti annorum: *quia* hi, uti *dixerat*, seu promiserat, *Dominus*, erant *multiplicati quasi stellæ cæli*, hoc est, innumerabiles, seu qui præ multitudine numerari non possent. Quin nec reliqui, qui excedebant vigesimum annum, omnes numerati sunt: licet enim *Joab cœperit numerare*, ita jubente Davide, 2 Regum ult., *non* tamen *complevit, quia*, ut ibidem dicitur, *ira* Dei et sævissima punitio *super hoc*, id est propter eam numerationem, *irruerat in Israelitas*. Quare et cessatum est mox ab ulteriore numeratione, *neque numerus recensitorum relatus est in fastos* regios, Davide utrumque inhibente.

(1) Supra 21, vers. 2.

28. Nam super oliveta et ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Joas.

29. Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: et super boves in vallibus, Saphat filius Adli:

30. Super camelos vero, Ubil Ismahelites: et super asinos, Jadias Meronathites.

31. Super oves quoque Jaziz Agareus; omnes hi, principes substantiæ regis David.

32. Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens et litteratus, ipse et Jahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis,

33. Achitophel etiam consiliarius regis, et Chusai Arachites amicus regis.

34. Post Achitophel fuit Jojada filius Banaiæ, et Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Joab.

℣. 34. *Post Achitophel* laqueo extinctum, *Jojada et Abiathar*, hic pontifex, iste e primis sacerdotibus, erant Davidi ab intimis consiliis.

CAPUT XXVIII.

David, convocatis omnibus regni principibus, tam Salomonem, quam reliquos omnes hortatur ad sedulo semper custodienda mandata Dei, præscribitque formam templi traditam sibi a Deo.

1. Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, et præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque et centuriones, et qui præerant substantiæ et possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, et potentes, et robustissimos quoque in exercitu Jerusalem.

2. Cumque surrexisset rex, et stetisset, ait: Audite me, fratres mei, et populus meus: Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, et scabellum pedum Dei nostri: et ad ædificandum omnia præparavi.

3. Deus autem dixit mihi: [1] Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis.

4. Sed elegit Dñus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum: de Juda enim elegit principes: porro de domo Juda, domum patris mei: et de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel.

℣. 1. *Eunuchis* — Id est, officialibus aulæ regiæ seu palatinis, ut dixi Gen. 37, v. 36. Porro

℣. 2. *Scabellum pedum Dei nostri* — Sic vocabatur arca fœderis. Quia Deus, qui inter alas Cherubinorum supra propitiatorium sedere credebatur, pedibus suis *arcæ* quasi scabello inniti atque ita responsa petentibus dare dicebatur. Vide Exodi 25.

℣. 4. *De Juda elegit principem:* sic enim in singulari legunt Hebræa, Chaldæa et Græca. Noster Latinus vertit in plurali *principes* — q. d. Deus voluit e tribu Juda principes populi sui, id est reges, deligi, non modo jam, sed et deinceps. Id vero se velle significavit primum Genes. 49, v. 10: *Non auferetur sceptrum de Juda*, etc. Dein Judicum 1, vers. 2: *Judas erit dux belli.* Denique 1 Regum 16, vers. 1, et 2 Regum 3, vers. 18, et cap. 5, v. 2, cap. 7, v. 13, et alibi sæpius.

(1) 2 Reg. 7, vers. 13.

5. [1] Sed et de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Dñi super Israel,

6. Dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, et atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem,

7. Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, et judicia, sicut et hodie.

8. Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Deo nostro, custodite, et perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis terram bonam, et relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum.

9. Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: [2] omnia enim corda scrutatur Dñus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.

10. Nunc ergo quia elegit te Dñus ut ædificares domum sanctuarii, confortare et perfice.

11. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in adytis, et domus propitiationis,

12. Necnon et omnium quæ cogitaverat atriorum, et exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, et in thesauros sanctorum,

13. Divisionumque sacerdotalium, et Leviticarum, in omnia opera domus Domini, et in universa vasa ministerii templi Domini.

14. Aurum in pondere per singula vasa ministerii, argenti quoque pondus pro vasorum et operum diversitate.

15. Sed et in candelabra aurea, et ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscujusque candelabri et lucernarum. Similiter et in candelabra argentea, et in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit.

16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum: similiter et argentum in alias mensas argenteas.

17. Ad fuscinulas quoque, et phialas, et thuribula ex auro purissimo, et leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum et leunculum. Similiter et in leones argenteos diversum argenti pondus separavit.

18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini.

19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.

20. Dixit quoque David Salomoni

℣. 9. *Scito Deum* — Id est, certa et firma fide cognosce Deum: nam absque ea nemo potest aut servire aut placere Deo, quod hic intendit David persuadere Salomoni.

℣. 11. *Domus propitiationis*, est locus in quo erat figendum propitiatorium, puta *Sanctum Sanctorum*.

℣. 12. *Thesauri sanctorum*, sunt ærraria, in quibus ea quæ Deo consecrabantur, et sic sancta fiebant, adservabantur.

℣. 13. *Divisiones sacerdotales et Leviticæ*, sunt distributiones sacerdotum et Levitarum per classes et vices, de quibus cap. 23 et sequentibus.

℣. 18. *Similitudo quadrigæ Cherubim* — Cum enim antea in tabernaculi propitiatorio per Mosen facto non essent nisi duo Cherubini, qui quasi bigam faciebant, cui Deus insideret: jam jubetur quadriga fieri, duobus aliis Cherubinis adjectis, ut dixi 3 Regum 6 et dicam Ezech. 1.

℣. 19. *Omnia venerunt scripta manu*

(1) Sap. 9, vers. 7. (2) Psalm. 7, vers. 10.

filio suo: Viriliter age, et confortare, et fac: ne timeas, et ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, et non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini.

21. Ecce divisiones sacerdotum et Levitarum in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, et parati sunt, et noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

Domini ad me — seu descripta et delineata manu angeli, vicem Dei supplentis. Hinc patet, sicut olim Moysi tradita ab angelo fuit idea tabernaculi, et omnis ornatus illius, ita nunc Davidi formam templi, et omnis supellectilis illius, quia in multis magna fiebat mutatio, cælitus traditam fuisse. Vide 3 Regum 6.

CAPUT XXIX.

Impensæ, quas David in ædificium templi seposuit: quas item principes ac populus de suo adjecerunt. Salomon secundo ungitur in regem. David post 40 annos regni felicissime moritur.

1. Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum et tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

2. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea et argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime:

3. Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparavi in ædem sanctam.

4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: et septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi.

5. Et ubicumque opus est aurum de auro, et ubicumque opus

℣. 2. *Quasi stibinos* — Id est, similes fuco. Hebraice *fuci*, idque propter *diversitatem* seu varietatem *colorum*, ut sequitur: quia lapides isti varietate colorum fucum faciunt videntibus, ut apparet in iis quos vocant *Agates*, ubi et undulatum mare, et natantes insulas, et omne genus imagines ultro innatas quasi penicillo expressas videre est, quæ fucum faciant imponantque, etiam oculatissimis. *Marmor Parium* — Hebraice tantum est *marmor*. Sed LXX et Latinus, ut exponant quale fuerit *marmor*, adjecerunt epitheton *Parium*, ab insula *Paro*, una ex Cycladibus, sic dictum: quod *album* erat, et ceteris marmoribus præcellebat.

℣. 3. *Exceptis his* — Seu præter ea, *quæ* ex variis bello subactis provinciis seposui in fabricam *ædis sanctæ*, quæ sunt ut minimum *auri talenta centum millia*, et decuplo plus *argenti*, ut dictum cap. 22, v. 14. Insuper *in* eamdem *domum et templum Dei mei de meo peculio*, id est ex privatis thesauris meis, *do decem* alia *millia talenta auri probatissimi ex insula Ophir* [1]. Neque his tantis thesauris puto sat adhuc prospectum necessariis templi, quod Deo opt. max. maxime splendidum construendum est, ornamentis. Idcirco desidero, ut et vos principes populi de vestro peculio, quantum cuique *sponte* libuerit, in id conferatis, et liberali manu *Domino* offeratis. Obtulerunt ergo hi principes de suo simul omnes.

(1) 2 Par. 8.

est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: et si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, et offerat quod voluerit Domino.

6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, et proceres tribuum Israel, tribuni quoque, et centuriones, et principes possessionum regis,

7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, et solidos decem millia: argenti talenta decem millia, et æris talenta decem et octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.

8. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Jahiel Gersonitis.

9. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Dño: sed et David rex lætatus est gaudio magno.

10. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum.

11. Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria: et tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, et in terra, tua sunt: tuum, Domine, regnum: et tu es super omnes principes.

12. Tuæ divitiæ, et tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo, et imperium omnium.

13. Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum.

14. Quis ego, et quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia: et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

15. Peregrini enim sumus coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. [1] Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora.

16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia.

17. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

18. Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tui mens ista permaneat.

19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, et cæremonias tuas, et faciat universa: et ædificet ædem, cujus impensas paravi.

20. Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: et inclinaverunt se, et adoraverunt Deum, et deinde regem.

21. Immolaveruntque victimas Domino: et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libamini-

℣. 7. *Auri talenta quinque millia, et solidos decem millia,* etc. — Vide quæ dixi de ponderibus [2]. Porro per *principes possessionum regis* intelliguntur præfecti gazæ regiæ, præpositi agrorum, vinearum et gregum regiorum, de quibus supra c. 27, v. 25 et sequentibus.

℣. 17. *Simplicitas,* hebraice, rectitudo; græce, justitia; designat candorem animi, et rectam puramque intentionem, quæ a Christo vocatur *oculus simplex,* Matthæi 6, v. 22.

℣. 21. *Tauros mille,* etc. — Refer non ad sola *holocausta,* quæ proxime præcedunt, sed ad omnes *victimas Domino* die illa *immolatas,* ut ante dicitur, v. g. in *hostias pacificas,* quæ non totæ igni

(1) Sap. 2, vers. 5. (2) In Prolegomenis.

bus suis, et universo ritu abundantissime in omnem Israel.

22. Et comederunt, et biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. [1] Et unxerunt secundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, et Sadoc in pontificem.

23. Seditque Salomon super solium Domini, in regem pro David patre suo, et cunctis placuit: et paruit illi omnis Israel.

24. Sed et universi principes et potentes et cuncti filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi.

25. Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel: et dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel.

26. Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel.

27. [2] Et dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis: et in Jerusalem annis triginta tribus.

28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria; et regnavit Salomon filius ejus pro eo.

29. Gesta autem David regis priora, et novissima, scripta sunt in Libro Samuelis videntis, et in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis:

30. Universique regni ejus, et fortitudinis, et temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum.

absumebantur, ut fiebat in holocaustis; sed pro majori parte cedebant offerentibus in epulum. Unde et hic subditur, *victimas* illas *abundantissime* fuisse *in omnem Israel*, id est, omni populo, qui tum convenerat, abunde suffecisse, scilicet ad lautum epulum.

℣. 22. *Unxerunt secundo Salomonem* — Prior enim unctio, quæ ad preces Bethsabee facta fuerat *in Gihon*, 3 Regum 1, v. 45, tumultuario et subitaneo opere et coram paucis facta fuerat. Itaque conveniebat, eamdem publice et solemniter institui, totoque Israele præsente et consentiente iterari. Eadem opera etiam *Sadocum* solemniter inunxerunt in summum pontificem: forte ne quis locus esset cavillationi, non esse legitimum pontificem, qui a Saule tyranno potius quam rege intrusus esset in munus sibi non debitum, utpote vivente legitimo pontificatus herede Abiatharo pontificis tum defuncti filio. Et verisimile est, Abiatharum ejusque sequaces sparsisse ejusmodi rumores, sub id maxime tempus publici schismatis, quo alter *Adoniæ*, alter *Salomoni* palam favebat. Unde Salomon, qui suggerente Davide jam tum decreverat exauctorare *Abiatharum*, solumque *Sadocum* ejusque posteros pontificatui adhibere, ne quis exinceps de illius unctione scrupulus cuipiam inhæreret, voluit eamdem hac occasione coram universo Israele seu iterari, seu comprobari.

(1) 3 Reg. 1, vers. 34. (2) 3 Reg. 2 vers. 11.

LIBER II.

PARALIPOMENON

CAPUT I.

Oblatis mille hostiis a Salomone in Gabaon, Deus illi nocte apparens optatam donat sapientiam, cum immensis divitiis et gloria. Numerus curruum ejus et equitum.

1. Confortatus est ergo Salomon filius David [1] in regno suo, et Dominus Deus ejus erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum.

2. Præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et ducibus, et judicibus omnis Israel, et principibus familiarum:

3. Et abiit cum universa multitudine in excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine.

4. Arcam autem Dei [2] adduxerat David de Cariathiarim, in locum quem præparaverat ei, et ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est in Jerusalem:

5. Altare quoque æneum, [3] quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod et requisivit Salomon, et omnis ecclesia.

6. Ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias.

7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi.

8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam: et constituisti me regem pro eo.

9. Nunc ergo, Domine Deus, impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ.

10. [4] Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare?

11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, et non postulasti divitias, et substantiam, et gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam et scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem,

℣. 5. *Altare* Moysis *æneum requisivit Salomon* — adeundo illud in Gabaon, ut super eo sacrificaret Domino.

℣. 10. *Ut ingrediar et egrediar coram populo* — scilicet ut regem decet. Ea phrasi explicant Hebræi omne genus publicæ actionis et conversationis.

(1) 3 Reg. 3, vers. 1.
(2) 2 Reg. 6, vers. 17; 1 Par. 16, vers. 1.
(3) Exod. 38, vers. 1.
(4) Sap. 9, vers. 10.

12. Sapientia et scientia data sunt tibi: divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui.

13. Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Jerusalem coram tabernaculo fœderis, et regnavit super Israel.

14. [1] Congregavitque sibi currus et equites, et facti sunt ei mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege in Jerusalem.

15. Præbuitque rex argentum et aurum in Jerusalem quasi lapides, et cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.

16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, et de Coa, a negotiatoribus regis, qui ibant, et emebant pretio,

17. Quadrigam equorum sexcentis argenteis, et equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum, et a regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

℣. 13. *Coram tabernaculo fœderis* — Hebraice, *de coram tabernaculo;* LXX *a facie tabernaculi.* Nam *tabernaculum fœderis,* ut hic dicitur v. 3 non erat tum *Jerosolymæ,* sed *in Gabaon,* unde Salomon redibat.

℣. 15. *Sycomorus,* arbor est Palæstinæ familiaris, plebejorum ædificiorum fabricis subserviens, parum ad firmitatem et speciem idonea: usitata tamen, quia exiguo parabatur impendio. Opponitur *cedro,* nobili, specioso et firmo admodum ligno, principum regumque palatiis adhiberi consueto.

℣. 16. *Adducebantur* Salomoni *equi de Ægypto, et de Coa* — Cum enim in Israelitide terra pauci ad id tempus equi procrearentur, necesse fuit ut Salomon, si quos præstantes optaret, aliunde accerseret. Ægyptum vero plurimis ac generosis equis abundasse, vel ex illo Cantic. 1, vers. 8 colligere est, ubi cum sponsus sponsæ suæ robur egregium depingere vult, comparat illam *equitatui* suo *in curribus Pharaonis* regis Ægypti.

Porro *Coa,* hebraice *Kueh,* non est *Goa* Lusitanici imperii in India Orientali caput, ut nonnemo somniavit: nimis enim difficilis et sumptuosa vectura fuisset e regionibus usque adeo remotis. Sed si proprium est civitatis nomen, est emporium particulare aliquod vel Ægypti, vel Ægypto confine sic nominatum: ita Mariana. Sin vero appellative sumatur (nam Hebræum *kueh* significat *congregationem*), tum *emporium* in genere denotabit ad quod mercatorum *congregatio* undique confluit: eritque sensus, quod ex Ægypti emporiis equi maximo numero Jerosolymam stato certoque pretio ad Salomonem quotannis aut quotmensibus adducerentur.

(1) 3 Reg. 10, vers. 26.

CAPUT II.

Decernit Salomon pro templo struendo architectos et operarios: transigit cum Hiram rege Tyri de perito artifice transmittendo, lignisque ad templum necessariis.

1. Decrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, et palatium sibi.

2. Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, et octoginta millia qui cæderent la-

℣. 2. Numeravit non de Israelitis sed de *proselytis,* ut dicitur v. 17, id est, de advenis ad Judaismum conversis. Vide dicta 3 Regum 5, v. 13.

Præpositos — Hebraice *menaxeab,* quod sæpe positum habes in titulis psalmorum. Et hinc patet, nihil aliud ibi designare, quam *præpositum* vel *præfe-*

pides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos.

3. [1] Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, et misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in quâ et habitavit:

4. Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, et fumiganda aromata, et ad propositionem panum sempiternam, et ad holocautomata mane, et vespere sabbatis quoque, et neomeniis, et solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli.

5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est; magnus est enim Deus noster super omnes deos.

6. Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cælum, et cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo.

7. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, et argento, ære, et ferro, purpura, coccino, et hyacintho, et qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa et Jerusalem, quos præparavit David pater meus.

8. Sed et ligna cedrina mitte mihi, et arceuthina, et pinea, de Libano: scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano, et erunt servi mei cum servis tuis,

9. Ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, et inclyta.

10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, et hordei coros totidem, et vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.

11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dñus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum.

12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum et terram, qui dedit David regi filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, et palatium sibi.

13. Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum Hiram, patrem meum,

14. Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro, et argento, ære, et ferro, et marmore, et lignis, in purpura quoque, et hyacintho, et bysso, et coccino: et qui scit cælare omnem sculpturam, et adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, et cum artificibus domini mei David patris tui.

15. Triticum ergo, et hordeum, et oleum, et vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis.

16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, et applicabimus ea ratibus per mare in Joppe: tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.

ctum cantorum. Porro dicuntur hic operibus Salomonis præpositi fuisse 3600 cum 3 Regum 5, v. 16 ubi de iisdem agitur, non numerentur nisi 3300. Respondeo, ibi prætermissos fuisse *præpositos* superiores *præpositorum* inferiorum: qui erant *trecenti*, et hic supplentur.

℣. 13. *Hiram patrem meum* — In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *Hiram patris mei*, supple servum vel architectum. Quo modo autem (ut Noster vertit interpres) eumdem Hiramum possit etiam vocare rex *patrem* suum, dixi 3 Regum 7, vers. 13.

(1) 3 Reg. 5, vers. 2.

17. Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pater ejus, et inventi sunt centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti.

18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, et octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia et sexcentos præpositos operum populi.

CAPUT III.

Construitur templum, cum porticu, et duabus columnis æneis ante fores templi.

1. Et cœpit Salomon [1] ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco, quem paraverat David in [2] area Ornan Jebusæi.

2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui.

3. Et hæc sunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti.

4. Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat: et deauravit eam intrinsecus auro mundissimo.

5. Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, et laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, et quasi catenulas se invicem complectentes.

6. Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo.

7. Porro aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, et trabes ejus, et postes, et parietes, et ostia: et cælavit cherubim in parietibus.

8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti: et latitudinem similiter viginti cubitorum: et laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis.

9. Sed et clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro.

10. Fecit etiam in domo Sancti

℣. 1. *In monte Moria* — Ibi Abraham olim obtulit filium suum, Gen. 22, v. 14, eratque ex adverso montis Sion, in quo arx constructa fuit. *Area Ornan* erat in *monte Moria*, ut dixi 1 Paral. 21, v. 25. Erat vero

℣. 3. *In mensura prima* — Id est, ea specie mensuræ qua primo tabernaculum a Moyse constructum fuit. Cum enim progressu temporis et *cubiti*, et *palmi*, et aliæ mensuræ mutentur, Salomon in templo suo construendo voluit uti eadem prorsus *cubiti* mensura qua Moyses usus fuerat, sed duplum numerum cubitorum adhibuit, ut dixi 3 Regum 6, ubi vide reliqua hujus capitis.

℣. 5. *Domum majorem* (puta *Sanctum*, seu Sanctuarium, quod medium est inter *porticum et Sanctum Sanctorum*) et majus utroque: *texit tabulis ligneis abiegnis*, sed immixtis *laquearibus cedrinis*, ut dicitur 3 Reg. 6, v. 9.

Aurum obrizum ex S. Hieronymo quidam putant dictum quasi *Ophirizum*. Vide infra cap. 8, v. 18.

(1) 3 Reg. 6, vers. 1.

(2) 2 Reg. 24, vers. 25; 1 Par. 21, vers. 26.

sanctorum cherubim duos, opere statuario: et texit eos auro.

11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, et tangeret parietem domus: et altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.

12. Similiter cherub alterius ala quinque habebat cubitos, et tangebat parietem: et ala ejus altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat.

13. Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, et extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, et facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.

14. [1] Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, et bysso: et intexuit ei cherubim.

15. [2] Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum quinque cubitorum.

16. Necnon et quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.

17. Ipsas quoque columnas posuit in vestíbulo templi, unam a dextris, et alteram a sinistris: eam, quæ a dextris erat, vocavit Jachin; et quæ ad levam, Booz.

℣. 15. *Duas columnas* — Istas descripsi 3 Regum 7, v. 15 et sequentibus.

(1) Matth. 27, vers. 51.

℣. 16. *In oraculo* — Pro *sicut in oraculo:* ita Mariana et Sa.

(2) Jer. 52, vers. 20.

CAPUT IV.

Altare holocaustorum æneum, mare fusile, denæ conchæ æneæ, dena candelabra aurea, mensæ, phialæ, et cetera supellectilia sacra.

1. Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.

2. [1] Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.

3. Similitudo quoque boum erat subter illud, et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles:

4. Et ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad aquilonem, et alii tres ad occidentem: porro tres alii meridiem, et tres qui reliqui erant,

℣. 2. *Funiculus triginta cubitorum,* etc. — Id est circulus seu peripheria maris ænei erat triginta cubitorum, nempe triplo major diametro ejusdem, ita LXX.

℣. 3. *Similitudo boum,* etc. — Id est, præter 12 boves, quibus tamquam fulcris mare insistebat, erant in anteriori parte maris, spatio decem cubitorum (quæ erat tertia pars peripheriæ maris), alia capita boum prominentia: forte, per illa, tamquam per epistomia, aqua educebatur. Erantque hæc *duobus versibus,* Hebr. et LXX *duobus ordinibus,* distincta, uno infra labium, altero versus fundum. Hæc capita *erant fusilia,* hebraice *fusa in fusura ejus,* scilicet maris: neque enim erant seorsim adjecta, sed simul cum *mari* ex eadem forma prodierant.

(1) 3 Reg. 7, 23.

orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari.

5. Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi, et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria millia metretas.

6. Fecit quoque conchas decem: et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porro in mari sacerdotes lavabantur.

7. Fecit autem et candelabra aurea decem, secundum speciem qua jussa erant fieri: et posuit ea in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris:

8. Necnon et mensas decem: et posuit eas in templo, quinque a dextris, et quinque a sinistris: phialas quoque aureas centum.

9. Fecit etiam atrium sacerdotum, et basilicam grandem: et ostia in basilica, quæ texit ære.

10. Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad meridiem.

11. Fecit autem Hiram lebetes, et creagras, et phialas: et complevit omne opus regis in domo Dei:

12. Hoc est, columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia.

13. Malogranata quoque quadringenta, et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia, et capita columnarum.

14. Bases etiam fecit, et conchas, quas superposuit basibus:

15. Mare unum, boves quoque duodecim sub mari,

16. Et lebetes, et creagras, et phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo.

17. In regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot et Saredatha.

18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.

19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, et altare aureum, et mensas, et super eas panes propositionis:

20. Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo,

21. Et florentia quædam, et lucernas, et forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt.

22. Thymiateria quoque, et thuribula, et phialas, et mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

℣. 9. *Basilicam grandem* — Hebraice et græce, *atrium magnum*, scilicet pro populo, porticibus undique circumdatum.

℣. 13. *Malogranata quadringenta* — Quomodo ergo c. 3, v. 16 tantum dixit *centum malogranata?* Respondeo, Quaterni erant ordines malogranatorum, bini in singulis columnis. In quoque ordine erant *centum malogranata:* vel, si præcisum vis numerum, *nonaginta sex*, ut dicitur Jerem. 52, v. 23. At 3 Regum 7, v. 20 dicuntur fuisse *malogranatorum ducenti ordines* in unoquoque capitello. Respondeo, Per *ordines* ibi intelliguntur *areolæ* vel *annuli*, reticulato opere confecti, et ordine in orbem dispositi, qui in singulis capitellis erant fere ducenti, in quibus totidem pendebant malogranata.

℣. 21. *Florentia* — Hebraice, *flores*; nempe opere fusili imitabatur flores liliorum, vel etiam alios.

CAPUT V.

Illatis in templum vasis sacris, variisque donariis, arca solemniter in Sanctum sanctorum inducitur. Et gloria Domini implet templum.

1. Intulit igitur Salomon [1] omnia quæ voverat David pater suus, argentum, et aurum, et universa vasa posuit in thesauris domus Dei.

2. [2] Post quæ congregavit majores natu Israel, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion.

3. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi.

4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ arcam,

5. Et intulerunt eam, et omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt sacerdotes cum Levitis.

6. Rex autem Salomon, et universus cœtus Israel, et omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, et boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum.

7. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim:

8. Ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis.

9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem.

10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moy-

ỳ. 9. *Vectes paululum longiores erant*, quam ipsa arca, 3 Regum 8, v. 8 simili modo dicitur, *cum eminerent vectes*, etc. non a Sancto sanctorum (nam murus interjectus id impediebat), sed ab ipsa arca, utpote multo longiores quam arca: *et apparerent summitates* seu capita *eorum foris Sanctuarium*, Hebraice, *ex sanctuario non apparebant ultra*, seu magis ultra, *extrinsecus*, id est extra locum *oraculi*, puta ab iis, qui paulo remotius stabant ab ostio, quo ex Sancto ibatur in Sanctum sanctorum. Vult dicere, vectium arcæ extremitates illis solis conspicuas fuisse qui ad ipsum oraculi ostium propius accessissent, non item iis qui paulo remotius constitissent: ita Sanctius.

ỳ. 10. *Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ* lapideæ — Nam licet a tempore Moysis huc usque, dum in tabernaculo nullus alius esset locus in quo tuto ac religiose possent reponi, *virga Aaron* [3] *quæ fronduerat, et urna* [4] *aurea cum manna, et Deuteronomium Moysi* reposita fuerint, vel *intra arcam* (ut insinuat S. Paulus ad Hebræos 9, v. 4, et docet S. Augustinus, S. Thomas, Theophylactus, Œcumenius, Arias Montanus, Salmeron et Sanctius [5]): vel saltem *ad latera arcæ* (ut de *Deuteronomio* diserte jussit Moyses, Deuteron. 31, v. 24 et tenent Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Burgensis, Ribera, Azor et alii [6]), tamen, ex quo conditum fuit stabile templum, et in eo varia ad latus utrumque gazophyla-

(1) 3 Reg. 7, vers. 51. (2) 3 Reg. 8; vers. 1. (3) Num. 17, vers. 10. (4) Exod. 16, vers. 33. (5) S. Augustinus q. 105 in Exod.; S. Thomas, Theophylactus, Œcumenius et Salmeron in epist. ad Hebr., c. 9; Arias in Apparatu, lib. de Siclo. (6) Lyran. et Abul. hic; Cajet. et Burg. in epist. ad Hebr., c. 9; Ribera l. 2 de Templo, c. 2; Azor tom. 1, lib. 6, cap. 47.

ses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto.

11. Egressis autem sacerdotibus de sanctuario (omnes enim sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, et ministeriorum ordo inter eos divisus erat),

12. Tam Levitæ quam cantores, id est, et qui sub Asaph erant, et qui sub Eman, et qui sub Idithun, filii, et fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, et cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis.

13. Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent et dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur domus Dei nube,

14. Nec possent sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

cia, in quibus res illæ sacræ possent commode decenterque asservari, videntur ab arca semotæ, et in vicinum aliquod conclave traductæ. Sane de libr. Deuteron. constat, paucis post seculis, inter alios templi thesauros fuisse repertum, 2 Paralipom. 34, v. 14 ubi *Helcias sacerdos, cum efferretur pecunia, quæ illata est in templum Domini,* dicitur *reperisse librum legis Domini per manum Moysi.*

℣. 11. *Nec adhuc in illo tempore* encæniorum, *vices et ordo inter* sacerdotes *divisus erat* — Hebraice, *non observabatur.* Nempe confluxerant non ii soli quibus ministerium ea septimana incumbebat (neque enim hi suffecissent); sed omnes quotquot ex toto Israele haberi poterant. Quod idem mox de Levitis et cantoribus subjungit. Cetera hujus capitis vide 3 Reg. 8.

CAPUT VI.

Rex Salomon populo publice benedicit, Deoque gratias agit de promissis olim Davidi factis jam opere completis: orat enixe ut populi in templo precantis vota semper Deus exaudiat.

1. Tunc Salomon [1] ait: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine:

2. Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.

3. Et convertit rex faciem suam, et benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta), et ait:

4. Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est David patri meo opere complevit, dicens:

5. A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in populo meo Israel,

6. Sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, et elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israel.

7. Cumque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel,

8. Dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem

(1) 3 Reg. 8, vers. 12.

fecisti hujuscemodi habere voluntatem :

9. Sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

10. Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: et ego surrexi pro David patre meo, et sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: et ædificavi domum nomini Domini Dei Israel.

11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel.

12. Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, et extendit manus suas.

13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, et posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, et quinque cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis: stetitque super eam: et deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, et palmis in cælum levatis,

14. Ait: [1] Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo et in terra : qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo:

15. Qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei: et quæ ore promiseras, opere complesti, sicut et præsens tempus probat.

16. Nunc ergo, Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint in lege mea, sicut et tu ambulasti coram me.

17. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.

18. Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum et cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?

19. Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Dñe Deus meus: et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te:

20. Ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum,

21. Et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, et propitiare.

22. Si peccaverit quispiam in proximum suum, et jurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista :

23. Tu audies de cælo, et facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, et ulciscaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam.

24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) et conversi egerint pœnitentiam, et obsecraverint nomen tuum, et fuerint deprecati in loco isto,

25. Tu exaudies de cælo, et propitiare peccato populi tui Israel, et reduc eos in terram, quam dedisti eis, et patribus eorum.

26. Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi, et de-

℣. 13. *Fecerat Salomon basim æneam* — Hebraice *labrum* seu *concham*, scilicet in usum suggestus. Nisi malis de theatro regio id interpretari, quod 4 Regum 16, v. 18 *musach* sabbati vocatur. *In medio basilicæ*, id est in atrio populi, ut dixi c. 4, v. 9.

(1) 2 Mach. 2, vers. 8

precati te fuerint in loco isto, et confessi nomini tuo, et conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris,

27. Exaudi de cælo, Domine, et dimitte peccata servis tuis et populi tui Israel, et doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: et da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.

28. [1] Fames si orta fuerit in terra, et pestilentia, ærugo, et aurugo, et locusta, et bruchus, et hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga et infirmitas presserit:

29. Si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem suam, et expanderit manus suas in domo hac,

30. Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, et propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum):

31. Ut timeant te et ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, et propter manum tuam robustam, et brachium tuum extentum, et adoraverit in loco isto,

33. Tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, et facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, et timeant te sicut populus tuus Israel, et cognoscant, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam in qua civitas hæc est, quam elegisti, et domus, quam ædificavi nomini tuo:

35. Tu exaudies de cælo preces eorum, et obsecrationem, et ulciscaris.

36. Si autem peccaverint tibi ([2] neque enim est homo, qui non peccet), et iratus fueris eis, et tradideris hostibus, et captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ juxta est,

37. Et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, et deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus, iniique fecimus, injuste egimus:

38. Et reversi fuerint ad te in toto corde suo, et in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, et urbis, quam elegisti, et domus quam ædificavi nomini tuo:

39. Tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum, et facias judicium, et dimittas populo tuo, quamvis peccatori.

40. Tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.

41. [3] Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu et

ỳ. 28. *Ærugo* proprie *æris rubigo* est: *aurugo*, vitium coloris in homine, quod *icteritia* dicitur, ab *auri* colore sic nominatum. Sed utrumque hic pro *segetum* vitio poni videtur; LXX tamen verterunt, *æris corruptionem et icteritiam*.

ỳ. 41. *Consurge Domine in requiem tuam*, id est, hic requiesce: mane in templo hoc, quod elegisti ut in eo quiescere. *Tu et arca fortitudinis tuæ* — Sic vocat, ob miracula stupenda, quæ ad arcæ præsentiam facta sunt adversus Chananæos, Philisthæos, et alios hostes.

Sacerdotes tui induantur salutem — id est, a te serventur. Psal. 131, v. 9:

(1) Infra 20, vers. 9.

(2) 3 Reg. 8, v. 46; Eccl. 7, v. 21; 1 Joan. 1, v. 8.

(3) Psalm. 131, vers. 8.

arca fortitudinis tuæ: sacerdotes tui, Dñe Deus, induantur salutem, et sancti tui lætentur in bonis.

42. Domine Deus, ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

Induantur justitiam, id est sanctitate et innocentia vitæ floreant.

℣. 42. *Ne averteris faciem christi tui* — id est, *mei*, qui christus, id est in regem unctus sum; q. d. Ne repellas preces meas; ne patiar a te repulsam.

CAPUT VII.

Igne cælitus demisso absumuntur parata jam sacrificia. Dedicatio templi diebus septem celebratur: die octavo fit collecta. Deus Salomoni revelat, se ipsius orationem exaudisse.

1. Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, et devoravit holocausta et victimas: [1] et majestas Domini implevit domum.

2. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini.

3. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

4. Rex autem, et omnis populus, immolabant victimas coram Dño.

5. [2] Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: et dedicavit domum Dei rex, et universus populus.

6. Sacerdotes autem stabant in officiis suis: et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas: porro sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat.

7. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Dñi: obtulerat enim ibi holocausta et adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipes.

8. Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti.

9. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.

10. Igitur in die vigesimo tertio

℣. 1. *Majestas*, hebraice et græce *gloria, Domini* — scilicet nubes splendida, quæ Dei præsentiam, gloriam et majestatem repræsentabat.

℣. 6. *Sacerdotes stabant in officiis suis* — Hebraice et græce, *per custodias suas*, nempe distributi per turmas suas fungebantur singuli officiis suis. Simili modo *Levitæ* stabant *in organis carminum Domini*, id est, cum instrumentis omne genus musicis, quibus *canebant per manus suas*, id est manibus et plectris pulsantes psallebant *carmina* in honorem et laudem Dei a Davide composita.

℣. 8. *Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo* — Id est, peracta dedicatione templi per octiduum, celebravit consequenter alio octiduo festum scenopegiæ, quod eodem illo mense celebrari debebat. Hæc et reliqua hujus capitis explicui 3 Regum 8, v. 2. Uti et de *collecta*, Levit. 23, v. 36.

(1) 2 Mach. 2, vers. 8.

(2) 3 Reg. 8, vers. 63.

mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Davidi, et Salomoni, et Israeli populo suo.

11. [1] Complevitque Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est.

12. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait: Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii.

13. Si clausero cælum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum;

14. Conversus autem populus meus super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: et ego exaudiam de cælo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum.

15. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus qui in loco isto oraverit.

16. Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

17. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, et feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, et justitias meas judiciaque servaveris:

18. Suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel.

19. Si autem aversi fueritis, et dereliqueritis justitias meas, et præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes servieritis diis alienis, et adoraveritis eos;

20. Evellam vos de terra mea, quam dedi vobis: et domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, et tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis.

21. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, et dicent stupentes: Quare fecit Dñus sic terræ huic, et domui huic?

22. Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, et apprehenderunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt: idcirco venerunt super nos universa hæc mala.

(1) 3 Reg. 9, vers. 1.

CAPUT VIII.

Etiam sibi novum construit palatium Salomon, variasque exædificat civitates: reliquias Gentium facit Israeli tributarias: stata holocausta nomine et sumptu regis offerenda decernit: sacerdotum ac Levitarum ministeria, juxta designationem Davidis, constituit: mittit classem in Ophir, unde plurimum ipsi auri.

1. Expletis autem viginti annis, [1] postquam ædificavit Salomon domum Domini et domum suam:

2. Civitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, et habitare ibi fecit filios Israel.

℣. 1. *Expletis viginti annis, postquam ædificavit* — LXX *in quibus ædificaverat.*

(1) 3 Reg. 9, vers. 10.

℣. 2. *Civitates, quas dederat,* id est reddiderat, *Hiram Salomoni* — ut dixi 3 Regum 9, v. 13, ubi et reliqua vide hujus capitis.

3. Abiit quoque in Emath Suba, et obtinuit eam.

4. Et ædificavit Palmiram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath.

5. Extruxitque Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas, habentes portas et vectes et seras:

6. Balaath etiam et omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum, et urbes equitum; omnia quæcunque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem et in Libano, et in universa terra potestatis suæ.

7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, et Amorrhæis, et Pherezæis, et Hevæis, et Jebusæis, qui non erant de stirpe Israel:

8. De filiis eorum, et de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc.

9. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, et duces primi, et principes quadrigarum et equitum ejus.

10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.

11. [1] Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini.

12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum,

13. Ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysi in sabbatis et in calendis, et in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.

14. Et constituit juxta dispositionem David patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis: et Levitas in ordine suo, ut laudarent, et ministrarent coram sacerdotibus, juxta ritum uniuscujusque diei: et janitores in divisionibus suis per portam et portam: sic enim præceperat David homo Dei.

15. Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, et in custodiis thesaurorum.

16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Dñi, usque in diem quo perfecit eam.

17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailath ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom.

18. Misit autem ei Hiram per ma-

℣. 4. *Palmiram* — Sic a Græcis vocatur civitas sita supra *Syriam superiorem* itinere duorum dierum, unius ab *Euphrate*. Unde oriundus *Odenatus Palmirenus*, Zenobiæ maritus, in historia Romana notus. Hæc, teste Josepho [2], a Syris vocabatur *Thadamora*, et in Hebræo et apud LXX est *Thadmor*.

℣. 17. *Abiit Salomon*, vel per se, vel per suos, *in Asiongaber* — Portus est in dorso *maris Rubri*, tempore Josephi vocabatur *Berenice*, a regina sic dicta: hodie *Suez* nominatur a Turcis et Persis.

(1) 3 Reg. 3, vers. 1.

℣. 18. *Misit ei Hiram naves* — istic in ora maris Rubri fabricatas vel coemptas. Neque enim e portubus *Tyri* transtulit classem in *Asiongaber*: hæc enim ex mari Mediterraneo in mare Rubrum seu Erythræum per tanta locorum spatia transferri debuisset, sed e Tyro misit solos *nautas suos*, qui in classe Salomonis, ejus sumptibus in Idumæa, ad litus maris Rubri seu constructa, seu coempta, una *cum servis Salomonis*, in *Ophir* navigarent.

Gnaros maris — immo primos, ut cre-

(2) Lib. 8 Antiq., cap. 2.

nus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tu-

ditur, inventores rei nauticæ. Nam, teste Tibullo,

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus.

Et Pomponius Mela dicit Phœnices (qui iidem sunt cum Tyriis et Sidoniis) primos artem navigandi commentos esse, Sed de hoc fusius Sapientiæ 14, v. 6.

In Ophir — Quidam per *Ophir* putant designatam *Zophalam*: quidam *Angolam* in Æthiopia: quidam *Hispaniam:* plures *Peruanum* regnum in India Occidentali haud ita pridem ab Hispanis detectum: ita Vatablus et Arias Montanus. Et his favere videntur Hebræa et LXX libr. 2 Paral. c 3, v. 7 ubi pro eo quod Vulgatus legit, *Aurum erat probatissimum,* ipsi habent, *aurum erat Paruaim.* Sed ibi non est sermo de hoc auro *Ophir,* sed de auro quod David e vicinis gentibus bello subactis maxima copia collegerat, et filio suo Salomoni in thesauris reliquerat.

Dico ego per *Ophir* verisimillime designari *auream Chersonesum,* quæ complectitur regnum *Peguanum, Malacam* et *Somatram,* in India Orientali: ita Jo-

(1) Joseph. sup.; Hieron. epist. 140; Varrel. lib. de Ophir

leruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, et attulerunt ad regem Salomonem.

sephus, S. Hieronymus, Gaspar Varrelius [1], Sanctius et alii plerique. Favet huic sententiæ primo, quod circa ea loca putetur habitasse *Hevila* frater *Ophir,* Gen. 10 v. 29. Ibi enim est fluvius *Phison* seu *Ganges qui circuit terram Hevilath* Gen. 2, v. 11. Deinde classis Salomonis solvebat *ex Asiongaber* portu *maris Rubri,* viciniore Indiæ Orientali et Peguano regno, cum *Peru* toto cælo inde distet, ut patet intuenti mappam mundi. Tertio, quia neque Salomonis tempore, neque multis post seculis explorata fuit a quoquam nostri orbis regio Peruana propter Zonam torridam interjectam, quæ suo ardore aditum ad ulteriora præcludere putabatur. Quarto, quia non in *Peru,* sed in *Pegu* reperiuntur ea omnia quæ hic ad Salomonem ex *Ophir* una cum auro *obriso* seu *Ophiriso* advecta dicuntur cap. 9, v. 21, puta *ebur, simiæ, pavi, gemmæ, aromata, ligna odorata.* Denique Maffæus [2] tradit *Pegusios* stirpem suam referre ad exules Judæos, qui ad *aurifodinas Ophir* a Salomone damnati fuerunt.

(2) Lib. 16, Hist. Ind.

CAPUT IX.

Adventus reginæ Sabæ. Proventus annui Salomonis. Hastæ, scuta, omniaque convivii vasa aurea. Solium eburneum auro intertextum. Mors denique post annos regni 40.

1. Regina quoque Saba, [1] cum audisset famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opibus, et camelis qui portabant aromata, et auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo.

2. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.

3. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, et domum quam ædificaverat,

4. Necnon et cibaria mensæ ejus, et habitacula servorum, et officia ministrorum ejus, et vestimenta eorum, pincernas quoque et vestes eorum, et victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ stupore ultra in ea spiritus.

(1) 3 Reg. 10, vers. 1; Matth. 12, vers. 42; Luc. 11, vers. 31.

5. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus et sapientia tua.

6. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, et vidissent oculi mei, et probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis.

7. Beati viri tui, et beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam.

8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, et vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam.

9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

10. Sed et servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, et ligna thyina, et gemmas pretiosissimas:

11. De quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, et in domo regia, citharas quoque et psalteria cantoribus: numquam visa sunt in terra Juda ligna talia.

12. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, et quæ postulavit, et multo plura quam attulerat ad eum: quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis.

13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri:

14. Excepta ea summa, quam legati diversarum gentium, et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, et satrapæ terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni.

15. Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur:

16. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

17. Fecit quoque rex solium eburneum grande, et vestivit illud auro mundissimo.

18. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, et scabellum aureum, et brachiola duo altrinsecus, et duos leones stantes juxta brachiola,

19. Sed et alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis.

20. Omnia quoque vasa convivii

℣. 5. *Verus est sermo quem audieram de virtutibus tuis* — Hebraice, chaldaice et græce, *de verbis*, id est de rebus a te gestis, vel te concernentibus. Et sic etiam legitur 3 Regum 10, vers. 7 ubi omnia quæ reginam Sabæ spectant, fuse exposui.

℣. 16. *In armamentario, quod erat consitum nemore* — seu circumdatum nemore, id est, *in domo saltus Libani*, ut vertunt LXX; ibi enim erat armamentarium Salomonis.

Nota. Pro trecentis aureis, quibus singula scuta hic tecta dicuntur, 3 Regum 10, v. 17 habes *tres libras* seu *minas auri* in Hebræo et Græco. Nempe *mina* continebat *centum drachmas* seu aureos. Sed interpres Latinus cum dicit, *trecentas* fuisse *minas*, per *minam* intelligit *siclum*. Quomodo et Josephus nomen *minæ* usurpat; cum dicit Josephum a fratribus venditum Ismaelitis pretio viginti minarum, id est siclorum argenti [1].

(1) Confer P. Martin, pag. 241 seq., qui tamen cum ℣. 15 Hebræum *zinnæ* male versum contendit *hastas*, reddendumque *clypeos*, non satis vulgatæ nostræ auctoritati præter ullam necessitatem consuluisse videtur.

regis erant aurea, et vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

21. Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus: et deferebant inde aurum et argentum, et ebur, et simias, et pavos.

22. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria.

23. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus:

24. Et deferebant ei munera, vasa argentea, et aurea, et vestes, et arma, et aromata, equos, et mulos, per singulos annos.

25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem.

26. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti.

27. Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum: et cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus.

28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus,

29. Reliqua autem operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis, contra Jeroboam filium Nabat.

30. Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis.

31. Dormivitque cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

℣. 21. *In Tharsis* — Inter filios *Javan*, Gen. 10, unus fuit nomine *Tharsis*, qui in divisione gentium sortitus putatur eas insulas, quæ a *Cypro* ad orientalem et aquilonarem plagam spectant: quibus et nomen suum indidit *Tharsis*. Unde *Cilicia* tota dicta fuit *Tharsis*, quasi regnum *Tharsis:* et primaria Ciliciæ urbs sita in littore maris, nomen illud retinuit, dicta *Tharsus:* ut ex 2 Judith et 2 Machab. 4 colligit Sanctius. Porro ab insulis illis *Tharsis* etiam mare vicinum eodem nomine vocatum est *Tharsis*. Quod mare quia Hebræis ob frequentia commercia erat notissimum, aliorum vero remotiorum marium nomina neque nota, neque audita ipsis; hinc factum, ut quodcumque aliud *mare*, etiam Oceanum, vocarint *Tharsis:* et similiter ignotas sibi insulas mari instar Ciliciæ adjacentes vocarint *Tharsis*, sicut et Latini nomen *Ponti*, quod est proprium maris Pontici, commune fecerunt cuivis etiam alteri mari. Et *Indias* vocamus non eas solas regiones, quas Indus fluvius perluit, sed et quasvis alias nostro hemisphærio oppositas, et *Mauros* dicimus non solos ex Africa Mauritanos, sed et quosvis alios Mahometanos, quorum propria nomina nos latent. Simili modo factum ut et Hebræi regioni *Ophir*, sibi minus adhuc notæ, notum sibi *Tharsis* nomen inderent, ut 2 Paral. 20, v. 36, et omnes similes insulas sibi ignotas, omnia maria, quorum peculiare nomen ignorabant, *Tharsis* vocarent. Hinc Psal. 47, Isaiæ 23, Ezech. 1 et alibi, ubi Noster, nunc *naves Tharsis*, nunc *naves maris* vertit, in Hebr. ubique est *naves Tharsis*.

CAPUT X.

Filius et successor Salomonis Roboam, spreto seniorum consilio, juvenili fastu populum contemnens, discindit regnum Israelis in duas partes. Ipse non nisi duabus, reliquis decem tribubus Jeroboam imperat.

1. Profectus est autem Roboam in Sichem: [1] illuc enim cunctus Israel convenerat ut constituerent eum regem.

2. Quod cum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem), statim reversus est.

3. Vocaveruntque eum, et venit cum universo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4. Pater tuus durissimo jugo nos pressit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, et paululum de onere subleva, ut serviamus tibi.

5. Qui ait: Post tres dies revertimini ad me. Cumque abiisset populus,

6. Iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre ejus Salomone dum adhuc viveret, dicens: Quid datis consilii ut respondeam populo?

7. Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, et leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore.

8. At ille reliquit consilium senum, et cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, et erant in comitatu illius.

9. Dixitque ad eos: Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus?

10. At illi responderunt ut juvenes, et nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo, qui dixit tibi: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu subleva: et sic respondebis ei: Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei.

11. Pater meus imposuit vobis grave jugum, et ego majus pondus apponam: pater meus cæcidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.

12. Venit ergo Jeroboam, et universus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis.

13. Responditque rex dura, derelicto consilio seniorum:

14. Locutusque est juxta juvenum voluntatem: Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego

℣. 4. *Pater tuus* Salomon *durissimo jugo nos pressit* — Non fuerant ante conquesti Israelitæ, tum quia minus grave fuerat vectigal: tum quia ad templi et regiæ domus fabricam, et Israelitici imperii præsidium atque ornamentum, denique ad communes et publicos ac necessarios usus impendi videbant. At cum sub extrema illius tempora suas potius spectaret delicias mulierosus senex, et tot feminarum gregibus delicate ac fastuose alendis extortam a subditis pecuniam impenderet; id ferre ultra populus nec voluit, nec valuit, et Salomoni quidem non nisi obmurmurare quotidie: Roboamo vero palam quoque obsistere, ac, nisi immanes illos et impudicos sumptus minuat, obedientiam denegare ausi sunt.

℣. 14. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus* — Proverbiali sermone significat stultus Roboam, a se populum multo quam a Salomone durius affligendum. Nempe videri voluit ad minas subditorum impavidus, et potius minari ipsis et insultare, quam obsequi et delinire. Unde compro-

(1) 3 Reg. 12, vers. 1.

gravius faciam: pater meus cæcidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquievit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo ejus, [1] quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Jeroboam filium Nabat.

16. Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, et lapidaverunt eum filii Israel, et mortuus est: porro rex Roboam currum festinavit ascendere, et fugit in Jerusalem.

19. Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc.

batur verissimum fuisse illud Eccli. 47, v. 27: *Dereliquit post se* Salomon *de semine suo, gentis stultitiam, et immunitum a prudentia, Roboam, qui* stulto *consilio suo gentem* suam *avertit* a se: et propterea 2 Paral. 13, v. 7 dicitur *rudis* fuisse *et corde pavido:* nam si generoso et forti animo fuisset, puerile cœtaneorum suorum consilium sprevisset et repulisset, et sanis seniorum monitis acquievisset. Porro natus erat *Roboam* matre Ammonitide, quæ Naama dicebatur, ita habetur 3 Regum cap. 14, vers. 21.

Nota, *scorpiones* hic vocari plantas spinosas, vel etiam lora quæ aduncis aculeis seu stimulis armantur sicut scorpius, et ita corpus pulsant, ut etiam lacerent, ac discerpant, et in hoc a flagellis distinguuntur, qualia sunt nuda lora, vel taureæ, vel virgæ ex lentis seu arborum seu fruticum ramis, quibus corpus solum pulsatur seu tunditur, non vero etiam discerpitur. Vide Columellam [2].

℣. 15. *Erat enim voluntatis Dei* — Hebraice, *erat causatum a Deo;* nempe permittente Deo, nec impediente cum posset, vecordiam et stultitiam *Roboami*. De qua re fusius egi Genes. 45 ubi Joseph dicit, se Dei voluntate venditum fuisse a fratribus suis.

(1) 3 Reg. 11, vers. 29.

(2) Lib. 3, cap. 10 de vitibus.

CAPUT XI.

Roboam, dum vult armis integrum regnum paternum recuperare, a Deo per prophetam Semeiam inhibetur. Interim sacerdotes ac Levitæ, plurimique alii ex decem tribubus Jerosolymam confluunt, deserto Jeroboamo. Roboam ex pluribus uxoribus plurimas proles gignit.

1. Venit autem Roboam in Jerusalem, [1] et convocavit universam domum Juda et Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, et converteret ad se regnum suum.

2. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens:

3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad universum Israel, qui est in Juda et Benjamin:

4. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum

℣. 1. *Electorum atque bellantium* —

Id est selectorum bellatorum. Hebræum *bahur et electos* significat et *juvenes*.

(1) 3 Reg. 12, vers. 21.

audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam.

5. Habitavit autem Roboam in Jerusalem, et ædificavit civitates muratas in Juda.

6. Extruxitque Bethlehem, et Etam, et Thecue,

7. Bethsur quoque, et Socho, et Odollam,

8. Necnon et Geth, et Maresa, et Ziph,

9. Sed et Aduram, et Lachis, et Azeca,

10. Saraa quoque, et Ajalon, et Hebron, quæ erant in Juda et Benjamin, civitates munitissimas.

11. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est, olei, et vini.

12. Sed et in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum et hastarum, firmavitque eas summa diligentia, et imperavit super Judam et Benjamin.

13. Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis,

14. Relinquentes suburbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem: eo quod abjecisset eos Jeroboam, et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.

15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat.

16. Sed et de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dñum Deum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.

17. Et roboraverunt regnum Juda, et confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David et Salomonis, annis tantum tribus.

18. Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Jerimoth, filii David: Abihail quoque filiam Eliab filii Isai,

19. Quæ peperit ei filios, Jehus, et Somoriam, et Zoom.

20. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, et Ethai, et Ziza, et Salomith.

21. Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom super omnes uxores suas, et concubinas; nam uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta: et genuit viginti octo filios, et sexaginta filias.

22. Constituit vero in capite,

℣. 11. *Posuit in eis principes* — Hebraice, *duces*, militares nempe, cum justo præsidio: adversus recentem, vicinum, potentemque hostem Jeroboamum. Unde et de sufficienti commeatu *frumenti, olei et vini*, itemque de *armamentario* bene instructo prospexit *singulis urbibus*, nempe limitaneis: ut, si qua subito ingrueret obsidio, aut vis hostilis, resistendo essent.

℣. 14. *Eo quod abjecisset eos Jeroboam* — scilicet a munere sacerdotali et Levitico. Cum enim nollent ipsi sacrificare aut servire in idoliis, neque Jeroboam permitteret eos Jerosolymam adire ad sacrificandum aut serviendum vero Deo, fiebat ut omni prorsus sacro munere privati manerent. Maluerunt tamen proprias sedes et urbes relinquere, et ad tribum Juda transmigrare, quam sacris suis functionibus ita privari. Vide 3 Regum 12, v. 31. Hi vero transfugæ

℣. 17. *Roboraverunt Roboam per tres annos.* — q. d. Hoc undique tam multorum piorum accursu factum est, ut staret in avita pietate et robore regnum Roboami, saltem *per tres annos, in viis David et Salomonis*, supple, priusquam hic in senio peccaret.

℣. 22. *Constituit Abiam in capite* — id est, caput et primum seu supremum omnium. Neque enim erat major natu, sed ob singularem illius prudentiam prætulit illum pareus reliquis omnibus filiis

Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat,

23. Quia sapientior fuit, et potentior super omnes filios ejus, et in cunctis finibus Juda, et Benjamin, et in universis civitatibus muratis: præbuitque eis escas plurimas, et multas petivit uxores.

suis, qui erant numero 28. Et ne quod ab his periculum ipsi creari posset, en novum tyranni inventum.

℣. 23. *Potentior super omnes filios ejus* — supple, ut esset *Abias:* id est, ut commode prævaleret omnibus fratribus suis, captivos constituit, hebraice *divisit*, Roboam *omnes* filios suos seorsim *in cunctis finibus Juda et Benjamin, et in universis civitatibus muratis*, quasi in honestis carceribus, nempe ne possent capita conferre, et conspirare contra *Abiam*. Sed ut carcerem hunc calamitatemque ex parte leniret, regia munificentia abundantissime prospexit omnibus de *alimentis*, ceterisque necessariis, adeoque et de *uxoribus*, quot et quales vellent; hebraice, *petivit* ipsis *turbam uxorum*. Nempe diligentia magna opus erat, forsan et ingenti dote, ut tot nobiles sponsæ et regio thalamo dignæ reperirentur, quæ tali carcere conclusis jungi vellent.

CAPUT XII.

Post tres annos Roboam, delapsi in idololatriam etiam Judæi, quinto anno regni ejus, spoliantur a Sesac rege Ægypti, et fiunt illi servi ac tributarii. Mortuo Roboamo succedit filius Abia.

1. Cumque roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo.

2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino),

℣. 2. *Sesac rex Ægypti*, vigesimæ primæ dynastiæ rex quintus: qui ab Herodoto et Diodoro Siculo nunc *Sasochis*, nunc *Sebacus*, nunc *Asychis* vocatur: ab Eusebio [1] et LXX *Susachis:* ab aliis *Osochor*. Josephus [2] huic *Sesaco* illa attribuit quæ Herodotus, Diodorus Siculus [3] et alii *Sesostri*, nempe, si quando nactus esset in bello adversarium regem imbellem et timidum (qualem certe nactus est Roboamum, teste vel ipso filio ejus Abia, c. seq., v. 7), eo devicto, statuam seu monumentum erigi jubebat, in quo muliebre potius aliquid appareret, quam virile: ut posteris palam faceret, se cum muliere potius, quam cum viro certamen habuisse. Reges item quos bello superarat, solebat ad currum suum triumphalem jungere, ut inusitata illa pompa se supra reges esse, immo supra homines, declararet. Tale quid Roboamum a Sesaco passum esse non insinuat S. Scriptura: si tamen passus est, extremæ id illi ignominiæ fuit. Et unde alioqui tam vile, tam sordidum illi deinceps nomen *rudis et pavidi cordis*, etiam inter suos, ut non vereatur filius ejus et successor Abias id publice parenti opprobrare? Et sicut tyrannus Sesacus pactis conventis, quibus Roboam se illi suosque dediderat, et salvis omnibus fortunis stipendiarios fecerat, barbara fide non stetit, sed thesauros templi et regis funditus expilavit; ita etiam potuit eadem perfidia circa publicam ignominiam regi, ut pavido nimis et pusillanimi, inurendam aliquid severius statuisse. Expilata Jerosolyma, dicit Josephus regem Ægypti domum suam reversum esse. Sed hoc Scriptura non indicat, et Herodotus ac Diodorus ajunt, ad reliquam *Asiæ* expeditionem progressum, et quidem tam mari quam terra pugnando vincendoque, ultra quam post Alexander Macedo attigerit, pervenisse.

(1) In Chronico. (2) Lib. 8 Ant., c. 4. (3) Herod. lib. 2; Diod. Sic. lib. 2.

3. Cum mille ducentis curribus et sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes.

4. Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque in Jerusalem.

5. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, et principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, et ego reliqui vos in manu Sesac.

6. Consternatique principes Israel et rex dixerunt: Justus est Dominus.

7. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac.

8. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, et servitutis regni terrarum.

9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini, et domus regis, omniaque secum tulit, et clypeos aureos, quos fecerat Salomon,

10. Pro quibus fecit rex æneos, et tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii.

11. Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii, et tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum.

12. Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem et in Juda inventa sunt opera bona.

13. [1] Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit: quadraginta autem et unius anni erat cum regnare cœpisset, et decem et septem annis regnavit in Jerusalem, urbe, quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

14. Fecit autem malum, et non præparavit cor suum ut quæreret Dominum.

15. Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, et Addo videntis, et diligenter exposita: pugnaveruntque adversum se Roboam et Jeroboam cunctis diebus.

16. Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in civitate David. Et regnavit Abia filius ejus pro eo.

℣. 3. *Troglodytæ* — Hebraice *Suchiim*, id est tabernacula incolentes. Sunt vero *Arabes*, qui in tentoriis more Numidarum habitabant, nullam certam sedem uspiam figentes.

℣. 7. *Non stillabit furor meus* — supple, amplius vel ulterius. Exemplum cito conciliati et placati Dei.

℣. 14. *Non præparavit cor suum* — scilicet, per idoneam pœnitentiam: etiam post tanta flagella manu regis Ægypti immissa. Quod est extremæ impœnitentiæ non obscurum indicium, ut putat Abulensis. Et forte quod supra dictum fuit, vers. 6 et 7: *Consternatum humiliatumque fuisse*, nonnisi ex servili timore pœnarum incurrendarum factum fuerat; aut, si serio tum pœnituit, non ultra abiturn *Sesaci regis Ægyptii* sese extendit pœnitentia: ut in simili dixi de Achab rege Israel, 3 Regum 21, vers. 24 et 25.

(1) 3 Reg. 14, vers. 21.

CAPUT XIII.

Abia rex Juda de Jeroboamo rege Israel nobilissimam refert victoriam, cæsis quingentis millibus Israelitarum, multisque captis civitatibus: ex 11 uxoribus proles procreat 38.

1. Anno octavo decimo regis Jeroboam, [1] regnavit Abia super Judam.

2. Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomenque matris ejus Michaia, filia Uriel de Gabaa: et erat bellum inter Abiam et Jeroboam.

3. [2] Cumque iniisset Abia certamen, et haberet bellicosissimos viros, et electorum quadringenta millia: Jeroboam instruxit econtra aciem octingenta millia virorum, qui et ipsi electi erant, et ad bella fortissimi.

4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, et ait: Audi, Jeroboam, et omnis Israel:

5. Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi et filiis ejus in pactum salis?

6. Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David: [3] et rebellavit contra dominum suum.

7. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, et filii Belial: et prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis: porro Roboam erat rudis, et corde pavido, nec potuit resistere eis.

8. Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David. habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos,

9. [4] Et ejecistis sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas: et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, et initiaverit manum suam in tauro de bobus, et in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dii.

10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, sacerdotesque ministrant Domino de fi-

℣. 2. *Michaia filia Uriel* — LXX *Maacha filia Abessalom*, et ita legitur 3 Regum 15, v. 2. Erat enim etiam *Absalom* binomius, pro more gentis et temporis istius.

℣. 4. *Stetit Abia super montem* — nempe, ut ex edito loco melius undique posset exaudiri ejus oratio, qua conabatur persuadere sequacibus Jeroboami, ut eo relicto ad antiquam religionem, et obedientiam legitimi sui regis redirent, subderenturque rursus imperio posterorum Davidis, cui Deus regnum Israeliticum [5] dedit *in pactum salis*, id est pacto æternum duraturo. Quod vero, facta divulsione Israelis a Juda, non fuerit curæ *Roboamo* parenti suo ut divulsas partes quacumque demum via iterum coadunaret; id stupori et ruditati illius, et cordi nimis pavido adscribendum, nec sibi jam fraudi esse debere, cui et sat animi consiliique ad id tentandum, et sat virium esset ad cogendum vel invitos.

℣. 9. *Quicumque initiaverit* (LXX *impleverit*, id est, consecraverit) *manum suam in tauro de bobus*; hebraice, *in vitulo filio bovis, et in arietibus septem, fit sacerdos*, q. d. Nonnisi falsi sacerdotes apud vos sunt, sicut non sunt nisi falsi dii, quid ergo vobis præsidii ab his sperandum? Eodem spectant cæremoniæ, quas dicit illibatas a suis observari.

(1) 3 Reg. 15, vers. 2. (2) 3 Reg. 15, vers. 7. (3) 3 Reg. 11, vers. 26. (4) 3 Reg. 12, vers. 31. (5) 2 Reg. 7, vers. 13, et alibi sæpius.

liis Aaron, et Levitæ sunt in ordine suo:

11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane et vespere, et thymiama juxta legis præcepta confectum, et proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis.

12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, et sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, et resonant contra vos: filii Israel, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.

13. Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias. Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu.

14. Respiciensque Judas vidit instare bellum ex adverso et post tergum, et clamavit ad Dominum: ac sacerdotes tubis canere cœperunt.

15. Omnesque viri Juda vociferati sunt: et ecce, illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, et omnem Israel qui stabat ex adverso Abia, et Juda.

16. Fugeruntque filii Israel Judam, et tradidit eos Deus in manu eorum.

17. Percussit ergo eos Abia, et populus ejus, plaga magna: et corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium.

18. Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.

19. Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, et cepit civitates ejus, Bethel et filias ejus, et Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque et filias ejus:

20. Nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia: quem percussit Dominus et mortuus est.

21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim: procreavitque viginti duos filios, et sedecim filias.

22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque et operum ejus, scripta sunt diligentissime in libro Addo prophetæ.

℣. 11. *Proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, et lucernæ ejus* — Ex hoc loco, et quia deinceps numquam nisi unius mensæ, et unius candelabri fit mentio, colligit Torniellus [1], Sesacum regem Ægypti, cum expilaret thesauros templi, ex *denis mensis et denis candelabris*, quæ rex Salomon in templo collocarat [2], non reliquisse nisi unam mensam, unumque candelabrum, eoque Judæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam templum a Salomone excitaretur.

℣. 20. *Quem percussit Dominus, et mortuus est* — scilicet *Jeroboam*, qui duobus tribusve post infelix hoc prælium annis extinctus est. *Seder-Olam* Hebræum exponit percussum *Abiam*, qui toto biennio ante *Jeroboam* occubuit, nec nisi tribus annis universim regnavit, ut dicitur vers. 2 hujus cap. Forsan ingratior fuit erga Deum post obtentam nobilissimam victoriam, qua prostraverat ex Israelitis æmulis suis *quingenta millia virorum fortium*, vers. 17, atque ita indignum se præbuit longiore vita: cum nihil æque displiceat Deo, atque animi ingratitudo.

(1) Lib. 5 ætate, anno 42.

(2) 2 Par. 4, vv. 7, 8.

CAPUT XIV.

Defuncto Abiæ succedit filius Asa, qui, everso idolorum cultu, corroboratus a Deo, Zaram regem Æthiopum cum mille millibus armatorum ad internecionem concidit.

1. Dormivit autem Abia cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: [1] regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quievit terra annis decem.

2. Fecit autem Asa quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa,

3. Et confregit statuas, lucosque succidit:

4. Et præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et faceret legem, et universa mandata:

5. Et abstulit de cunctis urbibus Juda aras, et fana, et regnavit in pace.

6. Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente.

7. Dixit autem Judæ: Ædificemus civitates istas, et vallemus muris, et roboremus turribus, et portis, et seris, donec a bellis quieta sunt omnia, eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, et dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, et nullum in extruendo impedimentum fuit.

8. Habuit autem Asa in exercitu

℣℣. 2 et 3. *Rex Asa subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa, et confregit statuas, lucosque succidit* — Atqui 3 Regum 15, v. 14 dicitur, *Non abstulit excelsa*, quomodo hæc conveniunt?

Respondeo. Duplicis generis erant apud Judæos *excelsa*, quo nomine altaria et templa in locis altioribus erecta designantur: quædam profanis idolis erant erecta, *cum statuis et lucis et peregrino cultu:* hæc omnia evertit Asa, quædam vero Deo erant erecta, sed loco non debito: hæc non evertit Asa, ut habetur 3 Regum 15, v. 14. Neque tamen hoc illi vertitur hic magno vitio, quia plurimi putabant id adhuc licere, condito jam templo, et certo loco Jerosolymis statuto pro publico cultu divino et sacrificiis; sicut licuerat plerisque, ante conditum templum, cum nullus certus locus talis designatus esset. Quia tamen prudentiores sciebant, id illicitum esse, neque hoc poterat regem latere; hinc saltem pro nævo notatur tum in *Asa*, tum in aliis quibusdam etiam piis regibus, quod seu metu popularis offensionis, seu neglectu accuratioris disciplinæ tolerarint ejusmodi *excelsa*, quæ vero Deo subserviebant. Et idcirco Ecclesiastici 49, v. 5 *præter Davidem, Ezechiam et Josiam omnes* alii reges Juda peccasse dicuntur, nempe excelsorum vel usu, vel tolerantia culpabili.

Nota, regem Asam hic dici excelsa, quæ profanis diis erecta fuerant, hoc sensu subvertisse, quod statuas et altaria sustulerit, lucos exciderit, peregrinum omnem cultum inhibuerit: non vero quod ipsa quoque *templa* seu *fana* ubique a fundamentis exciderit, nam plurimis pepercisse, et cultui veri Numinis accomodari permisisse, ac nominatim in monte Olivarum patet ex 4 Regum 23, vers. 13 ubi rex Josias illa *excelsa, quæ* ibi *ædificaverat Salomon* variis *idolis*, ab Asa quidem jam expurgata, sed ab aliis postmodum idolorum cultui restituta, rursus dicitur polluisse.

℣. 6. *Nulla temporibus ejus bella surrexerant* — nempe, ad id usque tempus, quo de muniendis urbibus suis consultabat: nam post ingruit horrendum bellum, cum anno decimo quinto regni Asæ, ut notat Salianus [2], et colligitur ex vers. 10 cap. sequentis.

(1) 3 Reg. 15, vers. 8.

(2) Anno mundi 5094.

suo portantium scuta et hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi.

9. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, et curribus trecentis: et venit usque Maresa.

10. Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa:

11. Et invocavit Dominum Deum, et ait: [1] Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos, Domine Deus noster: in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.

12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda: fugeruntque Æthiopes.

13. Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Gerara: et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa.

14. Et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaserat: et diripuerunt urbes, et multam prædam asportaverunt.

15. Sed et caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, et camelorum: reversique sunt in Jerusalem.

℣. 9. *Egressus est contra* Judæos *Zara Æthiops*, cum *decies centenis millibus* armatorum; qui tamen, opitulante suis Deo *et exercitu illius*, id est populo Judaico, vel etiam angelico cœtu *præliante, ad internecionem* omnes cæsi sunt. Hunc Æthiopem vult Torniellus [2] non ex Africa prodiisse, sed ex Asia, nempe ex Madianitide Judæis vicina, unde originem traxit uxor Moysis, quæ propterea *Æthiopissa* dicta est. Emmanuel Sa et Joannes Mariana propendent, ut Æthiopem hunc faciant regem Ægypti, qui contemptim vocetur Æthiops. Et huic sententiæ favent Hebræi in suo *Seder-Olam* [3], ubi ajunt, hunc *Zaram* restituisse *Asæ* prædam omnem, quam Jerosolymis viginti sex ante annis *Sesacus* abstulerat. Sed verisimilius est, quod Abulensis, Serarius, et alii tenent, ex proprie dicta Æthiopia in Africa, Ægypto et Libyæ contermina prorupisse. Nam c. 16, v. 8 ubi certum est de his *Æthiopibus* agi, diserte conjunguntur Æthiopes *Libyis*, quos nemo extra Africam collocarit. Quid moverit hunc Æthiopem ad hoc bellum, incertum; forsan et ipse totius Asiæ inhiabat imperio, ut nuper Sesacus. Forsan e sterili et arente solo aspirabat ad terram lacte et melle manantem, cujus reges animis inter se armisque dissidentes nullo negotio putabat opprimi posse. Et erat in oculis exemplum nuperæ expeditionis *Sesaci*, cujus in castris hic forsan Æthiops tunc adolescens militarat, et maximam spoliorum partem Jerosolymis adhuc relictam meminerat. Sed vanam spem superbi Æthiopis elusit Deus, et ipso cum centum myriadibus suis prostrato, spoliis Æthiopum ditavit Judæos: et hac ratione compensavit jacturam quam nuper a Sesaco acceperant. Quæ fuit forte Rabbinorum mens, quum dixerunt, *Zaram Sesaci* prædam *Judæis* restituisse.

℣. 13. *Gerara* — Unde nunc *Geraritica*, ait Hieronymus, regio est trans *Daroma*, id est, ad australem plagam, a *Maresa* in finibus Judææ, ubi nunc *Eleutheropolis*, distans viginti millibus. Eratque olim terminus Chananæorum ad australem plagam, et metropolis Palæstinæ. Scriptura ponit eam inter *Cades et Sur*, hoc est inter duas solitudines, quarum una, *Sur*, Ægypto jungitur: altera, *Cades*, usque ad *Saracenorum* eremum protenditur: hæc Hieronymus. E quibus patet, Judæos non levi terrarum tractu, forte continuis aliquot diebus, Æthiopas insecutos fuisse, et fugientes cecidisse.

(1) 1 Reg. 14, vers. 6.

(2) Æt. 5, an. 71.

(3) Cap. 16.

CAPUT XV.

Azarias propheta prædicit destituendum Israel multo tempore veri Dei cultu, lege et sacerdotio. Ejusdem Prophetæ monitis excitatus Asa rex reliquias exscindit idololatriæ, propriamque matrem idololatram imperio privat.

1. Azarias autem filius Oded, facto in se spiritu Dei,

2. Egressus est in occursum Asa, et dixit ei: Audite me, Asa et omnis Juda et Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.

3. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore et absque lege.

4. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, et quæsierint eum, reperient eum.

5. In tempore illo non erit pax egredienti et ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum:

6. Pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia.

7. Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro.

8. Quod cum audisset Asa, verba scilicet et prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda, et de Benjamin, et ex urbibus, quas ceperat, montis Ephraim, et dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini.

9. Congregavitque universum Judam et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse, et de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.

10. Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa,

11. Immolaverunt Domino in die illa, de manubiis et præda quam adduxerant, boves septingentos, et arietes septem millia.

12. Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua.

13. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem.

14. Juraveruntque Domino voce

℣. 1. *Azarias filius Oded* — Nomen parentis additur, ut hic Propheta distinguatur ab *Azaria* pontifice, qui sub idem tempus summo sacerdotio fungebatur: ita Mariana.

℣. 3. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, doctore et lege* — id est, absque cultu et cura veri Dei, doctoris et legis divinæ. Designat præsens tempus in regno *Jeroboami* et successorum illius: et etiam in regno *Juda* futura tempora sub impiis regibus, Joramo, Ochozia, Athalia, Achaz, Manasse, et filiis Josiæ Joakimo et Sedecia: sed omnium maxime quæ post occisum Messiam secula jam labuntur, quibus Judæi sine cultu et cura veri unius et trini Dei, suique Messiæ, sine ullo legitimo sacerdote et sacrificio, sine lege ad salutem idonea miserrimi degunt toto orbe dispersi.

℣. 10. *Mense tertio* — Sivan, in quem incidit festum *Pentecostes:* ut re ipsa demonstrarent, se acceptam ferre a Deo omnem victoriam de Æthiopibus partam. *Immolaverunt in die illa Domino, de manubiis,* id est, de pecunia quam ex vendita præda collegerant.

magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum,

15. Omnes qui erant in Juda cum execratione: in omni enim corde suo juraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum, et invenerunt: præstititque eis Dominus requiem per circuitum.

16. Sed et Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contrivit, et in frusta comminuens combussit in torrente Cedron.

17. Excelsa autem derelicta sunt in Israel: attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus.

18. Eaque quæ voverat pater suus et ipse, intulit in domum Domini, argentum et aurum, vasorumque diversam supellectilem.

19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.

℣. 17. *Cor Asa erat perfectum cum Domino cunctis diebus ejus* — Sed sermo est de sola perfectione quoad externum cultum unius veri Dei et extirpationem idololatriæ: nam in quibusdam aliis peccasse certum est ex sequentibus, et ex cap. seq., vers. 7, 10 et 12. Ubi, cum gravi podagra per triennium laboraret, reprehenditur quod non tam Deo, quam medicorum industriæ *confisus* sit: sicut et contra regem *Baasa* potius a *Benadad rege Syriæ*, quam a *Deo rege cœli et terræ* auxilium quæsierit: quod item *prophetam Hanani*, qui hoc nomine illum arguebat, et quidem jussu Dei, stomachabundus non audierit, immo *in nervum* miserit, id est in carcerem compegerit: quod denique *de populo*, dum suo indulget furori, multos occiderit. Sed hæc peccata, quantumvis gravia, quia tamen cultui externo Dei, de quo solo hic jam agitur, non adversantur, non etiam obstiterunt, quo minus *cor* regis *Asæ* in aliis, quæ cultum veri Numinis concernebant, integrum perfectumque mansisse censeretur.

℣. 19. *Usque ad trigesimum quintum annum regni Asa* — id est regni Judaici, quod a morte Salomonis, uti ab Israelitico reliquarum decem tribuum solemni schismate sejunctum fuit, hic potest dici tum cœpisse: ita Hebræi, Torniellus, Salianus, Sanctius et Mariana [1]. Sic initio cap. seq. 16, v. 1, dicitur, *Baasa rex Israel ascendisse in Judam anno trigesimo sexto regni Asæ*, id est regni Judaici quod tunc administrabat *Asa*, cujus annus regni proprius tum volvebatur decimus sextus, proximus ab Æthiopica victoria. Patent hæc ex 3 Regum 16, v. 8 ubi dicitur *Baasa* e vivis excessisse anno 26 regis *Asæ*: quomodo ergo potuit 36 anno regis Asæ, id est novennio post mortem suam, cum *Asa* prælio decertare?

(1) Hebr. supr.; Torniell. anno 3094; Sanctius in 3 Reg. 15, vers. 16; Mariana c. 16, vers. 1.

CAPUT XVI.

Rex Asa tertius copiis Baasæ regis Israel, in auxilium advocat Benadad regem Syriæ. Quo nomine reprehensus ab Hanani prophèta, eum conjicit in carcerem. Inde podagra extinguitur anno regni 41.

1. Anno autem trigesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa rex Israel in Judam, et muro circumdabat Rama, ut nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa.

2. Protulit ergo Asa argentum

℣. 1. Urbem *Rama* in tribu Benjamin [1] vi Judæis extortam Baasa rex Israel *circumdabat muro* — nempe in faucibus et in primo introitu sitam muniebat novis muris et propugnaculis, ut sic obstrueret Judæis aditum omnem et exitum ex illa parte.

(1) Josue 18, vers. 25.

et aurum de thesauris domus Domini, et de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

3. Fœdus inter me et te est, pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam: quam ob rem misi tibi argentum et aurum, ut rupto fœdere, quod habes cum Baasa rege Israel, facias eum a me recedere.

4. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel, qui percusserunt Ahion, et Dan, et Abelmaim, et universas urbes Nephthali muratas.

5. Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, et intermisit opus suum.

6. Porro Asa rex assumpsit universum Judam, et tulerunt lapides de Rama, et ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa et Maspha.

7. In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Juda, et dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua.

8. [1] Nonne Æthiopes et Libyes multo plures erant quadrigis et equitibus, et multitudine nimia: quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua?

9. Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.

10. Iratusque Asa adversus videntem, jussit eum mitti in nervum: valde quippe super hoc fuerat indignatus: et interfecit de populo in tempore illo plurimos.

11. Opera autem Asa prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Juda et Israel.

12. Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.

13. Dormivitque cum patribus suis: et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.

14. Et sepelierunt eum in sepulcro suo, quod foderat sibi in civitate David: posueruntque eum super lectum, qui repletus fuerat aromatibus, et compositionis diversi generis, opere pigmentarii: et combusserunt super eum

℣. 7. *Idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua* — Nam si Deo nixus fuisses, non solum *Baasam* regem Israel, sed et *Benadad* regem Syriæ ipsi confœderatum vicisses ejusdem Dei ope, qua ante vicisti Æthiopes longe his numerosiores et potentiores.

℣. 10. *Interfecit de populo plurimos* — nempe qui ægrius ferebant vincula prophetæ *Hanani*, et præfervidæ regis iræ ac furori audacius obloquebantur.

℣. 12. *Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo* — In Hebræo et Græco additur, *usque ad supra*, nempe ad caput. Cum enim podagricus humor caput impetiit, et dolorem ciet vehementissimum, et mortem accelerat.

℣. 14. *Sepulcro quod foderat sibi in civitate David* — aliud nempe a sepulcro Davidis et Salomonis: ut solent fere principes in eadem quidem cum proavis basilica, sed singuli separatum sibi ab aliis monumentum et mausoleum construere.

Plenum aromatibus cadaver, puta balsamo, myrrha et aloe, quibus adversus putrefactionem infarciri cadavera solent. Uti ad præpediendum fœtentem halitum, quem ex se caro exanimata reddit, inungitur tam ipsa, quam vicina omnia, *unguentis meretriciis*, id est valde fragrantibus, qualibus meretrices uti consueverunt, partim ut fœtentem halitum suum, quem confectæ stupris non secus ac saniosa cadavera exhalant, ex parte contegant: partim ut stultorum procorum naribus sese insinuent, et incautos captent.

Et combusserunt super eum — Hebraice, *ei combusserunt*, supple aromata

(1) Supr. 14, vers. 9.

per lectum suum, plenum aromatibus et unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, et combusserunt super eum ambitione nimia.

quæ supra et juxta cadaver continuo exurebantur. Unde patet non tam ipsum cadaver apud Judæos, quam juxta cadaver *aromata* comburi consuevisse, ut multis exemplis docet Gaspar Sanctius et alii [1].

(1) Sanctius 1 Reg. ult., v. 12, et 4 Reg. 8, 24.

CAPUT XVII.

Pius Josaphat patri Asa succedit, potens armis et opibus: mittit doctores legis per universam Judæam ut populum instruant. Opera illius et gesta egregia: Principes et numerus militum.

1. Regnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, et invaluit contra Israel.

2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, et in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus.

3. Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis: et non speravit in Baalim,

4. Sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius, et non juxta peccata Israel.

5. Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, et dedit omnis Juda munera Josaphat: factæque sunt ei infinitæ divitiæ, et multa gloria.

6. Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa et lucos de Juda abstulit.

7. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, et Obdiam, et Zachariam, et Nathanael, et Michæam, ut docerent in civitatibus Juda:

8. Et cum eis Levitas, Semeiam, et Nathaniam, et Zabadiam, Asael quoque, et Semiramoth, et Jonathan, Adoniamque et Tobiam, et Thobadoniam, Levitas, et cum eis Elisama et Joran sacerdotes,

9. Docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.

10. Itaque factus est pavor Dñi super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat.

℣. 2. *In civitatibus Ephraim* — supple, et aliis aliarum quarumdam tribuum: nam *et de Manasse, et de Simeon* plures relicto rege Israelitico *confugerant ad* regem *Juda*, ut dictum fuit cap. 15, vers. 9. Ut mirandum non sit, Josaphatum sub signis recensere potuisse undecies centena et sexaginta millia bellatorum, ut habemus in fine hujus cap.

℣. 6. *Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini* — q. d. Animos ad præclara quævis audenda pio regi dabant non militares copiæ, licet innumeras haberet: non thesauri, quantumvis essent immensi: sed sola observatio mandatorum Dei, qua et invictus et imperterritus reddebatur. Hanc ergo ut non in se modo, suaque aula et urbe regia promoveret, sed et per totum regnum quam latissime propagaret (quæ cura bono principi vel maxime cordi esse debet), delectu habito eorum qui et industria valerent, et zelo promovendæ salutis aliorum flagrarent.

℣. 7. *Misit de principibus suis* politicis, quaquaversum in omnes civitates Judaicas, *et cum eis Levitas* ac *sacerdotes, ut docerent populum leges Domini.*

11. Sed et Philisthæi Josaphat munera deferebant, et vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem.

12. Crevit ergo Josaphat, et magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas.

13. Et multa opera paravit in urbibus Juda: viri quoque bellatores, et robusti erant in Jerusalem.

14. Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Juda principes exercitus, Ednas dux, et cum eo robustissimi viri trecenta millia.

15. Post hunc Johanan princeps, et cum eo ducenta octoginta millia.

16. Post istum quoque Amasias filius Zechri, consecratus Domino, et cum eo ducenta millia virorum fortium.

17. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, et cum eo tenentium arcum et clypeum ducenta millia.

18. Post istum etiam Jozabad, et cum eo centum octoginta millia expeditorum militum.

19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.

℣. 12. *Ædificavit* passim *in Judæa domos ad instar turrium* — Hebraice, palatia tam alta, tam splendida, tam munita, ut turres viderentur et castella. Nempe cum *infinitæ* illi essent *divitiæ* v. 5 egebat plurimis et ærariis et gazophylaciis, et armamentariis omne genus.

℣. 16. *Amasias consecratus Domino* — Hebraice et græce, *voluntarius Domino:* forte sine stipendio aliove emolumento, solum ut Deo placeret, et publico commodaret, se *militiæ devoverat* Amasias: ita Mariana. Forte *Nazarœus* erat: ita Emmanuel Sa. Forte *Levites* vel *sacerdos* erat, nam et ex hoc ordine præfuisse militiæ, patet ex 1 Paral. 27, vers. 5 et 6. Qui vero hic v. 17 ab eximio robore commendatur *Eliada*, in Hebræo, Chaldæo, et Græco dicitur fuisse de tribu Benjamin.

CAPUT XVIII.

Josaphat filio suo Joramo sumit uxorem filiam impii Achab regis Israel: cum eodem ascendit in bellum contra Syros, 400 pseudoprophetis victoriam promittentibus, solo Michæa contrarium prædicente. Ex cujus vaticinio occiditur Achab.

1. Fuit ergo Josaphat dives et inclytus multum, [1] et affinitate conjunctus est Achab.

2. Descenditque post annos ad eum in Samariam: ad cujus adventum mactavit Achab arietes et boves plurimos, ipsi, et populo qui venerat cum eo: persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad.

3. Dixitque Achab rex Israel ad Josaphat regem Juda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Ut ego, et tu: sicut populus tuus, sic et populus meus: tecumque erimus in bello.

4. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Consule obsecro imprænsentiarum sermonem Domini.

5. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis.

℣. 1. *Affinitate conjunctus est Josaphat Achab* — quia *Joram* filius *Josaphati*, ducta in uxorem filia *Achabi* Athalia, *gener illius factus* erat, ut est in Hebræo: et habetur cap. 21, v. 6.

(1) 4 Reg. 8, vers. 18; Infr. 21, vers. 6.

6. Dixitque Josaphat: Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus?

7. Et ait rex Israel ad Josaphat: Est vir unus, a quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore; est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat: Ne loquaris rex hoc modo.

8. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis, et dixit ei: Voca cito Michæam filium Jemla.

9. Porro rex Israel, et Josaphat rex Juda, uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis.

10. Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam.

11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, et prosperaberis, et tradet eos Dominus in manu regis.

12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera.

13. Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.

14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite: cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras.

15. Dixitque rex: Iterum atque iterum te adjuro ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini.

16. At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore: et dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

17. Et ait rex Israel ad Josaphat: Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt?

18. At ille, idcirco, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in solio suo, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris.

19. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, et alter alio:

20. Processit spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies?

21. At ille respondit: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus: Decipies, et prævalebis: egredere, et fac ita.

22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala.

23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait: Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?

24. Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris.

25. Præcepit autem rex Israel, dicens: Tollite Michæam, et ducite

ỳ. 20. *Processit* in medium *spiritus* quidam malignus, seu Satan. Rabbini somniant hunc *spiritum* fuisse animam *Naboth*, tyrannice nuper jussu Jezabelis lapidati, 3 Reg. 21.

ỳ. 25. *Ad Joas filium Amelech* — Ita

eum ad Amon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech.

26. Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, et date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace.

27. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite omnes populi.

28. Igitur ascenderunt rex Israel et Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad.

29. Dixitque rex Israel ad Josaphat: Mutabo habitum, et sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum.

30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel.

31. Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: At ille clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo.

32. Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel, reliquerunt eum.

33. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, et percuteret regem Israel inter cervicem et scapulas; at ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, et educ me de acie, quia vulneratus sum.

34. Et finita est pugna in die illo: porro rex Israel stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, et mortuus est occidente sole.

est in Hebræo: sed LXX verterunt, *ad filium regis*. Hic forsan erat ex filiis Achabi unus, cui cum aliquibus aliis rex iturus ad bellum adversus Syros custodiam urbis *Samariæ*, et partis regni administrationem ad tempus demandarat.

℣. 27. *Et ait* Michæas: *Audite omnes populi* — q. d. Utinam omnibus innotescant quæ jam prædixi futura! et omnes memores sint me singillatim omnia prædixisse!

℣. 34. *Porro rex Israel*, etsi graviter vulneratus, ne tamen milites deficerent animis, si viderent regem saucium excedentem prælio, suosque deserentem; præsens mansit quamdiu potuit, et usque ad vesperam *perstitit in curru suo*, compresso tantisper vulnere. Sed sanguine paullatim prorumpente, et viribus deficientibus, excedere coactus sub vesperam finem fecit et bello, et vitæ.

Reliqua hujus cap. exposui 3 Reg. ult.

CAPUT XIX.

Josaphat ex infelici prælio domum reversus incolumis, a Jehu propheta corripitur ob præstitum Achabo auxilium. Ipse judices monet de servanda justitia: sacerdotes et Levitas de cultu Dei promovendo, et populo recte instituendo.

1. Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice in Jerusalem.

2. Cui occurrit Jehu filius Hanani videns, et ait ad eum: Impio prælies auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris:

3. Sed bona opera inventa sunt in

℣. 2. *Impio* Achabo *præbes auxilium et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris*, et affinitate: a cujus conversatione decebat te, quantum fieri posset, alienum esse. Cum hostibus enim Dei nimis familiariter agere citra necessita-

te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum.

4. Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem: rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum.

5. Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca,

6. Et præcipiens judicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

7. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, [1] nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

8. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus.

9. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter et corde perfecto.

10. Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem et cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos et super fratres vestros; sic ergo agentes non peccabitis.

11. Amarias autem sacerdos et pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisque magistros Levitas coram vobis, confortamini, et agite diligenter, et erit Dominus vobiscum in bonis.

tem aut publicam utilitatem, valde displicet Deo, ut colligitur ex Psal. 138 et 139, et patet ex hic adjunctis, *Idcirco iram quidem Domini merebaris*, id est, dignus eras, quem Deus iratus graviter puniret: *sed bona opera inventa sunt in te*, quorum intuitu peccatum hoc omne, et pœnæ peccati omnes tibi a Deo condonantur. Quod nota pro merito bonorum operum adversus hæreticos.

℣. 4. *Egressus est*, lustraturus ditionem suam, *ad populum de Bersabee*, id est ab una regni extremitate, *usque ad montem Ephraim*, alteram regni extremitatem.

℣. 6. *Non enim hominis exercetis judicium, sed Dei* — Quia judices sunt vicarii Dei, et Deo rationem sunt reddituri. Quod si divinum officium est jus dicere, et Deus a nobis id exigit; cur negant Anabaptistæ, pio et christiano homini id licere bona conscientia?

℣. 7. *Non est apud Deum iniquitas*, seu injustitia, *nec personarum acceptio, nec cupido munerum* — q. d. Ergo nec apud vos qui Dei vicarii estis, quidquam istiusmodi residere potest. Digna sententia, quæ omnium curiarum parietibus, vel potius omnium judicum cordibus inscribatur.

℣. 11. *Amarias sacerdos* summus, *in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit*, id est, in Ecclesiasticis negotiis et causis. *Porro Zabadias super opera, quæ ad regis officium*, id est, causas et negotia politica curabit.

Ubi Nota distinctionem fori seu magistratus Ecclesiastici et civilis, contra Anglocalvinistas et nostros Arminianos.

(1) Deut. 10, vers. 17; Sap. 6, vers. 8; Eccli. 35, vers. 15; Act. 10, vers. 34; ad Rom. 2, vers. 11; ad Gal. 2, vers. 6; ad Eph. 6, vers. 9; ad Col. 3, vers. 25; 1 Petr. 1, vers. 17.

CAPUT XX.

Adversus Moabitas, Ammonitas et Syros jejunio et oratione dum pugnat Josaphat, ipsi mutuis cadunt vulneribus; spolia cedunt Judæis. Porro ob fœdus initum cum Ochozia impio rege Israel, corripitur a Propheta, et punitur a Deo.

1. Post hæc congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis, ad Josaphat, ut pugnarent contra eum.

2. Veneruntque nuntii, et indicaverunt Josaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare sunt, et de Syria, et ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.

3. Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit jejunium universo Juda.

4. Congregatusque est Judas ad deprecandum Dominum: sed et omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.

5. Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda, et Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum,

6. Ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, et dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere.

7. Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ hujus coram populo tuo Israel, et dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum?

8. Habitaveruntque in ea, et extruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes:

9. Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia, et fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

10. Nunc igitur ecce filii Ammon, et Moab, et mons Seir, [1] per quos non concessisti Israel ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, et non interfecerunt illos:

11. Econtrario agunt, et nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis.

12. Deus noster, ergo non judicabis eos? In nobis quidem non est

℣. 1. *Filii Ammon, et cum eis de Ammonitis* — Hi habitabant in montanis Seir, ut patet ex seq. vv. 10 et 23, erantque mixti ex Idumæis posteris Ésau, et Ammonitis; unde nunc hoc, nunc illo nomine vocitantur.

℣. 2. *De locis quæ sunt trans mare* — puta mortuum: jamque trajecto illo mari seu *lacu Asphaltite*, castrametantur in *Engaddi*, in finibus regni Juda.

℣. 5. *Atrium novum* — seu innovatum, et ad usus populi undique accurrentis de novo adaptatum: ita Lyranus. Cum enim atrium in loco templi multiplex esset a Salomone constructum et unumquodque maximæ capacitatis, utpote tot hominum myriadibus undique ex omnibus tribubus ter in anno simul Jerosolymam accurrentium: cum sub Roboamo facto schismate desinerent decem tribus eo accurrere, superfluum erat tantum spatii: unde videntur partes quædam atriorum tum temporis vel occlusæ, vel desertæ, vel aliis usibus applicatæ. Verum cum tempore Josaphati, ut vidimus cap. 17 ex pluribus tribubus plurimi recurrerent in Jerusalem, debuerunt laxari rursum spatia, et partes atrii unius alteriusve, quæ alio conversæ fuerant, usibus populi nimis ingenti numero confluentis restitui. Unde *novum* dicitur hic *atrium*, quia de novo ad usus populi reclusum et adaptatum.

(1) Deut. 2, vers. 1.

tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

13. Omnis vero Juda stabat coram Domino, cum parvulis, et uxoribus, et liberis suis.

14. Erat autem Jahaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Jehiel, filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ,

15. Et ait: Attendite, omnis Juda, et qui habitatis Jerusalem, et tu, rex Josaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei.

16. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, et invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel.

17. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos, o Juda, et Jerusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.

18. Josaphat ergo, et Juda, et omnes habitatores Jerusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, et adoraverunt eum.

19. Porro Levitæ de filiis Caath, et de filiis Core, laudabant Dominum Deum Israel voce magna, in excelsum.

20. Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue: profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me, viri Juda et omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, et securi eritis: credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera.

21. Deditque consilium populo, et statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: [1] Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.

22. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Judam, et percussi sunt:

23. Namque filii Ammon, et Moab, consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus.

24. Porro Juda cum venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere.

25. Venit ergo Josaphat, et omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inveneruntque inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque, et vasa pretiosissima, et diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per

℣. 13. *Omnis Juda stabat coram Domino cum parvulis, et uxoribus, et* grandioribus *liberis suis* — Solemne enim erat tam Hebræis, quam Gentilibus, cum gravis immineret calamitas, ad preces publicas adhibere etiam vagitus infantium, quo facilius placarent offensum Numen. Sic Judith 4 vers. 9, *Infantes prostraverunt contra faciem templi.* Et suadet Joel cap. 2, v. 16: *Coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera.* Idem fecere Ninivitæ [2] et alii, teste sancto Basilio et Ambrosio [3].

(1) Psalm. 135, vers. 1.
(2) Jonæ 3, vers. 5.

(3) S. Bas. hom. 8 in avaros; S. Ambr. serm. 40 de Ninivitis.

tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine.

26. Die autem quarto congregati sunt in valle Benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum vallis Benedictionis usque in præsentem diem.

27. Reversusque est omnis vir Juda, et habitatores Jerusalem, et Josaphat ante eos, in Jerusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis.

28. Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, et citharis, et tubis, in domum Domini.

29. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel.

30. Quievitque regnum Josaphat, et præbuit ei Deus pacem per circuitum.

31. Regnavit igitur Josaphat super Judam, et erat triginta quinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem et quinque annis regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Azuba filia Selahi.

32. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino.

33. Verumtamen excelsa non abstulit, et adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum.

34. Reliqua autem gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in Libros regum Israel.

35. [1] Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima.

36. Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber.

37. Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

℣. 33. *Populus non direxerat cor suum ad Dominum* — scilicet *perfecte*. Nam divelli non poterat ab excelsis, quominus ibi quoque sacrificaret Deo, licet præceptum [2] esset, ut in solo templo Jerosolymitano (quia is locus erat quem Deus ad id delegerat) sacrificia offerrentur.

℣. 34. *Quæ Jehu digessit in Libros regum Israel* — Hebraice, *in librum*; græce, *in libro*. Hinc patet, Jehu prophetam auctorem esse, saltem partis alicujus, libri toties citati, seu *fastorum* regum Israel: et hunc librum esse prorsus alium a libris his Paralipomenon, cum ab his ad illum remittamur.

℣. 35. *Iniit amicitias* — Hebraice, *societatem*. Qualis hæc fuerit, sequitur.

℣. 36. *Et particeps fuit ut facerent naves in Asiongaber, quæ irent in Tharsis* — Ex his constat, *Tharsis*, cujus hic mentio, non esse aliquam ex urbibus aut portubus maris Mediterranei (nam *Asiongaber* portus est maris Rubri): sed Oceano adjacere, de quo pluribus supra c. 9, vers. 21.

(1) 3 Reg. 22, vers. 45.

(2) Levit. 17, vers. 3; Deut. 12, vers. 6.

CAPUT XXI.

Pio parenti succedens impius filius Joram occidit fratres suos, et quosdam principes Juda. Sed Elias propheta missis regi e paradiso litteris minatur pessimum regi morbum ac mortem, ac regni cladem, quæ omnia mox consecuta sunt.

1. Dormivit autem Josaphat cum patribus suis, [1] et sepultus est cum eis in civitate David: regnavitque Joram filius ejus pro eo.

2. Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam, et Jahiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam; omnes hi, filii Josaphat regis Juda.

3. Deditque eis pater suus multa munera argenti et auri, et pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Juda: regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus.

4. Surrexit ergo Joram super regnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, et quosdam de principibus Israel.

5. Triginta duorum annorum erat Joram cum regnare cœpisset: et octo annis regnavit in Jerusalem.

6. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus, et fecit malum in conspectu Dñi.

7. Noluit autem Dominus dispердere domum David, propter pactum quod inierat cum eo: et quia promiserat ut daret ei lucernam, et filiis ejus omni tempore.

8. In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, et constituit sibi regem.

9. Cumque transisset Joram cum principibus suis, et cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, et percussit Edom qui se circumdederat, et omnes duces equitatus ejus.

10. Attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem: eo tempore et Lobna recessit, ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum:

11. Insuper et excelsa fabricatus

℣. 4. *Occidit omnes fratres suos gladio* — Forsàn opponebant illi se Joramo, ne a paterna et avita religione ad Achabi soceri sui idololatriam deflecteret. Et eadem potuit fuisse causa necis *principum*, quos etiam hic occidisse perhibetur. Sed en mox vindicem Dei manum, et horrendas plagas. Quarum prima

℣. 8. *Rebellavit Edom*, seu *Idumæa*, ne amplius esset sub regibus Juda: cumque ad id usque tempus paruisset viceregibus a Judæa submissis (ut alibi [2] dixi) jam facta rebellis proprium *sibi*, neque amplius Judææ subjectum, *regem constituit:* pudebat enim Idumæos tam *fœdo* monstro, et in suos tam crudeli subesse: et licet mox *Seira*, id est terra *Seir*, seu Idumæa, movente adversus ipsam Joramo, succubuerit in prælio, ut habes 4 Regum 8, v. 21, coactique singuli *refugerint in* propria *tabernacula;* Joram tamen vel conscientia scelerum animos adimente, non est ausus uti victoria, et fugitivos ad tributa rursus pendenda cogere: vel novis Philisthinorum, Arabum et Æthiopum bellis impetitus, ut hic dicitur v. 16, non potuit persequi fugientes Idumæos, atque ita continuavit rebellionem suam Idumæa *usque ad hanc diem*, id est perpetuo exinceps, usque dum hæc a sacro Scriptore litteris mandarentur. Tunc impleta est Isaaci patriarchæ prophetia Gen. 27, v. 40 de jugo Judaico ab humeris Idumæorum excutiendo, ut ibidem exposui.

℣. 10. Sequitur secunda plaga, *Eodem tempore et Lobna recessit*, civitas erat ex regiis Chanaanitidis una, Josue 12,

(1) 3 Reg. 22, 51.

(2) In fine l. 3 Reg. et initio l. 4, item c. 3, v. 9.

est in urbibus Juda, et fornicari fecit habitatores Jerusalem, et prævaricari Judam.

12. [1] Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda,

13. Sed incessisti per iter regum Israel, et fornicari fecisti Judam, et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti:

14. Ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, et filiis, et uxoribus tuis, universaque substantia tua;

15. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.

16. Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philisthinorum, et Arabum, qui confines sunt Æthiopibus;

17. Et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam, diripuerruntque cunctam substantiam quæ inventa est in domo regis, insuper et filios ejus, et uxores: nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natu erat.

18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili.

19. Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus: et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.

20. Triginta duorum annorum fuit, cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavitque non recte, et sepelierunt eum in civitate David; verumtamen non in sepulcro regum.

vers. 15, quæ in funiculo *tribus Juda* assignata fuit Levitis: non ergo soli vectigales defecerunt a Joramo, sed et ex domesticis et contribulibus non pauci.

Tertia plaga continetur litteris Eliæ prophetæ jam a novennio ex hominibus abrepti curru igneo, sed e paradiso ad regem Joram angelo vel homine quopiam internuncio transmissis: ita Hebræi [2], Lyranus, Bellarminus et alii. Vide quæ dixi 4 Regum c. 2, v. 11. Litteras ipsas habes hic v. 12 quibus exprobrat Elias regi fœdam idololatriam et fratricidia, prædicitque ei cladem publicam, bonorumque suorum rapinam, ut et uxorum et filiorum: quam mox (ut subditur vers. 16) intulerunt Arabes, Æthiopes et Philisthini.

Iisdem litteris continetur et quarta plaga, nempe mors probrosissima per lentam viscerum egestionem, post tabem duorum annorum v. 18.

Quinta plaga, denegatus illi honor sepulturæ regalis v. 19 hic, et 4 Regum 8, vers. 21: *Sepelierunt eum in civitate David, verumtamen non in sepulcro regum: neque fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* Non quod moris esset apud Hebræos ipsa *cadavera* comburere, sed in cadaverum exequiis comburebant varia aromata, ut fuse probat Sanctius hic et 1 Regum ultimo.

De *lucerna* domus David hic v. 7 vide Psal. 131, 17.

(1) " Vers. 12. *Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta.* Sunt qui *Eliam* heic pro *Eliseo* perperam scriptum putent, ut Calvisius, et Clericus. Alii Eliam quemdam juniorem confingunt, ut Cajetanus, Piscator, Ligtfootus. Prolepsim, seu anticipationem historicam agnoscunt alii. Nec desunt, qui ab Elia in cælos rapto missas litteras velint e terrestri Paradiso. Confer Gilletum *in Judaic. Ant. lib., adnot.* 5. Rabbi Kimki existimat, eas litteras ab Elia scriptas fuisse prophetico spiritu, antequam raperetur, atque uni Prophetarum, puta Eliseo traditas, ut deinde ad Joramum veluti e cælo perlatæ ipsum ad pœnitentiam facilius adducerent; quæ opinio placuit Torniello in Annalibus, Emmanueli Sa, aliisque. "

(2) In Seder-Olam cap. 17.

CAPUT XXII.

Impium Ochoziam filium Joram regem Juda occidit Jehu, simul et Joram regem Israel. Impia Athalia occidit omnes filios Ochoziæ, unico Joas natu minimo per Josabeth amitam suam neci subtracto.

1. Constituerunt autem [1] habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus minimum, regem pro eo: omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Joram regis Juda.

2. Quadraginta [2] duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem, et nomen matris ejus Athalia filia Amri.

3. Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim ejus impulit eum ut impie ageret.

4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum ejus.

5. Ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit cum Joram filio Achab rege Israel in bellum contra Azael regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraveruntque Syri Joram.

6. Qui reversus est ut curaretur in Jezrahel: multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram, rex Juda, descendit ut inviseret Joram filium Achab in Jezrahel ægrotantem.

7. Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam, ut veniret ad Joram: et cum venisset, et egrederetur cum eo adversum Jehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab.

8. Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit principes Juda, et filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, et interfecit illos.

9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se occidit, et sepelierunt eum: eo quod esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo; nec erat ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ;

10. [3] Siquidem Athalia mater ejus, videns quod mortuus esset filius suus, surrexit, et interfecit omnem stirpem regiam domus Joram.

℣. 1. *Ochozias* — Hic *minimus natu* filiorum Joram, cap. præc. v. 17 *Joachaz* vocatur.

℣. 2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias* — Quomodo, cum pater ejus, dum moreretur, non fuerit nisi quadraginta annorum? ut dicitur in fine cap. præc. Respondeo, mendose hic legi, 42 *annorum:* legendum 22 *annorum*, ut legitur 4 Regum 8, v. 26. Unde vero mendum irrepserit, dixi in Chronico c. 29 in Ochozia. Porro mater Ochoziæ Athalia vocatur hic *filia Amri*, phrasi hebræa, id est *neptis*. Nam erat filia *Achab* filii *Amri*, ut patet ex c. præc. v. 6, et 4 Regum 8, v. 18.

℣. 10. *Siquidem Athalia interfecit omnem stirpem regiam* — nempe filios omnes Ochoziæ, quos ex variis uxoribus et concubinis (ut ferebat illius temporis consuetudo) plures susceperat, neque aliam illos occidendi causam habuit, quam ut, sublatis omnibus nepotibus, ad quos hereditario jure regnum pertinebat, avia sola regnaret, et suo arbitratu omnia administraret.

(1) 4 Reg. 8, vers. 25. (2) 4 Reg. 8, vers. 26. (3) 4 Reg. 11, vers. 1.

11. Porro Josabeth filia regis tulit Joas filium Ochoziæ, et furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum: Josabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Jojadæ pontificis, soror Ochoziæ, et idcirco Athalia non interfecit eum.

12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

℣. 11. Porro *Josabeth*, vel *Josaba, filia regis Joram, soror Ochoziæ* (sed ex alia matre quam ex Athalia) uxor [1] Jojadæ summi pontificis, *tollens Joas filium Ochoziæ*, unius anni puerum, quæ *inter cæsorum cadavera* fratrum, inquit Josephus, opinione omnium mortuum, *nutricis opera* deprehendit, *ablatum furtim domi suæ abdidit et, solo marito conscio, sex annis abscondit* in templo, *in cubiculo lectulorum*, id est in uno *triclinio* seu *pastophorio*, qualia plurima erant circa ædem sacram, in quibus degebant qui excubiarum, vel custodiæ, vel alterius ministerii causa templo adesse debebant.

(1) 4 Reg. 11, vers. 2; Joseph. lib. 9 Antiq., c. 7.

Cetera hujus cap. vide 4 Reg. 9.

CAPUT XXIII.

Jojada pontifex ungit septennem Joas in regem Juda, præcisis Athaliæ cervicibus: cultum divinum restituit: domum, aras et simulacra Baal destruit.

1. Anno autem septimo confortatus Jojada, [1] assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham, et Ismahel filium Johanan, Azariam quoque filium Obed, et Maasiam filium Adaiæ, et Elisaphat filium Zechri: et iniit cum eis fœdus.

2. Qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, et principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem.

3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Jojada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David.

4. Iste est ergo sermo quem facietis:

5. Tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum, sacerdotum, et Levitarum, et janitorum, erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: et tertia ad portam, quæ appellatur fundamenti: omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini.

6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi sacerdotes, et qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt: et omne reliquum vulgus observet custodias Domini.

7. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua (et si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur): sintque cum rege et intrante et egrediente.

8. Fecerunt ergo Levitæ, et uni-

℣. 5. *Qui veniunt ad sabbatum* — scilicet, ordine vicis suæ ad ministrandum quaque hebdomada in templo, ut patet 1 Paral. 23 et 24.

Porta fundamenti, hic vocatur præcipua porta quæ plagam respiciebat orientalem. De qua vide Villalpandum.

℣. 6. *Reliquum vulgus*, nempe tum Levitarum, tum aliorum, *observet custodias Domini* — id est præcepta divina q. d. Fungatur quisque solito officio suo: cuncta ut aliis diebus procedant: nil insolens aut novum fiat.

(1) 4 Reg. 11, 4.

versus Juda, juxta omnia quæ præceperat Jojada pontifex: et assumpserunt singuli viros qui sub se erant, et veniebant per ordinem sabbati, cum his, qui impleverant sabbatum, et egressuri erant; siquidem Jojada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant.

9. Deditque Jojada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque et peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini.

10. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextra usque ad partem templi sinistram, coram altari, et templo, per circuitum regis.

11. Et eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem: unxit quoque illum Jojada pontifex, et filii ejus: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat rex.

12. Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini.

13. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, et principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, et diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, et ait: Insidiæ, insidiæ.

14. Egressus autem Jojada pontifex ad centuriones, et principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, et interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini.

15. Et imposuerunt cervicibus ejus manus: cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi.

16. Pepigit autem Jojada fœdus inter se, universumque populum, et regem, ut esset populus Domini.

17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, et destruxerunt eam: et altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

18. Constituit autem Jojada præpositos in domo Domini sub manibus sacerdotum, et Levitarum, quos distribuit David in domo Domini, ut offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio, et canticis juxta dispositionem David.

19. Constituit quoque janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re.

20. Assumpsitque centuriones, et fortissimos viros ac principes populi, et omne vulgus terræ, et fecerunt descendere regem de domo Domini, et introire per medium portæ superioris in domum regis, etcollocaverunt eum in solio regali.

21. Lætatusque est omnis populus terræ, et urbs quievit: porro Athalia interfecta est gladio.

℣. 10. *Coram altari* — scilicet holocaustorum æneo, quod erat in atrio sacerdotum ante frontem templi. Populus tamen hic cum armis non intrabat hoc atrium: sed ante illud stabat in alio communi atrio Israelitarum.

℣. 13. *Regem stantem super gradum in introitu* — id est super basim æneam, seu intheatro regio, quod alibi *Musach* [1] *sabbati* vocatur.

Reliqua hujus cap. exposui 4 Reg. 11.

(1) 4 Reg. 16, vers. 18, et c. 23, vers. 3.

CAPUT XXIV.

Rex Joas, quamdiu vixit Jojada pontifex, bonum ac pium se præbet; eo mortuo, deserta pietate, Zachariam filium Jojadæ, quod ab eo reprehenderetur, in atrio templi lapidibus obrui jubet. Anno mox insequenti Judæa tota Syris in spolium datur: et Joas rex a propriis servis occiditur.

1. Septem annorum [1] erat Joas cum regnare cœpisset: et quadraginta annis regnavit in Jerusalem; nomen matris ejus Sebia de Bersabee.

2. Fecitque quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Jojadæ sacerdotis.

3. Accepit autem ei Jojada uxores duas, e quibus genuit filios et filias.

4. Post quæ placuit Joas ut instauraret domum Domini.

5. Congregavitque sacerdotes, et Levitas, et dixit eis: Egredimini ad civitates Juda, et colligite de universo Israel pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite. Porro Levitæ egere negligentius.

6. Vocavitque rex Jojadam principem, et dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda et de Jerusalem pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii?

7. Athalia enim impiissima, et filii ejus destruxerunt domum Dei; et de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.

8. Præcepit ergo rex, et fecerunt arcam: posueruntque eam juxta portam domus Domini forinsecus.

9. Et prædicatum est in Juda et Jerusalem, ut deferrent singuli pretium Domino [2], quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israel in deserto.

10. Lætatique sunt cuncti principes, et omnis populus: et ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita ut impleretur.

11. Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam), ingrediebatur scriba regis, et quem primus sacerdos constituerat: effundebantque pecuniam quæ erat in arca: porro arcam reportabant ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies, et congregata est infinita pecunia:

12. Quam dederunt rex et Jojada his, qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, et artifices operum singulorum, ut instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri et æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur.

13. Egeruntque hi qui operabantur industrie, et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt.

14. Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram rege et Jojada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, et ad holocausta, phialæ quoque, et cetera vasa aurea et argentea: et offerebantur

℣. 6. *Pecuniam, quæ constituta est a Moyse* — nempe Exodi 30. Sed de his fuse egi 4 Regum 12.

(1) 4 Reg. 11, vers. 21, et 12, vers. 1.
(2) Exod. 30, vers. 12.

holocausta in domo Domini jugiter cunctis diebus Jojadæ.

15. Senuit autem Jojada plenus dierum, et mortuus est cum esset centum triginta annorum:

16. Sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, et cum domo ejus.

17. Postquam autem obiit Jojada, ingressi sunt principes Juda, et adoraverunt regem; qui delinitus obsequiis eorum acquievit eis.

18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, servieruntque lucis et sculptilibus, et facta est ira contra Judam et Jerusalem propter hoc peccatum.

19. Mittebatque eis prophetas ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant.

20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Jojadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos?

21. Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini.

22. Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius secum, [1] sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur, ait: Videat Dñus, et requirat.

23. [2] Cumque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Judam et Jerusalem, et interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum.

24. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dñus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Joas quoque ignominiosa exercuere judicia.

25. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexe-

℣. 23. *Ascendit contra* Joas *exercitus Syriæ* — 4 Regum 12, vers. 17 dicitur, *Ascendit Hazael rex Syriæ*, utique flagellum Dei ad punienda scelera regis Joas et populi Judaici. Nam a morte Jojadæ pontificis, qui quamdiu vixit regem in officio continebat, perditis consiliariorum suorum suasionibus in transversum actus rex Joas, primo ad idola deflexit, coluitque quæ ante destruxerat: secundo Zachariam filium Jojadæ avunculi sui, cui post Deum debebat et regnum et vitam, cum ob tam fœdum idololatriæ scelus tam regem, quam principes (uti summum decebat pontificem) acriter reprehenderet, in ipso sacerdotali atrio templi jussit lapidibus obrui, sed, en mox divinam vindictam: vix annus ab occiso Zacharia pontifice lapsus erat, cum adest Hazael Syriæ rex, qui exiguis copiis infinitam (pene Judæorum multitudinem concidit et prosternit, omninoque thesauros tum templi, tum regii palatii in Syriam abripit, et in *Joas ignominiosa exercet judicia*, ut post in Sedeciam Nabuchodonosor 4 Reg. 25, nempe acriter et probrose increpando de ingratitudine, de perfidia, de animi vilitate. Neque ibi stat malum: rex acerbissimo mox corporis dolore cruciatur, lecto affigitur, in regem insurgunt et conjurant servi, decumbentem in lecto trucidant *in domo Mello:* vicina hæc erat palatio, constructa a Salomone pro filia Pharaonis, et jam forte regio palatio adjuncta. Vide 3 Regum 9, v. 24, et c. 11, v. 27. Josephus [3] hos conjuratos dicit amicos fuisse Zachariæ, quod probabile facit illud hic v. 25 quo qui in regem *insurrexerunt*, insurrexisse in *ultionem sanguinis* Zachariæ, *filii Jojadæ*. S. Hieronymus putat hunc Zachariam illum esse, de quo Christus Matthæi 23 dicit, occisum fuisse a Judæis *inter templum et altare*. S. Hieronymum sequuntur D. Thomas, Albertus, Major, Abulensis, Gagnæus, Jansenius, Salmeron, Maldonat., Barradius et quidam alii. Sed non minus probabile est, Christum allusisse ad alterum Zachariam, qui in minorum Prophetarum catalogo undecimus numeratur, ut ibidem probabo.

(1) Matth. 23, vers. 35. (2) 4 Reg. vers. 17.

(3) Lib. 9 Antiq., cap. 9.

runt autem contra eum servi sui, in ultionem sanguinis filii Jojadæ sacerdotis, et occiderunt eum in lectulo suo, et mortuus est: sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulcris regum.

26. Insidiati vero sunt ei Zabad filius Semmaath Ammanitidis, et Jozabad filius Semarith Moabitidis.

27. Porro filii ejus, ac summa pecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, et instauratio domus Dei, scripta sunt diligentius in libro Regum: regnavit autem Amasias filius ejus pro eo.

CAPUT XXV.

Amasias rex Juda ultus se de cæsoribus parentis sui, de Idumæis quoque victoriam refert: sed in idololatriam delapsus, a Joas rege Israel bello superatur et capitur direpta Jerosolyma: tandemque in Lachis occiditur a suis.

1. Viginti quinque annorum [1] erat Amasias cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Joadan de Jerusalem.

2. Fecitque bonum in conspectu Domini: verumtamen non in corde perfecto.

3. Cumque roboratum sibi videret imperium, jugulavit servos, qui occiderant regem patrem suum,

4. Sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, ubi præcepit Dominus, dicens: [2] Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur.

5. Congregavit igitur Amasias Judam, et constituit eos per familias, tribunosque et centuriones in universo Juda et Benjamin: et recensuit a viginti annis supra, invenitque trecenta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, et tenerent hastam et clypeum.

6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti.

7. Venit autem homo Dei ad illum, et ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel, et cunctis filiis Ephraim:

8. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est et adjuvare, et in fugam convertere.

9. Dixitque Amasias ad hominem

℣. 6. *Mercede conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti* — Hinc, ni fallor, clare colligitur, *talentum* sub hoc tempus non minoris fuisse ponderis quam *trium millium siclorum*, ut fuit tempore Moysis, etsi daremus Joanni Marianæ solis ducibus cessisse hoc argentum: milites vero ex præda victitasse. Nam quantilla merces tribuno uni ter centum floreni Belgici? Neque enim pluris fuisse talentum argenti hoc tempore, contendit Mariana.

(1) 4 Reg. 14, vers. 2.

Scilicet, hæc esset ingens illa summa, quæ ne periret, regium animum adeo sollicitum habuit v. 9: *Quid fiet de centum talentis* argenti, *quæ dedi militibus Israel?*

℣. 7. *Homo Dei* autem seu Propheta, cujus hic fit mentio, in Seder-Olam dicitur fuisse *Amos Isaiæ* pater, *frater* ipsius regis *Amasiæ*.

Filii Ephraim hic vocantur omnes tribus Israeliticæ, quæ sub Jeroboamo Ephraimita secesserant a tribu Juda.

(2) Deut. 24, vers. 16; 4 Reg. 14, vers. 6; Ezech. 18, vers. 20.

Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Dñus unde tibi dare possit multo his plura.

10. Separavit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum: at illi contra Judam vehementer irati, reversi sunt in regionem suam.

11. Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, et abiit in vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia.

12. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, et adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt.

13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron, et interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam.

14. Amasias vero post cædem Idumæorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorabat eos, et illis adolebat incensum.

15. Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua?

16. Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque propheta, Scio, inquit, quod cogitaverit Deus, occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo.

17. Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu, regem Israel, dicens: Veni, videamus nos mutuo.

18. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: et ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, et conculcaverunt carduum.

19. Dixisti: Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua; cur malum adversum te provocas, ut cadas et tu, et Juda tecum?

20. Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom.

21. Ascendit igitur Joas rex Israel, et mutuos sibi præbuere con-

℣. 17. *Veni, videamus nos mutuo* — Simili modo dicitur 4 Reg. 14, vers. 8: *Veni, et videamus nos.* Provocatio est ad bellum, quo disceptetur de dominio regni Israelitici decem tribuum, quas volebat Amasias rursum conjungi sceptro Judaico, uti conjunctæ fuerant tempore Davidis et Salomonis proavorum ipsius: ita Josephus, Comestor et Abul.

℣. 18. *Carduus Libani* — quia forte fortuna prætereuntis incaute viatoris pedem læserat, atque unam alteramve sanguinis guttam extorserat, quasi re maxima gesta insolescens, et aliis longe præcelsioribus parem se, immo fortiorem ratus, legatione *missa* ad primam et celsissimam omnium arborum *cedrum*, expetiit non rogando, sed imperando, *filiam illius filio suo uxorem:* et quidem primum in ea affinitate locum sibi deposcit, sicut maritus in nuptiali fœdere superior est uxore. Verum impudentia ista cardui offensæ *bestiæ*, quæ ad umbram cedri stabulari consueverant, a carduo vero nihil umquam utilitatis, vel acceperant, vel sperabant, ut cedro factam injuriam vindicarent, spinosam et vilem plantam pedibus ita protriverunt, ut deinceps neque virere, neque sursum attollere se posset. Latini brevius, ut talem notent disparem congressum, dicunt leonem ab hinnulo, equum a testudine, aquilam a scarabeo, lusciniam a pica provocari ad pugnam, ad cursum, ad volatum, ad cantum. Porro proverbium hoc Amasias magno suo damno et probro verissimum esse et sensit, et toti orbi testatum fecit.

spectus: Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Juda:

22. Corruitque Juda coram Israel, et fugit in tabernacula sua.

23. Porro Amasiam regem Juda, filium Joas filii Joachaz, cepit Joas rex Israel in Bethsames, et adduxit in Jerusalem: destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

24. Omne quoque aurum, et argentum, et universa vasa, quæ repererat in domo Dei, et apud Obededom in thesauris etiam domus regiæ, necnon et filios obsidum, reduxit in Samariam.

25. Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz rex Israel, quindecim annis.

26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum et novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda et Israel.

27. Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, et interfecerunt eum ibi.

28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David.

CAPUT XXVI.

Ozias seu Azarias pius ac religiosus, de Philisthæis, Arabibus et Ammonitis triumphat: sed animo elatiore dum incensum adolere præsumit in templo, lepra percutitur, filio ejus Joatham regnum administrante.

1. Omnis autem populus Juda [1] filium ejus Oziam annorum sedecim constituit regem pro Amasia patre suo.

2. Ipse ædificavit Ailath, et restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis.

3. Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpisset, et quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus.

5. Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.

6. Denique egressus est, et pugnavit contra Philisthiim, et destruxit murum Geth, et murum Jabniæ, murumque Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto, et in Philisthiim.

7. Et adjuvit eum Deus contra Philisthiim, et contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, et contra Ammonitas.

8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ, et divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.

9. Ædificavitque Ozias turres in

℣. 5. *In diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum* — id est, experti et periti in visionibus propheticis: ita insinuant Hebræa et Græca. Hunc Prophetam putant Cajetanus et Dionysius fuisse filium alterius *Zachariæ*, quem impius rex Joas lapidibus obrui jussit in templo, c. 24, v. 21. Hic dum vixit, regique Oziæ familiaris fuit, illum in officio continuit: ubi vita excessit, etiam Ozias a recto deflexit.

℣. 9. *Ædificavit turres in Jerusalem*, etc. — Crediderim, novis substructionibus implevisse illam murorum partem, quam cap. præced., v. 23 Joas rex

(1) 4 Reg. 14, vers. 21.

Jerusalem super portam anguli, et super portam vallis, et reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas.

10. Extruxit etiam turres in solitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quam in eremi vastitate: vineas quoque habuit et vinitores in montibus, et in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus.

11. Fuit autem exercitus bellatorum ejus, qui procedebant ad prælia, sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, et sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis.

12. Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum.

13. Et sub eis universus exercitus, trecentorum et septem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, et pro rege contra adversarios dimicabant.

14. Præparavit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, et hastas, et galeas, et loricas, arcusque et fundas ad jaciendos lapides.

15. Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, ut mitterent sagittas, et saxa grandia: egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum.

16. Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis.

17. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Dñi octoginta, viri fortissimi,

18. Restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, [1] hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris; quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo.

19. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis.

20. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini.

21. [2] Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, et judicabat populum terræ.

22. Reliqua autem sermonum O-

Israel *destruxerat a porta Ephraim usque ad portam anguli*, sic dictam, quod urbs ex ea parte *angulum* haberet. Sicut *porta Ephraim* illa vocabatur, quæ sortem tribus Ephraim respiceret.

℣. 10. *Turres in solitudine*, sunt domus rusticæ, ubi conduntur agrorum fructus, et pecora stabulantur, et qui illis præsunt commorantur, quæ et *castella* vocari solent. Sic Christus discurrisse dicitur per *vicos et castella*, id est per rusticorum villas, et mapalia pastorum.

(1) Exod. 30, vers. 7 et seq.

℣. 22. *Reliqua sermonum*, seu rerum gestarum, *Oziæ scripsit Isaias* — Horum tamen nihil jam extat in prophetia Isaiæ, sed prorsus interierunt omnia. Bis tantum illius obiter meminit, semel c. 6, v. 1: *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super montem excelsum.* Ubi S. Hieronymus, Origenes, Cyrillus et Chrysostomus notant, ideo usque ad mortem Oziæ distulisse Deum per Prophetas agere cum populo Judaico, quod hic contaminaretur consortio et præsentia leprosi regis:

(2) 4 Reg. 15, vers. 5.

ziæ priorum et novissimorum, scripsit Isaias filius Amos, propheta.

23. Dormivitque Ozias cum patribus suis, et sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus; regnavitque Joatham filius ejus pro eo.

debuissent enim illum non in urbe detinere, sed extra mœnia exturbare, ut lege cautum fuerat. Addi posset, debuisse occidere: nam proposito capitali supplicio vetitum fuerat Numeror. 12 et 18 ne quis præter sacerdotes incensum adoleret; quod tamen fecerat Ozias. Iterum meminit illius Isaias c. 14, v. 28 cum Philisthæos ab Ozia sæpius attritos, ut hic habes v. 6 et 7 et jam comperta morte illius vehementer exultantes, sic minabundus alloquitur: *Ne lœteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui* Oziæ; *de radice enim colubri egredietur regulus*, nempe *Ezechias* pronepos *Oziæ*, qui tanto gravius vos affliget, quanto gravior est *reguli*, quam *colubri* morsus. Eodem Ozia adhuc vivente, accidit magnus ille terræmotus, cujus meminerunt Amos [1], et ex quorumdam sententia Zacharias propheta [2]; qui tunc contigisse videtur, quando rex attentavit sceleratis manibus incensum offerre Deo; ita Josephus [3], et alii Hebræi: neque abnuit S. Hieron. et Cyrillus. Verba Josephi sunt: *Ecce tibi terra vehementer concutitur, fissoque superne templo, radius Solis os regis improbum ferit, quod e vestigio lepra contactum est. Accessit et aliud prodigium, quod eodem terræ motu, ad urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis revulsum, et per quatuor stadia volutum, objectu tandem orientalis montis constitit, obstructa via publica, et oppressis ruina hortis regiis.* Ut mirum non sit, cives (quod ait propheta Zacharias) ex urbe Jerosolymitana profugisse: et regem extemplo ab impio facinore destitisse, territumque loco cessisse, ut hic dicitur ℣. 20.

(1) Amos 1, vers. 1.

(2) Zach. 14, vers. 5. (3) Lib. 9 Ant., c. 11.

CAPUT XXVII.

Joatham pius ac zelosus egregiam de Ammonitis victoriam refert, quibus mulctam annuam imponit. Sed pio parenti succedit filius impius Achaz.

1. Viginti quinque annorum erat Joatham [1] cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc.

2. Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini, et adhuc populus delinquebat.

3. Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, et in muro Ophel multa construxit.

4. Urbes quoque ædificavit in

℣. 2. *Excepto quod non est ingressus templum* — scilicet, ad thus Deo adolendum, q. d. Filius noluit imitari temeritatem patris.

Et adhuc populus delinquebat — delicto tum temporis vulgato, nempe, *sacrificando in excelsis.* Neque ausus fuit rex Joatham populum ab illis divertere. Josephus [2] præclarum huic regi testimonium dat: *Nulla*, inquiens, *ei virtus defuit, erga Deum pio, justo erga homines, et reipublicæ studioso.*

℣. 3. *Ipse ædificavit*, seu instauravit et splendidiorem construxit, *portam domus Domini excelsam* — id est *Orientalem*, qua ingressus a fronte patebat in templum: eratque hæc omnium præcipua, maximeque *excelsa.* Hanc illam crediderim *portam* esse *novam*, cujus Jeremias et alii meminerunt [3].

Ophel vertit Rabbi Kimki et Pagni-

(1) 4 Reg. 15, vers. 33. (2) Supra.
(3) Jerem. c. 26, vers. 10, et c. 36, vers. 10; Hieron. in Isaiæ 32, vers. 14.

montibus Juda, et in saltibus castella et turres.

5. Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, et vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, et decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei; hæc ei præbuerunt filii Ammon, in anno secundo et tertio.

6. Corroboratusque est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.

7. Reliqua autem sermonum Joatham, et omnes pugnæ ejus, et opera, scripta sunt in Libro regum Israel et Juda.

8. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem.

9. Dormivitque Joatham cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: et regnavit Achaz filius ejus pro eo.

nus, *arcem*. Sed S. Hier. ex LXX et traditione antiquorum Hebræorum ait duas fuisse præcipuæ altitudinis turres Jerosolymis, unam *Hophel* dictam a *caligine*, quod ad nubes pertingeret: alteram *Bahan*, a *probando* [1], quod in contemplando culmine probaretur num oculi sat probi et perspicaces essent. Utriusque meminit Isaias c. 32, v. 14. Et prope alteram harum dicitur hic *Joatham* rex magnam *muri* partem construxisse, cum opportunis propugnaculis et urbis ornamentis.

(1) עפל ובתן

CAPUT XXVIII.

Propter scelera Achaz in prædam datur Judæa, primo Syris, secundo Israelitis (qui tamen, monente Propheta, prædam relaxant), tertio Idumæis, quarto Philisthæis. Impio Achaz succedit pius Ezechias.

1. Viginti annorum [1] erat Achaz cum regnare cœpisset: et sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus:

2. Sed ambulavit in viis regum Israel, insuper et statuas fudit Baalim.

3. Ipse est, qui adolevit incensum in valle Benennom, [2] et lustravit filios suos in igne juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel.

4. Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.

5. Tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam

ỳ. 4. *Sub omni ligno frondoso* — Id est, sub quavis arbore præcelsiore, et frondibus magis insigni, solebant Gentiles erigere altaria, ibique sacrificare: quod crederent, singularem aliquam vim Numinis in talibus plantis latere, quæ illas in eam altitudinem et egregiam formam extulisset: ita Mariana.

ỳ. 5. *Regis Syriæ* — Hic est Rasin, de quo 4 Reg. 16, v. 5. Ubi etiam vide reliqua hujus cap.

(1) 4 Reg. 16, vers. 2.

(2) " Vers. 3. *Et lustravit filios suos in igne.* Aliqui censent, filios Achazi ab impio Rege fuisse crematos, sicque falsis diis immolatos; sed Gilleto *admit.* 13 *in* 9 *Judaic. ant. libr.* videtur Achaz jussisse solum, filios suos transilire positas flammas ea fere lege, qua Ovidius 4 Fastorum monet pastores, ut Palen deam sibi conciliaturi,

Per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajiciant celeri strenua membra pede:
Omnia purgat edax ignis, etc. „

cepit de ejus imperio, et adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israel traditus est, et percussus plaga grandi.

6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores; eo quod reliquissent Dñum Deum patrum suorum.

7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, et Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege.

8. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum, et infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam.

9. Ea tempestate erat ibi propheta Domini, nomine Oded; qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas.

10. Insuper filios Juda et Jerusalem vultis vobis subjicere in servos et ancillas; quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.

11. Sed audite consilium meum, et reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.

12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, et Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio,

13. Et dixerunt eis: Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, et vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, et ira furoris Domini imminet super Israel.

14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, et universa quæ ceperant, coram principibus, et omni multitudine.

15. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cumque vestissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, et adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, et adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam.

16. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium.

17. Veneruntque Idumæi, et percusserunt multos ex Juda, et ceperunt prædam magnam.

18. Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, et ad meridiem Juda: ceperuntque Bethsames, et Ajalon, et Gaderoth, Socho quoque, et Thamnan, et Gamzo, cum viculis suis, et habitaverunt in eis.

19. Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, et contemptui habuisset Dominum.

20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui et afflixit eum, et nullo resistente vastavit.

℣. 19. *Eo quod Achaz* impius *rex nudasset* populum. Nihil amplius est in Hebræo, Chaldæo, et Græco: sed Hieronymus explicationis causa addidit, *auxilio*, scilicet divino. Videtur alludi ad vestium denudationem, quibus spoliabantur qui idolorum cultui vacabant, v. g. in Bacchanalibus: ut eo ritu demonstrarent, se omni humano naturalique præsidio destitutos, spem omnem in ope solius idoli repositam habere. Simili phrasi Ex. 32, 25 dicitur Moyses *populum* vitulo sacrificante invenisse *nudatum*.

℣. 20. *Thelgathphalnasar* — Alibi

21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, et domo regum ac principum, dedit regi Assyriorum munera, et tamen nihil ei profuit.

22. Insuper et tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dñum, ipse per se rex Achaz,

23. Immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, et universo Israel.

24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit januas templi Dei, et fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.

25. In omnibus quoque urbibus Juda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dñum Deum patrum suorum.

26. Reliqua autem sermonum ejus, et omnium operum suorum priorum et novissimorum, scripta sunt in Libro regum Juda et Israel.

27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

Theglathphalazar, vel *Theglath-Phul-Assar* vocatur, de quo dixi 4 Reg. 15 et 16. Porro impius Achaz

℣. 24. *Clausit januas templi Dei* — ne quis ad sacrificandum vel adorandum eo ingredi posset. Usque eo enim urgebat Achaz cultum idolorum, ut nollet vero Deo supplicari: quod nullus ante eum vetarat regum Juda.

CAPUT XXIX.

Ezechias abolitum Dei cultum, reserato templo Domini, restitutisque sacerdotibus, Levitis et cantoribus, instaurat, et plurimis holocaustis Deum placat.

1. Igitur Ezechias regnare cœpit, [1] cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ.

2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

3. Ipse anno et mense primo regni sui aperuit valvas domus Domini, et instauravit eas:

4. Adduxitque sacerdotes atque Levitas, et congregavit eos in plateam orientalem.

5. Dixitque ad eos: Audite me, Levitæ, et sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, et auferte omnem immunditiam de sanctuario.

6. Peccaverunt patres nostri, et fecerunt malum in conspectu Dñi Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas a tabernaculo Domini, et præbuerunt dorsum.

7. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, et extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, et holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.

8. Concitatus est itaque furor Domini super Judam et Jerusalem, tradiditque eos in commotionem, et in interitum, et in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris.

℣. 1. *Filia Zachariæ*, nempe summi pontificis et prophetæ, qui c. 24, v. 21, a rege *Joas* interfectus est, fuit mater Ezechiæ, inquit S. Hieron. [2].

℣. 4. *Platea orientalis* erat quæ ante portam templi orientalem procurrebat.

(1) 4 Reg. 18, vers. 2.
(2) In Trad. Hebr.

9. En, corruerunt patres vestri gladiis: filii nostri, et filiæ nostræ, et conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus.

10. Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, et avertet a nobis furorem iræ suæ.

11. Filii mei, nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, colatisque eum, et cremetis ei incensum.

12. Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amasai, et Joel filius Azariæ, de filiis Caath: porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, et Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gersom, Joah filius Zemma, et Eden filius Joah.

13. At vero de filiis Elisaphan, Samri, et Jahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias et Mathanias:

14. Necnon de filiis Heman, Jahiel et Semei: sed et de filiis Idithun, Semeias, et Oziel.

15. Congregaveruntque fratres suos et sanctificati sunt, et ingressi sunt juxta mandatum regis et imperium Domini, ut expiarent domum Dei.

16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, et asportaverunt ad torrentem Cedron foras.

17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, et in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaveruntque templum diebus octo, et in die sextadecima mensis ejusdem, quod cœperant impleverunt.

18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, et dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Dñi, et altare holocausti, vasaque ejus, necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis,

19. Cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est: et ecce exposita sunt omnia coram altare Domini.

20. Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, et ascendit in domum Dñi

21. Obtuleruntque simul tauros septem, et arietes septem, agnos septem et hircos septem, pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Juda: dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Dñi.

22. Mactaverunt igitur tauros, et susceperunt sanguinem sacerdotes, et fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, et illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, et fuderunt super altare sanguinem.

23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege et universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos:

24. Et immolaverunt illos sacerdotes, et asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo uni-

℣. 15. Per *domum Dei* intelligitur *atrium sacerdotale*, quod Levitæ ad juvandos sacerdotes intrare poterant: sed *templum Domini*, seu sanctuarium, intrare non poterant nisi soli sacerdotes: unde et hi soli dicuntur hic *ingressi templum*, et *sanctificasse*, id est mundasse, *illud*, ut habent Hebræa et Græca: efferentes sordes e sanctuario *in vestibulo*, LXX *in vestibulum*, unde dein Levitæ efferebant illas *ad torrentem Cedron*.

℣. 17. *Cœperunt prima die mensis primi*, Nisan: et octo priores dies impenderunt *exedris* et *atriis* sanctificandis, id est mundandis, et pristino nitori restituendis: posteriores alios octo dies *templo*, seu sanctuario purgando insumpserunt. De *Pascha* hic Scriptura non meminit, quia eo mense juxta legis præscriptum celebrari non potuit, sed dilatum est in mensem secundum, ut dicitur initio capitis sequentis.

℣. 24. *Pro peccato* — Id est hostia seu sacrificium *pro peccato*, de quo vide Lev. 4.

versi Israelis: pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, et pro peccato.

25. Constituit quoque Levitas in domo Dñi cum cymbalis, et psalteriis, et citharis, secundum dispositionem David regis et Gad videntis, et Nathan prophetæ : siquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum ejus.

26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, et sacerdotes tubas.

27. Et jussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare : cumque offerrentur holocausta , cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare.

28. Omni autem turba adorante, cantores, et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum.

29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, et omnes qui erant cum eo, et adoraverunt.

30. Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph videntis; qui laudaverunt eum magna lætitia, et incurvato genu adoraverunt.

31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis manus vestras Domino, accedite, et offerte victimas, et laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, et laudes et holocausta mente devota.

32. Porro numerus holocaustorum , quæ obtulit multitudo , hic fuit : tauros septuaginta , arietes centum, agnos ducentos.

33. Sanctificaveruntque Domino boves sexcentos et oves tria millia.

34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent : unde et Levitæ fratres eorum adjuverunt eos donec impleretur opus, et sanctificarentur antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam sacerdotes.

35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, et libamina holocaustorum : et completus est cultus domus Domini.

36. Lætatusque est Ezechias, et omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. De repente quippe hoc fieri placuerat.

℣. 30. *Sermonibus,* seu psalmis, *David* regis, *et Asaph videntis* — id est prophetæ. Unde colligimus , psalmos quos jam habemus, non omnes esse unius Davidis, sed quosdam ab aliis compositos fuisse, ac nominatim duodecim illos qui *Asaph* inscribuntur, ipsi acceptos ferri debere.

℣. 31. *Implestis,* id est consecrastis, *manus vestras Domino* — Nam *implere manum,* est consecrare in sacerdotem, ut alibi [1] dixi.

℣. 33. *Sanctificaverunt Domino boves sexcentos* — Id est, donarunt et appropriarunt usibus templi, non præcise ad holocausta, ut factum præcedenti versu: sed ad quævis alia sacrificia, pacifica, pro peccato, etc.

℣. 34. Per *antistites* intelliguntur *sacerdotes,* qui Levitis præerant quasi *antistites.* De quorum consecratione vide Levitici 6, 8 et sequentibus.

(1) 3 Reg. 13, vers. 33.

CAPUT XXX.

Ezechias, missis quaquaversum nuntiis non modo per Judæam, sed per reliquas tribus Israel, omnes invitat Jerosolymam ad Phase celebrandum. Quod factum maxima solemnitate totis 14 diebus.

1. Misit quoque Ezechias ad omnem Israel et Judam: scripsitque epistolas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, et facerent Phase Domino Deo Israel.

2. Inito ergo consilio regis et principum, et universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo.

3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem.

4. Placuitque sermo regi, et omni multitudini.

5. Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel, de Bersabee usque Dan, ut venirent, et facerent Phase Domino Deo Israel in Jerusalem: multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est.

6. Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, et principum ejus, in universum Israel et Judam, juxta id, quod rex jusserat, prædicantes: Filii Israel, revertimini ad Dominum Deum Abraham, et Isaac, et Israel: et revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum.

7. Nolite fieri sicut patres vestri et fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis.

8. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri; tradite manus Domino, et venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum: servite Domino Deo patrum vestrorum, et avertetur a vobis ira furoris ejus.

9. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri et filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, et revertentur in terram hanc: pius enim et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.

10. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim et Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos.

11. Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, et Zabulon, aquiescentes consilio, venerunt Jerusalem.

12. In Juda vero facta est manus Domini ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis et principum verbum Domini.

℣. 2. *Mense secundo,* debebant juxta legem [1] celebrare *Phase* quicumque mense primo fuerant impediti vel immundi. Sicut hic impediti fuerant Judæi, quia, ut dicitur

℣. 3. *Sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant* — Neque enim, ut Deo possent sacrificare et fungi muniis sacerdotalibus, sat erat quod essent de genere sacerdotali: sed singuli debebant initiari et consecrari juxta ritus præscriptos Levitici 8.

℣. 6. *Reliquiæ quæ effugerunt manum regis Assyriorum,* vocantur quinque tribus Israeliticæ, quas, abductis in Assyriam aliis quinque tribubus quarto anno regis Achaz, reliquerat Teglath-Phalasar in sedibus suis, e quibus tamen sexto anno Ezechiæ etiam ipsæ a Salmanasar eodem abductæ sunt, ut dixi 4 Reg. 15 et 17.

(1) Num. 9, vers. 10.

13. Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secundo:

14. Et surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron.

15. Immolaverunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini:

16. Steteruntque in ordine suo, juxta dispositionem et legem Moysi hominis Dei: sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum,

17. Eo quod multa turba sanctificata non esset: et idcirco immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino.

18. Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est: et oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur

19. Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt.

20. Quem exaudivit Dominus, et placatus est populo.

21. Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Levitæ quoque et sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant.

22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Dño: et comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, et laudantes Dñum Deum patrum suorum.

23. Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem: quod et fecerunt cum ingenti gaudio.

24. Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, et septem millia ovium: principes vero dederant populo tauros mille, et oves decem millia. Sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo,

25. Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam sacerdotum et Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel: proselytorum quoque de terra Israel, et habitantium in Juda.

26. Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat.

27. Surrexerunt autem sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: et exaudita est vox eorum: pervenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.

℣. 18. *Magna pars populi, quæ sanctificata,* id est mundata, *non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum,* seu a Deo per Moysen præscriptum fuerat, nempe, necdum ab immunditiis suis expiata. S. Hieronymus ex sententia Hebræorum ait eos, qui Phase comederunt immundi, magna ex parte cælitus immissa plaga occisos fuisse: sed precibus Ezechiæ, sinceram populi intentionem vixque culpabilem ignorantiam allegantis, mox cladem cessasse, et ideo v. 20 dici, *Deum populo placatum esse.*

℣. 22. *Locutus est ad cor Levitarum,* id est, solatus est et laudavit eos, *Qui habebant intelligentiam bonam super Domino* — id est *in canticis Domini,* q. d. Peritos canendi laudes Dei, et in hoc suo officio strenuos. Et hæc erat materia et occasio cur a rege collaudarentur.

CAPUT XXXI.

Populus idola lucosque et aras in tota Judæa, et in reliquo Israele demolitur. Ezechias templi munia ordinesque instaurat.

1. Cumque hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Juda, et fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, et altaria destruxerunt, non solum de universo Juda et Benjamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse, donec penitus everterent: reversique sunt omnes filii Israel in possessiones et civitates suas.

2. Ezechias autem constituit turmas sacerdotales et Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam sacerdotum videlicet quam Levitarum, ad holocausta et pacifica, ut ministrarent et confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini.

3. Pars autem regis erat, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum, mane semper et vespere: sabbatis quoque, et calendis, et solemnitatibus ceteris, sicut scriptum est in lege Moysi.

4. Præcepit etiam populo habitantium Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus, et Levitis, ut possent vacare legi Domini.

5. Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti, vini et olei, mellis quoque: et omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt.

6. Sed et filii Israel et Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum et ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo: atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos.

7. Mense tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta, et mense septimo compleverunt eos.

8. Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes ejus, viderunt acervos, et benedixerunt Domino ac populo Israel.

9. Interrogavitque Ezechias sacerdotes et Levitas, cur ita jacerent acervi.

10. Respondit illi Azarias sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, et saturati sumus, et remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo; reliquiarum autem copia est ista, quam cernis.

℣. 2. *In portis castrorum Domini* — Id est, in portis templi, ad quas solebant sacerdotes et Levitæ per vices et turmas convenire, instar militum.

℣. 3. *Pars autem regis erat* — Id est, rex pro parte sua curabat, q. d. Ita divisit rex ministeria templi, ut ipse non maneret immunis: nam in se suscepit curam providendi de suo, unde juge holocaustum fieret et aliæ hostiæ: populo vero Jerosolymitano imposuit onus alendi sacerdotes et Levitas. Cum enim redditus et rationes templi, ob perturbationem temporum essent admodum impediti, necessum fuit aliunde prospicere necessitatibus templi, et ministrorum illius: *ut possent vacare legi Domini* — Id est, ut expediti cura rerum temporalium, totos se impendere possent sacro templi ministerio, juxta præscriptum legis divinæ.

℣. 6. *Decimas sanctorum quæ voverant* — Hebraice, *decimas sanctitatum sanctificatarum*. Id est, decimas rerum omnium ex præscripto legis [1] consecratas addictasque Deo.

(1) Lev. 19, v. 23; Num. 18, v. 8; Deut. 14, etc.

11. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent,

12. Intulerunt, tam primitias, quam decimas, et quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, et Semei frater ejus, secundus,

13. Post quem Jahiel, et Azarias, et Nahath, et Asael, et Jerimoth, Jozabad quoque, et Eliel, et Jesmachias, et Mahath, et Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, et Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiæ regis et Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant.

14. Core vero filius Jemna Levites et janitor orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque et consecratis in Sancta sanctorum.

15. Et sub cura ejus Eden, et Benjamin, Jesue, et Semeias, Amarias quoque et Sechenias, in civitatibus sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque majoribus:

16. Exceptis maribus ab annis tribus et supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, et quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus juxta divisiones suas,

17. Sacerdotibus per familias, et Levitis a vigesimo anno et supra, per ordines et turmas suas,

18. Universæque multitudini, tam uxoribus, quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur.

19. Sed et filiorum Aaron per agros, et suburbana urbium singularum, dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de sacerdotibus et Levitis.

20. Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Juda: operatusque est bonum et rectum et verum, coram Domino Deo suo.

21. In universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque et prosperatus est.

℣. 11. *Horrea in domo Domini* — LXX *pastophoria:* erant cubicula, in quibus fruges condebantur.

℣. 16. *Exceptis maribus ab annis tribus et supra* — Id est, præter pueros triennes, quibus etiam, ut et aliis omnibus usque ad annum vigesimum, subministrabantur omnia necessaria, q. d. Non solis sacerdotibus et Levitis jam vigesimum annum egressis, et in gravioribus templi ministeriis re ipsa occupatis, dabantur a præfectis templi omnia necessaria: sed etiam si quis eorum jam liberos haberet, iisdem quoque de alimentis prospiciebatur: neque maribus tantum, qui mox ab anno ætatis tertio inscripti catalogo ministrantium puellorum, intrabant cum parentibus templum, deserviturі et ipsi in rebus levioribus (quo titulo pars aliqua stipendii deberi ipsis videbatur): sed et femellis, adeoque et puerulis in cunis, sua quotidie portio tribuebatur de communi: tanta erat rerum templo oblatarum copia. Et rex nolebat quemquam ministrorum templi distineri cura rerum necessariarum sibi suisve conquirendarum. Quod utinam imitentur omnes principes et magistratus Christiani!

CAPUT XXXII.

Sennacherib rege Assyriorum invadente Judæam, et Deum cœli blasphemante, Ezechia interim cum Isaia propheta Deum precibus sollicitante, angelus cædit ex Assyriis 180 millia. Sennacherib a propriis filiis occiditur. Ezechias animo elatiore Deum offendit, et successorem accipit impium filium Manassen.

1. Post quæ et hujuscemodi veritatem, [1] venit Sennacherib rex Assyriorum, et ingressus Judam, obsedit civitates munitas, volens eas capere.

2. Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, et totum belli impetum verti contra Jerusalem,

3. Inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium, qui erant extra urbem: et hoc omnium decernente sententia,

4. Congregavit plurimam multitudinem, et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, et inveniant aquarum abundantiam.

5. Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum, qui fuerat dissipatus, et extruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum: instauravitque Mello in civitate David, et fecit universi generis armaturam et clypeos:

6. Constituitque principes bellatorum in exercitu: et convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum, dicens:

7. Viriliter agite, et confortamini: nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo.

8. Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ regis Juda.

9. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Juda, et ad omnem populum qui erat in urbe, dicens:

10. Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: in quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusalem?

11. Num Ezechias decipit vos, ut

℣. 1. *Post hujuscemodi veritatem* — nempe rerum jam narratarum: vel post tam insignem Ezechiæ justitiam vitæque integritatem, subsecutæ sunt tentationes.

℣. 3. *Capita fontium* — Hebraice, *aquas fontium*, id est puteos, scaturigines et rivos omnes, maxime *rivum* illum majorem

℣. 4. *Qui fluebat in medio terræ* — scilicet vicinæ Jerosolymis. Hic rivus infra v. 30 vocatur *fons Gihon*, putaturque idem esse qui *Siloe:* et alluit rupem in qua sita est Jerosolyma: inde late per vicinam regionem quaquaversus excurrebat. Sed Ezechias, ut adventanti Assyrio subtraheret has aquas, ad fundamenta istius rupis amplam effodit piscinam, quæ præterfluentem aquam contineret tali modo, ut ad eam accedere et inde haurire non posset Assyrius. Deinde perfodit eamdem rupem, et per eam declivi lapsu derivavit aquam in puteos urbis, quos ad obsessorum usus intra mœnia effoderat. Habes hæc omnia 4 Reg. 20, vers. 20, et Eccli. 48, v. 19. Et *aquæductus regis* mentio fit 2 Esdræ 2, v. 14.

℣. 5. De *Mello* vide 3 Reg. 9, v. 24, et cap. 11, v. 27.

(1) 4 Reg. 18, vers. 13; Eccli. 48, vers. 20; Isa. c. 36, vers. 1.

tradat morti in fame et siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum?

12. Numquid non iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius, et altaria, et præcepit Juda et Jerusalem, dicens: Coram altari uno adorabitis, et in ipso comburetis incensum?

13. An ignoratis quæ ego fecerim, et patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea?

14. Quis est de universis diis gentium quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu?

15. Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, et de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea.

16. Sed et alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum, et contra Ezechiam servum ejus.

17. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, et locutus est adversus eum: Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic et Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista.

18. Insuper et clamore magno, lingua judaica, contra populum qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, et caperet civitatem.

19. Locutusque est contra Deum Jerusalem, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum.

20. Oraverunt igitur, Ezechias rex, et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cælum.

21. [1] Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum: reversusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi

℣. 21. *Misit Dominus angelum,* etc. — Ex hac historia desumpsit Herodotus [2] fabeliam suam, qua fingit hunc eumdem *Sennacherib* in Ægypto a sacerdote Vulcani fugatum, eo quod effusa subito vis murium agrestium, pharetras, arcus et habenas omnes Assyriorum edisset. Ubi pro Judæa substituit Herodotus Ægyptum, pro rege Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro angelo mures [3].

Cumque ingressus esset Sennacherib *domum,* seu fanum, *Nesroch dei sui* in Ninive, *filii ejus, Adramelech et Sarazar, interfecerunt eum gladio* — Rationem dat Rabbi Salomon, quam non improbat Lyranus: Quod Sennacherib ad placandos tum deos suos, tum suorum animos, qui graviter ferebant filios et amicos in Judæa tam misere extinctos, decreverit more Gentium victimam filiorum propriorum offerre, et suo sic sanguine diis litare. Sed rem subodorati filii, præverterunt consilia parentis, ipsiusque cædem mature occupaverunt. Contigit hoc forte secundo vel tertio mense a reditu in *Niniven,* ut patet ex Tobiæ 1 ubi dicitur reversum e Judæa, ad ulciscendam ex parte quam ibi acceperat cladem, vexasse vehementer Hebræos nuper eo translatos, et eorum plurimos occidisse: ita ut Tobias bonis omnibus spoliatus, cum uxore aufugere coactus sit. A qua fuga post 40 dies tyrannus a filiis obtruncatus fuit.

(1) Tob. 1, vers. 21.
(2) In Euterpe, ad finem.
(3) Quæ hic ex Herodoto indicat Tirinus, illustrat Gilletus *in* 10 *Judaic. ant. lib. admot.* 1. Newtonum, qui nihil hic miraculi vidit, præter Calmetum confutat Abbas Artigny tom. 1 *Nouv. Monument. hist. critices,* etc., pag. 175.

fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio.

22. Salvavitque Dominus Ezechiam, et habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum.

23. Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechiæ regi Juda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.

24. [1] In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et oravit Dominum: exaudivitque eum, et dedit ei signum.

25. Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor ejus: et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem.

26. Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem, et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ.

27. Fuit autem Ezechias dives, et inclytus valde, et thesauros sibi plurimos congregavit argenti et auri et lapidis pretiosi, aromatum, et armorum universi generis, et vasorum magni pretii.

28. Apothecas quoque frumenti, vini, et olei, et præsepia omnium jumentorum, caulasque pecorum.

29. Et urbes ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium et armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.

30. Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David: in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit.

31. Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.

32. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, et misericordiarum ejus, scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos prophetæ, et in Libro regum Juda et Israel.

33. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, et sepelierunt eum super sepulcra filiorum David: et celebravit ejus exequias universus Juda, et omnes habitatores Jerusalem: regnavitque Manasses filius ejus pro eo.

℣. 31. Per *portentum super terram*, intelligit solem decem lineis retrogressum, de quo dixi 4 Reg. 20, v. 9.

(1) 4 Reg. 20, vers. 1; Isa. 38, vers. 1.

CAPUT XXXIII.

Manasses ob impia scelera captivus in Babylonem abducitur: sed mox pœnitens regno suo redditur, et Dei cultum instaurat. Defuncto succedit impius Amon: sed huic pius Josias.

1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, [1] et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem.

2. Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel:

3. Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Eze-

℣℣. 3 et 5. *Per militiam cœli, et exercitum cœli* — intelligebant Hebræi, teste S. Hieronymo [2], *signa Zodiaci, septem planetas*, et reliqua *omnia sidera*.

(1) 4 Reg. 21, vers. 1.

(2) In Trad. Hebr.

chias pater ejus: construxitque aras Baalim, et fecit lucos, et adoravit omnem militiam cæli, et coluit eam.

4. Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus: [1] In Jerusalem erit nomen meum in æternum.

5. Ædificavit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini:

6 Transireque fecit filios suos per ignem in valle Benennom: observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos, et incantatores: multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum:

7. Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo Dei, [2] de qua locutus est Deus ad David, et ad Salomonem filium ejus, dicens: In domo hac et in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.

8. Et moveri non faciam pedem Israel de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem et cæremonias, atque judicia per manum Moysi.

9. Igitur Manasses seduxit Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel.

10. Locutusque est Dominus ad eum, et ad populum illius, et attendere noluerunt.

11. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem.

12. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.

13. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dñus ipse esset Deus.

14. Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis:

15. Et abstulit deos alienos, et simulacrum de domo Domini: aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini et in Jerusalem, et projecit omnia extra urbem.

16. Porro instauravit altare Domini, et immolavit super illud victimas, et pacifica, et laudem: præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israel.

℣. 6. De *Valle Benennom* — dixi 4 Regum 23, v. 10. Ubi et de lustratione filiorum per ignem.

℣. 8. *Moveri non faciam pedem Israel de terra* — Id est, non patiar ejici populum Israeliticum de Chanaanitide optima et fertilissima terra: *si custodierint*, seu diligentissime studuerint, *facere quæ præcepi eis.*

℣. 10. *Locutusque est Dominus ad eum* — scilicet per suos Prophetas, ut dixi 4 Regum 21, v. 10. Ubi vide reliqua hujus capitis.

℣. 14. De *Gihon* dixi cap. præced. v. 4. De *Ophel* cap. 27, v. 3.

Porta piscium Jerosolymis ad aquilonem erat illa per quam ex Joppe portu maris vicino Jerosolymæ inferebantur pisces, et in vicinia vendebantur: ita S. Hieronymus [3] et quia prope erat arx Sion, vocabatur etiam *porta David*. Hæc est porta per quam postea Chaldæi irruperunt, ut ex Sophonia [4] colligitur.

℣. 16. *Immolavit pacificas* hostias, *et laudem* — id est eucharisticas hostias, in gratiarum actionem et laudem Dei. De quo genere sacrificii vide Lev. 1 et seq. capitibus.

(1) 2 Reg. 7, vers. 10. (2) 3 Reg. 8, vers. 18.
(3) Supra. (4) Cap. 1, vers. 10.

17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.

18. Reliqua autem gestorum Manasse: et obsecratio ejus ad Deum suum: verba quoque videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel.

19. Oratio quoque ejus et exauditio, et cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, et fecit lucos et statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai.

20. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, et sepelierunt eum in domo sua: regnavitque pro eo filius ejus Amon.

21. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit in Jerusalem.

22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus: et cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit.

23. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus: et multo majora deliquit.

24. Cumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua.

25. Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

℣. 19. *Hozai* — Quidam Hebræi, teste S. Hieronymo, putant esse *Isaiam*, quem Manasses serra medium dissecuit, ut dixi 4 Reg. 21, v. 10.

XXII.

IN II. PARALIPOMENON, XXXIII, 11-13,

Captivitas Manassæ.

Quis fuerit *rex Assyriorum*, cujus *exercitus principes ceperunt Manassen*, eumque *vinctum duxerunt in Babylonem*, e Scriptura non constat: at is certe fuit, vel Asarhaddon, vel Assurbanipal, ejus filius et successor, in quorum præcipue tempora incidit regnum Manassæ. Porro tabulæ cuneiformes istorum regum, licet de hac *captivitate* regis Judæ expresse non loquantur, plura tamen exhibent, quæ indirecte narrationem biblicam comprobant, illustrant, et contra veteres recentesque heterodoxos, a quibus ea vel omnino rejicitur uti falsa, vel variis difficultatibus in suspicionem falsi adducitur, egregie tuentur.

Primo quidem ex iis tabulis constat, Manassen fuisse tributarium ac subditum utriusque regis Assyriorum: ipsius enim nomen, *Minasi sar Jahudi*, i. e. *Manasses rex Judæ*, expresse legitur inter *22 reges*, qui ab Asarhaddon, ut sibi vectigales ac subditi, recensentur in *Inscriptione Cylindri*, a. 672, ac deinde ab Assurbanipal in historia primæ expeditionis, quam contra Ægyptum, a. 667-666, ipse suscepit. Postea vero Manasses rebellasse videtur; quæ rebellio procul dubio captivitatis, quam Scriptura narrat, causa fuit. Tempus vero et occasio hujus rebellionis probabilissime referenda sunt ad vastam illam conjurationem, quam rex Babylonis, *Samulsumukin*, subditus et frater Assurbanipali, annis circiter 650-647, ut fuse narrant ejusdem Assurbanipali inscriptiones, molitus est contra Assyriam. Cum enim rex Babylonis undequaque socios et auxiliares conquireret, regesque Syriæ, Phœniciæ, Arabiæ ac totius pene Occidentis ad rebellandum contra Niniven excitasset, secumque plures ad arma traxisset: vix credi potest, inter eos reges Manassem non fuisse comprehensum, eumdemque adeo commoda occasione usum non esse excutiendi jugum Assyriorum. At Samulsumukin, ejusque auxiliares, pluribus præliis profligati, victas tandem dedere manus Assurbanipalo, qui, capta Babylone, fratrem regno et vita spoliavit, ceterosque meritis pœnis multavit. Manasses ergo, uti rebellionis, ita et

communis rebellium cladis consors, pœnas et ipse, in captivitatem ductus, suæ temeritatis dedit.

Jamvero, quæ narrationi biblicæ, de hac captivitate, adversarii opponunt, hæc sunt potissime: 1° Non constat Assyrios, ea ætate dominatos fuisse usque in Palæstinam, uti narratio supponit. 2° Non intelligitur, quomodo Manasses, a ducibus regis Assyriorum captus, ductus fuerit Babylonem, et non potius Niniven, quæ erat sedes regis Assyriæ. 3° Quod vero dicitur, eum *catenis atque compedibus vinctum* fuisse, id fabulam enimvero sapit. 4° Multo autem incredibilius est, eum fuisse deinde, ab ipso nempe rege Assyriorum, e carcere liberatum ac regno etiam restitutum; quum notum sit qua crudelitate reges Assyrii in Principes rebelles sævire consuescerent.

Ast hæc, auctoritate ipsorum Assyriæ monumentorum, facillime diluuntur. Nam 1° ex iis luculenter constat, tum Asarhaddon, tum Assurbanipal, imperium exercuisse in tota Asia occidentali, illudque felici bello inde protendisse usque in Ægyptum superiorem. Series autem, quam supra memoravimus, *22 regum* tributariorum, in tabulis utriusque regis exarata, demonstrat utrique subditam fuisse totam *Palæstinam*, cum Phœnicia et insula Cypri, et inter eos tributarios expresse recenset, uti diximus, *Manassen regem Judæ*. — Quoad 2^m^; rex Assyriæ dominus erat Babylonis æque ac Ninives: et in alterutra urbe ad lubitum degere poterat. De rege Asarhaddon compertum habemus ex ejus fastis, eum a regni primordio, cum titulo *regis Bab-Ilu*, regimen etiam Babylonis immediatum assumpsisse, ac sedem sæpe alternasse inter Niniven et Babylonem. Assurbanipal vero, regnum Babylonis primitus quidem fratri Samulsumukin administrandum permisit; at post hujus rebellionem ac mortem, idest inde ab anno 647, ipsemet regnare Babylone cœpit, ibique per aliquod saltem tempus curiam habere perrexit, jura dare, legatos recipere, et de captivis sententiam ferre, qui ad ejus conspectum a ducibus Assyriæ trahebantur. Quid mirum ergo, quod inter alios captivos Manasses etiam Babylonem duceretur; et qui Babylonicæ rebellionis forte particeps fuerat, Babylone, in carcerem detrusus, pœnas daret? — Quod 3° spectat ad *catenas* et *compedes;* earum expressa mentio pluries occurrit in tabulis assyricis, et plura exempla ibi referuntur regum et principum rebellium, qui, bello victi, eodem prorsus modo ac de Manasse Scriptura affirmat, adhibiti sunt. Unum sufficiat memorare exemplum *Nechao*, regis Mempheos, aliorumque Ægypti principum, qui cum rebellassent contra Assurbanipal, a ducibus Assyriis capti fuere, tum *vinculis ferreis et catenis ferreis, manus pedesque, vincti* (ait textus cuneiformis), atque ita Niniven perducti ante conspectum Assurbanipali, qui eo tempore (a. 666) Ninive degebat. 4° Denique *liberatio* Manassæ exemplum habet (ut alia prætereamus) simillimum in eodem *Nechao*, nuper memorato; is enim, paulo postquam captivus ductus fuerat Niniven, ab Assurbanipalo (uti hujus *Inscriptiones* narrant) et a vinculis liberatus fuit et in suum Mempheos regnum restitutus. Quod ergo cum rege Ægyptio factum fuit, curnam incredibile dici potest, cum rege etiam Judæ factum fuisse? — E quibus omnibus abunde liquet, narrationem Paralipomenon de *captivitate* Manassæ, non solum sibi optime constare, sed etiam a monumentis Assyriorum ejus ætatis, luculenta, quamvis indirecta, ratione confirmari atque illustrari (Vide, quæ fusius de tota hac quæstione disseruimus in *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. IX, pag. 409-421).

BRUNENGO.

CAPUT XXXIV.

Josias, omni idolorum cultu sublato, templum Domini instaurat, reperto legis libro conterritus, ex illius præscripto omnia constituit, et convocato omni populo, fœdus renovat cum Deo.

1. Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, [1] et triginta et uno anno regnavit in Jerusalem.

2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram.

3. Octavo autem anno regni sui, cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui David: et duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis, et lucis, simulacrisque et sculptilibus.

4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: et simulacra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, et sculptilia succidit atque comminuit: et super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit.

5. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam et Jerusalem.

6. Sed et in urbibus Manasse, et Ephraim, et Simeon, usque Nephthali, cuncta subvertit.

7. Cumque altaria dissipasset, et lucos, et sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Israel, reversus est in Jerusalem.

8. Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata jam terra, et templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, et Maasiam principem civitatis, et Joha filium Joachaz a commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui.

9. Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, et quam congregaverant Levitæ, et janitores, de Manasse, et Ephraim, et universis reliquiis Israel, ab omni quoque Juda, et Benjamin, et habitatoribus Jerusalem,

10. Tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, et infirma quæque sarcirent.

11. At illi dederunt eam artificibus, et cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, et ligna ad commissuras ædificii, et ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Juda.

12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Jahath et Abdias de filiis Merari, Zacharias et Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus: omnes Levitæ scientes organis canere.

13. Super eos vero, qui ad diver-

℣. 3. *Duodecimo anno mundavit* — Hebraice, et græce, *mundare cœpit.* Nam sexto demum post anno perfecit mundationem, ut dicitur v. 8.

℣. 5. *Ossa sacerdotum* idololatrarum *combussit in altaribus idolorum* — nempe ut contactu cadaverum altaria contaminarentur. Neque vero solorum jam olim mortuorum ossa cremabat in illis aris Josias, sed et cadavera recens a se hoc nomine occisorum, ut dicitur 4 Reg. 23, v. 20 ubi etiam, ut et c. 22 vide reliqua hujus capitis.

℣. 12. *Scientes organis canere* — q. d. Præerant operibus et operariis non otiosi homines, et qui nulli alteri rei vacarent, qui magnis conducti stipendiis, majori

(1) 4 Reg. 22, vers. 1.

sos usus onera portabant, erant scribæ, et magistri de Levitis janitores.

14. Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Dñi per manum Moysi.

15. Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domo Domini. Et tradidit ei.

16. At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei, dicens: Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur.

17. Argentum, quod repertum est in domo Domini, conflaverunt: datumque est præfectis artificum, et diversa opera fabricantium.

18. Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsente recitasset,

19. Audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua:

20. Et præcepit Helciæ, et Ahicam filio Saphan, et Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, et Asaæ servo regis, dicens:

21. Ite, et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israel et Juda, super universis sermonibus libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine.

22. Abiit ergo Helcias, et hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filii Thecuath, filii Hasra custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: et locuti sunt ei verba, quæ supra narravimus.

23. At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me:

24. Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, et super habitatores ejus, cunctaque maledicta, quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coram rege Juda.

25. Quia dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum, idcirco stillabit furor meus super locum istum, et non extinguetur.

26. Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quoniam audisti verba voluminis,

27. Atque emollitum est cor tuum, et humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, et habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus.

28. Jam enim colligam te ad patres tuos, et infereris in sepulcrum

subinde sunt dominis suis dispendio: sed ipsi Levitæ, qui statis temporibus canebant serviebantque in templo, subcisivis horis per vices invigilabant operi, illudque urgebant et promovebant, magno et operis et templi compendio.

℣. 22. *Custodis vestium* — seu publicarum quarumdam, seu forte regiarum.

℣. 28. *Infereris in sepulcrum tuum in pace* — Atqui Josias in bello, sagitta trajectus obiit. Respondeo, non hic agi de pace privata et propria regi Josiæ, qui non pacifica sed violenta morte decessit, sed de publica regni pace et prosperitate, quæ tum quoque vigebat, quando rex Josias extra regni sui septa profectus est cum copiis suis obviam Pharaoni regi Ægyptio, et sagitta læsus fuit. Sed defuncto Josia, et regia pompa sepulto, statim potentissimorum regum armis turbari regnum cœpit, et omnes miseriæ calamitatesque, quarum hic mentio, in Judæos irruerunt. Patet hæc expositio ex immediate sequentibus verbis, quibus *pacem* hanc exponit per immunitatem ab iis malis, quæ inducturus erat Deus in Judæam quæ mala non nisi post mortem Josiæ, ut jam dixi, inducta fuerunt.

tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus. [1] Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat.

29. At ille convocatis universis majoribus natu Juda et Jerusalem,

30. Ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda et habitatores Jerusalem, sacerdotes et Levitæ, et cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis:

31. Et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, et custodiret præcepta, et testimonia, et justificationes ejus, in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat.

32. Adjuravit quoque super hoc omnes qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin: et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum.

33. Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel: et fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Dño Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

(1) 4 Reg. 23, vers. 1.

CAPUT XXXV.

Maxima solemnitate celebrat Phase Josias: regem Ægypti bello lacessit infelici successu: nam ictus sagittis interit, maximo suorum luctu, et cum primis Jeremiæ prophetæ.

1. Fecit autem Josias [1] in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi:

2. Et constituit sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut ministrarent in domo Domini.

3. Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel, nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro, et populo ejus Israel.

4. Et præparate vos per domos et cognationes vestras, in divisionibus singulorum, sicut præcepit David rex Israel, et descripsit Salomon filius ejus.

5. Et ministrate in sanctuario per familias turmasque Leviticas,

6. Et sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, ut possint juxta verba quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate.

7. Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos et hœdos de gregibus, et reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria

℣. 3. *Ponite arcam in sanctuario* — Hæc enim tempore vel Manasse, vel Amon submota fuerat e templo, ne simul cum idolis esset. Traduntque Hebræi, teste S. Hieronymo [2], illam in domo *Sellum* avunculi Jeremiæ, et mariti *Oldæ prophetidis*, cap. præc., v. 22 tantisper depositam fuisse, sed nunc a Josia jussam templo restitui per sacerdotes et Levitas. Quibus perfunctis eo officio rex ait: *Nequaquam eam ultra portabitis*, seu e templo efferetis: quare liberi ab illo onere et cura, totos vos impendite ministerio sacrificiorum et instructioni populi.

(1) 4 Reg. 23, vers. 21. (2) Supra.

millia; hæc de regis universa substantia.

8. Duces quoque ejus, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quam sacerdotibus et Levitis. Porro Helcias, et Zacharias, et Jahiel, principes domus Domini, dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, et boves trecentos.

9. Chonenias autem, et Semeias, etiam Nathanael, fratres ejus, necnon Hasabias, et Jehiel, et Jozabad, principes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, et boves quingentos.

10. Præparatumque est ministerium, et steterunt sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis, juxta regis imperium.

11. Et immolatum est Phase: asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum:

12. Et separaverunt ea ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter.

13. Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est: pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, et cacabis, et ollis, et festinato distribuerunt universæ plebi:

14. Sibi autem, et sacerdotibus postea paraverunt: nam in oblatione holocaustorum et adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: unde Levitæ sibi, et sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis.

15. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, et Asaph, et Heman, et Idithun, prophetarum regis: janitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent a ministerio: quam ob rem et fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.

16. Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, et offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ.

17. Feceruntque filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, et solemnitatem azymorum septem diebus.

18. Non fuit Phase simile huic in Israel a diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, sacerdotibus, et Levitis, et omni Judæ, et Israel qui repertus fuerat, et habitantibus in Jerusalem.

19. Octavodecimo anno regni Josiæ hoc Phase celebratum est.

20. [1] Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis juxta Euphraten: et processit in occursum ejus Josias.

21. At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi et tibi est rex Juda? non adversum te hodie venio, sed

℣. 11. *Asperserunt sacerdotes sanguinem* in altari, ut moris erat, *et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum* — Sicque præparabant hostias, ut a sacerdotibus tantum demembrandæ essent et ignibus immittendæ. Et

℣. 12. *Separaverunt ea* (holocausta), *ut* integre *offerrentur* et cremarentur *Domino*, a reliquis hostiis, quæ *dandæ* erant *singulis* offerentium, *per domos et familias* — Postquam enim secrevissent ex omni numero tot quot opus erat ad holocausta, reliqua pecora dederunt populo, ut inde immolarent Phase, et convivia celebrarent.

℣. 15. *Prophetæ regis*, hebraice, *Videntes regis*, vocantur tam ii per quos rex consueverat consulere Deum, quam ii qui coram rege canere in templo solerent: ita fere S. Hieronymus.

℣. 21. *Contra aliam pugno domum* (nempe *contra regem Assyriorum*, ut dicitur 4 Regum 23, v. 29, *ad quam me*

(1) 4 Reg. 23, vers. 29.

contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.

22. Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei: [1] verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo.

23. Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum.

24. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, et sepultus in mausoleo patrum suorum: et universus Juda et Jerusalem luxerunt eum:

25. Jeremias maxime: cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant; et quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in lamentationibus.

26. Reliqua autem sermonum Josiæ et misericordiarum ejus, quæ lege præcepta sunt Domini:

27. Opera quoque illius prima et novissima, scripta sunt in Libro regum Juda et Israël.

Deus festinato ire præcepit — S. Hieronymus putat, Jeremiam prophetam sic faciendum monuisse, simulque Josiam ne resisteret Ægypto deterruisse. Quod cum Ægyptio innotuisset, repetit hic et inculcat Josiæ, sed frustra.

Reliqua hujus cap. vide 4 Reg. 23.

℣. 25. *Quasi lex obtinuit in Israel* — Id est, in stabilem consuetudinem, immo quasi in legem abiit, ut *omnes cantores et cantatrices*, quoties lugubri carmine volunt adversum casum aliquem lugere, utantur verbis ejus næniæ seu lamentationis quam Jeremias in morte Josiæ composuit. Quam si nosse vis qualis sit, *ecce scriptum fertur*, seu scripto extat, *in Lamentationibus* Jeremiæ, quarum postrema pars tota est de morte Josiæ.

(1) Zach. 12, vers. 11.

CAPUT XXXVI.

Ex tribus Josiæ filiis, primus Joachaz, a rege Nechao in Ægyptum, secundus Joakim cum filio suo Joachin, et tertius Sedecias a Nabuchodonosor rege in Babyloniam captivi abducuntur, cum omnibus alicujus notæ Judæis. Urbs et templum Jerosolymitanum flammis evertitur. Judæa deserta manet usque ad annum primum Cyri primi monarchæ Persarum.

1. Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, [1] et constituit regem pro patre suo in Jerusalem.

2. Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem.

3. Amovit autem eum rex Ægypti cum venisset in Jerusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri.

4. Constituitque pro eo regem, [2] Eliakim fratrem ejus, super Judam et Jerusalem: et vertit nomen ejus Joakim: ipsum vero Joachaz tulit secum, et abduxit in Ægyptum.

5. Viginti quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo.

6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, et vinctum catenis duxit in Babylonem.

℣. 6. *Nabuchodonosor rex Chaldæorum* Joakimum *vinctum catenis duxit in Babylonem* — sed mox remisit Jerosolymam in regnum suum: ut colligitur

(1) 4 Reg. 23, vers. 30.

(2) Matth. 1, vers. 11.

7. Ad quam et vasa Dñi transtulit, et posuit ea in templo suo.

8. Reliqua autem verborum Joakim, et abominationum ejus, quas operatus est, et quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro regum Juda et Israel. Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo.

9. Octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini.

10. Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. [1] Regem vero constituit Sedeciam patruum ejus super Judam et Jerusalem.

11. Viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem.

12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini.

13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum: et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel.

14. Sed et universi principes sacerdotum, et populus, prævaricati sunt inique juxta universas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Jerusalem.

15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, et quotidie commonens: eo quod parceret populo et habitaculo suo.

16. At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, et esset nulla curatio.

17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis, et virginis, et senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus.

18. [2] Universaque vasa domus Domini, tam majora, quam minora, et thesauros templi, et regis, et principum, transtulit in Babylonem.

ex 4 Regum 24, ubi et de infami ejusdem morte ac sepultura: itemque de *Joachini* filii ejus successione, et in Babylonem translatione pluribus egi.

℣. 9. *Octo annorum erat cum regnare cœpisset* — una cum patre suo: sed jam eo defuncto, cum solus regnare cœpit, erat octodecim annorum, ut habetur 4 Regum 24 vers. 8, ita Hebræi. Solus autem non regnavit nisi tribus mensibus, et decem diebus. Unde quod sequitur, abductum fuisse in Babylonem,

℣. 10. *Cum anni circulus volveretur* — intelligendum est, non ex quo regnare cœpit Joachin (neque enim tamdiu regnavit): sed ex quo annus Judaicus de more inchoatus fuerat, puta a mense Nisan. Ut idem sit, atque sub finem ejusdem anni, cum duodecimus finiretur mensis anni, et quartus inchoaretur mensis regni Joachin.

(1) 4 Reg. 24, vers. 17; Jerem. 37, vers. 1.

℣. 13. Nabuchodonosor *adjuraverat* Sedeciam *per Deum* — nempe ut fidelis esset regi Babylonio, comminatus illi, si secus faxit, iram non suam modo, sed et justi vindicis Dei. In cujus etiam rei memoriam nomen illi novum indiderat *Sedeciæ*, quod significat *justitiam Dei*; ut dixi 4 Regum 24 vers. 17.

℣. 15. Porro *de nocte consurgens*, hebraice *manicando*, id est, mature, tempestive ac diligenter, instar solliciti patrisfamilias commonebat suos Deus, *eo quod parceret populo* — id est parcere vellet et extreme optaret. Sed

℣. 16. *Nulla erat curatio* — seu remedium, q. d. Frustra erat omnis cura et labor: nec ulla remanebat spes melioris vitæ. Unde mox subsecutæ pœnæ, de quibus 4 Regum ultimo et abducti omnes in Babylonem, vel vita privati.

(2) 4 Reg. 25, vv. 14, 15.

19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, et quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt.

20. Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi et filiis ejus, donec imperaret rex Persarum,

21. Et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, et celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni.

22. [1] Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dñus spiritum Cyri regis Persarum: qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens:

23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa: quis ex vobis est in omni populo ejus? sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.

℣. 21. *Donec celebraret terra sabbata sua* — id est, quiesceret seu feriaretur ab aratione, sulcatione et messione.

Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum — id est, quievit jam dicto modo: quia desolata et inculta ut plurimum jacuit. Notant Hebræi; noluisse non raro Judæos sabbatum ex præscripto legis sanctificare seu observare: atque ideo justo Dei judicio in pœnam ejusce rei passos esse, ut terra toto captivitatis illorum tempore sabbatizaret, non reperto qui colere aut vellet aut posset. Quando cœperint septuaginta captivitatis et desolationis anni, et quando finierint, dixi in Chronico [2]. Cetera hujus cap. vide initio seq. libri 1 Esdræ, nam ultimi versus hujus cap. quibus hic liber clauditur, initio illius libri ad verbum repetuntur: argumento, unum eumdemque Esdram utriusque libri auctorem seu collectorem esse.

(1) 1 Esdr. 1, vers. 1, et 6, vers. 3; Jerem. 25, vers. 12, et 29, vers. 10.

(2) Cap. 35.

LIBER I. ESDRÆ

Esdras filius fuit (1) Saraiæ summi pontificis, a Nabuchodonosore capite plexi, 4 Regum ultimo, vers. 21, frater (2) Josedeci, et cum eo translatus in Babylonem. Narrat hoc libro, completis jam septuaginta captivitatis annis, indulto Cyri primi Persarum monarchæ reductos Judæos Jerosolymam, quam una cum templo cœperunt instaurare; sed præpediti adversariorum calumniis coacti sunt supersedere. Et hæc summa est totius libri.

CAPUT I.

Cyrus Persarum monarcha verum Deum Israelis agnoscit: Judæis reditum in patriam concedit: præfectis suarum provinciarum mandat, ut Judæos in urbe et templo Jerosolymitano instaurandis liberaliter juvent: sacra vasa 5400 a Nabuchodonosore e templo sublata restituit. Quibus instructi principes tribuum Juda et Benjamin cum Levitis remigrant in Judæam.

1. In anno primo Cyri regis Persarum, [3] ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens:

2. Hæc dicit Cyrus rex Persarum:

℣. 1. *Anno primo Cyri* — non quo cœpit in Perside regnare, sed quo in Babylone. Neque enim prius potuit Judæos Babylone captivos dimittere liberos, quam ipse Babylone dominaretur: nempe, quando superato et occiso Baltassare rege Babylonis et ultimo Chaldæorum monarcha, Dario quoque Medo socero suo, et imperii consorte, jam e vivis sublato, Cyrus monarchiam totius Orientis solus administravit. Erat is annus regni Persici ipsius vigesimus septimus. Monarcha vero factus, non nisi triennio in vivis permansit, ut passim Hebræi [4] affirmant et Josephus [5], et colligitur ex 3 Esdræ 5, vers. ult. Vide de his nostrum Chronicon [6], [7].

Suscitavit Dominus spiritum, id est cor seu voluntatem *Cyri regis; et traduxit* Cyrus *vocem* præconis *in omni regno suo, etiam per scripturam* — seu litteras quaquaversum missas. Quibus primo, accepta fert *Deo cæli omnia* recens parta *regna.* Secundo, dicit, eumdem Deum sibi præcepisse ut templum Jerosolymitanum instauraret. Tertio, jubet id instaurari, omnesque tum Judæos, tum alios subditos suos ad id excitat et hortatur.

Petes, Unde hæc regi Gentili tam pia mens? Respondet Josephus et Theodoretus [8], quia, suggerente vel Esdra, vel potius Daniele, ut ante Dario, sic nunc etiam Cyro perfamiliari, immo conviva, di-

(1) 1 Esdr. 7, vers. 1. (2) 1 Par. 6, vers. 14. (3) 2 Par. 36, vers. 22; Jerem. 25, vers. 12, et 29, vers. 10.
(4) In Seder-Olam.
(5) Lib. 11 Ant., cap. 3.
(6) Cap. 36 et 37.
(7) Et AA. citatos ab Abbate Artigny tom. 1 *Nov. Monum.*, p. 179 seqq., qui varias de Cyro, ejusque Historicis veteribus eruditorum hominum opiniones fuse persequitur.
(8) Joseph. sup., c. 1; Theod. in Dan. 1 et ult.

Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa.

3. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, et ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerusalem.

4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo, argento et auro, et substantia, et pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem.

5. Et surrexerunt principes patrum de Juda et Benjamin, et sacerdotes, et Levitæ, et omnis cujus Deus suscitavit spiritum, ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Jerusalem.

6. Universique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vasis argenteis et aureis, in substantia et jumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerant.

7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, et posuerat ea in templo dei sui.

8. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, et annumeravit ea Sassabasar principi Juda.

9. Et hic est numerus eorum :

dicerat, a Deo Judæorum, per Isaiam prophetam jam ante centum et viginti annos, sibi, etiam proprio nomine *Cyri* expresso, addictum prædictumque Orientis imperium, Isaiæ 44 in fine et 45 initio capitis. Ubi etiam templum et urbem Jerosolymitanam ab eo instaurandam dicit. Quod cum sine evidenti miraculo prædici tanto tempore non possit, facile advertit *Cyrus*, non posse quoque non verum Deum esse a quo id promanasset. Unde et gratum se illi præstare, et cultores illius insignibus beneficiis prosequi voluit.

℣. 4. *Et omnes reliqui*, non Judæi solum, qui in Chaldæa permanebant: sed et alii quoque præfecti provinciarum regiarum, ut colligitur ex v. 6 sequenti, et c. 3, v. 7, quos Josephus [1] *amicos regios* vocat, jubentur edicto regio ad instaurandum templum, quidquid commode possent, conferre: et *excepto*, seu præter id *quod voluntarie offerunt templo Dei*, id est præter donaria spontanea in holocausta vel alias hostias, quæ quisque pro placito subministrabat: videtur saltem aliquo modo taxatum fuisse a Cyro, quantum quisque de suo, et etiam de ærario regio in instauranda ædificia conferre deberet: ut fecit etiam postea Darius et Artaxerxes successores Cyri. Immo Cyrum voluisse totum templum suis unius sumptibus exædificari, patet ex c. 6, 4.

℣. 8. *Vasa templi per manum Mithridatis Gazabar* — id est Thesaurarii. Sic enim legendum (omissa vocula *filii*), patet ex textu Hebræo, et Græco, tum hic, tum in aliis [2] Scripturæ locis, ubi idem verbum Hebræum *Gazabar*, non ut proprium nomen, sed ut appellativum, pro thesaurario usurpatur. Porro *vasa* hæc *annumeravit* rex Cyrus *principi Juda Sassabasar*, id est Zorobabeli, nepoti Jechoniæ regis Juda nuper e Babylonico carcere per Baltassarem educti [3], et nunc (quia nulla illius exinceps mentio) verisimiliter defuncti. Neque enim alius hoc tempore *princeps* erat *Judæ* præter *Zorobabelem*, ut colligitur ex cap. seq., v. 2, et c. 3, v. 8 collato cum c. 5, v. 16, ubi fundatio templi nunc *Zorobabeli*, nunc *Sassabasari* adscribitur: ita Josephus, Lyranus, Dionysius, Vatablus, Sa, Mariana, Torniellus et Salianus. Familiare autem fuisse Chaldæis mutare nomina, et uni plura indere nomina, tum aliunde, tum ex Danielis 1 manifestum est. Cum ergo nepoti regis captivi nomen a tristi parente inditum esset *Zorobabel*, quod *peregrinum in Babylone* significat; ut primum e tristi carcere contigit regem cum omni familia educi, et mensæ regiæ adhiberi, mutarunt adolescentis nomen in *Sassabasar, quod gaudentem in tribulatione* designat: ita fere Eusebius [4].

(1) Supra.
(2) 1 Esdr. 7, vers. 21, et 3 Esdr. 2 vers. 1, etc.
(3) 4 Reg. ult., vers. 27.
(4) Lib. 11 de Præpar. Evang., cap. 3 et 4.

Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti novem, scyphi aurei triginta,

10. Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille.

11. Omnia vasa aurea et argentea, quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.

℣. 10. *Scyphi secundi* — supple ordinis et generis. Nam primi et præcipui erant *aurei*: secundi *argentei*.

CAPUT II.

Numerus et nomina revertentium cum Zorobabel e Babylone in Judæam. Item munera et donaria in instaurationem templi oblata.

1. Hi sunt autem provinciæ filii, [1] qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, et reversi sunt in Jerusalem et Judam, unusquisque in civitatem suam.

2. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israel:

3. Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo.

4. Filii Sephatia, trecenti septuaginta duo.

5. Filii Area, septingenti septuaginta quinque.

6. Filii Phahath Moab, filiorum Josue: Joab duo millia octingenti duodecim.

7. Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor.

8. Filii Zethua, nongenti quadraginta quinque.

9. Filii Zachai, septingenti sexaginta.

10. Filii Bani, sexcenti quadraginta duo.

11. Filii Bebai, sexcenti viginti tres.

12. Filii Azgad, mille ducenti viginti duo.

13. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta sex.

14. Filii Beguai, duo millia quinquaginta sex.

15. Filii Adin, quadringenti quinquaginta quatuor.

16. Filii Ather, qui erant ex Ezechia nonaginta octo.

17. Filii Besai, trecenti viginti tres.

18. Filii Jora, centum duodecim.

19. Filii Hasum, ducenti viginti tres.

℣. 1. *Provinciæ*, nempe *Judææ*, jam in provinciam Chaldæorum, et Persarum redactæ, *filii*, sunt incolæ inde oriundi. Nota, Hebræos, etsi in patriam remitterentur, non tamen ita factos sui juris, quin servi manerent et tributarii Persarum, ut colligitur ex cap. 4, v. 13, et diserte affirmatur 2 Esdræ 9, v. 36. Unde nec *duces* habebant in Judæa, nisi ex voluntate regis, qui primo *Zorobabelem* constituit 1 Esdræ 5, v. 14, dein *Esdram et Nehemiam*, etc. 1 Esdræ 7, v. 14, et 2 Esdræ 5, v. 14.

℣. 2. *Mardochai* — An hic patruus *Esther*? ita sane potuit. Et, sicut de *Nehemia* dicam v. 36, forsan ad recuperandas possessiones paternas, hac tam commoda occasione excurrit in Judæam rediturus post paullo in *Chaldæam*, ubi sedem figere decreverat.

℣. 6. *Filii Phahath* (id est ducis) cognominati *Moab*, forsan a victoria inde relata, vel exilio ibi acto. Item *filii Josue*, et filii *Joab*, posteri duorum insignium ducum. Hi tres ordines simul confecerunt numerum 2812.

(1) 2 Esdr. 7, vers. 6.

20. Filii Gebbar, nonaginta quinque.

21. Filii Bethlehem, centum viginti tres.

22. Viri Netupha, quinquaginta sex.

23. Viri Anathoth, centum viginti octo.

24. Filii Azmaveth, quadraginta duo.

25. Filii Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres.

26. Filii Rama et Gabaa, sexcenti viginti unus.

27. Viri Machmas, centum viginti duo.

28. Viri Bethel et Hai, ducenti viginti tres.

29. Filii Nebo, quinquaginta duo.

30. Filii Megbis, centum quinquaginta sex.

31. Filii Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor.

32. Filii Harim, trecenti viginti.

33. Filii Lod Hadid, et Ono, septingenti viginti quinque.

34. Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque.

35. Filii Senaa, tria millia sexcenti triginta.

36. Sacerdotes: Filii Jadaia in domo Josue nongenti septuaginta tres.

37. Filii Emmer, mille quinquaginta duo.

38. Filii Pheshur, mille ducenti quadraginta septem.

39. Filii Harim, mille decem et septem.

40. Levitæ: Filii Josue et Cedmihel filiorum Odoviæ, septuaginta quatuor,

41. Cantores: Filii Asaph, centum viginti octo.

42. Filii janitorum: filii Sellum: filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatitha filii Sobai, universi centum triginta novem.

43. Nathinæi: filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth,

44. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon,

45. Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub,

46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan,

47. Filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia,

48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam,

49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besee,

50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim,

51. Filii Bacbuc, filii Acupha, filii Harhur,

52. Filii Besluth, filii Mahida, filii Harsa,

53. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema,

54. Filii Nasia, filii Hatipha,

℣. 21. *Filii Bethlehem* — Id est cives, vel e civibus ejus urbis oriundi. Cum enim hactenus per familias distinxerit capita: deinceps per urbes distinguit, usque ad v. 31, forsan quia familiæ erant ignotæ.

℣. 31. *Filii Ælam alterius* ab illo de quo supra v. 7. Sed quis non miretur, utriusque *Ælami* posterorum parem prorsus esse numerum? nempe 1254.

℣. 36. *Sacerdotes* — Hactenus e tribu Juda et Benjaminia oriundos recensuit: jam ad *sacerdotes* transit: et vers. 40 ad *Levitas:* vers. 43 ad publicos *servos* templi.

℣. 43. *Nathinæi* — Hi erant Gabaonitæ, qui quod populo imposuissent, publicis templi ministeriis a Josue, cap. 9, addicti sunt, ut lignatores essent et aquatores. Inde nomen illis *Nathinæi*, id est, *donati*, scilicet Levitis et templo in servos. Sicut autem *Josue* illos donavit, sic *David* quoque rex alios plures in eumdem usum bello verisimiliter captos, templo donavit, ut patet ex c. 8 infra v. 20. Itemque *Salomon* alios, qui hic v. 58 vocantur *filii servorum Salomonis*, qui ex proselytis erant, et eos Salomon addixerat structuræ templi, 1 Paralip. 22, et 2 Paralip. 2, v. 17. Porro

55. Filii servorum Salomonis, filii Sotai, filii Sopheret, filii Pharuda,

56. Filii Jala, filii Dercon, filii Geddel,

57. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erant de Asebaim, filii Ami;

58. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.

59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, et Adon, et Emer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum utrum ex Israel essent.

60. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquaginta duo.

61. Et de filiis sacerdotum: Filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, uxorem, et vocatus est nomine eorum:

62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, et non invenerunt, et ejecti sunt de sacerdotio.

63. [1] Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.

64. Omnis multitudo quasi unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta:

65. Exceptis servis eorum, et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem: et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.

66. Equi eorum septingenti triginta sex, muli eorum, ducenti quadraginta quinque,

67. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti.

68. Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum Dñi, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo.

69. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia et mille, argenti mnas quinque millia, et vestes sacerdotales centum.

70. Habitaverunt ergo sacerdotes, et Levitæ, et de populo, et cantores, et janitores, et Nathinæi, in urbibus suis, universusque Israel in civitatibus suis.

℣. 59. *Thelmala, Cherub,* etc. nomina sunt urbium Chaldææ, unde plures emigrarunt in Judæam, qui tamen probare non potuerunt originem suam ex Judæis. Sicut nec de *sacerdotibus.*

℣. 61. *Filii Accos* — qui quod accepisset *de filiabus Berzellai* sacerdotis uxorem, *nomen* gerebat *filii Berzellai:* sed publicis tabulis probare non potuit, se de recta sacerdotum linea processisse: unde filii ejus ad sacerdotalia munia admissi non sunt: immo et a *sancto* cibo *sanctorum,* seu sanctificatorum ministrorum templi, id est a sacrificiis et panibus Deo [2] sacris, tantisper rejecti, *donec,* v. 63, *surgeret sacerdos doctus atque peritus,* qui nomine Dei pronuntiaret, quid illis facto opus. Hebraice est, *donec staret sacerdos cum Urim et Thummim,* id est donec esset qui ex *rationali* responsum consultus redderet. In *rationali* enim pontificis erant insculpta *Urim et Thummim,* quæ quid essent, dixi Exodi 28, v. 30. Sed illud jam ad manum non erat: et verisimiliter ab *Jeremia* simul cum *arca* fœderis et *tabernaculo* absconditum erat in monte *Nebo,* sed loco omnibus ignoto, 2 Mach. 2, vers. 4 et sequentibus.

℣. 63. *Athersatha,* chaldaice vocabatur *Nehemias,* ut dicitur 2 Esdræ 8, vers. 9, forsan a Chaldæo *thersa,* id est aluit: et *satha,* id est bibit, seu potavit, q. d. *Aluit potu,* seu *pincerna* erat *regis.* Nam hic Nehemias, licet publici boni causa nunc in Judæam excurrerit, tamen rediit postea in Persidem, ubi officio *pincernæ* functus est, ut de se ait ipse 2 Esdræ 1, vers. ult.

(1) 2 Esdr. 7, vers. 65.

(2) Levit. 2, vers. 2 et 20, et alibi.

CAPUT III.

Convocato populo in Jerusalem, extruitur altare holocaustorum: in eo victimæ offeruntur: celebratur festum tabernaculorum: et templi fundamenta instaurantur.

1. Jamque venerat mensis septimus, et erant filii Israel in civitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem.

2. Et surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes, et Zorobabel filius Salathiel, et fratres ejus, et ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.

3. Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, et obtulerunt super illud holocaustum Domino mane et vespere:

4. Feceruntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, et holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum opus diei in die suo.

5. Et post hæc holocaustum juge, tam in calendis quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, et in omnibus, in quibus ultro offerebatur munus Dño.

6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat.

7. Dederunt autem pecunias latomis et cæmentariis: cibum quoque, et potum, et oleum, Sidoniis Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis.

8. Anno autem secundo adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et reliqui de fratribus eorum sacerdotes, et Levitæ, et omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, et constituerunt Levitas, a viginti annis et supra, ut urgerent opus Domini.

9. Stetitque Josue et filii ejus, et fratres ejus, Cedmihel, et filii ejus, et filii Juda, quasi vir unus, ut instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, et filii eorum, et fratres eorum Levitæ.

10. Fundato igitur a cæmentariis

℣. 1. *Mensis septimus* est *Tisri*, cujus die 15 celebrandum erat *festum tabernaculorum*, ut jam celebrasse reduces e Babylone Judæos dicitur hic v. 4 *secundum præceptum* a Domino *opus diei in die suo*, id est, tot quotidie, tota octava *Scenopegiæ;* victimas obtulerunt, quot, et quo ritu præceptum erat Numer. 29. Hinc videmur posse colligere, Judæos Babylone egressos sub veris initium mense Martio, et in iter impendisse circiter quatuor menses: tum enim supererant illis adhuc duo menses, quibus et altare erigere, et ad septimi mensis celebritatem omnia parare possent.

℣. 5. *Holocaustum juge* quale sit, vide Numeror. 28, v. 3 etc.

℣. 7. *Ad mare Joppe* — Pro *ad portum Joppis*, qui Jerosolymæ vicinus, et etiamnum totius Palæstinæ celeberrimus est.

℣. 8. *Zorobabel filius Salathiel*, filii Jechoniæ regis Juda, de quo egi cap. 1, v. 8. Hic erat supremus princeps politicus: Ecclesiasticus summus erat *Josue*, alias *Jesus*, filius *Josedec*, filii *Saraiæ* summi pontificis occisi a Nabuchodonosore, 4 Regum ult. Eratque et ipse hic *Josue* summus jam pontifex in Judæa, nepos *Esdræ* ex fratre, ut dixi in summario hujus libri.

℣. 10. *Laudarent Deum per manus David* — id est, per opera David, puta *psalmos* a Davide compositos, et instrumenta musica ab eodem rege concinnata.

templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, et Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel.

11. Et concinebant in hymnis, et confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset templum Dñi.

12. Plurimi etiam de sacerdotibus et Levitis, et principes patrum, et seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: et multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem.

13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, et vox audiebatur procul.

℣. 11. *Eo quod fundatum esset* — Id est, fundamenta instaurata essent templi. Nam superstructio impedita fuit, ut videbimus capite sequenti.

℣. 12. *Flebant voce magna* — propterea quod initia hujus ædificii non responderent pristinæ amplitudini et majestati prioris templi. Flebant quoque vestigia calamitatum præteritarum quæ se undique in oculos ingerebant. Lætabantur nihilo minus de tam felici rerum mutatione: de propensa tanti monarchæ erga se voluntate et beneficentia: de templo Domini jam quasi reviviscente: et, quod caput est, de divino Numine sibi reconciliato. Itaque tot animi motus maximum excitabant populi clamorem, gemitu, lacrymis, lætitia et jubilo confusum. Verum lætitia hæc non admodum diuturna fuit.

CAPUT IV.

Samaritani inducunt præfectos regios, ut impediant instaurationem templi et urbis Jerosolymitanæ. Qui obtento a Cambyse Cyri successore rescripto regio, illam jubent intermitti.

1. Audierunt autem hostes Judæ et Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel:

2. Et accedentes ad Zorobabel, et ad principes patrum, dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.

3. Et dixit eis Zorobabel, et Josue, et reliqui principes patrum Israel: Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

℣. 1. *Hostes Judæ* — Hi sunt Samaritani, ut constat ex vers. 2 et 10. De quibus egi 4 Regum 17, v. 24.

Filii captivitatis, Judæi vocantur, quia olim captivi, et recens e captivitate reduces.

℣. 2. *Asor Haddan*, filius est *Sennacherib* regis Assur, ut dicitur 4 Reg. 19, v. ult. Respondet Esdras Samaritanis:

℣. 3. *Non est vobis et nobis* — supple, quidquam commune in hac fabrica.

Petes, Cur noluerunt Judæi juvari a Samaritanis? Respondeo, Verebantur, ne quid forsan illi, ut jurati hostes, admiscerent seu doli, seu damni: item, ne postea vel sibi templum quasi a se constructum vindicarent, vel eo sacrificulos suos et idola introducerent. Vel saltem jactarent, Samaritanorum operis et impensis assurrexisse templum Judæorum. Quo sane facto suo Judæi Christianos docent vitare commercium cum hæreticis in omni re quæ religionem vel cultum Dei concernit.

4. Factum est igitur, ut populus terræ impediret manus populi Judæ, et turbaret eos in ædificando.

5. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, et usque ad regnum Darii regis Persarum.

6. In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ et Jerusalem.

7. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, et Thabeel, et reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat syriace, et legebatur sermone syro.

8. Reum Beelteem, et Samsai scriba, scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerxi regi, hujuscemodi:

9. Reum Beelteem, et Samsai scriba, et reliqui consiliatores eorum, Dinei, et Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi, et Ælamitæ,

10. Et ceteri de gentibus quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus, et habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, et in reliquis regionibus trans flumen in pace:

11. (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) [1] Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans fluvium, salutem dicunt.

12. Notum sit regi, quia Judæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant, extruentes muros ejus, et parietes componentes.

13. Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, et muri ejus instaurati, tributum,

℣. 4. *Factum est igitur*, cum non succederet simulationis artificium, *ut populus terræ* — id est Samaritani, aliam tentarent viam, qua instaurationem templi de facto præpediverunt: nempe

℣. 5. *Conduxerunt* pretio et muneribus *consiliatores* — id est præfectos regios, de quibus vers. 7 et sequentibus: nempe præsides provinciarum et quæstores, ut non nisi tarde et maligne sumptus subministrarent: atque ita variis fraudibus quamdiu Cyrus, quem sciebant operi favere, in vivis esset, remorati sunt fabricam. Ubi vero mortuum acceperunt, aperto marte sese Judæis opposuerunt, cum datis ad Cambysen Cyri filium et successorem accusatoriis litteris, ab eo rescriptum extorserunt, quo Judæi ab omni fabrica supersedere juberentur [2].

℣. 6. *Assuerus* chaldaice, *Artaxerxes* persice, vocabatur *Cambyses*, eratque commune omnium regum istarum gentium nomen, sicut Ægyptiis *Pharao*, et Romanis Imperatoribus *Cæsar et Augustus* [3]. Id colligo tum ex hoc cap. Esdræ, tum ex cap. 1 Esther, v. 1, collato cum cap. 13, v. 1, et cap. 16, v. 1. Facile vero fuit, extorquere a Cambyse inhibitionem fabricæ, quia is non amabat Judæos. Sed cur, vivente adhuc Cyro, non recurrerunt ad ipsum Judæi, quem scirent ei operi extreme faventem esse? Respondet Josephus, Cyrum tum temporis urbe regia et domo abfuisse, belloque partim contra Lydos, qui jam secundo rebellabant, partim contra Massagetas et Scythas, ubi et periit, occupatum perpetuo fuisse.

℣. 8. *Beelteem* — Interpres Latinus et LXX putant nomen esse proprium. Alii dicunt *Beel* Chaldaicum, vel Hebræum *Baal*, significare dominum, præfectum, vel præsidem: *teem*, vel *taam*, concilium. Unde volunt eo nomine designari *præsidem concilii*, seu cancellarium, cujus erat, ad regem omnia referre: ita Josephus.

℣. 10. *Asenaphar* est *Assar-Addon*, de quo v. 2, vel *Sennacherib*, aut alius ex parentibus illius.

℣. 13. *Si muri civitatis* (Jerusalem) quam Judæi ædificant, *instaurati fuerint, tributum et vectigal, et annuos re-*

(1) " Vers. 11. *Artaxerxi regi.* Chal. hoc jungitur cum superioribus, ut accentus indicat, et est in accusativo sic, *quam miserunt ad eum*, ad Artaxerxem regem. "

(2) Chron. cap. 37.

(3) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 19.

et vectigal, et annuos reditus non dabunt, et usque ad reges hæc noxa perveniet.

14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus et nuntiavimus regi,

15. Ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et invenies scriptum in commentariis: et scies quoniam urbs illa, urbs rebellis est, et nocens regibus et provinciis, et bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem et civitas ipsa destructa est.

16. Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, et muri ipsius instaurati, possessionem trans fluvium non habebis.

17. Verbum misit rex ad Reum Beelteem, et Samsai scribam, et ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, et ceteris trans fluvium, salutem dicens et pacem.

18. Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me,

19. Et a me præceptum est: et recensuerunt, inveneruntque quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, et seditiones, et prælia concitantur in ea:

20. Nam et reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui et dominati sunt omni regioni, quæ trans fluvium est: tributum quoque et vectigal, et reditus accipiebant.

21. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec si forte a me jussum fuerit.

22. Videte ne negligenter hoc impleatis, et paulatim crescat malum contra reges.

23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, et Samsai scriba, et consiliariis eorum: et abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, et prohibuerunt eos in brachio et robore.

24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.

ditus non dabunt, et usque ad reges hæc noxa pervenit — Id est, ita regiis proventibus tantumdem decedet. Ex his patet primo, Judæos non modo templum, sed et urbem instaurare cœpisse jam inde a temporibus Cyri. Secundo, non fuisse prorsus liberos et sui juris, sed tributarios et vectigales regibus Persarum, ut dicebam initio cap. 2.

℣. 14. *Memores salis* — Sic *sportulas* vocant quas aulici accipiunt. Et a sale *salarium* est dictum: quæ vox in Plinio et Trebellio frequens.

XXIII.

IN 1. ESDRÆ, IV, 2, 9-10.

Asor haddan, rex Assur, idem est procul dubio ac Asarhaddon, filius et successor Sennacheribi. Is ergo, morem sectatus regibus Assyriorum solemnem, victas gentes translocandi ex aliis in alias Imperii partes, novos incolas, e diversis provinciis collectos et sub ducatu Asenaphari positos, in Samaritiden transtulerat. Quod scilicet, plures ante annos, egerat rex Sargon, qui, uti superius diximus (Adnot. XIV), capta Samaria a. 721, ejusque civibus in captivitatem abductis, istorum loco, gentes e Syria, Chaldæa, Arabia deductas statuerat, quæ fuere *prima* colonia Samariæ; idem deinde præstitit Asarhaddon, intra annos 680-667, quibus regnavit; eaque fuit *secunda* Samariæ colonia, quam perperam aliqui cum prima confuderunt.

Quod vero pertinet ad novos istos colonos; eorum nomina, quæ vers. 9 recitantur, pleraque saltem, obscuritate sua magnum interpretibus negotium hactenus facessere solita, non exiguam lucem ab inscriptionibus cuneiformibus, nuper repertis, accipiunt. Etenim e *novem*

populis, qui heic recensentur: 1° *Dinei* sunt fere indubitanter iidem ac *Dayani* vel *Daya'ini*, qui in illis inscriptionibus perhibentur indigeni vastæ regionis *Nairi*, ad occasum Armeniæ. 2° *Apharsathachæi*, seu Aphar-Satbachæi, uti explicat doctissimus HENRICUS RAWLINSON, sunt tribus quædam *Hafar*, provinciæ *Sittacenes* ad Susianem pertinentis, nomenque habentis ab urbe *Sittace*, quæ Tigri alluitur. 3° *Apharsæi*, vel sunt gens quædam Persica, quæ in inscriptionibus assyriis sæpe occurrit sub nomine *Parsuas*; vel tribus Susianorum, *Hafarti*, quo nomine, in versione medo-scythica inscriptionum cuneiformium regum Achæmenidarum, venit etiam tota Susiane. 4° *Erchuæi* sunt procul dubio coloni ex urbe *Erech* sive *Orchoe* (hodie *Warka*), inferioris Chaldææ, deducti. 5° De *Babyloniis* res est in comperto. 6° De *Susanechæis* pariter constat, eos fuisse habitatores *Susorum*, quæ urbs, Susianes princeps, in inscriptionibus appellatur *Susan*, ejusque cives *Susinak* nominantur. 7° *Dievi*, admodum probabiliter populi sunt *Dayi* Persidos septentrionalis, ab Herodoto Δάοι appellati, quos Sennacherib, bello devictos, imperio Assyriorum se adjunxisse, in suis annalibus, gloriatur. 8° *Ælamitæ* sunt profecto e regno *Ælam* oriundi; quo nomine, apud Assyrios et in Bibliis, regnum integrum *Susianes* intelligitur, at illo etiam designabatur potissime pars illa meridionalis ejusdem regni, quæ a Græcis appellata est *Elymais*. 9° *Terphalæi* soli remanent, de quibus nihil hactenus monumenta cuneiformia nobis prodiderunt. BRUNENGO.

CAPUT V.

Hortatu prophetarum Aggæi et Zachariæ repetunt Judæi instaurationem templi sub Dario rege, qui super eo consulitur a præfectis regiis trans Euphraten, an bona illius venia id permitti possit.

1. Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel.

2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.

3. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai qui erat dux trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii eorum: sicque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis, et muros ejus instauraretis?

4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius.

℣. 1. *Prophetaverunt* — Id est, Deo inspirante hortati sunt populum, ut fabricam templi sub Cambyse intermissam, animose resumerent, et strenue promoverent. Conciones et argumenta quibus ad id usi sunt, exstant in prophetiis eorumdem *Aggæi*, et *Zachariæ filii*, id est nepotis, *Addo*: nam *Zacharias* erat filius *Barachiæ*, filii *Addo*, Zachariæ 1, v. 1. Phrasi enim Hebræa omnes *nepotes*, vocantur *filii*, patet Matthæi 1, v. 1, Judith 8, v. 1 et primis decem capitibus libri 1 Paral. passim.

℣. 4. *Nomina auctorum* ædificationis petebant præfecti regii, ut ea mitterent ad Darium, ut patet ex v. 10. Non ausi fuerunt inhibere progressum operis vi edicti *Cambysis*, quia is jam obierat, et incertum erat qua mente esset ejus successor *Darius*, quem forte inaudierant plusculum favere Judæis. Sed super omnia

5. Oculus autem Dei eorum factus est super senes Judæorum, et non potuerunt inhibere eos. Placuitque ut res ad Darium referretur, et tunc satisfacerent adversus accusationem illam.

6. Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium regem.

7. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario regi pax omnis.

8. Notum sit regi, isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, et ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter extruitur, et crescit in manibus eorum.

9. Interrogavimus ergo senes illos, et ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, et muros hos instauraretis?

10. Sed et nomina eorum quæsivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi: scripsimusque nomina eorum virorum qui sunt principes in eis.

11. Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis dicentes: Nos sumus servi Dei cæli et terræ, et ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque rex Israel magnus ædificaverat, et extruxerat.

12. Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cæli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, et populum ejus transtulit in Babylonem.

13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur.

14. Nam et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, et asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, et data sunt Sassabasar vocabulo, quem et principem constituit,

15. Dixitque ei: Hæc vasa tolle, et vade, et pone ea in templo, quod est in Jerusalem, et domus Dei ædificetur in loco suo.

16. Tunc itaque Sassabasar ille venit et posuit fundamenta templi Dei in Jerusalem et ex eo tempore usque nunc ædificatur, et necdum completum est.

17. Nunc ergo si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege jussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

℣. 5. *oculus Dei* — Id est, divina providentia, favor et auxilium. Accessit denique, quod hi præfecti, utpote necdum a *Samaritanis* conventi vel corrupti, ut illi priores, nullam habuerint peculiarem causam, cur se Judæis hostiliter opponerent. Unde nec in scribendo quidem ad regem nocere voluerunt progressui operis, contenti solam regis mentem inquisivisse.

Nota, hunc *Darium* non fuisse *Nothum* illum, sextum a Cyro regem Persarum, ut voluit Severus Sulpitius et Josephus Scaliger [1]: sed Darium Hystaspis filium, tertium a Cyro; et Cambysis ac Smerdis Magi (qui tantum septimestri præfuit) successorem: ita Eusebius, Josephus, Hieronymus, et alii passim [2]. Vide Chronicon nostrum [3].

℣. 11. *Rex Israel magnus*, est Salomon.

℣. 17. *In bibliotheca* — Græce et chaldaice *in domo thesaurorum*, vel in gaza *regia*. Nempe intelligitur de archivio scripturarum, in quo adservari solent quæ spectant ad opes et proventus et census regios: et authentica exemplaria legum ac decretorum regiorum.

(1) Sever. Sulpit. lib. 2 histor., et Scaliger de Emend. temp.

(2) Euseb. in Chronico; Joseph lib. 11 Antiq., cap. 4; Hieron. in cap. 9 Dan.

(3) Chron., cap. 37.

CAPUT VI.

Juxta decretum Cyri jubet Darius perfici sumptibus regiis templum Jerosolymitanum. Quo perfecto, cum ingenti lætitia, plurimisque victimis dedicatur anno sexto Darii: eademque opera celebratur septiduo solemnitas Paschalis.

1. Tunc Darius rex præcepit : et recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone,

2. Et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius :

3. Anno primo Cyri regis : Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immolent hostias, et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, et latitudinem cubitorum sexaginta,

4. Ordines de lapidibus impolitis tres, et sic ordines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur.

5. Sed et vasa templi Dei aurea et argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, et attulerat ea in Babylonem, reddantur, et referantur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ et posita sunt in templo Dei.

6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, et consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis.

7. Et dimittite fieri templum Dei illud a duce Judæorum, et a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo.

8. Sed et a me præceptum est, quid oporteat fieri a presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.

9. Quod si necesse fuerit, et vitulos, et agnos, et hœdos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, et oleum, secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.

10. Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita regis, et filiorum ejus.

11. A me ergo positum est decretum : Ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, et erigatur, et configatur in eo, domus autem ejus publicetur.

12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, et populum qui extenderit manum suam ut repugnet, et dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo.

13. Igitur Thathanai dux regio-

℣. 2. *Medena* — Hebraice *Madai*, est Media seu Medorum regnum, jam a Persis superatum, et in provinciam redactum.

℣. 3. Per *latitudinem*, ut etiam habent LXX, intelligitur hic intervallum quod est a *frontispicio*, usque ad extremitatem *Sancti sanctorum*, quam nos *longitudinem* templi vocamus : sed cum delineatur idea seu fabricæ figura in chartis, non infrequenter, neque inepte *latitudo* vocari solet.

℣. 5. *In templo* necdum constructo non poterant vasa reponi : sed bene in *thesauris templi*, quibus certa loca designata erant, quæ hic intelliguntur.

nis trans flumen, et Stharbuzanai, et consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt.

14. Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo: et ædificaverunt et construxerunt, jubente Deo Israel, et jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe regibus Persarum:

15. Et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis.

16. Fecerunt autem filii Israel, sacerdotes et Levitæ, et reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio.

17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel.

18. Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in Libro Moysi.

19. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis, Pascha, quartadecima die mensis primi.

20. Purificati enim fuerant sacerdotes et Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis, et fratribus suis sacerdotibus, et sibi.

21. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, et omnes qui se separaverant a coinquinatione gentium terræ ad eos, ut quærerent Dñum Deum Israel.

22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, et converterat cor regis Assur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

℣. 15. *Mensis Adar,* est duodecimus et ultimus mensium anni Hebræorum, respondetque nostro partim Februario, partim Martio.

Petes, quomodo dicatur hic, Judæos *complevisse domum Dei anno sexto regni Darii regis,* cum versu præcedenti dicantur iidem ædificasse non modo *jubente Dario,* sed et *Artaxerxe* Longimano rege Persarum quinto? Respondeo, Sub *Artaxerxe* non templum ædificarunt, sed urbem Jerosolymitanam, sub *Dario* vero compleverunt fabricam templi: et hoc quidem anno regni ejus sexto compleverunt *sanctuarium et Sanctum sanctorum* (quod proprie templum vocatur), sed non nisi ad altitudinem 60 cubitorum, ut hic insinuatur v. 3 cum Salomonis templum fuisset duplo altius, ut dixi 3 Reg. 6. Porro in atriis et porticibus instaurandis alio integro triennio occupati fuerunt: nam, teste Josepho [2], protracta fuit ea fabrica usque ad *annum nonum Darii.*

℣. 20. *Quasi unus* — Id est, unanimi consensu et animorum conspiratione, ad unum omnes.

℣. 21. *Qui se separaverant a coinquinatione Gentium,* erant proselyti.

℣. 22. *Regis Assur* — Sic vocatur hic Persarum monarcha *Darius:* quia *Assyriorum* monarchia olim ut toto orbe celeberrima, sic Judæis notissima erat, a qua toties vexati, ac demum etiam captivi abducti fuerant. Deinde, quia rex Persarum, uti alia Orientis regna, sic et Assyriam olim omnium dominam, nunc suo subjectam habebat imperio: eratque et vocabatur non minus rex *Assyriorum,* quam *Chaldæorum, Medorum,* vel *Persarum:* ut solent potentiores monarchæ varios variorum regnorum, quibus imperant, titulos, nunc hos, nunc illos, nunc simul omnes usurpare.

(1) Num. 3, vers. 6, et 8, vers. 9.

(2) Supra.

CAPUT VII.

Esdras sacerdos et legis doctor mittitur ab Artaxerxe rege Persarum in Judæam, Judæos nomine regis visitaturus, docturus et recturus.

1. Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, filii Azariæ, filii Helciæ,

2. Filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob,

3. Filii Amariæ, filii Azariæ, filii Maraioth,

4. Filii Zarahiæ, filii Ozi, filii Bocci,

5. Filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis ab initio.

6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: et dedit ei rex, secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.

7. Et ascenderunt de filiis Israel, et de filiis sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathinæis, in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis.

8. Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis.

9. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in

℣. 1. *Post hæc verba* — seu gesta, cap. præced., mortuo jam *Dario*, ejusque filio *Xerxe*, et regnum administrante Darii nepote *Artaxerxe*, qui μακρόχειρ, id est *Longimanus*, vocitari consuevit, quod unam haberet altera longiorem manum. Porro *a sexto anno Darii*, quo dedicatum fuit templum, usque *ad annum septimum Artaxerxis Longimani*, quo missus est Esdras in Judæam, v. 8, effluxerunt anni 57, ut videre est in Chronico nostro [1].

Erat tum Babylone *Esdras filius Saraiæ* — auctor et scriptor hujus libri, ut dixi in summario.

℣. 6. *Et ipse scriba velox in lege Moysi* — Id est, legis divinæ peritissimus, et in ea seu scripto, seu viva voce exponenda promptissimus. Id enim officii habebant *Scribæ:* qui apud Judæos idem erant, quod *Philosophi* apud Græcos, *Magi* apud Chaldæos. Sic qui Matthæi 22, v. 35 et Lucæ 10, v. 25 dicitur *legis doctor* et *legis-peritus*, Marci 12, v. 28, *Scriba* vocatur. Præter hoc commune omnibus *Scribis* officium, etiam alio particulari titulo nomen illud per excellentiam debetur *Esdræ*, quod totam S. Scripturam, negligentia sacerdotum, temporibus præteritorum regum Juda multis locis corruptam et collapsam instaurarit, correxerit, in concinniorem ordinem redegerit, aliisque characteribus descripserit, antiquos characteres Samaritanis relinquens, et alios quibus jam descripta sunt Biblia, substituens, ut sic Judæorum animos a Samaritanis longius alienaret. Ita SS. Patres [2]: et Rabbini Hebræorum, qui etiam dicunt, se tradito accepisse, hunc *Esdram* eumdem esse cum *Malachia* propheta. Et idem tenent S. Hieronymus, Rupertus, et quidam alii Patres. Et vero materia quam uterque tractat, eadem pene est: et tempora consonant, inquit Ribera [3]. Sed alia quædam obstant, quo minus id ausim asserere, ut dicam in procemio Malachiæ. Esdram sub hoc tempus fuisse ut minimum centum et trium annorum, videre est ex Chronico supra citato.

Per *manum Domini*, intelligo hic favorem Dei, ejusque potentem operationem, qua faciebat Esdram gratiosum regi Persarum. Idque quia, ut sequitur,

(1) Chron. cap. 37.
(2) SS. Patres cit. a Bell. lib. 2 de Verbo Dei, 1.
(3) In cap. 1 Malach.

primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam super se.

10. Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium.

11. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus et præceptis Domini, et cæremoniis ejus in Israel.

12. Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem.

13. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, et de sacerdotibus ejus, et de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat.

14. A facie enim regis, et septem consiliatorum ejus, missus es, ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua:

15. Et ut feras argentum et aurum, quod rex et consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israel, cujus in Jerusalem tabernaculum est.

16. Et omne argentum et aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, et populus offerre voluerit, et de sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem,

17. Libere accipe, et studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, et sacrificia et libamina eorum, et offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem.

18. Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit, de reliquo argento et auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.

19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalem.

20. Sed et cetera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro et de fisco regis,

21. Et a me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis,

22. Usque ad argenti talenta centum, et usque ad frumenti coros centum, et usque ad vini batos centum, et usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura.

23. Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne forte irascatur contra regnum regis, et filiorum ejus.

24. Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus, et Levitis, et cantoribus, et janitoribus, Nathinæis, et ministris domus Dei hujus, ut vectigal, et tributum, et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.

25. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui

℣. 10. *Præceptum et judicium*, id est legem Domini, investigare, et sollicitus complere satagebat, tum per se, reipsa illam observando, tum alios docendo, et in ea instruendo.

℣. 14. *A facie*, id est jussu et auctoritate, *regis missus es, ut visites Judæam, in lege Dei tui* — Hebraice, *juxta legem Dei tui*, supple, videas, an Judæi illam observent. Et, mittitur Esdras nomine regis Persarum ad visitandam Judæam, utpote provinciam Persis adhuc subjectam et tributariam, ut dixi initio c. 2 et in fine 4, et etiam colligitur ex vers. 24 hujus capitis, ubi soli sacerdotes et ministri templi jubentur a *vectigalibus et tributis* immunes esse: reliquis omnibus Judæis ea pendere coactis. Item vers. 26 jubentur omnes non modo *legem Dei*, sed et *legem regis* sub pœna capitis *diligenter implere*, quod absolutæ subjectionis et servitutis certissimum est argumentum.

noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docete libere.

26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, et legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.

27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem,

28. Et in me inclinavit misericordiam suam coram rege, et consiliatoribus ejus, et universis principibus regis potentibus: et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes qui ascenderent mecum.

CAPUT VIII.

Catalogus eorum qui cum Esdra e Babylone venerunt in Judæam: vasa et munera quæ attulerunt, et victimæ quas Deo obtulerunt.

1. Hi sunt ergo principes familiarum, et genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

2. De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar Daniel. De filiis David, Hattus.

3. De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias: et cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta.

4. De filiis Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, et cum eo ducenti viri.

5. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, et cum eo trecenti viri.

6. De filiis Adan, Abed filius Jonathan, et cum eo quinquaginta viri.

7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, et cum eo septuaginta viri.

8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, et cum eo octoginta viri.

9. De filiis Joab, Obedia filius Jahiel, et cum eo ducenti decem et octo viri.

10. De filiis Selomith, filius Josphiæ, et cum eo centum sexaginta viri.

11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, et cum eo viginti octo viri.

12. De filiis Azgad, Johanan filius Eccetan, et cum eo centum et decem viri.

13. De filiis Adonicam, qui erant novissimi: et hæc nomina eorum: Elipheleth, et Jehiel, et Samaias, et cum eis sexaginta viri.

14. De filiis Begui, Uthai et Zachur, et cum eis septuaginta viri.

15. Congregavi autem eos ad fluvium, qui decurrit ad Ahava, et mansimus ibi tribus diebus: quæsivique in populo et in sacerdotibus de filiis Levi, et non inveni ibi.

16. Itaque misi Eliezer, et Ariel,

℣. 4. *De Phahath Moab*, vide quæ cap. 2, vers. 6 dixerim.

℣. 13. *Qui erant novissimi* — Id est, qui postremo loco ab Esdræ adjunxerunt.

℣. 15. *In populo* lustrando, *et in sacerdotibus* lustrandis, *quæsivi de filiis Levi, et non inveni* ullos. *Itaque misi*, v. 17, *ad Eddo, qui* erat *primus*, seu princeps, *in Chasphiæ loco* — Vicus erat in Babylone, fortasse Judæorum habitationi designatus, cujus vici princeps erat *Eddo*.

℣. 16. *Misi* ad *Eliezer, et* ad *alterum Elnathan* — Ita enim est in Hebræo et Græco.

et Semeiam, et Elnathan, et Jarib, et alterum Elnathan, et Nathan, et Zachariam, et Mosollam principes: et Jojarib, et Elnathan sapientes.

17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, et posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, et fratres ejus Nathinæos, in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri.

18. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filii Levi filii Israel, et Sarabiam et filios ejus et fratres ejus decem et octo,

19. Et Hasabiam, et cum eo Isaiam de filiis Merari, fratresque ejus et filios ejus viginti:

20. Et de Nathinæis, quos dederat David et principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur.

21. Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, et peteremus ab eo viam rectam nobis et filiis nostris, universæque substantiæ nostræ.

22. Erubui enim petere a rege auxilium et equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor super omnes, qui derelinquunt eum.

23. Jejunavimus autem, et rogavimus Deum nostrum per hoc: et evenit nobis prospere.

24. Et separavi de principibus sacerdotum duodecim, Sarabiam, et Hasabiam, et cum eis de fratribus eorum decem:

25. Appendique eis argentum et aurum, et vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex et consiliatores ejus, et principes ejus, universusque Israel eorum qui inventi fuerant:

26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, et vasa argentea centum, auri centum talenta:

27. Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, et vasa æris fulgentis optimi duo, pulcra, ut aurum.

28. Et dixi eis: Vos sancti Domini, et vasa sancta, et argentum et aurum quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum:

29. Vigilate et custodite, donec appendatis coram principibus sacerdotum, et Levitarum, et ducibus familiarum Israel in Jerusalem, in thesaurum domus Domini.

30. Susceperunt autem sacerdotes et Levitæ pondus argenti et auri, et vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri.

31. Promovimus ergo a flumine Ahava duodecimo die mensis primi ut pergeremus Jerusalem: et manus Dei nostri fuit super nos, et liberavit nos de manu inimici et insidiatoris in via.

32. Et venimus Jerusalem, et mansimus ibi tribus diebus.

33. Die autem quarta appensum est argentum, et aurum, et vasa in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Uriæ sacerdotis, et cum eo Eleazar filius Phinees, cumque

℣. 20. De *Nathinæis* dixi c. 2, v. 43.

℣. 23. *Rogavimus Deum per hoc* — In Hebræo et Græco est, *pro hoc*, seu *propter hoc.*

℣. 27. *Crateres aurei*, seu phialæ singulæ, pendebant *solidos millenos* — Hebraice et græce, *drachmas mille.* Sed est aliqua in his ponderibus differentia, ut dixi in prolegomenis de ponderibus.

Vasa æris pulcra ut aurum — Hebraice, *expetibilia ut aurum.* Forsan ex tali ære fecit Salomon vasa templi, de quibus 3 Reg. 7, v. 45. Denique

eis Jozabed filius Josue, et Noadaia filius Bennoi Levitæ,

34. Juxta numerum et pondus omnium: descriptumque est omne pondus in tempore illo.

35. Sed et qui venerant de captivitate filii transmigrationis obtulerunt holocautomata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino.

36. Dederunt autem edicta regis satrapis, qui erant de conspectu regis, et ducibus trans flumen, et elevaverunt populum et domum Dei.

℣. 36. *Satrapæ elevaverunt populum* — Hebraice, *exaltaverunt* Judæos, nempe eximio favore et ope: promovendo conatus illorum, *et domum Dei* magis magisque exornando in dies, et muneribus cohonestando, ut rex Persarum præscripserat cap. præced.

CAPUT IX.

Esdras peccatum populi Israelitici (quod cum Ethnicis feminis matrimonia contraxissent) scissis vestibus et evulsis crinibus luget: et Deum precatur, ut iram suam a populo avertat.

1. Postquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israel, sacerdotes et Levitæ, a populis terrarum, et abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Hethæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum:

2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.

3. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens.

4. Convenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum qui de captivitate venerant, et ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum:

5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curvavi genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum,

6. Et dixi: Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cælum,

7. A diebus patrum nostrorum: sed et nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, et in iniquita-

℣. 2. *Manus principum fuit prima*, seu præcipua, *in hac transgressione* — legis divinæ, qua vetamur cum *terrarum* harum Gentilibus connubia jungere, Exodi 34 et Deuter. 7, q. d.: Principes et primarii, qui suo exemplo et auctoritate deberent alios ab illicitis connubiis deterrere et abstrahere, primi et præcipui sunt qui in hoc genere deliquerunt. Porro qua ratione vetita fuerint Judæis connubia cum *Moabitis, Ammonitis* et *Ægyptiis*, non minus quam cum *Chananæis*, si in patria superstitione, ut hic fiebat, perseverarent; secus si in Judæorum religionem transirent, dixi Exodi 34.

℣. 7. *Sicut et die hac* — Id est, etiamnum, et ad hanc usque horam omnes illæ calamitates nos premunt.

tibus nostris traditi sumus ipsi, et reges nostri, et sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, et in gladium, et in captivitatem, et in rapinam, et in confusionem vultus, sicut et die hac.

8. Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, et daretur nobis paxillus in loco sancto ejus, et illuminaret oculos nostros Deus noster, et daret nobis vitam modicam in servitute nostra,

9. Quia servi sumus, et in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam, et sublimaret domum Dei nostri, et extrueret solitudines ejus, et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem.

10. Et nunc quid dicemus, Deus noster, post hæc? quia dereliquimus mandata tua,

11. Quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est, juxta immunditiam populorum, ceterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os in coinquinatione sua.

12. Nunc ergo [1] filias vestras ne detis filiis eorum, et filias eorum ne accipiatis filiis vestris, et non quæratis pacem eorum, et prosperitatem eorum, usque in æternum: ut confortemini, et comedatis quæ bona sunt terræ, et heredes habeatis filios vestros usque in seculum.

13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pes-

℣. 8. *Et nunc quasi parum et ad momentum;* hebraice, *nunc quasi parvo momento,* id est, pro exiguo tempore, grata *facta est deprecatio nostra apud Dominum,* obtinuimusque ut in Judæam remitterentur Judaici seminis *reliquiæ, et daretur nobis paxillus in loco sancto ejus* — id est, rursus figeremur in Judæa. Sed hac metaphora præcipue designat magistratus, et principes, a quibus quasi *a paxillis* [2] dependent publica negotia et salus reipublicæ. Pro magno beneficio reputat Esdras, et merito, in communi servitute proprium de sua gente habere magistratum. Et insperato hoc beneficio dicit *illuminari oculos,* id est recreari et refici animos Judæorum. Sicut enim *tenebræ* significant *mœstitiam:* ita *lux lætitiam* animi designat. Rursum pro magno ducit, vel *modicum* saltem *vitæ* lætæ *in* tristi *servitute* concedi. Et rursum

℣. 9. gaudet *vitam* permitti, nempe lætam et prosperam, et saltem ex parte liberam: nam servitus et captivitas, in quibus fuerant Judæi, mors potius censebantur quam vita. Per *solitudines* templi, intelligit *ruinas,* quæ jam instauratæ erant. Per *sepem* tutam et securam in Judæa habitationem, utpote præsidio tam potentis Persarum monarchæ vallatam.

℣. 11. *Ab ore usque ad os* implere, est totam omni ex parte implere, more vasis, ab imo usque ad summum; ab una oræ extremitate usque ad aliam.

℣. 12. *Non quæratis pacem eorum et prosperitatem* — Id est, non sit vobis curæ salus aut prosperitas Gentilium vobis vicinorum, nempe si in suis erroribus obstinarint, q. d.: Potius omnem movete lapidem ad illos pessumdandos et exscindendos: tantum abest, velim vos illis matrimonio vel aliis fœderibus conjungi.

℣. 13. *Et post omnia,* supple, quæ transgressoribus legum tuarum juste minatus fueras, jam in nobis septuaginta et pluribus annis completa: *quia tu Deus noster,* quo es animo plusquam paterno in tuos, rursum misericorditer minuisti flagella, et *liberasti nos* iterum, *sicut est hodie* — et de facto experimur: idque provide fecisti, *ut* illecti novo et insperato beneficio, et sic magis magisque tibi obstricti, *non* iterum ad pristina scelera *converteremur.* Nos nihilominus, obliti jam omnium tum veterum pœnarum, tum beneficiorum recentium (quæ humana est fragilitas et

(1) Deut. 7, vers. 3.

(4) [illegible]

simis, et in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, et dedisti nobis salutem sicut est hodie,

14. Ut non converteremur, et irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?

15. Domine Deus Israel, justus es tu: quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro; non enim stari potest coram te super hoc.

ingratitudo); relapsi sumus in pristina scelera, et cum Gentilibus populis istis abominandis matrimonia junximus.

℣. 14. *Numquid* merito igitur *iratus es nobis usque ad consummationem* — id est, ut consummate et plene nos deleas de terra?

℣. 15. *Justus es tu*, q. d.: Exigebat sane justitia tua, ut funditus nos exscinderes: sed misericordia uti maluisti, qua saltem paucos relinqueres e nobis salvos, qui hac die præsentes hic adsumus, in conspectu tuo, sed *in delicto nostro*, id est rei gravissimi criminis. *Neque stari potest coram te super hoc* — Id est, non potest hoc ulla ratione negari, neque excusari, neque jure defendi.

CAPUT X.

Esdras, convocatis omnibus Judæis, præcipit repudiari uxores alienigenas. Deputantur qui præsint huic operi exequendo. Et recensentur qui talia matrimonia contraxerant.

1. Sic ergo orante Esdra, et implorante eo, et flente, et jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, et mulierum, et puerorum, et flevit populus fletu multo.

2. Et respondit Sechenias filius Jehiel de filiis Ælam, et dixit Esdræ: Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, et duximus uxores alienigenas de populis terræ: et nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc,

3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, et eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini, et eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat.

4. Surge, tuum est decernere,

℣. 2. *Si est pœnitentia* — Hebraice et græce et chaldaice, *si est spes*, scilicet, Deum per pœnitentiam placandi.

℣. 3. *Projiciamus universas uxores* — Putant aliqui, legem Exodi 34 et Deut. 7 quæ prohibet matrimonia cum alienigenis, fuisse legem irritantem: atque ita matrimonia illa omnia fuisse jure irrita et nulla. Sed probabilius censet Cajetanus et alii, non fuisse irritantem, sed solum vetantem. Neque aliud ex verbis legis elici potest.

Petes, Quo igitur jure hic omnia jubentur solvi? Respondeo, Privilegio libelli repudii Judæis permissi, quo jam merito jubentur uti ad matrimonia tam periculosa, et contra legem inita, dissolvenda.

Petes secundo, An saltem non nimis durum, abjicere etiam *filios* proprios *qui de* uxoribus alienigenis *nati erant*? Respondeo, cum eodem Cajetano, non abjiciebant prorsus et absolute filios illos suos, quasi nullam eorum curam deinceps habituri: sed *juxta voluntatem*, hebraice et græce *consilium Domini*, et piorum virorum *qui timent legem Dei*. Nempe ex horum præscripto dimittebant a se filios ad aliqua pædagogia, ubi a probis præfectis instituebantur, pauperes e publico

nosque erimus tecum: confortare, et fac.

5. Surrexit ergo Esdras, et adjuravit principes sacerdotum et Levitarum, et omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc, et juraverunt.

6. Et surrexit Esdras ante domum Dei, et abiit ad cubiculum Johanan filii Eliasib, et ingressus est illuc, panem non comedit, et aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captivitate.

7. Et missa est vox in Juda, et in Jerusalem omnibus filiis transmigrationis, ut congregarentur in Jerusalem:

8. Et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum et seniorum, auferetur universa substantia ejus, et ipse abjicietur de cœtu transmigrationis.

9. Convenerunt igitur omnes viri Juda et Benjamin in Jerusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: et sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, et pluviis.

10. Et surrexit Esdras sacerdos, et dixit ad eos: Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel.

11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, et facite placitum ejus, et separamini a populis terræ, et ab uxoribus alienigenis.

12. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.

13. Verumtamen quia populus multus est, et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foris, et opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto),

14. Constituantur principes in universa multitudine: et omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, et cum his seniores per civitatem et civitatem, et judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc.

15. Igitur Jonathan filius Azahel, et Jaasia filius Thecue, steterunt super hoc, et Mesollam, et Sebethai Levites adjuverunt eos:

16. Feceruntque sic filii transmigrationis. Et abierunt, Esdras sacerdos, et viri principes familiarum, in domos patrum suorum, et omnes per nomina sua, et sederunt in die primo mensis decimi, ut quærerent rem.

17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi.

18. Et inventi sunt de filiis sacerdotum qui duxerant uxores alie-

ærario, divites e peculio parentum. Et sane sic expediens erat, ne, si liberi penes parentes remansissent, assiduo eorum intuitu et amore inde exardescente, animi parentum ad matres repetendas accenderentur.

℣. 7. Igitur *missa est vox* — nempe præconum qua jubentur omnes Judæi intra triduum Jerosolymis se sistere, sub pœna confiscationis omnium bonorum, et publicæ excommunicationis.

℣. 9. *Convenerunt* autem *omnes in platea*, seu area ante templum, *trementes pro peccato* — et pœna peccati transgressionis legis.

℣. 11. *Nunc date confessionem Deo* — Id est, opere ostendite et re ipsa fateamini vos velle obedientes et obsequentes esse Deo et legi ipsius.

℣. 16. *Omnes per nomina sua*, id est nominatim lecti, *sederunt* — ad hæc dijudicanda et executioni mandanda: et in his occupati fuerunt toto trimestri. Erant vero hi judices, qui versu præcedenti dicuntur *super hoc* negotio *stetisse*, seu constituti fuisse publica auctoritate.

℣. 17. *Consummati sunt omnes* — Id est omnium summa collecta fuit qui duxerant alienigenas.

nigenas: de filiis Josue filii Josedec, et fratres ejus, Maasia, et Eliezer, et Jarib, et Godolia.

19. Et dederunt manus suas ut ejicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent.

20. Et de filiis Emmer, Hanani, et Zebedia.

21. Et de filiis Harim, Maasia, et Elia, et Semeia, et Jehiel, et Ozias.

22. Et de filiis Pheshur, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Jozabed, et Elasa.

23. Et de filiis Levitarum, Jozabed, et Semei, et Celaia, ipse est Calita, Phataia, Juda, et Eliezer.

24. Et de cantoribus, Eliasib. Et de janitoribus, Sellum, et Telem, et Uri.

25. Et ex Israel, de filiis Pharos, Remeia, et Jesia, et Melchia, et Miamin, et Eliezer, et Melchia, et Banea.

26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, et Jehiel, et Abdi, et Jerimoth, et Elia.

27. Et de filiis Zethua, Elioenai, Eliasib, Mathan'a, et Jerimuth, et Zabad, et Aziza.

28. Et de filiis Bebai, Johanan, Hanania, Zabbai, Athalai.

29. Et de filiis Bani, Mosollam et Melluch, et Adaia, Jasub, et Saal, et Ramoth.

30. Et de filiis Phahath Moab, Edna, et Chalal, Banaias, et Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, et Manasse.

31. Et de filiis Herem, Eliezer, Josue, Melchias, Semeias, Simeon,

32. Benjamin, Maloch, Samarias.

33. Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Jermai, Manasse, Semei.

34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, et Vel,

35. Baneas, et Badaias, Cheliau,

36. Vania, Marimuth, et Eliasib,

37. Mathanias, Mathanai, et Jasi,

38. Et Bani, et Bennui, Semei,

39. Et Salmias, et Nathan, et Adaias,

40. Et Mechnedebai, Sisai, Sarai,

41. Ezrel, et Selemiau, Semeria,

42. Sellum, Amaria, Joseph.

43. De filiis Nebo, Jehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Jeddu, et Joel, et Banaia.

44. Omnes hi acceperant uxores alienigenas, et fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

℣. 19. *Et dederunt manus suas*, seu porrecta manu consenserunt, promiseruntque quod *ejicerent uxores suas*.

℣. 25. *Et ex Israel* — Id est, ex aliis tribubus præter Leviticam de qua sola hactenus, complures habebant uxores alienigenas.

℣. 44. *Et ex eis* uxoribus alienigenis *fuerunt* non paucæ *mulieres, quæ* jam *pepererant* maritis *filios* — Sed et hæ nihilominus ejectæ sunt e toro maritali: et filii seorsim quoque positi, ut dixi vers. 3.

LIBER II. ESDRÆ

Esdræ inscribitur a Latinis etiam hic liber, licet a Nehemia conscriptus fuerit, quia olim unus idemque liber, teste S. Hieronymo (1), erat, qui in duos nunc dissectus est. Et secundus continet gesta non minus Esdræ, quam Nehemiæ: narratque quo pacto, reductis in Judæam exulibus, et jam instaurato templo, et constituta ex parte republica (quæ primo libro recensentur) etiam urbis Jerosolymitanæ, murorumque et turrium et palatiorum ejusdem instauratio, vel invitis et repugnantibus hostibus, a Nehemia procurata sit, et respublica optimis legibus stabilita. Nehemiam sacerdotem fuisse manifestum est ex 2 Machabæorum 1, v. 21. Ut genere et sanctitate, sic et naturæ dotibus excelluisse, vel inde colligimus, quod potentissimo Persarum monarchæ Artaxerxi Longimano et carus admodum, et pro *pincerna* fuerit, seu a poculis: quod officium nonnisi primæ notæ Aulicis concedi solet.

CAPUT I.

Nehemias, audito Judæorum in patriam reductorum misero statu et conditione, sortem illorum deflet coram Deo, ejusque opem multis jejuniis ac precibus efflagitat.

1. Verba Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, et ego eram in Susis castro.

℣. 1. *Mense Casleu* — Nonus hic erat Judæorum mensis lunaris (ut erant omnes illorum [2] menses), respondebatque nostro partim Novembri, partim Decembri.

Anno vigesimo — nempe regni, non Xerxis, ut quidam volunt, sed Artaxerxis Longimani, filii Xerxis [3], et quinti a Cyro monarchæ Persarum. Patet ex vers. 1 cap. seq. et cap. ult. v. 6 ubi Artaxerxi dantur anni 32, quot certum est non regnasse Xerxen.

Nota, duplex solere notari exordium regni hujus Artaxerxis. Unum a morte Xerxis, ex quo solus regnare cœpit, alterum a 5 anno finiente regni Xerxis patris ejus. Cum enim tunc [4] Xerxes Hellespontum cum infinitis copiis trajiceret, et incertam adversus Græcos aleam belli tentaret, filium suum Artaxerxem (more recepto [5] Persarum) regni socium adscivit, et successorem sibi designavit. Et ab hoc tempore supputantur hic anni Artaxerxis. Quando ergo hic passim dicitur Nehemias, anno vigesimo Artaxerxis instaurasse urbem Jerosolymam, id intelligitur de anno vigesimo ex quo in vivis adhuc agente parente, simul cum eo regnare cœperat, sub finem anni 5 ejus regni. Cumque Xerxes universim viginti annis imperarit, sequitur id Nehemiæ factum contigisse sub finem anni 5 ejusdem Artaxerxis, a morte parentis jam solitarie regnantis.

Nota secundo, instaurationem urbis eo anno a Nehemia factam non intelligi nisi inchoative, puta de decreto regio eo anno expedito, et ut summum de instauratione muri seu mœnium Jerosolymæ, quæ, ut

(1) Epist. ad Paulin.
(2) Chron. cap. 4. (3) Chron. cap. 37.
(4) Justinus lib. 2.
(5) Herodot lib. 1 et 7.

2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda : et interrogavi eos de Judæis, qui remanserant et supererant de captivitate, et Jerusalem,

3. Et dixerunt mihi : Qui remanserunt, et relicti sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, et in opprobrio : et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igni.

4. Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis : jejunabam, et orabam ante faciem Dei cæli.

5. Et dixi: [1] Quæso, Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum et misericordiam cum his qui te diligunt, et custodiunt mandata tua;

6. Fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie, nocte et die, pro filiis Israel, servis tuis : et confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi : ego et domus patris mei peccavimus,

7. Vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et cæremonias, et judicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8. Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens : Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos :

9. Et si revertamini ad me, et custodiatis præcepta mea, et faciatis ea ; etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.

10. Et ipsi servi tui, et populus tuus : quos redemisti in fortitudine tua magna, et in manu tua valida.

11. Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, et ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum : et dirige servum tuum hodie, et da ei misericordiam ante virum hunc; ego enim eram pincerna regis.

dicitur c. 6, v. 15 subitaneo opere facta est spatio 42 dierum. Nam reliquis urbis munitionibus, turribus, propugnaculis, ædibus [2] tum privatis, tum publicis, erigendis instaurandisque (ut jam sileam de tot mensibus itineri e Perside in Judæam conficiendo, lapidibus cædendis, aliisque materialibus tanto operi parandis, necessariis) totum aliud triennium cum trimestri impensum fuit, teste Josepho [3] ex majorum suorum traditione, et antiquis monimentis, quibus constat, anno 25 ab initio regni Xerxis, id est, anno 20 ab exordio primi regni Artaxerxis, concessam Nehemiæ facultatem instaurandæ urbis Jerosolymæ, sed 28 demum ejusdem Xerxis, seu 23 Artaxerxis completum opus, et dedicationem urbis solemniter celebratam fuisse.

Nota tertio, ab hoc 23 Artaxerxis anno quo completa fuit urbis instauratio, desumendum initium 70 hebdomadum Danielis, ut fuse docui in Chronico c. 38.

℣. 3. *Relicti in provincia*, nempe Judææ, ut dixi 1 Esdræ 2, vers. 1 *in afflictione magna sunt* — propter vicinos Ammonitas, Arabes, aliosque hostes et æmulos Judæorum: qui licet antiquas jam sedes incolerent, et templi ruinas instaurassent, tamen, quod mœnibus nudatæ essent urbes, patebant omnium injuriis : neque hactenus obtineri, metu novæ rebellionis, potuerat a regibus Persarum, ut bona illorum gratia liceret mœnia instaurare. Inter alia ergo nuntiatum quoque Nehemiæ, quod *murus Jerusalem dissipatus* adhuc jaceret, *et portæ ejus combustæ*, a tempore quo combusserat eas et dissiparat Nabuchodonosor, ut 4 Regum, ult. v. 10 dicitur.

℣. 9. *Extrema cæli*, vocat extremas seu ultimas terræ regiones, quæ quia in nostro horizonte extremæ sunt, videntur etiam cæli extremitatem contingere.

℣. 11. *Virum hunc* — Intelligit Artaxerxem regem, cujus ipse Nehemias *pincerna* erat : et occasione tam familiaris obsequii bene usus est, ad impetrandum a rege quod optabat novum contribulibus suis beneficium.

(1) Dan. 9, vers. 4. (2) 2 Esdr. 7, vers. 4. (3) Lib. 11 Antiq., cap. 5.

CAPUT II.

Nehemias impetrat facultatem excurrendi Jerosolymam, ejusque mœnia instaurandi. Cui operi strenue incumbit, frementibus nequidquam hostibus.

1. Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: et vinum erat ante eum, et levavi vinum, et dedi regi: et eram quasi languidus ante faciem ejus.

2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? Non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis:

3. Et dixi regi: Rex in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ sunt igni?

4. Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli,

5. Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulcri patris mei, et ædificabo eam.

6. Dixitque mihi rex, et regina quæ sedebat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, et quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, et misit me: et constitui ei tempus.

7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam;

8. Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, et muros civitatis, et domum,

℣. 1. *Eram quasi languidus ante faciem* regis. Id est, videbar illi subtristior esse, et animo præter solitum languere. Cui rex:

℣. 2. *Non est hoc frustra* — seu de nihilo, q. d.: Non soles extra morbum tristis apparere: unde colligo, te animo coquere aliquod grave malum: quod volo statim mihi pandas. Quo audito

Timui valde ac nimis — tum ne quid sinistri de me rex suspicaretur, si silerem: tum ne votis frustrarer meis, si tempore importuniore, utpote inter epulas, et in præsentia multorum mihi non optime volentium, petitionem meam plerisque odiosam, et quæ publico noxia videri posset, regi exponerem. Sed metum vicit parendi necessitas:

℣. 3. *Et dixi regi, Civitas* Jerosolymæ, quæ est *domus*, seu locus, *sepulcrorum*, in quibus conditi sunt majores mei, *deserta* jacet. Et ego non contrister? Hinc colligo, non Judæis modo, sed et Persis quoque, valde commendatam fuisse sepulcrorum curam: neque enim alias quæsiisset ex eo capite Nehemias præcipuum causæ suæ patrocinium. Jam vero exemplum vide orationis ejaculatoriæ, quam vocant, in juvene aulico. Nam roganti regi, quid sibi vellet gratiæ de novo concedi, Nehemias, antequam responsum daret, tacita prece, inquit

(1) Infr. cap. 5, vers. 14, et cap. 13, vers. 6.

℣. 4. *Oravi Deum cæli* — ut et verba congrua suggereret, et causæ faveret. Et favit profecto, nam votis extemplo rex annuit. Solum petiit tam *rex*, quam *regina* (nam utrique carissimus eram, neque volebant diu carere mea præsentia); ut certum temporis spatium, quo abessem, idque quam brevissimum, constituerem.

℣. 6. *Et constitui tempus* — quo lapso, me rursus eis affuturum spopondi. Quantum illud fuerit, non exprimitur. Verisimile est, non excessisse terminum unius anni. Licet postea, novo indulto ejusdem regis, permissus sit totis [1] duodecim annis ducem populi agere in Judæa, in qua rex operam ejus et præsentiam sentiebat non utilem modo, sed et necessariam esse.

℣. 8. *Custodem saltus regis*, qui in Libano erat, inquit Villalpandus [2]. E quo

(2) Tom. 3, lib. 3.

quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum.

9. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, et equites.

10. Et audierunt Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites: et contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel.

11. Et veni Jerusalem, et eram ibi tribus diebus,

12. Et surrexi nocte ego, et viri pauci mecum, et non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem, et jumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

13. Et egressus sum per portam vallis nocte, et ante fontem draconis, et ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni.

14. Et transivi ad portam fontis, et ad aquæductum regis, et non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret.

15. Et ascendi per torrentem nocte, et considerabam murum, et reversus veni ad portam vallis, et redii.

16. Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem: sed et Judæis et sacerdotibus, et optimatibus, et magistratibus, et reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram.

17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Jerusalem deserta est, et portæ ejus consumptæ sunt igni: venite, et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra opprobrium.

18. Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, et verba regis, quæ locutus esset mihi,

saltu etiam *David et Salomon* suas trabes et tigna petierant. Unde et sibi *Nehemias* quoque eadem a rege petit, *ut tegere possit portas turris domus*, hebraice, *portas palatii* regii, quod erat juxta templum: *et muros civitatis* — nam et illis inædificandæ erant portæ et turres, ad quarum contignationes opus erat multis trabibus: denique *et domum quam ingressus fuero*, nempe futuram mihi meisque propriam. Volebat enim palatium vel antiquum majorum suorum jam dirutum instaurare, vel aliud sibi de novo construere, in quod olim commigrare posset, cum perfunctus officio pincernæ, vel rege e vivis sublato, in Judæam remigrare contingeret.

℣. 10. *Servus* — Id est, cliens et beneficiarius regum Persarum: vel etiam, ex servo seu mancipio ad eam dignitatem, atque Ammonitidis præfecturam evectus.

℣. 12. *Jumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam* — Id est, ego solus equitabam, socii omnes pedites aderant: ne nocturnus equorum strepitus silentio et secreto quod quærebam, officeret: propter quod et noctem delegeram et modicum comitatum.

℣. 13. *Porta vallis* erat, non illa orientalis, quæ ducebat ad *vallem Josaphat:* sed altera occidentalis, quæ respiciebat valles cadaverum et Calvariæ, cui proxima erat. Nam LXX habent *portam Golila*, quæ *Calvariæ* vel *stercorum* exponi potest.

Fons draconis ad radices montis Calvariæ scaturiebat, et scaturit etiamnum (inquit Adrichom. [1]), in ipsa *valle cadaverum* seu *sterquilinii*, haud procul ab urbe, inter *portam sterquilinii et portam fontis draconis:* quem sic dictum arbitror, inquit Salianus, propter figuram *draconis* seu lapidei, seu æenei, aquam evomentis, Vide Villalpandum [2].

℣. 14. De *aquæductu regis*, puta Ezechiæ, dixi 2 Paralip. 32, v. 4.

Et non erat locus jumento, ut transiret — quia ruderibus vel aquis plena erant omnia: unde pedibus mihi eundum, vel circumeundum fuit.

℣. 16. Per eos *qui faciebant opus*, intelligit opifices et præfectos operarum; non quod de facto operarentur, sed quod ex officio ad operandum destinarentur.

(1) In sua Jerusalem.
(2) Supra.

et ajo: Surgamus et ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

19. Audierunt autem, Sanaballat Horonites, et Tobias servus Ammanites, et Gosem Arabs, et subsannaverunt nos, et despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?

20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus: surgamus et ædificemus: vobis autem non est pars, et justitia, et memoria in Jerusalem.

℣. 20. *Vobis non est pars, et justitia, et memoria in Jerusalem* — Id est, nihil vobis commercii nobiscum: neque jus vobis ullum in hunc locum: neque memoria aut vestigium alicujus juris in eum aliquando usurpati; q. d.: Vobis Samaritanis cura sit de vestra Samaria, in quam ab Assyriis inducti estis. Rebus Judaicis, et maxime urbis Jerosolymæ, in quam nihil juris unquam habuistis, aut habetis (nam nobis a rege Persarum pleno jure concessa est) non est quod vos immisceatis.

CAPUT III.

Describitur, quam quisque muri partem, quas turres, quas portas instaurarit.

1. Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam, usque ad turrim Hananeel.

℣. 1. *Eliasib sacerdos magnus* — Hic erat nepos *Jesu*, seu Josue [1], de quo lib. 1 Esdræ 3, v. 8. Hoc enim mortuo sub annum Darii Hystaspis [2] 20 successerat in pontificatum filius ejus *Joæcim* vel *Eliacim*, usque ad 12 annum *Artaxerxis* Longimani una cum Xerxe regnantis: cui tunc defuncto successit iste ejus filius *Eliasib*, et præfuit usque ad annum 33 Artaxerxis sine patre regnantis. Vide Chronicon [3], et quæ dixi hic c. 1, v. 1.

Ipsi sacerdotes *sanctificaverunt portam gregis* — Id est, mundarunt a ruinis et ruderibus, et profanatione incendii, et restituerunt pristino nitori et usui: ita Vatablus, Isidorus Clarius, et Villalpandus.

Usque ad turrim centum — Ex Hebræo et Græco patet esse nomen proprium *turris*, nempe *Meah*, neque ibi additur *cubitorum*, licet subintelligendum videatur. Porro notat hic Emmanuel Sa, Mariana et Salianus, sacerdotes hos, ut initium faciebant instaurationis muri, ita solemni aliqua prece, sacrificio ac benedictione locum murorum, totamque urbem Deo, cujus erat quasi peculium, dedicasse, et innuitur c. seq., v. 2. Quem ritum servat jam quoque Ecclesia in inchoatione templorum, et positione primi lapidis fundamentalis. Et imitabantur etiam olim Gentiles, ut colligere est ex Virgilio et aliis [4].

Porro quod ad *portas* attinet, quarum hoc cap. frequens mentio, Nota, duodecim fuisse Jerosolymis primæ notæ portas ex tribus lateribus. Nam ad quartum latus, nempe meridionale, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum aut exitum dabant, nullæ etiam portæ fuerunt, reliqua vero latera singula quaternas habuerunt. *Orientale* latus *portam gregis* [5], per quam pecora inducebantur, ut abluta in vicina Probatica piscina, inferrentur in templum immolanda. *Portam* [6] *equorum*, per quam

(1) Infr. cap. 12, vers. 10.
(2) Ita Philo Annius.
(3) Chron. cap. 42.
(4) Virg. initio lib. 3 Æneid. et lib. 7.
(5) Hic vers. 1 et ult.
(6) Hic vers. 28, et Jer. 31 fin.

2. Et juxta eum ædificaverunt viri Jericho: et juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.

3. Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus.

4. Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, filii Mesezebel: et juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana:

5. Et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.

6. Et portam veterem ædificaverunt Jojada filius Phasea, et Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes.

7. Et juxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, et Jadon Meronathites, viri de Gabaon et Maspha, pro duce qui erat in regione trans flumen.

8. Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araia aurifex: et juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii; et dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris.

9. Et juxta eum ædificavit Raphaia filius Hur, princeps vici Jerusalem.

10. Et juxta eum ædificavit Jedaia filius Haromaph contra domum suam: et juxta eum ædificavit Hattus filius Haseboniæ.

11. Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Herem, et Hasub filius Phahath Moab, et turrim furnorum.

12. Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Jerusalem, ipse et filiæ ejus.

13. Et portam vallis ædificavit Hanun, et habitatores Zanoe: ipsi ædificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et seras, et vectes, et mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinii.

14. Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes.

equi ducebantur aquatum in torrentem *Cedron*. *Portam* [1] *aquarum*, sic opinor dictam a collectione aquarum juxta eam detentarum a rege Ezechia, ut dixi 2 Paral. 32, v. 4. Et *portam* [2] *fictilem*, a figulis et agris figlinis vicinis sic nominatam, qua descendebatur ad *Natatoriam Siloe*, seu ad stagnum Salomonis. Ad aquilonare latus urbis erant *porta Benjamin*, versus eam *tribum* ducens. *Porta piscium*, de qua 2 Par. 33, v. 14. *Porta judiciaria:* alias *porta* [3] *vetus* dicta, quod vestigia ejus apparerent a tempore Jebusæorum et Melchisedeci. Ex ea enim patebat aditus ad *Acra* montem, et veterem urbem *Salem*, quæ postea Jerosolymæ pars fuit. Et *porta* [4] *Ephraim*, ad eam tribum ducens. Sed hic non nominatur, uti nec porta anguli, quia non egebant reparatione. Unde v. 8 dicitur,

Dimiserunt Jerusalem usque ad murum plateæ latioris, id est, intermiserunt ædificationem per spatium 400 cubitorum, quod erat inter *portam Ephraim et portam anguli*. Nam recenter et valide id instaurarat Ozias [5] rex, neque Chaldæi demoliti id fuerant. Ad latus occidentale erat *porta anguli*, sic dicta, quod in angulo urbis septemtrionali et occidentali sita esset. *Porta* [6] *vallis*, *porta* [7] *sterquilinii*, et *porta* [8] *fontis*, de quibus egi præc. cap., v. 13. Aliæ vero portæ, quas Adrichomius aliique asserunt, vel pertinent ad unam e duodecim jam dictis portis: vel extra urbem non ducebant: vel novo Æliæ, qualis post Vespasianum fuit, conveniunt, non vero veteri Jerosolymæ, de qua sola nunc agimus. Vide Villalpandum [9].

(1) Hic vers. 26, et cap. 8, vers. 1.
(2) Jer. 19, vers. 2. (3) Hic vers. 6.
(4) 4 Reg. 14, vers. 13, et 2 Esdr. 12, vers. 38.
(5) 2 Par. 25, vers. 28, et c. 26, vers. 9.
(6) Hic vers. 13. (7) Ibid.
(8) Vers. 15. (9) Sup. cap. 26.

15. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, et texit, et statuit valvas ejus, et seres, et vectes, et muros piscinæ Siloe in hortum regis, et usque ad gradus, qui descendunt de civitate David.

16. Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulcrum David, et usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, et usque ad domum fortium.

17. Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.

18. Post eum ædificaverunt fratres eorum, Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ.

19. Et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.

20. Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.

21. Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.

22. Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Jordanis.

23. Post eum ædificavit Benjamin et Hasub contra domum suam: et post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam.

24. Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, et usque ad angulum.

25. Phalel filius Ozi contra flexuram et turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris; post eum Phadaia filius Pharos.

26. Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad orientem, et turrim, quæ prominebat.

27. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna et eminente usque ad murum templi.

28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.

29. Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Secheniæ, custos portæ orientalis.

30. Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, et Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, et scruta vendentium contra portam judicialem, et usque ad cœnaculum anguli.

31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificaverunt aurifices et negotiatores.

℣. 16. De *domo fortium*, vide quæ dixi 1 Par. 11, v. 20. In Hebræo et Græco vocatur *Bethangarim*.

℣. 26. De turri *Ophel*, 2 Paralip. 27, vers. 3.

De *Nathinæis*, Josue 9 et 1 Esdræ 2, v. 43. Denique

℣. 30. *Porta judicialis* — seu judiciaria ea vocatur, in qua judicia publica instituebantur, quæ ut nunc in curiis, ita olim in aliqua *portarum* urbis celebrari solebant. Erat hæc Jerosolymis propinqua templo, et portæ gregis, et eadem esse videtur cum *porta custodiæ* 2 Esdræ 12, v. 38. Neque ducebat extra urbem, sed in *vicum Nathinæorum:* qui juxta turrim *Ophel* erat unus e majoribus vicis seu regionibus, in quas Jerosolyma divisa erat, ad instar Romanæ urbis: et cuilibet regioni seu vico suus præerat princeps seu præfectus.

CAPUT IV.

Irridentibus et adversantibus Samaritanis, aliisque vicinis hostibus, Judæi altera manu ædificant, altera gladium tenent, et Nehemia Deum orante, et suos strenue urgente, opus tandem perficitur.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: et motus nimis subsannavit Judæos,

2. Et dixit coram fratribus suis, et frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, et complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?

3. Sed et Tobias Ammanites proximus ejus, ait: Ædificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis.

5. Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.

6. Itaque ædificavimus murum, et conjunximus totum usque ad partem dimidiam: et provocatum est cor populi ad operandum.

7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Arabes, et Ammanitæ, et Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, et quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.

8. Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, et pugnarent contra Jerusalem, et molirentur insidias.

9. Et oravimus Deum nostrum, et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.

℣. 2. *Num dimittent* Judæos *gentes*? Id est, permittemusne ut Judæi sua mœnia restaurent? *Num sacrificabunt, et complebunt in una die?* Id est, putantne, tanta se celeritate expedire posse illud opus, ut una eademque die qua inchoabunt, etiam compleant illud, et dedicent? quod fiebat sacrificando et festive epulando. Quasi dicant, Sat tempestive aderimus ad eos impediendos, et opus disturbandum. Et ut sineremus eos agere, *numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?* — Hebraice, *num vivificabunt lapides*, id est, restituentne in pristinum statum, in primam duritiem et formam lapides incendio redactos in pulverem?

℣. 3. *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum* — Agant quidquid volunt, quidquid possunt, structura tam erit infima, tam humilis, ut vel a vulpe transiliri, quin et everti possit. Amara irrisio: de qua Nehemias apud Deum expostulat.

℣. 5. *Ne operias iniquitatem eorum* — scilicet oblivione aut impunitate, q. d. Recordare et ob oculos semper habe peccatum eorum, et consequenter etiam puni. Cum enim parcit Deus peccatori, dicitur *tegere peccata*, vel *delere: detegere* vero et *aperire*, vel *statuere peccatum*, cum punit peccantem. Non ergo petit hic Nehemias, ut Deus non ignoscat culpam pœnitentibus; hoc enim impium esset: sed ne pœnam impœnitentibus condonet.

℣. 8. *Congregati sunt* hostes, *ut pugnarent contra Jerusalem* — quasi e cineribus reviviscentem. Non quod auderent Judæos aperto marte obruere, quos sciebant regia auctoritate fulciri; sed per *insidias* et clam conabantur imparatos invadere, disturbare et perdere.

10. Dixit autem Judas: Debilitata est fortitudo portantis, et humus nimia est, et nos non poterimus ædificare murum.

11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, et ignorent, donec veniamus in medium eorum, et interficiamus eos, et cessare faciamus opus.

12. Factum est autem, venientibus Judæis, qui habitabant juxta eos, et dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos,

13. Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, et lanceis, et arcubus.

14. Et perspexi atque surrexi: et ajo ad optimates et magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, et pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, et filiabus vestris, et uxoribus vestris, et domibus vestris.

15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum.

16. Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceæ, et scuta, et arcus, et loricæ, et principes post eos in omni domo Juda

17. Ædificantium in muro, et portantium onera, et imponentium: una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium:

18. Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, et clangebant buccina juxta me.

19. Et dixi ad optimates, et ad magistratus, et ad reliquam partem vulgi: Opus grande est et latum, et nos separati sumus in muro procul alter ab altero:

20. In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis.

21. Et nos ipsi faciamus opus: et media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.

22. In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Jerusalem, et sint nobis vices per noctem et diem, ad operandum.

23. Ego autem et fratres mei, et

℣. 10. *Dixit autem Judas,* id est Judæi: nam et hi obmurmurare cœperunt operi. Atque ita non a foris modo, sed et ab intus novæ remoræ. *Debilitata est* longo et molesto opere *fortitudo portantis,* id est operariorum et bajulorum, qui lapides et intritum portabant. Et *humus nimia est* — nempe rudera quæ exportari, et terra quæ e fossa circumducta muro effodi et efferri debebat, et omnes lassabat. Sed et hæc superata molestia: et hostium insidiæ, quantumvis tectæ, per vicinos ipsis Judæos nobis detectæ sunt.

℣. 12. *Per decem vices,* id est pluries delato ad nos indicio, *ex omnibus locis* — Nam licet ex variis et valde dissitis locis indices venirent, omnes tamen consona voce nuntiabant insidias quæ nobis parabantur. Sic ergo et his elusis, perrexerunt omnes novis animis in opere.

℣. 16. *Et principes post eos* — Nam ne principes quidem erant exempti: sed populi exemplum imitati, instabant operi, hortando, animando, excubias agendo, et, ubi res ferebat, etiam operi manus admovendo.

℣. 21. *Donec egrediantur astra* — Id est, usque ad noctem, quando sidera, quasi excubias actura in tenebris, videntur prodire e suis cubilibus, quæ mane repetunt cælo albescente, et Lucifer *statione novissimus exit.*

℣. 22. *Quisque cum puero,* seu famulo, *suo maneat* etiam nocte *in medio Jerusalem* — neque alio discedat aut divertat. Neque enim minus noctu opus est continuis excubiis adversus hostes, quam interdiu, unde et vestiti pernoctabant.

℣. 23. *Unusquisque tantum nudabatur,* seu vestibus subinde exuebatur, *ad*

pueri mei, et custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

baptismum — id est, ad lavandum et purgandum seu corpus, seu vestes a sordibus, quas continuato opere et vigilia paullatim contrahebant.

CAPUT V.

In magna pauperorum inopia Nehemias divites avaros increpat, usuras prohibet, sua egentibus ultro largitur. Atque ita etiam hanc operis remoram submovet.

1. Et factus est clamor populi et uxorum ejus magnus adversus fratres suos Judæos.

2. Et erant qui dicerent: Filii nostri, et filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus, et vivamus.

3. Et erant qui dicerent: Agros nostros, et vineas, et domos nostras opponamus, et accipiamus frumentum in fame.

4. Et alii dicebant: Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros et vineas.

5. Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: et sicut filii eorum, ita et filii nostri; ecce nos subjugamus filios nostros et filias nostras in servitutem, et de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, et agros nostros, et vineas nostras alii possident.

6. Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc:

7. Cogitavitque cor meum mecum: et increpavi optimates et magistratus, et dixi eis: Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam,

8. Et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram: et vos igitur vendetis fratres vestros, et redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent.

9. Dixique ad eos: Non est bona res, quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris?

10. Et ego, et fratres mei, et pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam et frumentum: non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis.

℣. 3. *Domos nostras opponamus* — Id est, oppignoremus fœneratoribus.

℣. 4. *In tributa regis* — Id est, ut habeamus unde regi Persárum tributa pendere possimus.

℣. 5. *Et nunc*, supple, valde misere, immo inique nobiscum agitur. *Sicut carnes*, seu corpora, *fratrum nostrorum* ditiorum, *sic carnes nostræ sunt* — licet pauperum et egentium. Id est, pari jure liberi omnes nati sumus, ex iisdem avis et parentibus; interim cogimur alii aliorum æqualium fieri servi et mancipia, neque id aliam ob causam, quam ob illorum avaritiam et crudelitatem, qui cum divites sint, jubeanturque lege Domini [1] gratuito fratribus mutuum dare in necessitate, ipsi tamen nolint nisi magno cum fœnore id præstare.

℣. 7. *Congregavi adversum ditiores concionem magnam* — nempe totius populi. Ut qui privatim a me moniti noluerant usuras remittere, in conspectu totius Ecclesiæ pudefacti cogerentur.

(1) Deut. 23, vers. 19.

11. Reddite eis hodie agros suos, et vineas suas, et oliveta sua, et domos suas: quin potius et centesimam pecuniæ, frumenti, vini, et olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.

12. Et dixerunt: Reddemus, et ab eis nihil quæremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi sacerdotes, et adjuravi eos, ut facerent juxta quod dixeram.

13. Insuper excussi sinum meum, et dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua, et de laboribus suis: sic excutiatur, et vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

14. A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego et fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, et acceperunt ab eis, in pane, et vino, et pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed et ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

16. Quin potius in opere muri ædificavi, et agrum non emi, et omnes pueri mei congregati ad opus erant.

17. Judæi quoque et magistratus,

℣. 11. *Centesimam pecuniæ, frumenti, vini, et olei, quam* singulis mensibus pro fœnore *exigere soletis ab eis, date pro illis* — seu condonate: vel, ut in Hebræo est, reddite illis. Dabant enim pauperculi sua omnia fœneratoribus oppignorata, donec pretium quod ab illis acceperant, integrum redderent: interim singulis mensibus *centesimam* illius pretii partem, seu fructus centesimæ parti respondentes cogebantur iisdem subministrare. Et hæc usura, *centesima* vulgo vocabatur; frequens Romanis, et apud Judæos, ut hinc patet, usitata: qua singulis annis octava pars summæ capitalis solvebatur pro fœnore, v. g. pro singulis centum aureis duodecim aurei. Cum vero solum dimidium ejus fœnoris penderetur, id est, sex pro centum, vocabantur *usuræ semisses*, seu dimidiatæ. Cum solum quatuor solverentur pro centum, *trientariæ*. Cum nonnisi unum, *unciales* dicebantur; et erat hæc usura benignissima.

℣. 12. *Et dixerunt* omnes isti fœneratores, seu pudore, seu metu instigati, seu publici boni studio permoti, *Reddemus* omnia pignora pauperibus, *et ab eis nihil* usuræ exinceps *quæremus*. En quam facile, quam placide novas in Judæam universam tabulas inducit Nehemias, quod Romæ tantis cum tumultibus toties tentatum, numquam plene perfectum fuit.

Et vocavi sacerdotes, nempe quotquot ejusdem sceleris participes erant. Et hos propter reverentiam ordinis sacerdotalis nolui publice coram populo confundere: sed privatim *adjuravi eos, ut* idem *facerent*, addita hac imprecatione, quam *excusso sinu* vestis meæ extimæ, serio ipsis imprecatus sum:

℣. 13. *Sic excutiat Deus de domo sua*, etc. — Familiare enim Judæis erat, gestu corporis exprimere quod verbis indicatum volebant. Imprecatur ergo hic Nehemias, ut, sicut vestis, cum excutitur, libera et vacua manet a pulvere, sic qui nollet usuras condonare pauperibus, omni fructu proventuque laborum suorum *vacuus fiat, et de domo* quoque *sua excutiatur*, id est, profugus et extorris a patria, et omnium egenus fiat.

℣. 16. *In opere muri ædificavi* — Nullus tamen cap. tertio, ubi omnes ædificatores recensentur, locus apparet in toto opere relictus Nehemiæ. Respondeo, Nullum ipsé sibi particularem locum desumpsit in opere, sed omnibus ubique aderat, omnibus invigilabat, omnes, ubi opus esset, juvabat per se, per suos, neque alienis, sed propriis sumptibus.

Et agrum non emi. — q. d.: Non studui augendis mihi opibus, sed quidquid habui seu ex proprio peculio, seu ex ærario regio, impendi in publicos urbis et egentium usus.

℣. 17. Ad *mensam meam* gratis admisi quotidie præfectos omnes operum, qui

centum quinquaginta viri, et qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant.

18. Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, et inter dies decem vina diversa, et alia multa tribuebam: insuper et annonas ducatus mei non quæsivi: valde enim attenuatus erat populus.

19. Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

excedebant centum quinquaginta capita: item legatos omnium nationum; et quotquot negotiorum publicorum causa ad nos ventilabant.

℣. 18. *Et inter dies decem vina diversa.* Id est, decimo quoque die convivium celebrabam splendidius, vina varia, et copiose curabam: *et alia multa* exhilarandis animandisque omnibus opportuna *tribuebam* de meo. Neque enim vel *annonam ducatus mei* — seu mihi ratione ducatus mei debitam, depoposci vel admisi, ne populum magis gravarem, qui sola murorum structura sat gravabatur, immo *valde attenuabatur*, cum et sine stipendiis vacarent operi, et domestica tantisper curare non possent.

CAPUT VI.

Hostes Judæorum Nehemiam sub specie fœderis cum eo feriendi conantur in insidias pertrahere: minantur accusationem de affectato regno; per pseudoprophetas pecunia corruptos, aliosque proditores novas ei fraudes adornant: sed frustra omnia.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, et Tobias, et Gossem Arabs, et ceteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, et non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis),

2. Miserunt Sanaballat et Gossem ad me, dicentes: Veni, et percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum.

3. Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, et non possum descendere: ne forte negligatur, cum venero et descendero ad vos.

4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis juxta sermonem priorem.

5. Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo:

6. IN GENTIBUS auditum est, et Gossem dixit, quod tu et Judæi cogitetis rebellare, et propterea ædifices murum, et levare te velis super eos regem: propter quam causam

7. Et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter.

℣. 2. *In viculis.* Forte Hebræum *Chephirim*, est proprium nomen loci. *In campo Ono.* Is erat in tribu *Benjamin* ad Jordanem, vocaturque *vallis artificum:* ita Adrichomius, et colligitur ex cap. 11, vv. 31 et 35. Huc prætextu fœderis evocabant Samaritani Nehemiam, *ut facerent* ipsi *malum* — nempe vel mortem inferrent, vel saltem vincula injicerent.

℣. 7. *Et prophetas posueris* — Id est, concionatores constituisti, qui ad populum te regem in Judæa pronuntient. Calumnia hac terrere et ex urbe pellicere

8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.

9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, et quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas:

10. Et ingressus sum domum Semaiæ filii Dalaiæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, et claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, et nocte venturi sunt ad occidendum te.

11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? et quis ut ego ingrediatur templum, et vivet? non ingrediar.

12. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, et Tobias et Sanaballat conduxissent eum;

13. Acceperat enim pretium, ut territus facerem, et peccarem, et haberent malum, quod exprobrarent mihi.

14. Memento mei, Domine, pro Tobia et Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed et Noadiæ prophetæ, et ceterorum prophetarum, qui terrebant me.

15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.

conantur Nehemiam, prætextu tutelæ et opis ipsi præstandæ, si velit sua secum consilia communicare. Sed ipse, contentus negasse calumniam, persistit in sua urbe, et cœpto opere. Sed en alias magis occultas fraudes.

℣. 10. Vocatur a *Semaia filio Dalaiæ* pseudopropheta. Hic, ut apparet ex 1 Paralip. 24, v. 18, sacerdos erat de *vice Dalaia*, quæ erat *vigesima tertia:* et domi suæ se continebat quasi vir sanctus. Jamque consulturus incolumitati Nehemiæ, vocat eum secreto ad se, quasi aliquid ei indicaturus nomine et jussu Dei. Paret Nehemias, adit secreto, audit: *Tractemus nobiscum in domo Dei, in medio templi*, id est, consulamus incolumitati nostræ, et recipiamus nos in templum. Insidiantur enim vitæ tuæ Samaritani, multis nominibus jam pridem tibi infensi. Et cum valvæ nondum sint affixæ portis, facile noctu irrumpere possent, et domi tuæ te jugulare. Sed in templo, quod instar arcis est munitum, tutus eris: et ego tibi perpetuus adero comes et laborum et periculorum. Sed suboluit fraus Nehemiæ, seu quod divina revelatione resciscceret, seu quod humana solertia conjectaret,

℣. 12. hunc pseudo-vatem ab ipsismet Samaritanis *pretio* subornatum esse, et ut me meis exosum et contemptibilem redderet, non vere, sed *quasi vaticinando*, ista mihi suggessisse.

℣. 13. *Ut territus* instanti periculo *facerem* quod suasisset: *et* sic *peccarem*, tum in honorem meum, cui tum maxime temporis consultum oportuit: tum in Deum meum, diffidendo illius providentiæ: tum in rempublicam, territando omnes meos subditos pavore et pusillanimitate mea. Unde dixi, v. 11: *Num quisquam similis mei*, vir militaris et princeps, simili de causa *fugit* umquam? Quis tantæ dignitatis, et a quo pendent animi omnium, recipiet se *in templum*, quasi fugitivus et male sibi conscius in asylum, *et vivet*, seu *ut vivat?* q. d.: Ne vitæ quidem suæ tutandæ causa id facere decet.

℣. 14. *Sed et Noadiæ prophetæ* — vel, ut hebraice est, *prophetissæ*, et plurium aliorum pseudo-prophetarum opera ad me terrendum, atque a cœpto opere abstrahendum usi fuerunt. Sed et falsos fratres subornarunt eumdem in finem etiam e primatibus Judæis, de quibus vers. 17, qui subdole et proditorie adblandiebantur mihi, sed cum hostibus adversum me conspirabant, ut remora fieret operi. Sed in vanum omnia. Nam

℣. 15. *Completus est murus vigesimo-quinto die mensis Elul* — Is est mensis sextus Hebræorum, et respondet nostro partim Augusto, partim Septembri: non impensis toti operi ab initio usque ad finem, nisi *quinquaginta duobus diebus*. Quod in opere tam vasto sane merito miratæ sunt omnes gentes vicinæ, *et concidentes intra semetipsos*, id est stupore simul et timore exanimatæ, palam professæ sunt, *a Deo factum esse hoc*

16. Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes quæ erant in circuitu nostro, et conciderent intra semetipsos, et scirent quod a Deo factum esset opus hoc.

17. Sed et in diebus illis, multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, et a Tobia veniebant ad eos.

18. Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Sechenïæ filii Area, et Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ:

19. Sed et laudabant eum coram me, et verba mea nuntiabant ei: et Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

opus. Sed et *Nehemiæ* studio ac vigilantiæ plurimum hic debebatur, qui quotquot idonei essent operi promovendo admoverat, et noctes diebus junxerat, et nullis sumptibus pepercerat. Simile quid legimus in gestis Alexandri Magni, qui ad Tanaim novæ Alexandriæ muros 60 stadiorum longitudine excitavit spatio 17 *dierum*, ut vult Curtius, vel, ut Arrianus, 20 [1], [2].

(1) Q. Curt. et Arrian. in vita Alex. Magni.

(2) Gilletus *in* 11 *Ant. Judaic. lib., adnot.* 7, miraculum ait futurum fuisse, si duobus et quinquaginta diebus Jerusalem muri fuissent ædificati; porro Deus miracula sine necessitate non patrat; quæ autem hic miraculi necessitas? Adde, Josephum scribere, duos omnino annos, ac menses præterea quatuor (non tres, quod Gelenii versione decepti Leydeckerus aliique ajunt) in murorum ædificationem fuisse impensos. Igitur vel amanuensium vitio numeri Hebræi textus fuere corrupti, ut nonnulli putant, vel certe (ut ipse verisimilius esse existimat) pro *diebus* scribendum *annis*, scilicet a Templi dedicatione. Ego vero nolim tam facile ad Amanuensium errata in sacris libris confugere; nec vero ullo hic miraculo opus, ut quæ Tirinus adfert, consideranti constabit. Hos porro 52 dies sumit Duhamel ab epistola Sanaballati missa.

CAPUT VII.

Cinctæ jam mœnibus urbi custodes designat Nehemias. Recenset qui olim cum Zorobabele e Babylone Jerosolymam redierant: et donaria in fabricam collata.

1. Postquam autem ædificatus est murus, [1] et posui valvas, et recensui janitores, et cantores, et Levitas:

2. Præcepi Hanani fratri meo, et Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax et timens Deum plus ceteris videbatur)

3. Et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, et oppilatæ: et posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, et unumquemque contra domum suam.

4. Civitas autem erat lata nimis et grandis, et populus parvus in medio ejus, et non erant domus ædificatæ.

℣. 2. *Hanani fratri*, seu cognato, *meo*. Videtur is idem esse qui initio hujus libri, e Judæa in Persidem ad Nehemiam venisse memoratur.

Et Hananiæ principi, id est præfecto, *domus*, seu palatii regii, ut est in Hebræo. His, inquam, duobus utpote *plus ceteris* (quod experientia didiceram) *timentibus Deum*, et fidelibus tam mihi quam reipublicæ, *præcepi de Jerusalem* — supple, bene et accurate custodienda. Hos enim præfeci illi muneri.

℣. 3. *Cumque adhuc assisterent* — Id est, nonnisi præsentibus illis et assistentibus, *clausæ sunt* vesperi *portæ, et oppilatæ*, nimirum *valvis* et cratibus seu cuneis, ut est in Græco.

(1) Eccli. 49, vers. 15.

5. Deus autem dedit in corde meo, et congregavi optimates, et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos: et inveni librum census eorum, qui ascenderant primum, et inventum est scriptum in eo.

6. [1] Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, et reversi sunt in Jerusalem, et in Judæam, unusquisque in civitatem suam.

7. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel:

8. Filii Pharos, duo millia centum septuaginta duo:

9. Filii Saphatia, trecenti septuaginta duo:

10. Filii Area, sexcenti quinquaginta duo:

11. Filii Phahathmoab filiorum Josue et Joab, duo millia octingenti decem et octo:

12. Filii Ælam, mille ducenti quinquaginta quatuor:

13. Filii Zethua, octingenti quadraginta quinque:

14. Filii Zachai, septingenti sexaginta:

15. Filii Bannui, sexcenti quadraginta octo:

16. Filii Bebai, sexcenti viginti octo:

17. Filii Azgad, duo millia trecenti viginti duo:

18. Filii Adonicam, sexcenti sexaginta septem:

19. Filii Beguai, duo millia sexaginta septem:

20. Filii Adin, sexcenti quinquaginta quinque.

21. Filii Ater, filii Hezeciæ, nonaginta octo:

22. Filii Hasem, trecenti viginti octo:

23. Filii Besai, trecenti viginti quatuor:

24. Filii Hareph, centum duodecim:

25. Filii Gabaon, nonaginta quinque:

26. Filii Bethlehem, et Netupha, centum octoginta octo:

27. Viri Anathoth, centum viginti octo:

28. Viri Bethazmoth, quadraginta duo:

29. Viri Cariathiarim, Cephira, et Beroth, septingenti quadraginta tres:

30. Viri Rama et Geba, sexcenti viginti unus:

31. Viri Machmas, centum viginti duo:

32. Viri Bethel et Hai, centum viginti tres:

y. 5. *Deus dedit in corde meo,* id est, mihi suggessit, *ut recenserem,* seu investigarem, *eos* — Hebraice, genealogias eorum, id est, catalogum Judæorum e Babylone reductorum, quot et qui essent e quaque familia. Nimirum, ut viderem an ex tam numerosis familiis possem curare urbi Jerosolymæ novos incolas, et civium supplementa. Quod tandem factum per sortem, infra docetur cap. 11.

Et inveni librum census, seu consignationem quamdam, in qua annotati erant, *qui ascenderant primum* cum Zorobabele Babylone Jerosolymam anno primo monarchiæ Cyri regis Persarum.

(1) 1 Esdr. 2, vers. 1.

Habes hanc consignationem seu catalogum libro 1 Esdræ cap. 2, sed verbis hinc inde mutatis: numeris vero pene ubique diversis. Quæ diversitas inde promanasse videtur, quod sæpius recensita sint capita, v. g. Primo, cum e Babylone demigrarent: secundo, cum in Judæam appellerent: tertio, cum instaurato jam templo dedicationem illius celebrarent. Unde et diversi catalogi confecti sunt, et diversi numeri notati, prout decursu temporis alii aucti fuerant liberis, alii orbati. Ex uno ergo illorum catalogorum potuit Esdras sua excerpsisse: Nehemias ex alio. Vide Franciscum Lucam [2].

(2) Franc. Lucas hic notat. 79.

33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo:
34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor:
35. Filii Harem, trecenti viginti:
36. Filii Jericho, trecenti quadraginta quinque:
37. Filii Lot Hadid et Ono, septingenti viginti unus:
38. Filii Senaa, tria millia nongenti triginta:
39. Sacerdotes: Filii Idaia in domo Josue, nongenti septuaginta tres:
40. Filii Emmer, mille quinquaginta duo:
41. Filii Phasur, mille ducenti quadraginta septem:
42. Filii Arem, mille decem et septem. Levitæ:
43. Filii Josue et Cedmihel, filiorum
44. Oduiæ, septuaginta quatuor. Cantores:
45. Filii Asaph, centum quadraginta octo.
46. Janitores: Filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: centum triginta octo.
47. Nathinæi: filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth,
48. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai,
49. Filii Hanan, Filii Geddel, filii Gaher,
50. Filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda,
51. Filii Gezem, filii Aza, filii Phasea,
52. Filii Besai, filii Munim, filii Nephussim,
53. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,
54. Filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa,
55. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema,
56. Filii Nasia, filii Hatipha,
57. Filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida,
58. Filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddel,
59. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.
60. Omnes Nathinæi, et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, et Emmer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum, utrum ex Israel essent.
62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadraginta duo.
63. Et de sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem: et vocatus est nomine eorum.
64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, et non invenerunt: et ejecti sunt de sacerdotio.
65. Dixitque Athersatha eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus et eruditus.
66. Omnis multitudo quasi vir unus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta,
67. Absque servis et ancillis eorum, qui erant septem mille trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices, ducenti quadraginta quinque.
68. Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque:
69. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti.

Hucusque refertur quid in commentario scriptum fuerit, exin Nehemiæ historia texitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta.

71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, et argenti mnas duo millia, et tunicas sacerdotales sexaginta septem.

73. Habitaverunt autem sacerdotes, et Levitæ, et janitores, et cantores, et reliquum vulgus, et Nathinæi, et omnis Israel, in civitatibus suis.

CAPUT VIII.

Prima die mensis septimi Tisri, convocato omni populo Jerosolymam, Esdras sacerdos prælegit explicatque legem Dei. Quam lectionem sumit 15 ejusdem mensis, et continuat tota octava solemnitatis Tabernaculorum, quam splendidissime celebrarunt.

1. Et venerat mensis septimus: filii autem Israel erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus, ad plateam quæ est ante portam aquarum; et dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli.

2. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi.

3. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum et sapientium; et aures omnis populi erant erectæ ad librum.

4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: et steterunt juxta eum, Mathathias, et Semeia, et Ania, et Uria, et Helcia, et Maasia, ad dexteram ejus: et ad sinistram Phadaia, Misael, et Melchia, et Hasum, et Hasbadana, Zacharia, et Mosollam.

5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: et cum aperuisset eum, stetit omnis populus.

6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno: et respondit omnis populus: Amen, amen: elevans manus suas; et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram.

℣. 1. *Dixerunt Esdræ, ut afferret librum legis Moysis* — Hoc nomine intelligunt Pentateuchum: et præcipue Deuteronomium. Non dicunt, Instaura librum de novo: vel, recens ede in lucem: sed, Affer e scrinio vel gazophylacio. Neque enim, ut quidam imaginati sunt, perierant et flammis absumpti fuerant omnes libri legis in excidio templi et urbis Jerosolymitanæ, ut opus esset, de novo eosdem instaurari per Esdram: sed, ut dixi 1 Esdræ 7, v. 6, solum correxit illos Esdras, et in meliorem ordinem redegit, et aliis characteribus descripsit.

℣. 3. *Et legit in eo aperte:* et vers. 8 *distincte et aperte ad intelligendum* — Hebraice: *ponendo intellectum.* Ita ut vulgus intelligeret quod legebatur. Nam quæ hebraice scripta erant, ipse lingua vulgari Syrorum pronuntiabat. Neque enim Judæi ex quo Babylone redierunt, amplius locuti sunt hebraice, sed syriace, mixta nempe lingua ex hebraica et chaldaica. Puræ vero hebraicæ linguæ usus in sacris tantum libris et divinis officiis permansit. Unde ut a vulgo intelligerentur libri Moysis, opus fuit ut syriaca, id est vulgi lingua, prælegerentur [1].

℣. 4. *Super gradum ligneum* — Hebraice, *turrim ligneam.* Sic suggestum vocat, quod instar turriculæ emineret a terra.

(1) Atque hæc quidem communis sententia est. Gilletus tamen *in* 11 *Judaic. Ant. lib., admot.* 6, multis aggreditur comprobare, Israelitas Hebrææ linguæ oblitos haud fuisse captivitatis tempore.

7. Porro Josue, et Bani, et Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaia, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo.

8. Et legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur.

9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) et Esdras sacerdos et scriba, et Levitæ interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, et nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.

10. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

11. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, et nolite dolere.

12. Abiit itaque omnis populus, ut comederet et biberet, et mitteret partes, et faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

13. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, sacerdotes et Levitæ, ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis.

14. Et invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo:

15. Et ut prædicent, et divulgent vocem in universis urbibus suis, et in Jerusalem, dicentes: Egredimini in montem, et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.

16. Et egressus est populus, et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo, et in atriis suis, et in atriis domus Dei, et in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim.

℣. 10. *Nolite contristari* — Et vers. 9, *Nolite lugere, Nolite flere.* Tristabantur vero; et flebant, et lugebant jure merito, quod ex lectione libri legis audirent, prædicta jam olim patribus suis, quo casu deflecterent a lege Dei, omnia miseriarum et calamitatum genera quæ ipsi uno alteroque seculo jam patiebantur. Hunc tamen luctum et fletum inhibent hic Levitæ, quod importuno tempore et loco ederentur, puta in concione, et solemni die festo Neomeniæ, quo propter memoriam acceptorum cælitus tum ab antiquo, tum de novo beneficiorum publice gaudendum erat, et festum celebrandum.

Gaudium enim Domini est fortitudo nostra — Id est, tali gaudio in Domino, et festiva celebratione diei hujus ob beneficia accepta Domino, fortiores efficiemur, nempe nova ope divina, novisque benedictionibus, ob exacte servatam legem Dei, nobis cælitus impertiendis.

℣. 13. *Principes* ab *Esdra* petunt, *ut interpretaretur eis verba legis* — Nempe ex pridiana lectione subortæ fuerant inter illos aliquæ quæstiones non de verbis (nam versu præc. dicitur etiam vulgus ea intellexisse), sed de sensu et intelligentia rerum quarumdam: et nominatim de ritibus et cæremoniis, quibus celebrandum erat instans festum Scenopegiæ seu Tabernaculorum, ut mox subditur. Sed de ritibus istis egi fusius Levitici 23.

℣. 15. *Divulgent vocem* — nempe præconis: qua denuntiari jubetur, ut in 15 diem ejusdem mensis Tisri omnes undique Jerosolymam confluant, ad festum Scenopegiæ per octiduum celebrandum.

Afferte frondes ligni pulcherrimi — Hebraice, *ligna olei* seu pinguis [1], quod LXX verterunt *cypressum:* Pagninus *pinum:* Mariana *balsamum:* alii *cedrum.* Sed ex omni genere frondium seu ramorum poterant illa construi tentoria.

℣. 16. *Feceruntque sibi tabernacula*

(1) Proleg. de Idiotismis. Hebr., n. 11.

17. Fecit ergo universa Ecclesia eorum qui redierant de captivitate, tabernacula, et habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.

18. Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum; et fecerunt solemnitatem septem diebus, et in die octavo collectam juxta ritum.

in domate suo — id est in tecto domus suæ, seu solario. Nam omni loco poterant ea tabernacula figi, dummodo sub dio.

℣. 17. *A diebus Josue filii Nun*, seu a primo ingressu terræ sanctæ, *non fecerant taliter filii Israel* — nempe tanta lætitia, tanto apparatu, tam celebri, tam prolixa lectione et explicatione legis divinæ.

℣. 18. *Collecta* quid sit, explicui Lev. 23.

CAPUT IX.

Populus iterato se separat a commercio cum alienigenis. Levitæ confitentur Dei beneficia, et populi scelera: et fœdus cum Domino instaurant.

1. In die autem vigesimo quarto mensis hujus, convenerunt filii Israel in jejunio et in saccis, et humus super eos.

2. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum.

3. Et consurrexerunt ad standum: et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum.

4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum, Josue, et Bani, et Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, et Chanani: et clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum.

5. Et dixerunt Levitæ, Josue, et Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathahia: Surgite, benedicite Dño Deo vestro ab æterno usque in æternum: et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude.

6. Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum: terram, et universa quæ in ea sunt: maria, et omnia quæ in eis sunt: et tu

℣. 1. *Humus*, id est pulvis et cinis, *super eos* — Nam pulvere caput conspergebant. Et hoc publicæ pœnitentiæ signum erat, ut et *saccus* cilicinus, et solemne jejunium.

℣. 2. *Separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena* — Id est, pure Israelitæ, seu nati ex parentibus fidelibus, sejuncti et separati sunt ab aliis qui ex altero infideli parente prognati fuerant. Nolebant enim ulterius habere cum illis commercia. Vide dicta 1 Esdræ 10, v. 3. At vero

℣. 3. *Consurrexerunt* Levitæ *ad standum*, id est, ascenderunt in locum aliquem sublimiorem, in quo tamquam in theatro vel suggestu stantes, ut videri et exaudiri undique a circumstante populo possent, *legerunt in volumine legis Domini, quater in die*, seu quatuor diversis horis per diem: *et quater confitebantur* — nempe singulis lectionibus seu exhortationibus subnectebant hymnos et psalmos, quibus Deo quidem laudem justitiæ, veritatis et misericordiæ; sibi vero confusionem, ob scelera admissa tribuebant, ac veniam humillime deposcebant.

℣. 6. *Cælum cælorum*, omnium maximum ac nobilissimum, puta empyreum.

vivificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorat.

7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et [1] eduxisti eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham:

8. Et invenisti cor ejus fidele coram te: et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Chananæi, Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Jebusæi, et Gergesæi, ut dares semini ejus: et implesti verba tua, quoniam justus es.

9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super mare Rubrum.

10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die.

11. Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.

12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.

13. Ad montem quoque Sinai descendisti, et locutus es cum eis de cælo, et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias, et præcepta bona:

14. Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, et mandata, et cæremonias, et legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui.

15. Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam, ut traderes eis.

16. Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua.

17. Et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput, ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens et misericors, longanimis et multæ miserationis, non dereliquisti eos,

18. Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent:

Et omnem exercitum eorum — Id est, omnes stellas, et omnes angelos [2].

℣. 7. *Igne* — Hebraice, *Ur Chaldæorum*. Videtur enim proprium esse nomen urbis sic dictæ ab *igne*, qui istic, ut et in Perside, pro Deo colebatur, teste sancto Hieronymo [3] super Genesi, ubi nomen proprium *Ur* retinuit. Sed hic maluit interpretationem illius nominis ponere, propter *emphasin* quam explicatam voluit; nempe, subductum Abrahamum ab *igne*, id est, tribulatione [4] et afflictione quam istic a Chaldæis, quod nollet *ignem* adorare, perpeti solebant, teste Josepho, sancto Augustino et Hieronymo [5]; qui addit, Hebræorum traditionem esse, Abrahamum ea de causa conjectum in ignem a Chaldæis, sed et a Deo miraculose ereptum fuisse. Vide quæ dixi Genesis 11.

℣. 12. *De columna nubis et ignis*, vide Exodi 13.

℣. 15. *Panem de cælo* — Id est *manna*. Vide Exodi 16.

Levasti manum tuam — Id est jurasti, ut dixi in Prolegomenis [6].

℣. 17. *Dederunt*, seu retro verterunt, *caput* — Vel, ut alii, ducem seu principem sibi statuere decreverunt, qui reduceret eos in Ægyptum, ut habetur Numerorum 14. Sic infra v. 29: *Dederunt* retro, id est averterunt, *humerum* ab onere *recedentem*.

(1) Gen. 11, vers. 31. (2) Eccli. 43, vers. 9.
(3) Quæst. in Gen. 11, vers. 31.
(4) Psalm. 16, vers. 3; Psalm. 65, vers. 12.
(5) Joseph. lib. 1 Antiq.; August. l. 16 de Civ., cap. 13; Hieron. sup.
(6) Proleg. de Idiotismis Hebr., n. 13.

Iste est deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas.

19. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, et columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur.

20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, et aquam dedisti eis in siti.

21. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti.

22. Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes: et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan.

23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, et adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur et possiderent.

24. Et venerunt filii, et possederunt terram, et humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, et dedisti eos in manu eorum, et reges eorum et populos terræ, ut facerent eis sicut placebat illis.

25. Ceperunt itaque urbes munitas et humum pinguem, et possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, et oliveta, et ligna pomifera multa: et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna.

26. Provocaverunt autem te ad iracundiam, et recesserunt a te, et projecerunt legem tuam post terga sua: et prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes.

27. Et dedisti eos in manu hostium suorum, et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cælo audisti, et secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum.

28. Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo: et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, et possederunt eos. Conversique sunt, et clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, et liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus.

29. Et contestatus es eos ut reverterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, et non audierunt mandata tua, et in judiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, et vivet in eis: et dederunt humerum recedentem, et cervicem suam induraverunt, nec audierunt.

30. Et protraxisti super eos annos multos, et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: et non audierunt, et tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum, et clemens es tu.

32. Nunc itaque, Deus noster magne, fortis, et terribilis, custodiens pactum et misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, et principes nostros, et sacerdotes nostros, et prophetas nostros, et patres nostros, et omnem populum tuum, a diebus regis Assur usque in diem hanc.

℣. 32. *Ne avertas a facie tua,* id est, ne contemnas, ne negligas, *omnem laborem,* seu molestiam et miseriam nostram *a diebus regis Assur* — cum decem tribus abductæ sunt captivæ in Assyriam.

33. Et tu justus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus.

34. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, et patres nostri, non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua quæ testificatus es in eis.

35. Et ipsi in regnis suis, et in bonitate tua multa, quam dederas eis, et in terra latissima et pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis.

36. Ecce nos ipsi hodie servi sumus: et terra, quam dedisti patribus nostris, ut comederent panem ejus, et quæ bona sunt ejus, et nos ipsi servi sumus in ea.

37. Et fruges ejus multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, et corporibus nostris dominantur, et jumentis nostris secundum voluntatem suam, et in tribulatione magna sumus.

38. Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, et scribimus, et signant principes nostri, Levitæ nostri, et sacerdotes nostri.

℣. 33. *Veritatem fecisti* — Id est, quod promiseras, quodque minatus fueras, præstitisti.

℣. 37. *Fruges multiplicantur regibus* — seu in regum utilitatem; q. d. Multos et uberes fructus profert quidem terra nostra, verum illi non nobis cedunt, sed externis regibus Persarum, quibus subdimur, et servire et tributa pendere cogimur.

℣. 38. *Super omnibus ergo his*, id est, propter hæc omnia, ut nostri deinceps misereri pergas: en novo *fœdere* fideli et constanti *nos* tibi obstringimus, quod velimus mandatis tuis æternum parere. *Et scribimus* — Id est, litteras hujus fœderis testes obsignari omnium nomine curabimus ab iis qui in republica nostra et Ecclesia primas tenent, quorum nomina sequenti cap. recensentur.

CAPUT X.

Recensentur qui fœdus cum Deo initum signarunt, quo promittunt se servaturos universa Dei præcepta, maxime de vitando commercio cum alienigenis, de servando Sabbato, et anno septimo Sabbatico, de oblationibus, primitiis ac decimis.

1. Signatores autem fuerunt, Nehemias, Athersatha filius Hachelai, et Sedecias,
2. Saraias, Azarias, Jeremias,
3. Pheshur, Amarias, Melchias,
4. Hattus, Sebenia, Melluch,
5. Harem, Merimuth, Obdias,
6. Daniel, Genthon, Baruch,
7. Mosollam, Abia, Miamin,
8. Maazia, Belgai, Semeia: hi sacerdotes.
9. Porro Levitæ, Josue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel,
10. Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan,
11. Micha, Rohob, Hasebia,
12. Zachur, Serebia, Sabania,
13. Odaia, Bani, Baninu,
14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani,
15. Bonni, Azgad, Bebai,
16. Adonia, Begoai, Adin,
17. Ater, Hezecia, Azur,
18. Odaia, Hasum, Besai,
19. Hareph, Anathoth, Nebai,
20. Megphias, Mosollam, Hazir,
21. Mesizabel, Sadoc, Jeddua,
22. Pheltia, Hanan, Anaia,
23. Osee, Hanania, Hasub,
24. Alohes, Phalea, Sobec,
25. Rehum, Hasebna, Maasia,

26. Echaia, Hanan, Anan,
27. Melluch, Haran, Baana:
28. Et reliqui de populo, sacerdotes, Levitæ, janitores, et cantores, Nathinæi, et omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum, et filiæ eorum,
29. Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, et qui veniebant ad pollicendum et jurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent et custodirent universa mandata Domini Dei nostri, et judicia ejus et cæremonias ejus,
30. Et ut non daremus filias nostras populo terræ, et filias eorum non acciperemus filiis nostris.
31. Populi quoque terræ, qui important venalia, et omnia ad usum, per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato et in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, et exactionem universæ manus.
32. Et statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri,
33. Ad panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum, et in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, et in sanctificatis, et pro peccato: ut exoretur pro Israel, et in omnem usum domus Dei nostri.
34. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter sacerdotes, et Levitas, et populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:
35. Et, ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini:
36. Et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, et primitiva boum nostrorum, et ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:
37. Et primitias ciborum nostrorum, et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levi-

℣. 28. *Qui separarunt de populis terrarum ad legem Dei*, sunt proselyti.

℣. 29. *Omnes qui poterant sapere* — Id est, quotquot in ea ætate constituti erant, ut sui compotes essent.

Spondentes erant *pro fratribus suis optimates* — Neque enim omnes de populo, neque omnes sacerdotes et Levitæ obsignarunt propria manu pactum: sed qui in quoque ordine principes erant, signarunt nomine et vice aliorum.

Et qui veniebant, hebraice, *venientes* erant, id est venerunt, *ad pollicendum et jurandum*. Hebraice additur, *cum execratione*. Jurant autem se *ambulaturos in lege Dei* — id est, servaturos legem, et omnia illius *mandata*. Atque inter alia

℣. 31. *Dimittemus* liberum *annum septimum* — non colendo agros eo anno, sed sponte nata pauperibus permittendo. Vide dicta Exodi 23, vers. 11.

Dimittemus etiam *exactionem universæ manus* — Id est, non repetemus illo anno debita quæ per syngraphas manu signatas nobis debentur a pauperibus. Ut enim ibidem dixi, remittenda erant debita anno Sabbatico.

℣. 33. In *sanctificatis*, videtur intelligere *hostias pacificas*, ad differentiam aliarum quæ *pro peccato* offerebantur. De quibus Levitici 3 et 4.

℣. 34. *A temporibus anni usque ad annum* — id est, annuatim.

℣. 37. *Decimam partem terræ* — id est decimas fructuum terræ. Sic *decimas operum*, id est decimas fructuum ex operibus nostris resultantium. Porro de lege decimarum vide Levit. ultimo et alibi [1].

(1) Num. 18; Deut. 18, etc.

tis, ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.

38. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri.

39. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel, et filii Levi, primitias frumenti, vini, et olei: et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri, et non dimittemus domum Dei nostri.

℣. 38. *Sacerdos filius Aaron*, seu sacerdotes posteri Aaron, erunt *cum Levitis in decimis Levitarum* — Id est, partem suam habebunt ex decimis quæ Levitis a populo dabuntur: puta *decimam* omnium *decimarum*. De qua ibidem fusius.

℣. 39. *Et ibi erunt*, pro, ibi adservantur, *vasa* templi: et habitant *sacerdotes*, quo tempore per vices ministrant. Ad hæc enim gazophylacia debebant sumptu colonorum et Levitarum deferri primitiæ quæ sacerdotibus cedebant.

Et non dimittemus domum Dei, seu curam domus Dei, et quæ ad cultum divinum, et ad ministrorum alimenta spectant. Hæc omnia jurant se ex fide præstituros. Verisimile autem est, hæc ideo præ ceteris præstanda jurari, quod hactenus vel neglecta fuissent, vel negligenter admodum observata.

CAPUT XI.

Instaurata jam urbe Jerosolyma, recensentur incolæ illius, et reliquarum civitatum Juda.

1. Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem: reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus.

2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant ut habitarent in Jerusalem.

3. Hi sunt itaque principes provinciæ, qui habitaverunt in Jerusalem, et in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, et filii servorum Salomonis.

4. Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, et de filiis Benjamin: de filiis Juda, Athaias filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Zaphatiæ, filii Malaleel: de filiis Phares,

5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Jojarib, filius Zachariæ, filius Silonitis:

6. Omnes hi filii Phares, qui ha-

℣. 1. *Unam partem de decem* ex omnibus familiis sorte delegerunt, ut urbem muris quidem cinctam, sed incolis adhuc vacuam, et a domibus nudam incolerent, et ædificiis instruerent. Erat enim, ut cap. 7, v. 4 dictum fuit, *civitas lata nimis et grandis, et populus parvus* numero *in medio ejus, et non erant domus ædificatæ*. Sed has ædificare cœperunt, et plateas et fora, et regiones urbis paullatim instaurarunt, partim qui sorte delecti fuerant, partim qui sponte sua urbem incolendam ceperant. Et biennium totum ei rei impensum testatur Josephus [1] et venerabilis Beda.

℣. 3. De *Nathinæis, et servis Salomonis*, vide 1 Esdræ 2, v. 43, et 1 Paral. 9, vers. 2.

(1) Lib. 11 Antiq., cap. 5.

bitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes.

7. Hi sunt autem filii Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Joed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia,

8. Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti viginti octo,

9. Et Joel filius Zechri præpositus eorum, et Judas filius Senua super civitatem secundus.

10. Et de sacerdotibus, Idaia filius Joarib, Jachin,

11. Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei,

12. Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adaia filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ,

13. Et fratres ejus principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer,

14. Et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, et præpositus eorum Zabdiel filius potentium.

15. Et de Levitis, Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni,

16. Et Sabathai et Jozabed, super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum.

17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum et ad confitendum in oratione et Becbecia secundus de fratribus ejus, et Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum:

18. Omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octoginta quatuor.

19. Et janitores, Accub, Telmon, et fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo.

20. Et reliqui ex Israel sacerdotes et Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua.

21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, et Siaha, et Gaspha de Nathinæis.

22. Et episcopus Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.

23. Præceptum quippe regis super eos erat, et ordo in cantoribus per dies singulos.

℣. 9. *Super civitatem*, seu civitatis præfecturam, *secundus* dignitate erat *Judas* — Id est, post *Joel præpositum* proximus.

℣. 11. *Achitob princeps domus Dei* — id est, procurator, vel fabricæ magister. Nam non fuisse summum pontificem, patet ex cap. seq., v. 10 ubi recensentur omnes summi pontifices qui in Judæa præfuerunt spatio ducentorum annorum, quibus duravit monarchia Persarum, puta a primo anno Cyri, usque ad Alexandrum Magnum, qui monarchiam Persis ereptam transtulit ad Græcos.

℣. 14. *Filius potentium* — Id est, unius e potentibus et magnatibus. Sic enim sæpe apud Hebræos genitivus pluralis distributive accipitur.

℣. 16. *Opera, quæ erant forinsecus in domo Dei*, sunt ea quæ culturam prædiorum, et concinnationem vasorum templi concernebant, quæ *a principibus Levitarum* curari debebant.

℣. 17. *Princeps ad laudandum*, est præpositus cantorum, et præfectus instrumentis musicis. De his vide 1 Paralipom. 25.

℣. 19. Qui *Janitores*, vide 1 Par. 26, v. 12. Sic

℣. 21. De *Ophel* dixi 2 Paralip. 27, v. 3, et 2 Esdræ 3, v. 30.

℣. 22. *Episcopus Levitarum* — Ita etiam LXX. Sed hebraice est, *princeps* seu præfectus primarius Levitarum.

℣. 23. *Præceptum regis*, nempe Artaxerxis, *erat super eos* — Id est. rex præceperat ut *Levitæ* servato antiquo ordine laudes Deo quotidie per vices in templo decantarent.

24. Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filii Juda in manu regis, juxta omne verbum populi,

25. Et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Cariatharbe, et in filiabus ejus: et in Dibon, et in filiabus ejus: et in Cabseel, et in viculis ejus,

26. Et in Jesue, et in Molada, et in Bethphaleth,

27. Et in Hasersual, et in Bersabee, et in filiabus ejus,

28. Et in Siceleg, et in Mochona, et in filiabus ejus,

29. Et in Remmon, et in Saraa, et in Jerimuth,

30. Zanoa, Odollam, et in villis carum, Lachis et regionibus ejus, et Azeca, et filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.

31. Filii autem Benjamin, a Geba, Mechmas, et Hai, et Bethel, et filiabus ejus:

32. Anathoth, Nob, Anania,

33. Asor, Rama, Gethaim,

34. Hadid, Seboim, et Neballat, Lod,

35. Et Ono valle artificum.

36. Et de Levitis portiones Judæ et Benjamin.

℣. 24. *In manu regis, juxta omne verbum populi* — Hebraice *erat ad manum regis, ad omne negotium populi.* Id est, a rege constitutus erat *Phathahias,* ut regis nomine, una cum duce populi determinaret causas populi Judaici. Sic solet subinde aliquis legum peritus jungi ei qui pro rege præest in provincia.

℣. 25. *Et in domibus* — Hebraice, *et in villis,* seu agro extra urbem Jerosolymam. Hactenus enim de incolis egerat urbis Jerosolymæ: nunc recenset, quinam extra illam in aliis seu urbibus, seu pagis, seu villis, *per omnes regiones* Judææ tum temporis habitarint.

De *Cariatharbe* dixi Josue 14, v. 12. De urbe vero *Lachis,* cujus hic v. 30 fit mentio, vide Josue 10, v. 32, et 2 Paralip. 11, v. 9.

De *valle Ennom* 4 Regum 23, v. 10.

De *Ono valle artificum,* cujus hic meminit vers. 35, vide hoc libro cap. 6, vers. 2.

℣. 36. *Et de Levitis portiones* erant, id est, pars quoque Levitarum obtinebat *portiones* suas inter reliquos Israelitas per totum circulum tribus *Judæ et Benjamin* — Quia non in sola urbe Jerosolyma, sed et extra illam immixti ceteris Levitæ degebant.

CAPUT XII.

Nomina et officia sacerdotum ac Levitarum tempore Jesu, et Joacimi, et sequentium summorum pontificum usque ad Darium Codomannum, ultimum Persarum monarcham. Celebratur dedicatio urbis novæ Jerosolymæ, evocatis ad eam undique Levitis et aliis omnibus Judæis.

1. Hi sunt autem sacerdotes et Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, et Josue: Saraia, Jeremias, Esdras,

2. Amaria, Melluch, Hattus,

3. Sebenias, Rheum, Merimuth,

4. Addo, Genthon, Abia,

5. Miamin, Madia, Belga,

6. Semeia, et Jojarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias,

7. Idaia. Isti principes sacerdotum, et fratres eorum in diebus Josue.

8. Porro Levitæ, Jesua, Bennui,

℣. 7. *Principes sacerdotum* vocabantur qui in quoque ordine seu vice primi vel primarii erant. Cumque ordines ejusmodi essent 24, ut habes 1 Par. 24 etiam

Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi et fratres eorum:

9. Et Becbecia atque Hanni, et fratres eorum, unusquisque in officio suo.

10. Josue autem genuit Joacim, et Joacim genuit Eliasib, et Eliasib genuit Jojada,

11. Et Jojada genuit Jonathan, et Jonathan genuit Jeddoa.

12. In diebus autem Joacim erant sacerdotes et principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Jeremiæ, Hanania:

13. Esdræ, Mosollam: Amariæ, Johanan:

14. Milicho, Jonathan: Sebeniæ, Joseph:

15. Haram, Edna: Maraioth, Helci:

16. Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam:

17. Abiæ, Zechri: Miamin et Moadiæ, Phelti:

18. Belgæ, Sammua: Semaiæ, Jonathan:

19. Jojarib, Mathanai: Jodaiæ, Azzi:

20. Sellai, Celai: Amoc, Heber:

21. Helciæ, Hasebia: Idaiæ, Nathanael.

22. Levitæ in diebus Eliasib, et Jojada, et Johanan, et Jeddoa, scripti principes familiarum, et sacerdotes in regno Darii Persæ.

23. Filii Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, et usque ad dies Jonathan, filii Eliasib.

24. Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, et Josue filius Cedmihel: et fratres eorum per vices suas, ut laudarent et confiterentur juxta præceptum David viri Dei, et observarent æque per ordinem.

25. Mathania, et Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum et vestibulorum ante portas.

26. Hi in diebus Joacim filii Josue, filii Josedec, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque.

27. In dedicatione autem muri Jerusalem, requisierunt Levitas de

principes sacerdotum erant 24, ut dixi in Chronico [1].

℣℣. 10 et 11 recensentur sex summi pontifices, quorum primus *Josue* vel *Jesus* præfuit tempore *Cyri* Persarum primi monarchæ: ultimus *Jeddoa*, seu Jaddus [2], tempore *Darii* Codomanni, ultimi Persarum monarchæ: et idem occurrit Alexandro Magno, et dira Judæis minantem placavit, teste Josepho [3]. Sed id contigit facile centum annis post hæc Artaxerxis tempora, et diu post mortem Nehemiæ. Unde constat, versiculum hunc undecimum, et etiam vigesimum secundum, ab aliquo alio scriptore hagiographo insertum esse huic libro Nehemiæ, ut posteris constaret de successione pontificum Synagogæ, per omne tempus monarchiæ Persicæ, quæ stetit ducentis [4] annis. Sic vidimus adjecta Moysi ultima verba Deuteronomii; et Josue, et Samueli quoque, quæ suis locis notavimus.

℣. 12. *Principes familiarum*, scilicet sacerdotalium, vocantur iidem qui v. 7 *Principes sacerdotum*. Unde quod hic dicitur, *Saraiæ Maraia*, idem est ac si dicas, In vice seu ordine, qui a Saraia nuper familiæ seu ordinis illius principe nomen habuit tempore *Jesu* pontificis, ut habetur v. 1, jam tempore filii illius *Joacimi* primarius et princeps erat *Maraia*, et sic de ceteris.

℣. 22. *In regno*, hebraice, *usque ad regnum, Darii Persæ* — puta Codomanni [5], ultimi monarchæ, qui septimo monarchiæ suæ anno ab Alexandro Magno pluribus prœliis devictus, ac tandem etiam captus est.

℣. 23. *In Libro verborum dierum* — Id est, in annalibus [6] pontificum Judæorum. Nam annales suos accuratissime semper conscripsisse Judæos, ex Josepho constat, et ex libris Paralipomenon, ubi passim ad illos annales remittit Scriptura.

℣. 27. *Dedicatione muri* — adde et urbis *Jerusalem*. Vel dic, per *murum*

(1) Chron. cap. 46. (2) Chron. cap. 42.
(3) Lib. 11 Antiq., cap. 8.
(4) Chron. cap. 37. (5) Chron. cap. 37.
(6) Chron. cap. 42.

omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem et lætitiam in actione gratiarum, et cantico, et in cymbalis, psalteriis, et citharis.

28. Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, et de villis Nethuphati,

29. Et de domo Galgal, et de regionibus Geba et Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem.

30. Et mundati sunt sacerdotes et Levitæ, et mundaverunt populum, et portas, et murum.

31. Ascendere autem feci principes Juda super murum, et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinii.

32. Et ivit post eos Osaias, et media pars principum Juda,

33. Et Azarias, Esdras, et Mosollam, Judas, et Benjamin, et Semeia, et Jeremias.

34. Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Asaph,

35. Et fratres ejus, Semeia, et

hic non sola *mœnia* intelligi, sed etiam muros ædium, palatiorum, platearum et vicorum urbis Jerusalem. Nam his instaurandis statim a confectis mœnibus totum incubuisse Nehemiam colligitur ex cap. 7, vv. 4 et 70, et cap. seq. Et ea mente venerat e Perside Jerosolymam, ut habes cap. 2, vv. 3, 5 et 8. Unde solemnis dedicatio facta non fuit statim ab instauratis mœnibus, ut vult Salianus [1]: cur enim Nehemias, qui longe minutiora tum temporis acta commemorat, tam celebrem dedicationem, si tum contigit, prætermisisset? Sed facta demum est, cum reliquæ etiam urbis munitiones, propugnacula, turres, publica fora, plateæ et vici, cum palatiis, aliisque ædibus ad excipiendum incolas necessariis, saltem majori ex parte instauratæ essent: cui rei biennium aliud cum tribus mensibus impensum scribit Josephus [2], ut dixi initio hujus libri. Et adstipulatur venerabilis Beda, cujus hæc verba sunt: *Jamdudum ædificata erat civitas*, scilicet quoad muros suos seu mœnia: *sed non decebat eam dedicari, priusquam habitatoribus aggregatis et ministri templo idonei, et portis ac vestibulis essent custodes deputati.* Porro ab hac solemni urbis dedicatione, et ædium ac plateārum illius instauratione, desumitur initium 70 hebdomadum Danielis, ut dixi initio hujus libri. Quia tum demum, et non ante verum fuit, *exitum* habuisse *sermonem*, seu completum fuisse decretum de *iterum ædificanda Jerusalem*, et non muro uno, sed *muris* omnibus,

(1) An. mundi 3609, num. 66.
(2) Lib. 11 Antiq., cap. 5.

adeoque *et platea*, id est interiori habitatione, de novo instaurandis: a quorum omnium instauratione, dicit angelus, Danielis 9, v. 25, initium 70 hebdomadum desumi debere. Et secundum hunc calculum respondent adamussim omnes anni usque ad passionem Christi, ut videre est in nostro Chronico [3]. Crediderim vero dedicationem eam factam mense Tisri, quo eodem et Salomon [4] olim dedicarat templum suum et nuper Salathiel novum altare [5] Domini. Et colligitur ex initio capitis sequentis, ubi dicitur, *In die illo lectum* fuisse *in volumine Moysi, audiente populo.* Quod fieri solebat, immo debebat, in festo Scenopegiæ, ut præcipitur Deuteron. 31. Crediderim quoque eodem dedicationis tempore contigisse insigne illud miraculum conversæ aquæ in ignem, itemque absorptæ aquæ ab igne cælesti, cujus meminit liber 2 Machabæorum cap. 1, v. 18, dum conjungit diem accepti cælitus *ignis* cum festo *Scenopegiæ* a Nehemia celebrato, nempe sub tempus hujus dedicationis. Licet aliqui malint id miraculum accidisse vel 25 die mensis *Casleu*, ut ibidem notatur: vel certe altero illo festo Scenopegiæ biennio ante eam dedicationem ab eodem Nehemia celebrato, supra cap. 8.

℣. 30. *Mundaverunt portas et murum* — nempe aqua [6] lustrali, oratione solemni et sacrificio. Quod Nota pro antiquitate ritus dedicationis urbium et ædium.

℣. 31. *Portam Sterquilinii* descripsi 2 Esdræ 2, v. 13, et cap. 3, v. 1. Rursum

℣. 35. *Portam Fontis*, ibid.

(3) Chron. cap. 38. (4) 3 Reg. 8, vers. 2.
(5) 1 Esdr. 3, vers. 1. (6) Num. 19.

Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, et Judas, et Hanani, in vasis cantici David viri Dei: et Esdras scriba ante eos in porta fontis.

36. Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David, in ascensu muri super domum David, et usque ad portam aquarum ad orientem.

37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, et ego post eum, et media pars populi super murum, et super turrim furnorum, et usque ad murum latissimum,

38. Et super portam Ephraim, et super portam antiquam, et super portam piscium, et turrim Hananeel, et turrim Emath, et usque ad portam gregis: et steterunt in porta custodiæ.

39. Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, et ego, et dimidia pars magistratuum mecum.

40. Et sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania, in tubis,

41. Et Maasia, et Semeia, et Eleazar, et Azzi, et Johanan, et Melchia, et Ælam, et Ezer. Et clare cecinerunt cantores, et Jezraia præpositus:

42. Et immolaverunt in die illa victimas magnas, et lætati sunt: Deus enim lætificaverat eos lætitia magna: sed et uxores eorum et liberi gavisi sunt, et audita est lætitia Jerusalem procul.

43. Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, et ad primitias, et ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, sacerdotes et Levitas: quia lætificatus est Juda in sacerdotibus et Levitis adstantibus.

44. Et custodierunt observationem Dei sui, et observationem expiationis, et cantores, et janitores juxta præceptum David, et Salomonis filii ejus.

45. Quia in diebus David et Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium et confitentium Deo.

46. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, et in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus et janitoribus per dies singulos, et sanctificabant Levitas, et Levitæ sanctificabant filios Aaron.

℣. 36. *Portam Aquarum*, 2 Esdræ, c. 3, v. 26.

℣. 38. *Portam Antiquam: Piscium: Gregis: Custodiæ*, ib. c. 3, v. 1 et 30.

℣. 46. *Sanctificabant Levitas:* id est Levitis (ut est hebraice) dabant Judæi partes sanctificatas, nempe *decimas*. Et ex his decimis *sanctificabant Levitæ filios Aaron* — id est, dabant sacerdotibus suam *decimam*, ut dixi Numer. 18, v. 8 et 2 Esdræ 10, v. 38. *Sanctificare* ergo hic sumitur pro *dare quod sanctum* seu *sanctificatum est*.

CAPUT XIII.

Lecto de more Deuteronomio, rursus separantur a Judæis alienigenæ; etiam Tobias, etsi affinis summo pontifici. Decimæ Levitis instaurantur. Sabbati violatores, et qui Gentilibus matrimonio juncti erant, puniuntur a Nehemia e Perside iterum reverso.

1. In die autem illo [1] lectum est in volumine Moysi, audiente populo: et inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum:

℣. 1. *Ammonites et Moabites non debent introire in ecclesiam Dei* — scilicet cum jure civium, ad officia publica

(1) Deut. 23, vers. 3.

2. Eo quod non occurrerint filiis Israel cum pane et aqua: et conduxerint adversum eos Balaam ad maledicendum eis: et convertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

3. Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israel,

4. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, et proximus Tobiæ.

5. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, et ibi erant ante eum reponentes munera, et thus, et vasa, et decimam frumenti, vini, et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotales.

6. In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, et in fine dierum rogavi regem.

7. Et veni in Jerusalem, et intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

8. Et malum mihi visum est valde. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio:

9. Præcepique, et emundaverunt gazophylacia: et retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium et thus.

10. Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ: et fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, et cantoribus, et de his qui ministrabant:

11. Et egi causam adversus magistratus, et dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis.

12. Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, et olei, in horrea.

13. Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, et Sadoc scribam, et Phadaiam de Levitis, et juxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, et ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum.

14. Memento mei, Deus meus, pro hoc, et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus.

15. In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, et onerantes super asinos vinum, et uvas, et ficus, et omne onus, et inferentes in Jeru-

et honores suscipiendos, ut dixi Deuteronomii 23. Alioqui poterant ad judaismum converti, et proselyti fieri.

℣. 4. *Super hoc*, id est, his alienigenis arcendis ab omni munere publico præerat ratione officii summus pontifex *Eliasib, qui* etiam *fuerat* jam pridem *præpositus* et superintendens *gazophylaciorum* templi, et ipsius erat administrationem illorum committere cui committi debebant. Sed in hoc ipso præ aliis ipse quoque peccavit, plus favens carni et sanguini, quam legi divinæ. Cum enim esset *proximus*, seu affinitate conjunctus *Tobiæ*[1] *Ammonitæ*, primarium officium ei detulit: nam

℣. 5. *Fecit sibi*; hebraice, et græce *fecit illi*, scilicet *Tobiæ*, ut dicitur hic v. 7, habitationem, seu palatium, in vestibulis templi, quod v. 7 vocat *thesaurum*, seu thesaurorum receptaculum: hic appellat *gazophylacium grande*, nempe constituebat illum loco et nomine suo præpositum omnium decimarum et primitiarum quæ Levitis et sacerdotibus advehebantur. Sed tanto malo it obviam Nehemias, simulatque a Perside, quo recurrerat, in Judæam reversus est. Et amoto Tobia, etiam

℣. 8. *Vasa domus*, id est supellectilem omnem domesticam illius, foras ejecit: et mundatis gazophylaciis a sordibus profanorum supellectilium, pristinis illa usibus restituit, asservandis nempe vasis sacris templi, et *sacrificio*, id est, rebus ad sacrificium offerendum spectantibus, puta similæ, vino, oleo, thuri, et similibus.

℣. 11. *Feci stare in stationibus suis*, id est, restitui in pristinum gradum suum, *cantores et Levitas*.

(1) 2 Esdr. 4, vers. 3.

salem die sabbati. Et contestatus sum, ut in die qua vendere liceret, venderent.

16. Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes pisces, et omnia venalia: et vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem:

17. Et objurgavi optimates Juda, et dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, et profanatis diem sabbati?

18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, et adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, et super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israel violando sabbatum.

19. Factum est autem, cum quievissent portæ Jerusalem in die sabbati, dixi: et clauserunt januas, et præcepi ut non aperirent eas usque post sabbatum: et de pueris meis constitui super portas ut nullus inferret onus in die sabbati,

20. Et manserunt negotiatores, et vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel et bis.

21. Et contestatus sum eos, et dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato.

22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, et venirent ad custodiendas portas, et sanctificandam diem sabbati. Et pro hoc ergo memento mei, Deus meus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.

23. Sed et in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, et Moabitidas.

24. Et filii eorum ex media parte loquebantur azotice, et nesciebant loqui judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi.

25. Et objurgavi eos, et maledixi. Et cæcìdi ex eis viros, et decalvavi eos, et adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, et non acciperent de filiabus eorum filiis suis; et sibimetipsis, dicens:

26. [1] Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israel? et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, et dilectus Deo suo erat, et posuit eum Deus regem super omnem Israel: [2] et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.

27. Numquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, et ducamus uxores peregrinas?

28. De filiis autem Jojada filii Eliasib sacerdotis magni, gener e-

℣. 19. *Cum quievissent portæ Jerusalem* — nempe ab officio suo diurno, emittendi ex urbe, et immittendi in urbem transeuntes, q. d.: Cum vespera jam advenisset, ut hebraice insinuatur.

In die sabbati — jam inchoante. Nam sabbatum inchoabatur [3] a vespera feriæ sextæ, seu diei Veneris. Jussit Nehemias claudi portas, clausasque detineri usque post finitum sabbatum, atque ita impedivit, ne quæ onera possent in urbem invehi die sabbati. Mox etiam edicto cavit, ne eadem ad urbem, seu ante portas urbis, eo die afferrentur. Alioqui

℣. 21. *Manum mittam in vos* — Id est puniam vos, et fisco merces addicam.

℣. 24. *Filii ex media parte*; hebraice, medietas, id est media pars filiorum, *loquebantur juxta linguam populi et populi* — Id est, singulorum populorum, unde matres erant oriundæ, lingua loquebantur filii.

℣. 25. *Et maledixi* — Id est, anathema dixi, et excommunicavi tales parentes. Quosdam etiam ob enormem legis sat notæ contemptum et transgressionem, flagellis cecidi; quosdam impudentiores etiam *decalvavi*, seu depilavi, quod extremæ ignominiæ erat apud Judæos, ut dixi 2 Regum 10, v. 4. Inter alios

℣. 28. Unus etiam *de filiis Jojada*, summi tunc pontificis, *gener* factus *erat* hominis Gentilis et Judæis infensissimi [4], puta *Sanaballat Horonitæ*: est enim ge-

(1) 3 Reg 3, vers. 1, et 11, vers. 1.
(2) 3 Reg. 11, vers. 4.
(3) Chron. cap. 1.
(4) 2 Esdr. 4 et 5.

rat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me.

29. Recordare, Dñe Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale et leviticum.

30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, et constitui ordines Sacerdotum et Levitarum, unumquemque in ministerio suo:

31. Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, et in primitivis. Memento mei, Deus meus, in bonum. Amen.

nitivi casus, ut ex Hebræo et Græco patet. Hunc quoque sacerdotem *fugavi a me*, simulque privavi munere sacerdotali.

Narrat Josephus [1], centum circiter post annis Sanaballat non hunc, sed hujus forte nepotem vel abnepotem, tempore Alexandri Magni, in odium Judæorum et templi Jerosolymitani, aliud huic æmulum in regione Samariæ, in monte [2] Garizim templum extruxisse [3]. Unde lis illa solemnis inter Samaritanos et Judæos, etiam tempore Christi, utro in loco et templo sacrificandum esset Deo, Joan. 4, vers. 20.

(1) Lib. 11 Antiq., cap. 7 et 8.

(2) Chron. cap. 39 in Philometore, et Chron. c. 42 in Manasse, et Eccli. 50, vers. 28.

(3) Vide varias de hoc Sanaballato opiniones apud Gilletum *admot.* 11 *in* 11 *libr. Judaic Ant.* Sunt enim qui Josephum contendant deceptum fuisse, ac perperam unum cum altero Sanaballato confundunt; sunt qui unum fuisse velint ætate longævum, qui ad Alexandri tempora pervenerit. Non tamen qui Alexandri temporibus vixit, hujus nepos, vel abnepos videtur fuisse. Nam Nehemiæ Sanaballat *Horonita* fuit; alter Hutæus origine.

LIBER TOBIÆ

Scriptus est primum chaldaice, ait S. Hieron. (1) qui ex ea lingua illum convertit in Latinum. Et scriptus est ab ipso Tobia seniore usque ad finem cap. 12. A juniore scriptum est caput 13 usque ad v. 16, ut ibidem ostendam. Inde usque ad finem libri alius quispiam incertus supplevit. Ut aliis etiam libris contigisse dixi 2 Esdræ 12, v. 11. Idem hic liber etiam in Hebræam, Græcam et Syriacam (2) translatus extat. Sed præter Hebræam et Græcam illam, quæ nostræ huic Latinæ versioni respondet, alia extat Hebræa et Græca paullo amplior et fusior, in qua Tobias semper αὐτοπρόσωπος, seu in prima persona loquitur. Unde merito putant aliqui, Tobiam bis eamdem historiam conscripsisse, semel succincte, quam hic habemus: iterumque fusius, quæ græce etiamnum extat, ut dixi.

Porro de libri auctoritate dubium aliquando fuit, eo quod, cum initio non extaret hebraice, etiam in canonem Hebræorum receptus non fuerit; unde et a S. Hieron. (3) et quibusdam aliis olim apocryphus, id est, occultæ et incertæ fidei, et necdum judicio Ecclesiæ probatus habebatur. A pluribus tamen Patribus, immo pene ab omnibus qui S. Hieronymi aliquanto posteriores sunt, pro Canonico habitus fuit, uti et liber Judith, Esther, et uterque Machabæorum. Vide S. Irenæum, Isidorum, Ambrosium, Augustinum, qui id diserte affirmant (4); item S. Cyprianum, Chrysostomum, Clementem Alexandrinum, Cassiodorum, Rabanum, Amalarium (5), et alios, qui hos libros omnes passim ut Canonicos citant. Et pro talibus habendos jam a 1200 annis decreverunt varii Pontifices et Concilia: nominatim Innocentius I, Gelasius I, Concilium Carthaginiense III ac novissime Tridentinum (6). Ut jam nulli amplius liceat de auctoritate librorum illorum dubitare.

Quod ad materiam attinet, Paulus Phasius (7), et quidam hæretici putant librum Tobiæ non esse aliud quam drama vel comœdiam (instar Cyropædiæ Xenophontis) qua boni patris ac filiifamilias typus ob oculos ponatur. Sed veram historiam esse clamant omnes circumstantiæ locorum, temporum, personarum ac rerum gestarum: quæ si falsæ essent ac fictæ, non posset Scriptura a mendacio excusari.

CAPUT I.

Tobiæ genus, patria, juvenilis ac virilis ætas, et virtutes: et gesta in Ninive, et aula regis Assyriorum.

1. Tobias ex tribu et civitate Nephthali (quæ est in superioribus Ga-

℣. 1. *Tobias* — Id est bonus Deus, vel bonitas Dei. In Hebræo et Græco additur Tobiæ pater *Tobiel* [8], avus *Ananiel*, proavus *Advel*, abavus *Gabiel*, tritavus *Asiel*,

(1) Epist. 100 quæ est ad Chromatium et Heliodorum.
(2) Andreas Masius in epist. dedicat. in Josue.
(3) Epist. 110, 135, et in prologo galeato.
(4) Iren. l. 2 c. 34; Isidor. l. 6 Originum c. 1, 2; Ambr. libro de Tobia; August. de Doctr. Christ., l. 2, cap. 8, et l. 18 Civit. c. 36, et in Speculo, et epist. 235.
(5) Cypr. l. 3 ad Quirinum, c. 16 et 62; Chrysost. hom 15 in ep. ad Hebr.; Clem. l. 1 Stromat; Cassiod. de div. lectionibus, cap. 6; Raban. l. 2 de Instit. Cler., c. 15; Amalar. de Ord. Antiphonar., cap. 23.
(6) Innoc. in epist. ad Exuperium; Gelas. decreto de libris sacris; Conc. Carthag. III can. 43; Trid. sess. 4.
(7) In procœmio versionis Tobiæ ex Hebræo.
(8) Chron. c. 46, tabula 2.

lilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet),

2. [1] Cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit,

3. Ita ut omnia quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.

4. Cumque esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

5. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, [2] quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium.

6. Sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, et decimas suas fideliter offerens,

7. Ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.

8. Hæc et his similia secundum legem Dei puerulus observabat.

filii *Nethaniel.* Avia paterna *Tobiæ* vocatur infra v. 2 *Debbora.* Porro natus est Tobias

Ex tribu et civitate ejusdem nominis cum tribu, puta *Nephthali*, sita *in superioribus* partibus *Galilææ* — quæ et *Galilæa Superior* vocari solet, eo quod versus eam partem vergat, unde tamquam e superiore loco celeberrimus Palæstinæ fluvius *Jordanis* defluit. Sicut ex *Rheno Germania* eamdem ob causam alia *Superior*, alia *Inferior* nominatur. Eadem *Galilæa Superior* vocari alias solebat *Galilæa Gentium* Isaiæ 9 et Josepho [3] passim: idque a *Gentilibus* Tyriis et Sidoniis, quos rex Tyri in eam a Salomone sibi donatam incolas immiserat, 3 Regum 9, v. 11.

Nota, hic in Hebræo, loco *Galilææ*, esse *Samariam.* Quia *Samaria*, licet inter Galilæam sita et Judæam, tamen dominabatur *Galilææ:* erat enim urbs regia eorum qui Galilææ domini erant. Sic quos Christus, Lucæ 13, *Galilæos* vocat, Josephus [4] nominat *Samaritanos.*

℣. 2. *In diebus Salmanasar* — Græce *Enemessar.* Anno sexto *Ezechiæ* regis Juda, et nono atque ultimo *Osee* ultimi regis Israel, cum decem tribus transferrentur [5] captivæ in Assyriam, etiam Tobias cum uxore sua et filio, eodem translatus est.

℣. 4. *Junior omnibus*, pro, *fere junior.* Hebraice et græce, *cum esset juvenis, et omnis tribus Nephthalim* cum aliis novem apostaticis *recessisset a cultu Dei.* A septem rebus commendatur hic Tobiæ adolescentia. Primo, a senili modestia: nam *junior* ceteris, *nihil tamen puerile gessit.* Secundo, a vitæ innocentia in medio malorum.

℣. 5. *Cum irent omnes ad vitulos* [6] *aureos* Jeroboami adorandos, *hic solus pergebat in Jerusalem* — Infra c. 5, in Hebræo et Græco, dicit Tobias *secum ivisse Ananiam et Jonathan*; non tamen semper, sed *sæpe.* Et vocula, *solus*, non excludit pauculos viæ comites. Tertia laus, a fuga consortii malorum, qui solent esse instar picis aterrimæ et tenacissimæ, Eccli. 13, v. 1. Simile quid Nazianzenus [7] de se et socio suo Basilio: *Si quis fluvius per salsum mare dulcis fluere, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare creditur, id nos eramus inter omnes adolescentes* in Academia Atheniensi, dyscolos scilicet et corruptos.

℣. 6. *Pergebat in Jerusalem* — festis a lege statutis ter per annum, in Pascha, Pentecoste et Scenopegia, ut est in Hebræo et Græco. Quarta hæc laus est, observantiæ legis divinæ. Quinta, pietatis:

Ibi adorabat Dominum — Et tu quoque, cum alii feriantur, epulantur, venantur, etc. perge ad templum, exemplo Hyacinthi.

Omnia primitiva sua et decimas fideliter offerens — Sexta laus. Ita ut

℣. 7. *In tertio anno* — seu tertio quoque anno, tertium quoque genus *decimarum* pauperibus exactissime submiuistraret. De triplici genere decimarum, quas pendebant Judæi, vide Deuter. 14.

℣. 8. *His similia* alia pia instituta *observabat puerulus*, seu adolescens *To-*

(1) 4 Reg. 17, vers. 3, et 18, vers. 9.
(2) 3 Reg. 12, v. 28. (3) Lib. 3 Belli, c. 2.
(4) Lib. 18 Ant., c. 5. (5) 4 Reg. 18.
(6) 3 Reg. 12, v. 28. (7) Orat. 20.

9. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei,

10. Quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato.

11. Igitur, cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua,

12. (Cum omnes ederent ex cibis Gentilium), iste custodivit animam suam, et numquam contaminatus est in escis eorum.

13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis.

14. Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.

bias, quæ 7 illius laus est, nempe majores natu reverebatur, minores instruebat, a voluptatum illecebris cavebat, legem Domini (ut pueris Judæis imponebatur, teste Josepho [1]) memoriæ mandabat, etc. Et hæc in adolescentia sua, ante conjugium. In conjugio autem et virili ætate, en alia encomia. Primum, cura bene instituendi liberos:

℣. 10. *Filium* suum *ab infantia timere Deum docuit, et abstinere a peccato* — Quam curam parentibus adeo exacte commendat David [2], Salomon [3] et Ecclesiasticus [4]. Secundum encomium, abstinentia a cibis vetitis:

℣. 12. *Cum omnes ederent ex cibis Gentilium*, puta idolo immolatis, vel lege vetitis, verb. gr. porcina carne, etc. *iste numquam* illis *contaminatus est* — Et hujus exemplum secuti sunt postea Daniel [5] cum sociis, Eleazarus, Machabæi [6], et alii.

℣. 13. *Et memor fuit Domini* (et omnium mandatorum ejus) *in toto corde suo* — Tertium encomium. Quartum, quintum, sextum et septimum, habes versibus 15, 17, 19, 20, quoad varia opera misericordiæ erga proximum tam spiritualia, quam corporalia.

Hinc *dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis* — ut, videlicet, ei præ reliquis placeret, et eximie gratus esset. Sunt autem Tobiæ tria præsertim a rege concessa: Primum, *potestas eundi quocumque vellet, et faciendi quæcumque vellet*, v. 14. Secundum, munera eaque amplissima a rege ipsi donata, v. 16. Addunt Hebræa et Græca tertium, nempe officium aulicum seu palatinum: nam dicunt fuisse ἀγορανστὴν regis, id est emptorem seu procuratorem domus regiæ, et omnium ad regiam spectantium, puta annonæ, vestium, equorum, armorum, prædiorum, etc. ut olim fuerat Joseph in Ægypto, Genesis 41. Unde et dicunt, constitutum fuisse Tobiam supra omnia quæ habebat Salmanasar. Unde facillimum illi fuit, *decem talenta argenti* Gabelo egenti *dare* non mutuo, sed in depositum, ut tamen pro libito uteretur, quoad repeteret Tobias. Atque hæc tam prospera fortuna adhæsit Tobiæ toto tempore regni Salmanasar. Quo defuncto, cum Sennacherib ejus filius et successor Judæos omnes jam inde ab exordio regni sui exosos haberet, sed tum maxime omnium cum horrenda clade ab iisdem in Judæa, seu potius ab angelo, sed in Judæorum gratiam, affectus esset, ut narratur 4 Regum 19 [7] et Eccli. 48 [8]; ideoque in omnes promiscue, ut primum Niniven reversus est, crudeliter sæviret; etiam Tobias ad mortem deposcebatur, et omnia illius bona fisco addicta sunt. Sed *quadragesimo quinto die* a reditu Niniven occiso a propriis filiis tyranno [9], Tobias sua quoque bona, sed non pristinum officium recepit. Addunt Hebræa et Græca, ipsum ea recepisse precibus et opera Achiachari (quem Noster cap. 11, vers. 20 *Achior* vocat) nepotis sui ex fratre Anaele. Nam hunc in primis carum habebat Assar-Addon filius et successor Sennacheribi, feceratque eum *pincernam* suum, et ab *annulo regio*, *et rationibus regiis* præfectum, et totius regni διοικητὴν, seu *gubernatorem*, denique *secundum a se*, seu vicarium suum: ita Hebræa et Græca.

(1) L. 2 contr. Appion.
(2) Psalm. 33, vers. 12.
(3) Prov. 4, vers. 4.
(4) Cap. 30.
(5) Cap. 1.
(6) 2 Mach. 6 et 7.
(7) Vers. 35.
(8) Vers. 24.
(9) 4 Reg. 19, et 2 Par. 32, v. 21, et Isa. 37, 38.

15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis.

16. Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, et ex his, quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti:

17. Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

18. Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, et filios Israel exosos haberet in conspectu suo:

19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, et consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis:

20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.

21. [1] Denique cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.

22. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus.

23. Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

24. [2] Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius,

25. Et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei.

(1) 4 Reg. 19, vers. 35; Eccli. 48, vers. 24; 2 Machab. 8, vers. 19.

(2) 4 Reg. 19, vers. 37; 2 Paral. 32, vers. 21; Isai. 37, v. 38.

XXIV.

IN TOBIÆ I.

Vers. 18. *Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo.* Ex tabulis cuneiformibus Assyriorum indubitate constat, *Salmanasari*, qui fuit hujus nominis Vus et regnavit a. 726-721, successisse regem *Sargon* (quem Isaias memorat, xx, 1), regnumque obtinuisse ab anno 721 ad 704; regi autem Sargon successisse, a. 704, filium ejus, *Sennacherib*. Heic contra, Scriptura affirmare videtur, Sennacheribum fuisse et filium et successorem immediatum Salmanasaris. At facile dissidium componitur, et Scriptura cum tabulis assyriis in concordiam adducitur, si hoc loco *filius* accipiatur in sensu lato et improprio, nempe uti *hæres* et *successor* regni, etsi non immediatus: quo sensu jam alibi adnotavimus, et in Scriptura et in profanis monumentis, vocem *filius* non raro adhiberi. Hæc vero explicatio ab ipsa Scriptura heic innuitur. Illud enim *Post multum temporis* male constaret cum brevi, idest quinquenni, regno Salmanasaris, nisi huic regno adderentur anni 17 Sargonis, qui juxta monumenta Assyriorum fuit decessor immediatus et verus pater Sennacheribi.

Vers. 24. *Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius.* Plures interpretes ex hoc loco infulere, Sennacheribi occisionem evenisse, *45 dies* post ejus reditum ab infelici bello Judaico. At perperam: isti enim 45 dies numerantur heic, si probe attendas, non a *reditu* ex Judæa, de quo sermo est vers. 21, sed a *decreto*, quo rex *jussit* Tobiam *occidi*, et a fuga Tobiæ, de quibus est sermo vers. 22 et 23, qui immediate præcedunt vers. 24. Inter illum *reditum* autem et hoc *decretum*, Scripturæ contextus indefinitum relinquit spatium temporis: uti indefinitum est tempus illud, quo Sennacherib e Judæa *reversus*, ut alibi Scriptura dicit, *mansit in Ninive* (IV. Regum, xix, 36) *habitavit in Ninive* (Isaias, xxxvii, 37), idest, regnare

perrexit in Ninive, quin ullam amplius moliretur inde expeditionem *contra Judæam*. Istud vero tempus, e variis ipsius Scripturæ indiciis apparet, multo longius fuisse spatio 45 dierum, et potuit certe ad plures annos protendi. Cum igitur ex monumentis Assyriorum constet, Sennacheribum post expeditionem Palæstinæ, quæ fuit ejus regni 3ª, et incidit in annum 700 a. C., *viginti* adhuc *annos*, idest usque ad a. 680, supervixisse, pluraque alia gessisse bella, ad austrum, ad orientem, ad septentrionem Assyriæ; nihil obstat ex parte Scripturæ, quominus inter reditum regis ab Judæa et ejus mortem, idem istud spatium, *viginti annorum*, admittatur. Atque hoc pacto monumenta assyrica, et amice componuntur cum veritate biblica, et hanc nova luce etiam illustrant, quatenus definiunt id, quod Scriptura indefinitum reliquit. (Cf. *Civiltà Cattolica*, Serie XI, vol. VII, p. 280-282).

BRUNENGO.

CAPUT II.

Tobias ex cadaverum sepultura fatigatus obdormiens, hirundinum stercore excæcatur, et ab uxore et amicis probris exceptus, instar Jobi patientissime tolerat.

1. Post hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ,

2. Dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.

3. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei, unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus:

4. Tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut, dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.

5. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore,

6. Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus [1] per Amos prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum.

7. Cum vero sol occubuisset, abiit, et sepelivit eum.

8. Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos?

9. [2] Sed Tobias, plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea.

10. Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam, jactasset se juxta parietem, et obdormisset,

℣. 1. *Cum esset dies festus* — nempe Pentecostes, ut habent Hebræa et Græca.

℣. 10. *Quadam die*; græce, *eadem illa nocte*, quæ scilicet festum Pentecostes consecuta est: *a sepultura* rediens *domum suam* — neque tamen ingredi volens, quod contactu cadaveris immundus factus esset, juxta legem Num. 19 [3] extra domum in porticu vel propylæo juxta parietem se abjiciens, supinus obdormivit.

Petes, Cur, sicut priore vice cum cadaver e platea sustulisset, rursus lavit, et mundavit sese, ut est in Græco, atque ita prandium relictum resumpsit [4], non etiam hac secunda vice, simili lotione

(1) Amos 8, vers. 10; 1 Mach. 1, vers. 41.
(2) Sup. 1, vers. 21.
(3) Vers. 11 et 16.
(4) Hic vers. 5.

11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus.

12. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.

13. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei,

14. Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

15. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes:

sese emundavit, et ita domum et stratum suum ingressus est? Respondeo, Fatigatio et somni appetitus non ferebant ejusmodi moras: et volupe erat nocturno tempore sub medium æstatis in aperto aere somnum capere.

Petes secundo, Quæ tanta seu necessitas, seu utilitas sepeliendi cadavera, ut tantis propterea periculis vir prudens hic sese exponat? An forte nocet mortuo, quod cadaver jaceat insepultum? Respondeo, Non nocet absolute aut simpliciter, sed tamen per accidens et ex parte, ut cum S. Thoma loquar: Primo, propter affectum et amorem, quem in corpus suum habuit vivens, et mortuus adhuc retinet. Secundo, propter honorem, quem omnibus pene gentibus persuasum est afferri defuncto per sepulturam. Tertio, propter infamiam et injuriam, quæ non mortuo tantum, sed et communi hominum naturæ irrogari censetur, cum pars altera hominis in oculis omnium computrescere, et a canibus et alitibus dilacerari permittitur. Neque solet ea infamia irrogari nisi de communi bono pessime meritis. Vide hac de re Alcimum, Stobæum, et S. Augustinum [1], qui cadavera justorum hoc quoque nomine studiosius curanda monet, quod iis tamquam organis suis Spiritus sanctus ad omnia opera bona usus fuerit. Et quod precibus quoque fidelium, quæ in sepultura adhibentur, mortui, si forsan in purgatorio sint, juventur; quibus incommode privantur, cum id officii negligitur.

℣. 11. *Hirundinum calida stercora* vim habent excæcandi naturalem, inquit Plinius, et Franciscus Valesius [2]: tum ex hirundinum occulta proprietate: tum ex manifesto calore et vi adustiva sordibus illis inexistente, quæ pupillas et oculorum hirquos nimis calefacit, exsiccat et exurit; et ex sordibus subito concrescente membranula, qualis est in talpis, oculi prorsus excæcantur. Non tamen casu id evenisse viro sancto putandum, maxime ut utroque simul oculo privaretur, sed singulari Dei providentia, ob fines qui versu sequenti explicantur. Sed et medicorum opem, ut est in Hebræo et Græco, adhibuit Tobias, ut faciendum monet Ecclesiasticus [3]; verum illi nihil ei profuerunt. Vide Chrysostomum [4], qui hac occasione recenset undecim causas, cur Deus justis tot calamitates immittat. Porro calamitatis non levis exasperatio Tobiæ fuit

℣. 15. *Irrisio et insultatio parentum*, seu affinium et familiarium, ac præ omnibus etiam propriæ uxoris.

Sicut beato Job insultabant et uxor *et reges* — Id est, tres illi amici et cognati Job, qui cap. 2 et ult. Jobi, vocantur reges in editione LXX, non quales hodie reges in Europa, sed quales in India et Japonia non paucos habemus: et quales olim triginta et unum devicit Josue [5]: et septuaginta reges sub mensa Adonibezec [6] analecta ciborum carpebant: nempe domini paucarum urbium, ut patet ex dictis Josue 12.

Petes. Quomodo dicuntur hic tres isti amici *insultasse* Jobo, cum constet ex cap. 2 Jobi, v. 11 consolandi illius causa accessisse? Respondeo. Hac quidem mente accesserunt, et initio quoque cum dolente doluerunt: sed in decursu colloquiorum plurima postmodum peccaverunt, afflictos integerrimi viri casus importune exagitantes, et misero insultantes. Nam queritur ipse Job cap. 6, v. 26 ipsos *tan-*

(1) Alcimus l. ad Sororem; Stobæus serm. 122; Augustinus lib. 1 de Civit., c. 12, et lib. de Cura pro mortuis.

(2) Plin. lib. 11, c. 37; Vales. Sacræ Philos., c. 22.
(3) Eccli. 38. (4) Hom. 1 ad pop.
(5) Josue 12. (6) Judic. 1.

16. Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas?

17. Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui:

18. Quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo.

19. Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

20. Unde factum est, ut hœdum caprarum accipiens detulisset domi:

21. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

22. [1] Ad hæc uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.

23. Atque his et aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei.

tum ad increpandum eloquia concinnasse, super pupillum irruisse, et amicum subvertere voluisse. Similia habet cap. 19, v. 2 et alibi [2], et confirmat ipse Deus cap. ult., v. 7.

℣. 20. *Hœdum accipiens* Anna, dono scilicet, et gratuito, supra debitam mercedem, ut habent Hebræa et Græca. Cumque Annæ id affirmanti non tam cito crederet maritus, illa irata risit virum sanctum. In Græco additur, *Achiacharum* nepotem Tobiæ *nutrivisse* patruum suum, *usque dum abiret* Tobias, utique periculi vitandi causa, *in Elymaida.* Causam abitus vide infra in fine cap. ultimi.

(1) Job 2, vers. 9.

(2) Cap. 13, vers. 4, et cap. 16, vers. 9.

CAPUT III.

Tobias ob uxoris, Sara ob ancillæ suæ convitia, mori exoptant: ad preces confugiunt, quæ mox exaudiuntur a Deo, et angelus Raphael ad utrumque curandum mittitur.

1. Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis,

2. Dicens: Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ, misericordia, et veritas, et judicium.

3. Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

4. [1] Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.

5. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te.

6. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præ-

℣. 2. *Omnes viæ tuæ* — Duplex est *via Domini.* Una quam ipse ambulat: et sunt actiones ipsius seu opera, quibus ad præstitutum sibi finem, sui videlicet nominis gloriam, adeoque ad se ipsum [2] tendit. Altera, qua nos ad ipsum ambulamus: et sunt ipsius mandata, monita, consilia, quorum observatione ad ultimum finem nostrum, seu ad æternam felicitatem deducimur. Ambæ viæ sunt *misericordia, veritas et judicium* (phrasi Hebraica ponuntur abstracta pro concretis) id est, sunt misericordes, veræ et justæ.

(1) Deut. 28, vers. 15.

(2) Prov. 16, vers. 4.

cipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere.

7. Eadem itaque die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum, et ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui,

8. Quoniam tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam.

9. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.

10. Numquid et occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: et tribus diebus, et tribus noctibus non manducavit, neque bibit:

11. Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.

12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum,

13. Dixit: Benedictum est nomen

℣. 7. *Sara in Rages civitate Medorum* — Hebræa et Græca habent, *in Ecbatanis*. Quia *Rages*, ut infra dicitur cap. 5, v. 8 *posita* erat *in monte Ecbatanis*, seu regionis, quæ vocabatur *Ecbatanis*, ubi erat regia sedes Medorum et Persarum. Et addit ibidem Hebræus, iter esse duorum dierum ab urbe Ecbatanis usque Rages: et hanc quidem *in monte*, illam *in planitie* sitam esse. Idem docet Castalio apud Ortelium. Vide etiam Diodorum et Ptolemæum [1].

℣. 8. *Dæmonium*, græce, *pessimum dæmonium, nomine Asmodæus*, ab *Esch*, id est, ignis, et *Medai*, id est, *regni Mediæ*, quia toto illo regno *ignem* libidinis excitabat. Hebraice additur, *Melech hasschedin*, id est, rex prædonum, seu dæmoniorum: nam dæmones in Scripturis prædones vocantur. Nomen autem sortiuntur in hoc mundo, vel *a locis* in quibus grassantur, vel *a vitiis* ad quæ potissimum impellunt. A locis vocantur ignei, aerei, terrei, aquei, septentrionales, australes, Persici, Africi, tenebriones σοροδαίμονες, seu sepulcrales etc. ut videre est apud Rhodiginum, Scaligerum, Cantipratanum [2] et alios. Sic noster hic a regno *Medorum*, et tota vicinia ubi dominabatur, dictus est *Asmodæus*. Sic S. Hieronymus, Rupertus et Cassianus [3] putant, illum *Persarum principem*, cujus meminit Daniel c. 10 fuisse vel hunc, vel huic Asmodæo similem *principem diabolorum*. A vitiis vero vocantur *spiritus* vel etiam *reges* superbiæ, xenodoxiæ, acediæ, iræ, philargyriæ, gastrimagiæ, fornicationis, etc. ut fuse docet idem Cassianus [4]. Unde hic Asmodæus dici poterat rex omnium eorum dæmonum qui toto regno Medorum, totaque vicinia, vel etiam omnium, qui per universum orbem terrarum (ut vult S. Bernardus [5]) homines ad libidinem inflammant. Possetque etiam modo quivis *dæmon princeps* hujusce vitii in quaque regione orbis, v. g. in Italia, Gallia, Hispania, Germania, non incongrue vocari Asmodæus: sicut quivis tyrannus jam *Nero* vocatur vel *Phalaris*. Porro principis seu regis istius currum triumphalem describit idem Bernardus [6] in hunc modum: *Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorum, ingluvie ventris, libidine tactuum, mollitie vestium, otii soporisque resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, et rerum abundantia. Et qui in his insident duo, ignaviæ torpor, et infida securitas. Hi calcaria non habent, neque flagella: sed pro his utuntur parvulo papilione, ad faciendam umbram; et flabello, ad ventum excitandum.* A tali principe, tali curru, missus est ille dæmon Cypriani magi ad Justinam: et alter, de quo in vita S. Basilii: et alius, de quo S. Antonius, ut est apud Athanasium, et Nazianzenum [7], et alios.

(1) Diod. lib. 19; Ptol. in Asiæ, tabel. 5.
(2) Cæl. Rhodigin. l. 2, cc. 4, 5, 7; Jul. Scalig. exercit. 355; Thom. Cantipr. l. 2, c. 57.
(3) Hier. in Dan. 10, et in Isaiæ 24; Rup. l. 9 de Victoria, cap. 6; Cassian. collat. 8, c. 13.
(4) Cass. collat. 5, et l. 5 Instit.
(5) Serm. 39 in Cantica.
(6) Ibid.
(7) Athan. in Vita S. Antonii; Nazianz. orat. 18.

tuum, Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te.

14. Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.

15. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me.

16. Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.

17. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.

18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

19. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alii conservasti me.

20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum.

21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.

23. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in secula.

24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei:

25. Et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

℣. 17. *Numquam miscui me cum ludentibus* — puta lascive. Sicut Exodi 32 et 1 Corinth. 10 *ludere usurpatur.*

℣. 19. *Aut ego indigna fui illis* — septem viris ab Asmodæo strangulatis. Hos verisimile est fuisse, si non palam, occulte saltem impios, quibus noluit Deus Saram connubio jungi. Certum ex c. 6, v. 17 extraordinaria levitate ac lasciva protervia repentinæ suæ mortis causam dedisse. Sed Sara, dissimulatis illorum vitiis, qua erat humilitate et modestia, culpam omnem cladis illorum in se unam conjici permittit. Orat tamen Deum, ut, si placuerit illi, morte liberari possit a molestis improperiis, quibus *ab ancilla*, vel, ut græce est, *ab ancillis* quotidie infestabatur: et idem etiam supra [1] orat Tobias. Neque in hoc est peccatum, cum prudenter liceat mortem, tamquam minus malum desiderare, etiam simpliciter quoad appetitum inferiorem: quoad superiorem, saltem cum conditione, ut dixi, si Deo sic placuerit. Sic fecit *Moyses* Exodi 32, *Job* cap. 3, et *Elias* 3 Reg. 19, et *Paulus* 2 Cor. 1. Et de *S. Augustino* idem narrat Possidonius, et de aliis alii. Porro quod hic de Sara additur in Græco, ipsam ad *suspendium* usque *tristatam* fuisse, adeo ut *quæreret seipsam strangulare*, ut est in Hebræo; non *deliberate* ab ipsa, sed inadvertenter factum fuit. Quod vel inde patet, quod mox ut advertit, correxerit hunc animi impetum et primum motum, dicens: *Unica patri meo sum: illud si faciam, dedecus illi sempiternum erit, et præsentissimæ mortis ejus occasio.*

℣. 25. *Angelus Raphael* — a *Rapha*, id est, curare, mederi: et *El*, id est Deus, q. d. Deus curans, vel medicina Dei. Unde in Hebræo additur, fuisse *princeps curationibus præpositus*, sive præses sanitatum. Hunc principem cælestem opponit Deus tartareo principi Asmodæo. Et ipse tamquam patronus invocandus est a medicis et ægris. Vide infra cap. 12, v. 15. Mystice Raphael est Christus magni consilii angelus, qui venit in mundum curaturus in utroque sexu genus humanum.

(1) Hic vers. 6.

CAPUT IV.

Tobias moriturus, ut sperabat, piis monitis instruit filium suum.

1. Igitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum,

2. Dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamentum construe.

3. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: [1] et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus:

4. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.

5. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.

6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri.

7. [2] Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.

8. [3] Quomodo potueris, ita esto misericors.

9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.

10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis:

Sunt ea numero quatuordecim. Primum, ℣. 3. *Corpus meum sepeli,* Pietatis erga parentes, etiam mortuos. Secundum, *Honorem habebis matri tuæ:* et mortuam *sepelias circa me* — Hebraice et græce, *in uno mecum eodemque sepulcro.* Indicat Tobias insignem in uxorem suam affectum, a qua tantis convitiis lacessitus fuerat.

℣. 6. *In mente,* id est cogitatione et memoria, *habeto Deum* — Tertium monitum, continuæ memoriæ et laudis Dei.

℣℣. 7 et 17. *Ex tua,* non ex aliena, *substantia fac eleemosynam.* Quartum, misericordiæ in pauperes. Huic quadruplicem assignat fructum. Primum, *Non avertetur a te facies* et favor Domini. Secundum, *præmium bonum,* seu insigne, *tibi thesaurizas in die,* pro in diem, *necessitatis,* ut est græce: id est, in diem mortis. Tertium, *eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat* æterna, *et non patietur animam ire in tenebras,* id est, in gehennam, inquit S. Cyprianus et Augustinus. Quartum, *fiduciam magnam* præstat *coram Deo* — Porro dupliciter intelligi post, eleemosynam hæc omnia præstare. Primo, dispositive, quia impetrat majorem gratiam, qua sensim peccator provehatur ad illa omnia consequenda. Sicut enim *fides, timor et spes,* sic etiam *eleemosyna,* et alia misericordiæ opera disponunt ad ulteriorem gratiam, et quidem per se, et proxime, et de congruo, si etiam ipsa fiant ex fide, et ob motivum supernaturale, aut saltem ex gratia præveniente; alioqui si solis naturæ viribus, solum remote, per accidens, et ex mera liberalitate Dei, tamen certo et infallibiliter, si faciat homo quod in se est. Ita suadebat Daniel Nabuchodonosori, *Peccata tua eleemosynis redime.* Ita S. Thomas, Albertus Magnus, Scotus, Gabriel, Durandus, Tapperus, Cajetanus et alii citati a Molina [4]. Secundo, intelligi potest, eadem omnia præstare etiam formaliter, nempe si cetera omnia adsint, quæ Scriptura ad talem effectum alibi requirit, nempe fides, spes, pœnitentia, charitas. Vide S. August. [5].

(1) Exod. 20, vers. 12; Eccli. 7, vers. 29.
(2) Prov. 3, vers. 9; Eccli. 4, v. 1, et 14, v. 13; Luc. 14, vers. 13.
(3) Eccli. 35, vers. 12.

(4) S. Thom etc. in 2 dist. 28; Tapperus et Cajet. in 1. 2., q. 109; Mol. in 1 p.
(5) De verbis Domini in Lucam serm. 30, et Enchiridii c. 69, et 21 de Civ., cap. 27.

11. [1] Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.

12. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

13. [2] Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire.

14. Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: [3] in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

15. [4] Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.

16. [5] Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

17. [6] Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege.

18. Panem tuum et vinum tuum

℣. 13. *Attende tibi ab omni fornicatione* — Quintum monitum.

℣. 14. *Superbiæ* fuga. Sextum. *In ipsa initium sumpsit omnis perditio* — tum in Lucifero et Adamo: tum in quovis peccante, etiam minimi præcepti divini transgressione, dum nempe homo, qui Deo totus et ex asse subditus esse deberet, super ipsum it (id est superbit) præcepti illius transgressione: ita S. Prosper [7].

℣. 15. *Mercedem mercenario restitue* — Septimum monitum. Octavum, v. 16, *Justitiam* erga omnes alios.

℣. 18. *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue* — Nonum, de convivio sepulcrali in morte amicorum *Hebræorum*, quos hic nomine *justorum* intelligit, ad distinctionem impiorum Gentilium, inter quos tum vivebant Hebræi. Porro solebant veteres, non Gentiles modo, sed et Judæi, mortuorum suorum sepulcris cibum potumque superponere, Eccli. 30: *Appositiones epularum circumpositæ sepulcro*. Vel domi saltem amicis, aut pauperibus apponere. Quæ Festus et Ovidius, *feralia et inferias* vocant; Nonius *silicernia*, Plautus, *pollincturas;* Livius, *visceratione*s. Id autem fiebat a Gentilibus quibusdam stulta persuasione, quasi iis epulis egerent et vescerentur defuncti, teste S. Augustino [8]. Et idem sibi etiam nostro seculo persuadent Peruani et Japones non pauci, ut Gaspar Villela [9] scribit. Sed Judæi id faciebant primo, ut honor aliquis haberetur mortuis. Secundo, ut iisdem hæc eleemosyna pro ipsis facta, auxilium aliquod impetraret a Deo, puta pœnarum purgatorii relaxationem. Tertio, ut in eumdem finem eodem epulo excitarentur convivæ ad orandum pro defuncto. Quarto, ut idem epulum saltem alicui solatio esset amicis mortuum lugentibus, et ejus absentiam dolentibus. Et has easdem ob causas etiam christianos habuisse hanc consuetudinem stipes et sportulas in amicorum funere dandi pauperibus, et ad epulas convocandi cognatos et affines, testantur Clemens Romanus, Chrysostomus et Gratianus. Et durat etiamnum hæc consuetudo toto orbe christiano. Consuetudo tamen apponendi epulas ipsi sepulcro, ut hoc quasi contactu sanctorum cadaverum etiam ipsæ sanctificarentur, quia nimis accedebat ad superstitionem Gentilium, qui suorum manibus hoc fere ritu parentabant, itemque propter abusum in publico comessandi, jure merito a S. Ambrosio e templis et cœmeteriis sublata est: cujus exemplum S. Augustinus [10] et reliqui prælati secuti jusserunt ejusmodi epulas domi institui, et esculenta pauperibus ibidem erogari. Vide Franciscum Turrianum et Robertum Bellarminum [11]. Talem ergo eleemosynam sepulcralem jubet hic Tobias per filium institui more patrio: sed vetat, pro decimo monito, *ex eo* epulo *manducare cum peccatoribus*, quo nomine Assyrios, reliquosque Gentiles notat, cum quibus consortium omne et convictum seu familiaritatem prohibet.

(1) Eccli. 29, vers. 15.
(2) 1 ad Thess. 4, vers. 3.
(3) Gen. 3, vers. 5.
(4) Lev. 19, vers. 13; Deut. 24, vers. 14.
(5) Matth. 7, vers. 12; Luc. 6, vers. 31.
(6) Luc. 14, vers. 13.

(7) Lib. de Vita contemplativa, cap. 2.
(8) Serm. 11 de Sanctis, et Conc. Carthag. III.
(9) Lib. 2 epist. Indicar.
(10) Lib 6 Confess., c. 2, et epist 64 in tom. 2.
(11) Turrianus l. 4 pro epist. Pontif., c. 1; Bellarm. de Purg. l. 1, c. 13.

super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus.

19. Consilium semper a sapiente perquire.

20. Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.

21. Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages civitate Medorum et chirographum ejus apud me habeo:

22. Et ideo perquire quo modo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum.

23. Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed [1] multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

℣. 19. *Consilium semper a sapiente perquire* — Undecimum monitum. Duodecimum versu seq. de conformitate voluntatis cum Deo.

℣. 22. *Perquire quo modo ad Gabelum pervenias, et recipias decem talenta* — Est hoc 13. Decimumquartum et ult.,

℣. 23. De constanti spe in Deum, etiam in extrema paupertate. Cujus rei præclarum narrat exemplum Sophronius [2] de adolescente, qui facta sibi a parente optione, an mallet omnes parentis hereditare thesauros, an Christum solum sibi curatorem relinqui, spretis thesauris, Christum præelegit. Ergo inops primum et mendicus (nam parens omnia sua pauperibus erogarat), post tamen paullo extreme ditatus est.

(1) Ad Rom. 8, v. 17.

(2) Cap. 201 Prati.

CAPUT V.

Socium ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti Tobiæ ignotus occurrit angelus Raphael, cui pater filium committit, sed mater deflet filii absentiam.

1. Tunc respondit Tobias patri suo, et dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam, pater.

2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me nescit, et ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi.

3. Tunc pater suus respondit illi, et dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet.

4. Sed perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua: ut, dum adhuc vivo, recipias eam.

5. Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.

6. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit: Unde te habemus, bone juvenis?

7. At ille respondit: Ex filiis Is-

℣. 5. *Invenit* singulari Dei providentia *juvenem splendidum* seu eleganti forma. Juvenilem formam, eamque elegantissimam solent boni angeli adsciscere, cum hominibus apparent, ut illa forma designent inditam sibi a natura pulcritudinem, robur ac vigorem, qui nullo umquam senio marcescit, inquit S. Dionysius. Reliquos vero habitus, iis ad quas mittuntur, functionibus aptari solet, v. g. ad læta nuntianda, ad aspectatores exhilarandos, splendidam assument vestem: ad terrendos vel puniendos malefactores, gladium stringent, hastam vibrabunt, equos agitabunt. Raphael ergo, ut omni ex parte commodum ducem expeditumque ad iter se exhibeat, speciem juvenilem et mercenariam assumit.

rael. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

8. Cui respondit: Novi: et omnia itinera ejus frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.

9. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo.

10. Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum.

11. Ingressus itaque salutavit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper.

12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video?

13. Cui ait juvenis: Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris.

14. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam.

15. Et dixit ei angelus: Ego ducam et reducam eum ad te.

16. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo aut de qua tribu es tu?

17. Cui Raphael angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat?

18. Sed ne forte solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.

19. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum.

20. Dixit autem illi angelus: Ego sanum ducam, et sanum tibi reducam filium tuum.

21. Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum.

22. Tunc, paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias

℣. 8. *Rages in monte Ecbatanis* — Vide cap. 3, v. 7.

℣. 12. *Quale gaudium mihi erit?* — Est naturalis et moderata querela. Ut erat *Gedeonis* Judicum c. 6, vers. 13 et *Berzellai* 2 Regum 19, v. 35. Respondet angelus

℣. 18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius* — Witackerus [1] dicit, angelum hic mentiri. Sed absit, nam præferens formam et similitudinem Azariæ, vere poterat dicere se esse Azariam. Sicut Genesis 31 et alibi, quia angelus præferebat personam Dei, vere dicebat, *Ego sum Deus:* ut ibidem agnoscit Witackeri magister Calvinus. Et S. Petri imago vocari solet S. Petrus. Deinde, significatione etiam nominum vere angelus erat is quem se esse dicebat: nempe *Azarias* significat *auxilium* Dei; *Ananias*, vel *Hananeel*, ut est in Hebræo, significat *gratiam* seu *donum Dei.* Asserebat enim angelus iste Tobiæ *auxilium Dei:* eratque verissime *filius gratiæ* seu *doni Dei.* Ubi notat S. Gregorius [2] angelos ex se nulla habere nomina, sed ea sortiri solum ratione ministerii, quo aliquando funguntur.

℣. 19. *Ex magno genere,* seu ex stirpe valde nobili, *es tu* — Hebr. et Græcus adduut, Tobiam subjunxisse: Se *jam olim novisse Ananiam, et ejus fratrem Jonathan* (ita Græcus, Hebræus enim *Nathan* legit, sed utrumque nomen idem prorsus significat, nempe *donum Dei:*) *novisse,* inquam, *quando una cum illis* e Nephthali *Jerosolymam adorandi causa proficisceretur: neque enim abducti fuerant illi in errorem reliquorum cognatorum* seu contribulium, qui ad vitulos Jeroboami adorandos pergebant.

℣. 21. In Hebræo et Græco additur, parentem decrevisse filio et Raphaeli victum diurnum, et drachmam unam in singulos dies, et insuper ultra condictam mercedem aliud honorarium promisisse.

(1) Lib. 1 contra Edmundum Campianum.

(2) Hom. 34 in Evang.

vale patri suo et matri suæ, et ambulaverunt ambo simul.

23. [1] Cumque profecti essent cœpit mater ejus flere, et dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, et transmisisti a nobis.

24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum!

25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.

26. Dixitque ei Tobias: Noli flere, salvus perveniet filius noster, et salvus revertetur ad nos, et oculi tui videbunt illum.

27. Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.

28. Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, et tacuit.

℣. 27. *Angelus comitetur ei* — Vers. 21 dixerat, *Comitetur vobiscum*. Duriuscula videtur locutio: sed eam Cicero defendit Tusculana 5. In memoriam hujus prosperi conductus Tobiæ per archangelum *Raphaelem*, voluit religiosissimus Lusitaniæ rex Joannes duas primas in Indiam a se missas naves, nominibus *Raphaelis* insigniri anno 1497, ut refert Maffejus [2]. Baronius [3] vero narrat de alio mirabili conductu et custodia, quam angelus exhibuit duci exercitus Theodosii imperatoris anno Christi 425.

(1) Infra 10, vers. 4.

(2) Lib. 1 hist. Indic.

(3) Tom. 5.

CAPUT VI.

Tobias insilientem in se piscem branchia hortatu angeli apprehendit et exenterat: cor ejus, fel et jecur ad medicamenta seponit: monetur ut in conjugem deposcat Saram filiam Raguelis consanguinei sui.

1. Profectus est autem Tobias, et canis secutus est eum, et mansit prima mansione juxta fluvium Tigris.

2. Et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.

3. Quem expavescens Tobias cla-

℣. 1. *Juxta fluvium Tigris* — cui adjacet Ninive, unde illo die excesserat, ita Plinius [1]. Non quod sub dio pernoctarint, sed in caupona flumini vicina. Ubi cum pedes, fatigationis minuendæ gratia, abluerent,

℣. 2. *ecce piscis immanis* — Quidam putant *balenam* fuisse. Sed balena, teste Plinio, branchias non habet: neque in Tigri versari solet, neque potuisset ingens bellua ab uno adolescente in terram extrahi. Alii volunt *crocodilum* fuisse. Sed *crocodilus*, teste eodem Plinio, potest totos dies in terram impune agere, et pedibus ingreditur, unde et *terrestre* nonnumquam *animal* ab eodem vocatur. At noster hic piscis, simul ac branchia a Tobia in terram attractus est, *cœpit ante pedes ejus palpitare*, ut solent qui pedibus destituuntur, et terræ non assueverunt. Itaque cum Francisco Valesio [2] puto *callionymum* fuisse, qui, ut ipse ex Plinio, Menandro, Anaxippo et aliis probat, et vasto est corpore, et carnivorus, et voracissimus, dentibus serratis, oculis in summo vertice (unde et ὀρανόσκοπος, seu *cœlum intuens* vocatur): et, teste Aristotele, littoralis est, et ἡμερόκοιτος, id est interdiu dormiens. Ita ut tam locus *littoris*, quam vespertinum tempus, optime congruat nostræ historiæ. Denique fel habet copiosius quam alii ejus magnitudinis pisces: et fel ejus naturalem vim habet albugines oculorum detergendi, teste eodem Plinio et Galeno [3].

(1) Lib. 6, cap. 18.

(2) Sac. Philos. cap. 41.

(3) Plin. lib. 32, cc. 4 et 7; Galen. lib. 10 Simplicium medicament.

mavit voce magna, dicens: Domine, invadit me.

4. Et dixit ei angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante pedes ejus.

5. Tunc dixit ei angelus: Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.

6. Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, et secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.

7. Tunc interrogavit Tobias angelum, et dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti?

8. Et respondens angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.

9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.

10. Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut maneamus?

11. Respondensque angelus, ait: [1] Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam.

12. [2] Tibi debetur omnis substantia

℣. 8. *Cordis* ejus, adde, vel *jecoris* (ex vers. 19) exusti *fumus extricat omne genus dæmoniorum* — non interna vi propria naturali (nam sic ut summum potuit removisse occasionem aliquam, qua inductus esset dæmon, v. g. extinguere vel debilitare pruritum carnis: sicut musica Davidis minuebat melancholiam Saulis [3]), sed neque vi supernaturali (ut vult Valesius [4]), cælitus tali cordi vel fumo perpetuo affixa; qualis est in aspersione aquæ benedictæ, ad fugandos dæmones, vel in baptismali lotione ad remittenda peccata. Nullo enim ex loco colligi potest, tale instrumentum a Deo in eum finem vim illam specialem accepisse. Sed *extricat* dæmones sola vi extrinseca, nempe angelica, ad talis signi positionem producente talem effectum, et dæmonem in perpetuum fugante: idque non intuitu fumi, sed obedientiæ Tobiæ in illo fumo, ut jussus erat, excitando, et precum piarum ejusdem, quibus dæmonem fugari a Deo postulabat. Patent hæc ex cap. 8, v. 3 ubi facta suffumigatione Tobiæ, dicitur *Raphael angelus apprehendisse dæmonium, et religasse*. Simili ratione Christus [5] luto illuminavit oculos cæci nati. Et magi per herbas et signa malefica dicuntur occidere, cum tamen ejusmodi signis nulla insit efficacia, nulla vis seu naturalis, seu supernaturalis ad productionem ejusmodi effectuum: sed ut summum *moralis* et extrinseca; ex pacto, seu deputatione libera dæmonis, qua se sagis obstringit, quod positis illis signis ipse producet tales effectus: ita Abulensis [6], Lyranus et quidam alii.

℣. 9. *Et fel valet ad oculos ab albugine sanandos* — Hoc facile concesserim, naturali vi fieri, secundum jam dicta vers. 2, et colligitur ex cap. 11, v. 14, ubi dicitur, *liniitis* hoc *felle oculis* Tobiæ, *post dimidiam fere horam, cœpisse albuginem quasi membranam ovi, egredi;* qua *detracta visum recepit.* Quæ omnia indicant, naturali via curationem illam peractam fuisse. Unde etiam patet, stercore hirundinum non fuisse in oculis Tobiæ extinctum humorem crystallinum, aut vim visivam internam: sed sola pellicula seu membranula exterius obductos fuisse oculos. Alioqui non potuisset vel illo felle, vel alio medicamento naturali, sed sola virtute divina (ut de fugato dæmone jam dixi) visum recuperare.

℣. 12. *Tibi debetur* Sara uxor, *et omnis substantia ejus* — Quia secundum legem Domini, Numerorum 27 [7] et 36,

(1) " Vers. 11. *Est hic Raguel*, scilicet in Ecbatana non in Rages. „ 5 Estium.
(2) Num. 27, ver. 8, et 36, vers. 8.
(3) 1 Reg. 16.
(4) Supra.
(5) Joan. 9, vers. 6.
(6) In 1 Reg. 16, q. 46.
(7) Vers. 8 utriusque.

ejus, et oportet eam te accipere conjugem.

13. Pete ergo eam a patre ejus, et dabit tibi eam in uxorem.

14. Tunc respondit Tobias, et dixit: Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt: sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos.

15. Timeo ergo, ne forte et mihi hæc eveniant: et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.

16. Tunc angelus Raphael dixit ei: Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium.

17. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.

18. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.

19. Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium.

20. Secunda vero nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.

21. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes.

22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

proximo cognato nubere debebant filiæ, quæ fratribus orbatæ heredes erant bonorum paternorum.

℣. 20. *In copulatione* — Pro, in copulationem, etc. q. d. Orandum tibi secunda nocte, ut particeps fias meritorum sanctitatis, et privilegii Patriarcharum: sicut tertia nocte, ut proles ex uxore suscipere possis. Prima enim orandum tibi, ut dæmonium fugetur. Ergo trinocturna prece præmissa, cognosces demum uxorem tuam.

CAPUT VII.

Tobias petit a Raguele Saram filiam ejus sibi tradi uxorem, et impetrat: et scriptis conjugii tabulis nuptiæ celebrantur.

1. Ingressi sunt autem ad Raguelem, et suscepit eos Raguel cum gaudio.

2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quam similis est juvenis iste consobrino meo!

3. Et cum hæc dixisset, ait: Unde estis, juvenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive.

4. Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus.

5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

6. Et misit se Raguel, et cum lacrymis osculatus est eum, et plorans supra collum ejus,

℣. 2. *Annæ* — In Græco et Hebræo est *Edna*. *Consobrinum* hic vocat Raguel patruelem suum *Tobiam* seniorem, quem v. 4 *fratrem* suum nominat, more Hebræorum, qui *cognatos* omnes *fratres* appellant.

℣. 3. *Ex tribu Nephthali sumus* — Hoc Tobias respondit, non angelus. Quamquam etiam hic, ut personam gerebat Azariæ, potuisset idem cum veritate respondere, ut supra dixi c. 5, vers. 18, vel de solo Tobia in plurali numero loqui.

℣. 6. *Et misit se Raguel* — supple *in collum Tobiæ*. Græce *exiliit Raguel*.

7. Dixit: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es.

8. Et Anna uxor ejus, et Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt.

9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel, occidi arietem, et parari convivium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium,

10. Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam.

11. Quo audito verbo, Raguel expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: et timere cœpit ne forte et huic similiter contingeret: et cum nutaret, et non daret petenti ullum responsum,

12. Dixit ei angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces et lacrymas meas in conspectu suo admiserit.

14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ [1] secundum legem Moysi: et nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam.

15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.

16. Et accepta charta fecerunt conscriptionem conjugii.

Eamdem phrasin habes cap. 9, vers. 8. Porro

℣. 11. *Septem* isti *viri ingressi* dicuntur ad Saram, scilicet in thalamum nuptialem, sed non in complexum conjugalem. Nam cap. 3, vers. 8 in Hebræo et Græco expresse dicitur, *dæmonium illos* septem *occidisse priusquam cum ea ipsi fuissent, ut in mulieribus*, id est, priusquam uxoriam cum ea consuetudinem habuissent.

Petes, quid sibi vult quod c. 6, v. 14 dixit Tobias, *dæmonium illos occidisse, quod adamaret Saram.* Respondeo, Tobias id ibi narrat quod ex vulgi fabulis hauserat. Unde verum est, Tobiam ita audivisse narrari: sed non est verum ita rem habuisse. Falsissimum enim est, dæmonem humani generis capitalem hostem adamasse Saram, cum neque animo tam casto delectaretur: neque sancta ipsius opera, verba, cogitata ei placerent: neque ex corpore illius quidquam ipse voluptatis haurire posset. Nam etsi negare nolim, dæmones cum aliquibus feminis incubi vice nonnumquam fungi: numquam tamen concesserim, verum istic amorem intercedere, aut dæmoni voluptatem afferre: quin potius odii lætiferi, et tormenti genus id esse crediderim.

(1) Num. 36, vers. 6.

Erga Saram vero tam castam, tam piam, nihil etiam ejusmodi licuit dæmoni: qui pudicitiæ per seipsum tali modo vim afferre, aut corpus alicujus subagitare numquam potest, cujus non prius animum obscœna libidine contaminarit, ex eoque vel tunc, vel ante, flagitiosi operis consensum non impetrarit. Sic enim exigit ratio divinæ bonitatis et providentiæ, ut docet Cæsarius, Thomas de Cantiprato, et Martinus Delrio [2].

Petes secundo, Quid pellexit tam multos procos ad expetendas nuptias Saræ, quas norant prioribus illis tam infelices accidisse? Respondeo primo, eximia virginis forma; secundo, hereditatis, quæ illi, utpote unigenitæ, tota debebatur, aviditas; tertio, jus propinquitatis: neque enim verisimile est, parentes, voluisse eam alteri, quam propinquiori tradere; quarto, ardentissimus erga illam amor: de quo Ovidius, *Insanos fateamur amores.*

℣. 16. *Fecerunt conscriptionem conjugii*, tabulis de more expeditis, quibus pacta conventa continebantur.

Petes, Quo modo tam cito persuasum parentibus, ut prima adventus Tobiæ hora nuptias Saræ addicerent? Respondeo primo, ob ingens nuptiarum filiæ

(2) Cæsarius l. 1, c. 9; Cantiprat. l. 2 Apum, c. 57, n. 14, etc.; Delrio de Magia.

17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

18. Vocavitque Raguel ad se Annam uxorem suam, et præcepit ei, ut præpararet alterum cubiculum.

19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, et lacrymata est.

20. Dixitque ei: Forti animo esto, filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

desiderium, ac sobolis ex ea procreandæ, et sic familiæ suæ conservandæ ac propagandæ affectum. Secundo, ob conditiones sponsi, quo meliorem nec sperare poterant, nec optare. Tertio, quia ex lege debebatur illi, ut dixi c. 6, v. 12. Quarto, ob Raphaelis, qui paranymphum agebat, insignem suadelam, sermonis gravitatem, personæ majestatem. Quinto, et maxime ob vim internam, quam Deus mentes parentum ad eas nuptias probandas impellebat: ita Dionysius Carthusianus.

CAPUT VIII.

Corde et jecore piscis a Tobia prunis imposito, fugatur Asmodæus, et in Thebaidem ablegatur. Tobias cum Sara nuptias consummat; et heres scribitur omnium bonorum Raguelis.

1. Postquam vero cœnaverunt introduxerunt juvenem ad eam.

2. Recordatus itaque Tobias sermonum angeli, protulit de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos.

3. Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti.

4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, et deprecemur Deum hodie, et cras,

℣. 2. *Cassidile*, teste Budæo [1], Lyrano et Carthusiano, vocatur pera in modum retis facta. Estque diminutivum a *casse* seu reti. Talibus reticulatis sacculis sæpe utuntur venatores, piscatores et obsonatores.

Partem jecoris — Adde et *cordis*, uti hic additur in Græco et Hebræo: et supra c. 6, v. 8 de *corde* expresse præceperat angelus. Porro qua vi jecur illud dæmonem fugarit, dixi c. 6, v. 8. Ex Græco hic videtur Tobias primo *thymiama* seu suaves aliquos odores adolevisse Deo: deinde *cor et jecur* piscis imposuisse prunis. Quæ ut odoratus est Asmodæus, dicitur fugisse in Ægypti fines et loca editissima. In Hebræo additur, egrediente Asmodæo, thalami ostium patuisse. Forte certam egressionis suæ notam edere jussus erat dæmon. In Latino clarius dicitur, corde seu *jecore prunis imposito*,

℣. 3. *Raphael angelus apprehendit dæmonium* — non manibus visibiliter, sed invisibili virtute atque imperio, et, si lubet, etiam qualitate illi impressa per vim angeli apprehensivam ac detentivam. Sicut Apoc. 20, *Angelus habens clavem abyssi apprehendit draconem*. Simili etiam modo *religavit* dæmonem *in deserto;* ita affigendo ipsum illi loco, ut inde ne pilum quidem abscedere possit, subtracto forte concursu divino, ad omnes creaturarum actiones necessario. Hujus enim concursus subtractio, item imperium Dei, angeli, vel hominis, vice et nomine Dei, in dæmones, denique vis spiritualis detentiva dæmonum, subinde metaphorice vocantur *vincula, rudentes, catenæ*, 2 Petri 2, et Judæ, v. 6, et Apoc. 20, v. 2 et alibi [2]. Hæc vero vincula nonnumquam solo spirituali et invisibili modo dæmonibus injiciuntur: nonnumquam additis quibusdam corporalibus symbolis quæ sub sensum cadunt. Ut hic contigit:

(1) De Asse.

(2) Matth. 12, vers. 43; Marc. 3.

et secundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio:

5. Filii quippe sanctorum sumus, et non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.

6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

7. Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli et terræ, mareque et fontes, et flumina, et omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

8. [1] Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam.

9. Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.

10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis, Domine, miserere nobis, et consenescamus ambo pariter sani.

11. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter ut foderent sepulcrum.

12. Dicebat enim: Ne forte simili modo evenerit ei, quo et ceteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.

13. Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam dixit ei:

14. Mitte unam ex ancillis tuis, et videat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies.

15. At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos et incolumes, secum pariter dormientes.

16. Et reversa, nuntiavit bonum nuntium: et benedixerunt Dñum, Raguel videlicet et Anna uxor ejus,

17. Et dixerunt: Benedicimus te,

et de pluribus casibus narrat Delrio et Cæsarius [2], apud quem dæmon fatetur, *Luciferum* principem suum, tribus illis verbis, *Per ipsum, cum ipso, et in ipso*, id est vi atque imperio sanctissimæ Trinitatis, apud inferos constrictum jacere.

Desertum superioris Ægypti, secundum Ptolemæum [3] est desertum Thebaidos: nempe australior et superior Ægypti pars, e qua Nilus delabitur, montibus aspera, arenis plena, pluviis destituta. Hodie *Sahid* vel *Sait* vocatur teste Jo. Leone, Leunclavio [4] et aliis. S. Hieronymus sic eam describit: *Thebais in extremis terminis Ægypti, Æthiopiæ, Blemmiarumque in confinio est, ubi Nilus innavigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia plenaque serpentum et venenatorum animantium.* En locum Asmodæo dignum: in quo verisimillimum est, toto vitæ tempore Tobiæ et Saræ religatum mansisse. Et talem locum subindicat quoque Christus Matth. 12 per *loca arida et inaquosa*, in quibus dicit inambulare dæmonium, *cum exierit ab homine*. Verum etsi tam aspe-

ris Ægypti montibus coercitus teneretur libidinum rex, non desiit tamen interea suos, quos innumeros habet, et qui numquam feriantur, emissarios, impudentissimos ganeones et cupidines, si non in Tobiæ familiam, quæ numquam talibus patuit, certe in reliquum orbem continuo immittere, quemadmodum solet ex orco Lucifer. Et de ebris, lascivisque dæmonibus Andrum proficiscentibus narrat lepide Philostratus [5].

℣. 15. *Ancilla reperit eos secum pariter dormientes* — Nempe, post diuturnam comprecationem, plorationem, vigilationem fatigati, ad quiescendum nonnihil sese reclinarant novi conjuges, super eodem quidem lecto, sed vestiti, et sine ullo Veneris commercio, quo totis tribus noctibus abstinere jussi fuerant a Raphaele. Quod exemplum conjugibus seu sponsis omnibus imitandum suadet Evaristus papa: et Tridentinum monet, ut saltem triduo ante consummationem matrimonii, peccata sua diligenter confiteantur, et sacrosancto Eucharistiæ sacramento reficiantur.

(1) Gen. 2, vers. 7.
(2) Delrio supra; Cæsar. lib. 5, cap. 13.
(3) Lib. 4 geograph.
(4) Jo. Leo lib. 8 de Africa, cap. 2; Leuncl. in Turcico Pandecte.
(5) In Iconibus.

Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.

18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos.

19. Misertus es autem duobus unicis. Fac eos, Domine, plenius benedicere te: et sacrificium tibi laudis tuæ, et suæ sanitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium, quia tu es Deus solus in universa terra.

20. Statimque præcepit servis suis Raguel, ut replerent fossam, quam fecerant, priusquam elucesceret.

21. Uxori autem suæ dixit ut instrueret convivium, et præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.

22. Duas quoque pingues vaccas, et quatuor arietes occidi fecit, et parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis.

23. Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se.

24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, et fecit scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum, Tobiæ dominio deveniret.

CAPUT IX.

Angelus Raphael rogatu Tobiæ ad Gabelum pergit in Rages: et recepta pecunia eumdem in Ecbatanas secum deducit ad nuptias Tobiæ, quibus ille benedicit.

1. Tunc vocavit Tobias angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto ut auscultes verba mea.

2. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.

3. Tamen obsecro te, ut assumas tibi animalia sive servitia, et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum: reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias meas.

4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: et si tardavero una die plus, contristatur anima ejus.

5. Et certe vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum.

℣. 2. *Non ero condignus providentiæ tuæ* — Id est, non condigne satisfecero tuis in me meritis, et curæ de me.

℣. 3. *Vadas in Rages* — Atqui ex c. 3, v. 7 patet, *Saram* Tobiæ jam sponsam habitasse *in Rages:* et illic nunc aderant tam Raphael, quam Tobias: quomodo ergo jam rogat Tobias Raphaelem, ut in Rages excurrat? Respondeo, Tota illa regio, etiam *Ecbatanis,* ubi Sara degebat, ab antiquo vocabatur *Rages:* sed erat in eadem tamen regione etiam particularis civitas eodem nomine dicta *Rages.* Sic *Neapolis* in Italia et civitas est, et regnum; *Brunswicum* in Germania est urbs et Ducatus: *Lutzenburgum, Geldria, Limburgum, Namurcum,* in Belgio urbes sunt, et integræ provinciæ. Sara ergo ejusque parentes habitabant Ecbatanis in regione seu *provincia Rages:* sed Gabelus in ipsa *urbe Rages.*

Animalia sive servitia — Græce et hebraice, *animalia et servitia.* Et ita factum constat ex v. 6 sequenti.

℣. 5. *Adjuravit* — id est, per divini nominis reverentiam me obstrinxit, ut quatuordecim diebus cum ipso permaneam. Simile est Numer. 5 et 1 Reg. 14 et 3 Reg. 22 et Matth. 26, *Adjuro te,* etc. Et licet ea adjuratione, presse loquendo, non teneretur Tobias, quia socer tantam potestatem, in re tam gravi generum obligandi, non habebat: ille tamen prudenter, ac religiose parere voluit adju-

6. Tunc Raphael assumens quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages civitatem Medorum perrexit: et inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum et recepit ab eo omnem pecuniam.

7. Indicavitque ei de Tobia filio Tobiæ omnia quæ gesta sunt: fecitque eum secum venire ad nuptias.

8. Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem: et exiliens, osculati sunt se invicem: et flevit Gabelus, benedixitque Deum,

9. Et dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, et justi, et timentis Deum, et eleemosynas facientis:

10. Et dicatur benedictio super uxorem tuam, et super parentes vestros:

11. Et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem: et sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in secula seculorum.

12. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed et cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

ranti, quia quando non prorsus incommode fieri potest, religiosi modestique animi est, adjurantibus cedere et obsequi, ob reverentiam Numinis divini.

℣. 12. *Cum timore Domini, nuptiarum convivium exercebant* — Cap. 7, v. 17 additur, *Benedicentes Dominum.* Quam procul inde omnis ebrietas, omnis vociferatio, lascivia, rixa! quam aliæ illæ nuptiæ a nuptiis et conviviis hodiernis! Plato [1], Gentilis philosophus, nuptiarum modum et impensas sic præscribit: *Impensa secundum divitias fiat. Bibere usque ad ebrietatem, ne alibi quidem umquam decet, neque vero tutum est. Maxime tamen connubio conjuncti, et* cum primis *sponsus ac sponsa, tunc mentis compotes esse debent, ut ex quam maxime moderatis generatio fiat, et solidus, stabilis ac quietus conceptus sit.*

(1) Lib. 6 de Legibus.

CAPUT X.

Parentes Tobiæ contristantur ob diuturnam filii absentiam: quem Raguel cum uxore, et dimidia parte bonorum suorum tandem dimittit. Docturque Sara officium honestæ matrisfamilias.

1. Cum vero moras faceret Tobias causa nuptiarum, solicitus erat pater ejus Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?

2. Putasne Gabelus mortuus est, et nemo reddit illi pecuniam?

3. Cœpit autem contristari nimis ipse, et Anna uxor ejus cum eo: et cœperunt ambo simul flere: eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos.

4. [1] Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis: atque dicebat: Heu heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?

5. Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.

6. Cui dicebat Tobias: Tace, et noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.

7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi vi-

(1) Sup. 5, vers. 23.

debatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem.

8. At vero Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic, et ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam, patrem tuum.

9. Cui Tobias ait: Ego novi, quia pater meus et mater mea modo dies computant, et cruciatur spiritus eorum in ipsis.

10. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, et ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, et dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, et in vaccis, et in pecunia multa: et salvum atque gaudentem dimisit eum a se,

11. Dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, et inveniatis omnia recte circa parentes vestros, et videant oculi mei filios vestros, priusquam moriar.

12 Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, et dimiserunt ire:

13. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

℣. 10. *Tradidit ei dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis*, etc. — Hebraice, *servos et ancillas, et greges, et boves, et asinos, et camelos, et vestes lineas et pretiosas, et vasa argentea et aurea.* Græce pro *pueris*, habes *corpora:* sed per *corpora* intelliguntur *servi* seu *mancipia.* Et sic intelligunt Aristophanes, Demostenes et Strabo, citati a Mariana. Qui etiam illud Danielis 14, v. 31. *Dabantur* leonibus *duo corpora quotidie*, exponit de *servis* seu *mancipiis.*

℣. 13. *Monentes eam honorare soceros* — scilicet *tamquam parentes suos*, quia græce additur: *Nam ipsi nunc parentes tui sunt.*

Et seipsam irreprehensibilem exhibere — non modo per conjugalem castitatem, ut ait Lyranus; sed et per linguæ continentiam, ac totius vitæ disciplinam, tam cum domesticis, quam cum externis. Similia prorsus monet matres familias sanctus Paulus Tit. 2 [1] et S. Petrus 1 epist. cap. 3 [2]. Hic in Græco et Hebræo, sic Tobiæ valedicit *Edna* Saræ mater: *Dominus cæli, frater dilecte, te tuis restituat, mihique concedat, ut filios tuos ex Sara filia mea videam, et coram Domino gaudeam. Ecce ego tibi filiam meam, quasi quoddam depositum committo, ne ulla eam afficias molestia.* Mox subditur: *Ipse vero Tobias post hæc profectus est, Deo gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset: Raguelumque et Ednam ejus uxorem benedicebat* — seu fausta eis omnia precabatur, *et pergebat, quoad Niniven appropinquarent.*

(1) Vers. 4 et 5. (2) Vers. 1 et seq.

CAPUT XI.

Relictis in Charan Sara, reliquaque familia, Tobias et Raphael præcurrunt in Niniven, ubi læte a parentibus Tobiæ excipiuntur. Felle piscis restituitur visus cæco Tobiæ. Gratiæ Deo aguntur, et adventante Sara nuptialia festa per septem dies instaurantur.

1. Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die.

℣. 1. *Charan* — Hebraice *Acrim.* Unde non videtur esse illa Abrahami patria Genesis 11, v. 31 quæ erat in Mesopotamia cis Tigrin. Nam hæc Tobiæ *Charan* sita erat trans Tigrin, inter *Ecbatanas Mediæ, et Niniven Assyriæ* ur-

2. Dixitque angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum.

3. Si placet itaque tibi, præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum conjuge tua, et cum animalibus.

4. Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt.

5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo.

6. Et dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit a longe, et illico agnovit venientem filium suum: currensque nuntiavit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus.

7. Dixitque Raphael ad Tobiam: At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum.

8. Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum; scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen cæli, et in aspectu tuo gaudebit.

9. Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via: et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.

10. Et consurgens cæcus pater ejus, cœpit offendens pedibus currere: et data manu puero, occurrit obviam filio suo.

11. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt ambo flere præ gaudio.

12. Cumque adorassent Deum, et gratias egissent, consederunt.

13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui.

14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam: et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi.

bem: et forte est *Chatra*, de qua Ptolemæus [1].

In medio itinere — Id est, in itinere interjecto. Nam a Ninive non aberat nisi itinere dierum quatuor, si quis expeditus pede esset. Unde in Græco dicitur, prope Niniven fuisse. Hoc quatriduum Raphaelis et Tobiæ, vel si properantibus des solum triduum, adde undecim diebus, quos ab *Ecbatanis* impendisse hic dicuntur in *Charan;* habebis duas hebdomadas: da totidem itineri in eundo propter ætatem et valetudinem teneram Tobiæ: totidem mansioni apud Raguelem in Ecbatanis, ut constat ex cap. 8, vers. 23, et capite 9, vers. 5 reperies totas sex hebdomadas toti itineri impensas. His adde septimam hebdomadam, qua Sara subsecuta hic v. 18 dicitur maritum suum; deprehendes, certo in quinquagesimum diem incidisse initium festæ et lætæ illius instauratarum nuptiarum hebdomadis, cujus mentio fit hoc cap. vers. ult. Atque hinc explica locum S. Augustini [2] alioqui perobscurum, quo dicit, *Tobiæ quoque Scriptu-*

(1) In Asiæ tab. 4.
(2) Lib. 22 contrâ Faustum, cap. 87.

ram testari, festum Pentecostes diem de septimanis constare, nempe septem illis quas jam recensui.

℣. 5. *Anna sedebat in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo* — Allegorice, Synagoga per suos Patriarchas et Prophetas, e sublimi et longinquo prospectabat, et vidit Dei filium Messiam adventantem.

℣. 7. *Ubi introieris domum tuam, statim adora Deum* — Unde et mos ille vetus, ut urbem aliquam ingressi non modo prælati, sed et principes politici, ante omnia recta ad templum deducantur. Et S. Benedictus in regula sua jubet, ut hospites simulatque excepti fuerint ad orationem ducantur.

℣. 9. *Canis,* qui comes it angelo, Doctores exprimit Ecclesiæ, qui confligendo cum hæreticis lupos arcent ab ovili Dominico. Vide Isaiæ 56 et ibidem S. Hier. Vide etiam Pierium [3].

℣. 10. *Cæcus pater offendens pedibus* — Ingens indicatur lætitia, et ex ea festinatio boni senis ad filium reducem excipiendum et amplexandum.

(3) In Hieroglyphicis lib. 5.

15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.

16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum.

17. Dicebatque Tobias: Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me: et ecce ego video Tobiam filium meum.

18. Ingressa est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus, et omnis familia sana, et pecora, et cameli, et pecunia multa uxoris: sed et illa pecunia, quam receperat a Gabelo:

19. Et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat.

20. Veneruntque Achior et Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, et congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus.

21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.

℣. 15. *Apprehendens* membranulam oculi *Tobias traxit ab oculis* — In nostro Latino dicitur *Tobias junior* eam abstraxisse ab oculis parentis: in Græco tam hoc versu, quam octavo id seniori tribuitur, qui ut sensit acrimoniam fellis quo filius oculos inunxerat, dicitur confricasse albugines, detrivisse, et abjecisse. Id naturaliter contingere potuisse, docui cap. 6, vers. 2 et 9. Moraliter autem *fel* pœnitentiam designat. Mordet et urit: sed sustine vel media horula, videbis. Quid? Deum, teipsum, præterita, præsentia, futura: sed longe alio quam soles oculo. Ceterum quanto tempore cæcus manserit Tobias, indicatur cap. ult., v. 3 nempe *quadriennio*.

CAPUT XII.

Septem ingentia beneficia per Raphaelem accepta recenset Tobias. Dum vero in grati animi signum offertur medietas omnium allatorum bonorum, Raphael seipsum, quis sit, manifestat: et post exposita alia mysteria in cœlum redit.

1. Tunc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?

2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?

3. Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4. Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.

5. Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem: et rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

6. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

7. Etenim sacramentum regis abs-

℣. 7. *Sacramentum*, id est mysterium, arcanum, *a rege* tibi creditum, *abscondere bonum*, immo necessarium *est* — propter fidem regi datam, et quia alioqui

condere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.

8. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere:

9. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.

10. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

11. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem.

12. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.

14. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem.

15. Ego enim sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum,

16. Cumque hæc audissent, turgravissima emergerent incommoda, ita Gellius [1]. Et ex sententia Capitolini [2], *taciturnitas, consiliorum thesaurus.* E contrario, *Dei opera revelare, honorificum est.* Unde Stephanus papa [3]: *Sicut nemo se debet jactare de suis meritis: sic opera Dei, quæ in illo per sanctos fiunt sine ejus meritis, non debent sileri, sed prædicari: sicut angelus monet Tobiam, hoc v. 7 et suo præit exemplo, v. 11.* Subdit angelus:

℣. 8. *Bona,* seu melior, *est oratio cum jejunio et eleemosyna* — Neque enim sine illis comitibus mala est oratio: sed cum illis valde bona et efficax redditur. Unde Franciscus Georgius [4], cum ex sancto Jo. Damasceno explicasset, *Orationem* esse *mentis elevationem in Deum,* subdit: *Tanto magis mens elevatur, quanto orans a gravaminibus* magis *expeditur. Duo* vero *sunt gravamina* mentis, *oblectamentum carnis, et terrenorum affectus. Illud gravanti corpori animam subjicit: hic fœcibus terrenis animam suffocat.* Ab hoc per eleemosynam: ab illo per jejunium anima expeditur.

℣. 13. *Quia acceptus eras Deo,* non modo congruum, utile, decens, sed plane *necesse fuit, ut tentatio probaret te* — Alia e diametro mundanis ratiocinatio. Sed S. Paulus totidem verbis idem inculcat Actorum 14, v. 21: *Per multas tribulationes* (non dicit, expedit, aut decet, sed) *oportet nos intrare in regnum Dei.* Idem repetit 2 ad Timotheum 3, v. 12. Et ipse de se Christus Lucæ ult., vers. 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Porro de fructibus eleemosynæ, quos hic commemorat angelus, dixi cap. 4, v. 11 supra.

℣. 15. *Ego sum Raphael angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum* — Hebraice, *ego sum ex principibus unus, qui ministrant ante solium gloriæ:* græce additur, *Qui offerunt preces Sanctorum* (id est, eorum qui professione, voto aut [5] proposito sancti sunt), *et ambulant ante majestatem sancti.* Videntur ergo hi *septem angeli,* seu (ut eos vocant S. Prosper, Isidorus, Severus Minoricensis [6], et alii), hi *Archangeli* singularem præ ceteris angelis ut functionem externam, sic et internam præcellentiam obtinere, quæ consistat, vel in gratiarum eminentia, vel potius in principatu opposito principatui regum dæmoniacorum, de quo supra c. 3, v. 8 ut præsint septem præcipuis virtutibus, v. g. tribus theologicis, et quatuor cardinalibus; vel virtutibus oppositis septem vitiis capitalibus: vel septem donis Spiritus sancti. Sic Isaiæ 33, quidam dicuntur *angeli pacis.* Alibi [7] *angelus,* præpositus *pœnitentiæ.* Et hi septem principes per *candelabrum septiramum* Exodi 25, et per *septem candelabra* Apocalypsis 1

(1) Lib. 10, cap 15.
(2) In vita Gordianorum, de Senatus consultis tacitis.
(3) Apud Rheginonem, anno Christi 753.
(4) Tom. 6, sect. 9, problem. 417.
(5) Ita S. Aug. serm. 3 de Nativitate.
(6) Prosper. lib de Promissionib., p. 2, c. 39; Isidorus lib. Originum 7, cap. 5; Severus apud Baronium anno Christi 418.
(7) Lib. 1, cap. 12, Hermæ, quem S. Paulus ad Romanos 16, salutasse putatur.

bati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam.

17. Dixitque eis angelus: Pax vobis, nolite timere.

18. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi.

19. Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere: sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.

20. Tempus est ergo ut revertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

21. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt.

22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: et exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

designari videntur, quasi qui virtutum suarum splendore totum orbem collustrent. Ceterum decuplex ex hac Tobiæ historia munus horum angelorum, et per consequens etiam reliquorum nobis tutelarium, colligere possumus. Primum est, adstare solio Dei, eumdemque contemplando, summam æternamque exinde felicitatem haurire; patet ex hoc v. 15. Secundum, preces hominum Deo offerre, suas ipsis addendo commendationes, v. 12, ex quo et tertium, bene agentibus adesse. Quartum, ad opera pia hortari, vers. 6, 8 et sequentibus. Quintum, docere mortales, non solum quæ ad Theologiam, seu fidem et bonos mores spectant, ut hoc cap. passim, sed etiam quæ ad physicam et medicinam, si quando res ususque ita postulat, ut cap. 6 et 11 de felle, corde, jecore vidimus. Sextum, dæmones propulsare, nosque contra illos tueri, cap. 8, v. 3. Septimum, a pluribus corporum periculis nos liberare, hic v. 3.

(1) Brunus in Meditat.; Serar. hic.

Octavum, opes quoque, et splendidas subinde (cum sic expedit) nuptias, et honestas affinitates procurare, cap. 6, v. 11. Nonum, interdum etiam nos probare et adversis exercere, hic v. 13. Decimum, suavissime postea consolari, pene toto hoc cap. Sed id maxime experiemur, cum ex hac vita et exilio nos revehent in patriam, et supremi judicis tribunali sistent. Vide Vinc. Brunum, et Serarium [1]. Porro tam evidens hinc ducitur argumentum pro cultu et invocatione angelorum, ut etiam Calvinus [2], alioqui juratus ejusce rei hostis, id ultro admittat.

℣. 20. *Narrate omnia* — Græce et hebraice, *scribite in libro hæc omnia quæ facta sunt*. Unde in procemio hujus libri dixi, Tobiam suamet manu hunc librum conscripsisse; cum præsertim in prima persona ubique loquatur in eodem Græco et Hebraico textu.

(2) Lib. 3 Instit., cap. 20, § 23.

CAPUT XIII.

Tobias senior Deum laudat et gratias agit: vaticinatur quoque de instauratione et summa felicitate ac gloria Jerusalem, primo, corporalis et terrenæ, quæ erat in Judæa; secundo, spiritualis seu mysticæ, quæ est Ecclesia; *tertio, cælestis, quæ est habitatio angelorum et sanctorum.*

1. Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit: Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia secula regnum tuum:

2. [1] Quoniam tu flagellas et salvas: deducis ad inferos, et reducis: et non est qui effugiat manum tuam.

3. Confitemini Domino filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum:

4. Quoniam ideo dispersit vos in-

℣. 4. *Dispersit vos inter gentes* —

(1) Deut. 32, v. 39; 1 Reg. 2, v. 6; Sap. 16, v. 13.

nempe quando per reges Assyriorum Salmanasar et Theglath-Phalasar abducti

ter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.

5. Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras: et ipse salvabit nos propter misericordiam suam.

6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi: regemque seculorum exaltate in operibus vestris.

7. Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem.

8. Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.

9. Ego autem, et anima mea in eo lætabimur.

10. Benedicite Dominum, omnes electi ejus: agite dies lætitiæ, et confitemini illi.

11. Jerusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum.

12. Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum seculorum, ut reædificet in te tabernaculum suum, et revocet ad te omnes captivos, et gaudeas in omnia secula seculorum.

13. Luce splendida fulgebis: et omnes fines terræ adorabunt te.

14. [1] Nationes ex longinquo ad te venient: et munera deferentes, adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt.

15. Nomen enim magnum invocabunt in te.

estis e terra Israel, et dispersi per omnia regna Orientis.

℣. 7. *Ostendit majestatem suam in gentem peccatricem* — id est, in Judæos, qui in Deum peccarant, inquit S. Cyprianus [2]. Sed malim exponere de *Assyriis*, quorum deleto exercitu in Judæa, et tyranno quoque *Sennacherib* recens ense filiorum e vivis sublato, Deus potentem *majestatem* suam manifeste declararat.

℣. 11. *Jerusalem castigavit te* — Græce, *castigabit* sicut cap. seq., v. 7: *Domus Dei quæ incensa est*, græce, *quæ incendetur*. Sed quia prophetice hic loquitur, idcirco ob rei certitudinem, usurpat præteritum pro futuro, q. d. Tam certo futurum vides, ac si jam factum esset: ita Lyranus. Similia habes in cantico Moysis Exodi 15, vv. 14 et 15: *Conturbati sunt principes Edom, obriguerunt omnes habitatores Chanaan*, etc.

Nota. Quia prophetice hic loquitur Tobias, ideo more prophetico, dum agit de urbe Jerosolyma; non de sola terrestri Jerosolyma agit, sed ab illa paullatim assurgit ad allegoricam Jerosolymam, quæ est Ecclesia sancta Dei: et ab hac rursus ad anagogicam Jerosolymam, quæ est gloriosa Sanctorum Ecclesia in cælis. Sicut etiam Isaias facit cap. 60, 65 et 66, et alii Prophetæ. Ergo sub typo Jerosolymæ terrestris partim jam afflictæ sub *Manasse*, ut colligitur ex 2 Par. 33, v. 9, partim affligendæ, immo desolandæ atque evertendæ sub *Sedecia*, sed iterum instaurandæ sub *Esdra et Nehemia*, et quidem *majore gloria*, ut patet Aggæi 2, vers. 10; prædicit Tobias Synagogæ Judaicæ, seu Ecclesiæ veteris (nam una est omnium ætatum Ecclesia Dei, licet varios habuerit status) jam utcumque collapsæ, sed sub Herode magis collapsuræ, innovationem, et majore cum gloria instaurationem sub Christo et per Christum. Unde mox subdit,

℣. 12. *revocandos* Jerosolymam *omnes captivos* — nempe quantum est ex parte revocantis, *omnes*, nullo excluso. Sed multi vocati, pauci reducti, quia noluerunt reduci. Vel dic, universalem particulam, *omnes*, hic distribui non pro *singulis generum*, sed pro *generibus singulorum*: nam et ex singulis tribubus aliqui regressi sunt Jerosolymam, et ex singulis nationibus universi orbis aliqui ingressi sunt Ecclesiam Christi. Quæ tanto aptius hic significatur allegorice per Jerosolymam, quod in ea urbe fuerint jacta prima illius fundamenta.

℣. 14. *Nationes* (græce ἔθνη, unde Ethnici) *ex longinquo ad te venient*, etiam ab extremis terræ finibus. Eu vo-

(1) Isa. 60, vers. 5.

(2) Lib. de mortalitate.

16. Maledicti erunt qui contempserint te: et condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictique erunt qui ædificaverint te.

17. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum.

18. Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua.

19. Anima mea, benedic Dñum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus, Dominus Deus noster.

20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.

21. [1] Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur: et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus.

22. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur: et per vicos ejus alleluja cantabitur.

23. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum ejus in secula seculorum super eam. Amen.

cationem Gentium ad Ecclesiam Christi. Cur autem venturi sint, subjungit: *Et adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt* — id est, veluti sanctam, et sanctitatis fontem complectentur et venerabuntur, ut nempe veram sanctitatem inde sibi hauriant, per sacramenta, et gratiarum fontes, qui in illa sola, neque alibi reperiuntur.

℣. 21. *Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo* — Hic anagogice rapitur ad Jerosolymam cælestem. Et ad hæc Tobiæ verba videtur alludere S. Joannes Apocal. 21, v. 18, ubi pene iisdem verbis eadem describit.

℣. 22. *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur* — Græce, *plateæ ejus tessellabuntur in beryllo, et carbunculo, et lapide ex souphir*, id est, *sapphiro*, seu ex venis sapphiri ut Noster vertit Thren. 4, v. 7, vel, ut alii [2] volunt, *ex Ophir*, de quo egi 3 Reg. 9. Porro de his lapidibus vide Plinium a S. Hieronymo [3] laudatum, item Epiphanium et Isidorum [4].

Nota, per hos lapides pretiosos metaphorice designari pulcritudinem, claritatem, majestatem et æternitatem beatæ illius patriæ cælestis.

Alleluja — Id est, laudate Deum, cum jubilo, cum lætitia, cum magna contentione et intensione. Sic enim laudes divinas intonant æternum Sancti. Videtur alludere ad Gentilium *io Pœan, io Pœan* (inquit S. Hieronymus [5]). Cujus loco Jerosolymis cantandum dicit perpetuum *Alleluja*.

(1) Apoc. 21 vers. 19.
(2) Serar. hic. (3) In Isa. 54.
(4) Epiph. lib. 16 de lapidibus; Isid. lib. 37.
(5) Epist. 136 et 137.

CAPUT XIV.

Ætas et mors utriusque Tobiæ. Prædicitur eversio Ninivæ et Jerosolymæ, et hujus rursus instauratio, et Gentilium ad Ecclesiam vocatio. Filiis ac nepotibus pia monita traduntur. Excedit e Ninive Tobias junior, et ad Raguelem cum familia demigrat in Ecbatanas, ubi et moritur et sepelitur.

1. Et consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum.

2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive.

3. Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit.

4. Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

5. In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, et septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixitque eis:

6. Prope erit interitus Ninive: non enim excidit verbum Domini: et [1] fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam.

ỳỳ. 6 et 7. *Non excidit verbum Domini* — Græce additur, *per Jonam* prædictum, diu ante Tobiam: nam Jonas prophetavit sub Jeroboam filio Joas rege Israel, 4 Regum 14, et tum minatus fuit et prædixit excidium *Ninive*. Sed Ninivitis pœnitentiam agentibus Deus tum pepercit, ultione in aliud tempus dilata. Nam relapsi iterum in pristina scelera supervenit ultor Phul-Bel-Ochus; et multis post annis Deus iterum per alium Prophetam [2], nempe *Nahum*, prædixit et de novo minatus est iisdem excidium, puta sub finem regni *Joathan* regis Juda. De facto vero et reipsa tandem eversa fuit anno 13 *Josiæ* regis Juda. Idque a *Nabuchodonosore seniore*, qui 25 anno patris sui *Nabopolassaris* adhuc viventis et imperantis, nomine ipsius adversus Niniven caput regni Assyriorum, una cum *Cyaxare*, seu potius *Cyaxaris* filio *Astyage*, expeditionem suscepit: et urbe potitus, excidit illam et funditus evertit, ac monarchiam Assyriorum transtulit ad Chaldæos. Ita S. Hieron. [3] cujus hæc sunt verba: *Revera, quantum ad historias tam Hebræas, quam Græcas pertinet, et maxime Herodotum [4], legimus, Niniven, regnante apud Hebræos Josia, apud Medos Astyage, fuisse subversam.* Nam Astyages jam tum regnabat una cum parente suo *Cyaxare*, cujus etiam nomine videtur bellum istud administrasse: sicut *Nabuchodonosor*, ut dixi, nomine *Nabopolassaris* etiam parentis sui. Similia habet etiam Eusebius in Chronico et alii. Quin et Josephus [5] ipsum pene annum eversæ *Ninivæ* digito demonstrat, nam ait: A tempore Joathan regis Juda, quo regnante, *Nahum* propheta prædixit excidium Ninivæ, usque ad realem eversionem illius effluxisse annos centum quindecim. Atqui decimus tertius annus *Josiæ* est præcise centesimus decimus quintus ab ultimo vel penultimo anno regni Joathan. Idem colligere licet ex annis vitæ Tobiæ junioris: nam ex v. 16 hujus capitis habemus, ipsum complevisse 99 annos vitæ: sed in Græco additur, antequam moreretur, audivisse, destructam esse Niniven a *Nabuchodonosore et Assuero*, seu Cyaxare, quem Græci vocant *Axuares*. Ergo Ninive excisa videtur ultimo vitæ anno Tobiæ. Jam vero ab anno sexto Ezechiæ regis Juda, quo una cum patre et matre sua puerulus sexennis vel septennis a Salmanasar in Assyriam [6] abductus est, usque ad 13 annum Josiæ, fluxerunt anni 93, quibus additi sex anni infantilis ætatis ipsius ante captivitatem, complent numerum 99 annorum: ergo. Sed vide fusius hæc in Chronico nostro [7]. Ex quo etiam videbis, hunc eumdem Tobiæ mortis annum, nempe 13 Josiæ regis Juda, initium facere septuaginta annorum servitutis et captivitatis ac desolationis Judææ, ceterorumque Judææ vicinorum populorum. Sed de hoc pluribus Jerem. 1 et Chronici nostri cap. 35. Hic tantum Nota insignem Dei providentiam circa Tobiam, Raguelem, et Gabelum, quorum frequens mentio in hac historia. Nam antequam exscinderetur urbs Medorum regia *Ecbatana* et *Rages*, alta adhuc pace inter Medos et Assyrios, effecit ut Tobias suam inde sponsam e domo Raguelis cum dimidia parte bonorum illius, insuper et decem argenti talenta a Gabelo reciperet atque in tutum deveheret. Cum vero deinde *Ecbatana* a tyranno Ninivita et Medorum hoste vi et armis subjugaretur, Judith 1, v. 5, effecit rursus, ut Raguel cum uxore, familia, et altera bonorum omnium medietate, in mediis bellorum flammis salvus et intactus conservaretur. Denique cum excidium immineret *Ninivæ*, jamque instaurata esset *Ecbatana*, et in dies magis magisque refloresceret, curavit Tobiam cum omni sua familia et substantia e *Ninive* in *Ecbatanam* demigrare. *Quoniam ipsi cura est de nobis* [8].

Fratres nostri, qui dispersi sunt; et domus Dei, quæ incensa est — Prophetice utitur præteritis pro futuris, ut dixi capite præcedenti v. 11. Unde et in Græco est, *dispergentur et incendentur*. Videtur enim Tobias proprie loqui de duabus tribubus *Juda et Benjamin* in Judæa adhuc relictis, quamquam etiam verum sit, ex aliis omnibus tribubus plu-

(1) 1 Esdr. 3, vers. 8.
(2) Jon. 3, et Chron. 34 in Cyaxare.
(3) Præf. in Jonam. (4) Lib. 1.
(5) Lib. 9 Antiq., cap. 11.
(6) 4 Reg. 18, vers. 10.
(7) Chron. cap. 31. (8) 1 Petr. 5, vers 7.

7. Omnis autem deserta terra ejus replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique revertentur omnes timentes Deum,

8. Et relinquent gentes idola sua, et venient in Jerusalem, et inhabitabunt in ea,

9. Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel.

10. Audite ergo, filii mei, patrem vestrum: Servite Domino in veritate, et inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi:

11. Et filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua.

12. Nunc ergo, filii, audite me, et nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc:

13. Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.

14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et filiorum filiis, et reversus est ad soceros suos;

15. Invenitque eos incolumes in senectute bona: et curam eorum gessit, et ipse clausit oculos eorum: et omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum suorum.

16. Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

17. Omnis autem cognatio ejus, et omnis generatio ejus, in bona vita, et in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo, quam hominibus, et cunctis habitantibus in terra.

---

rimos e captivitate Jerosolymam rediisse, ut constat 1 Esdræ 3.

℣. 8. *Relinquent Gentes idola sua* — De traductione Gentilium ad Ecclesiam Christi, vide quæ dixi cap. præced. v. 14. Denique

℣. 10. Hic in Græco additur: Achiacharum Tobiæ ex fratre nepotem, quem *Assar-Addon* domui suæ præfecerat, ut dixi in fine capitis 1, æmulatione et insidiis *Amani* cujusdam deturbatum loco suo, et una cum *Manasse* quodam in carcerem detrusum: sed merito eleemosynarum suarum brevi eductum utrumque, et *Amanum* vicissim in tenebras compactum fuisse. Et hæc Achiachari incarceratio forte causa fuit cur Tobias patruus ejus, qui a nepote sustentabatur, e *Ninive* in *Elemaida* profugere coactus sit; ut vidimus supra in fine cap. 2. Uti deinde restitutio ejusdem Achiachari in pristinum statum causa fuit reditus Tobiæ ex *Elemaide* in *Niniven*.

LIBER JUDITH

Primum chaldaice conscriptus, uti etiam Tobias et Esther, lingua nempe regionis, in qua historiæ istæ contigerunt. Ex Chaldaico S. Hieronymus (1) Latinum fecit, non verbum verbo, sed ex sensu sensum reddendo, ut ipsemet ait. Jam tamen etiam hebraice extat, teste Munstero (2); et græce et syriace, teste Masio (3): sed ex alio, ut apparet, exemplari, quam ex quo S. Hieron. suam Latinam versionem collegit. Certe Græca potius paraphrastice historiam exponunt, quam ad litteram. Primus scriptor et auctor Chaldaici textus ex communi sententia est Joacim vel Eliacim (nam idem prorsus sunt hæc duo nomina, et utrumque nomen nostro huic tribuitur in hac historia Judith): summus Synagogæ pontifex, non tamen ille filius Jesu (filii Josedec), qui cum Zorobabele reduxit Judæos e Babylone Jerosolymam 1 Esdræ 2 et 3, sed alius tempore *Manassis* regis Juda, cui Isaias propheta summum pontificatum nomine Dei promiserat c. 22, v. 21. Nam anno circiter 10 Manassis hanc historiam contigisse probavi, ni fallor, sat clare in (4) Chronico. Et huc inclinant post complures veteres Genebrardus, Canus, Pererius, Christophor. a Castro (5), Cardinalis Bellarminus, Serarius, Salianus, et Bonfrerius.

De libri hujus auctoritate idem prorsus dico, quod supra de libro Tobiæ: nam ab iisdem Auctoribus, quos pro Tobia istic citavi, etiam liber Judith pro Canonico admittitur. Et insuper *a Nicæna Synodo I* Generali *in numero SS. Scripturarum computatur,* inquit S. Hieron. (6), qui tanta motus auctoritate desiit exinde ea de re dubitare. Vide Baronium, Bellarminum (7) et alios.

Materia libri est victoria Judith de potentissimo tyranno Assyrio: tropologice, victoria piæ animæ de diabolo, mundo, carne et omni vitiorum colluvie: ita Rabanus et Glossa. Allegorice, triumphus B. Virginis Mariæ de capite serpentis infernalis, inquit S. Fulbertus Carnotensis et Petrus Canisius (8).

CAPUT I.

Rex Medorum Arphaxad construit urbem Ecbatanis: prælio superatur, capiturque a Nabuchodonosore. Qui dum reliquis quoque regnis inhiat, ab illis spernitur, nec admittuntur ejus legati.

1. Arphaxad itaque, rex Medorum, subjugaverat multas gentes imperio suo, et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis,

2. Ex lapidibus quadratis et se-

℣. 1. *Arphaxad*, nomen erat generale omnium *regum Medorum*, desumptum ab *Arbace*, primo *Ninives* expugnatore, et *Sardanapali* triumphatore. Nam is alia inflexione *Arpacad* dicebatur, et pinguiore sono *Arphaxad:* et hoc suum

(1) In prologo Judith et epist. 111.
(2) Præfat in Hebræum Tobiam.
(3) Epist. dedicat. in Josue.
(4) Chron. cap. 33.
(5) Genebr lib. 2 Chronol.; Canus lib. 11 de Locis; Pererius in caput 1 Daniel.; A Castro in Oseæ 2, vers. 20.
(6) Supra et epist. 140.
(7) Baron. tom. 3 et in appendice tom. 4; Bellarm. de verbo Dei.
(8) Mariani oper. l. 1, c 2.

ctis: fecit muros ejus in latitudinem cubitorum septuaginta, et in altitudinem cubitorum triginta, turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum.

3. Per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium:

4. Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum.

5. Anno igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit eum

6. In campo magno, qui appella-

nomen ad omnes successores suos transmisit, sicut et *Merodach* Babylonius suum ad omnes Babylonios reges: *Sylvius* ad omnes Latinos: *Pharao, Ptolemæus,* ad Ægyptios: *Cæsar et Augustus* ad omnes Romanos Imperatores. Cetcrum hic *Arphaxad,* ex communi eorum sententia qui Judithæ historiam transmigrationi Babylonicæ proponunt, fuit *Dejoces* seu *Diocles.* Cujus regni initium Eusebius [1] confert in decimam octavam Olympiadem, et ex Herodoto [2] docet, subjugasse *Busas, Paratacenos, Struchates, Arizantos, Budios, Magos,* et alias Medis vicinas gentes, ut hic dicitur. *Et ædificavit Ecbatanis* — seu, ut in Græco est, *in Ecbatanis muros* et nova palatia *construxit.* Nam teste Diodoro [3] *Ecbatana* jam a 1300 annis, nempe ante Semiramidem, extiterat. Nam Semiramis, constructa Babylone, dicitur in *Ecbatanam* excurrisse, et magnifica ibi palatia excitasse, cumque aquarum inopia urbs laboraret, in eam *Oronte* monte, qui duodecim stadiis abest, perfosso, aquæ abundantiam derivasse. Dicitur tamen hic *Arphaxad* eamdem *ædificasse,* quia de novo instauravit, amplificavit, exornavit.

℣. 5. *Nabuchodonosor rex* — Hic prognatus e Chaldaico sanguine regum Babylonis, videtur casu aliquo delapsus in Assyriam, factusque fuisse filius adoptivus, vel certe gener, aut alio modo affinis *Assar-Haddoni* [4] Assyriorum tunc monarchæ, atque ita successor ejusdem in imperio: Chaldaicum tamen nomen regum Babylonicorum, *Nabuchodonosor,* retinere voluit in æternam suæ familiæ et sanguinis memoriam. Josephus [5] indicare videtur, quod victo per *Merodach Baladan* Babyloniæ regem *Assar-Haddone* Assyrio monarcha, *Nabuchodonosor* vi intrusus fuerit in regnum Assyriacum. Alii malunt, ipsum non e Chaldaico, sed ex

Assyriaco sanguine procreatum, e cognatis fuisse *Assar-Haddonis,* vel saltem e primoribus regni, qui vel regis adoptione, vel procerum factione, vel populi electione sceptrum adeptus Assyriacum, etiam usurparit nomen Chaldaicum regum Babyloniæ, ut palam hoc suo nomine faceret, se regem quoque esse *Babyloniæ,* non minus quam *Ninives et Assyriæ.*

Pro quo Nota, post cladem *Sennacherib* ab angelo in Judæa acceptam, 4 Regum 19, v. 35, cœpisse vilescere potentiam regis Assyrii, atque inter alios qui se ab illius imperio divellebant, fuisse *Merodach Baladan* regem Babylonis, ante stipendiarium regis Assyrii. Et optasset quidem illato bello illum sibi subjugare; sed non potuit tam cito tanto regi prævalere. Continuit ergo sese, contentus jugum excussisse, usque dum multis post annis, nepos ejus Nabuchodonosor senior, 13 anno Josiæ regis Juda, junctis cum *Cyaxare* Medorum rege viribus, Ninive expugnata et excisa, monarchiam Assyriorum integram ad Chaldæos transtulit. Sed antequam eo calamitatis deveniret *Assyrius,* integris adhuc rebus, etsi jam rebellione desciscerct ab illius imperio Babylonius, Babylonici tamen regni titulo numquam renuntiare voluit: quin potius, ut omnium animis atque auribus eumdem imprimeret, regium babylonici sceptri nomen *Nabuchodonosor* usurpare etiam publice cœpit, et ab eo denominari voluit. Ut fere moris est iis, qui jus alieni regni, quod sibi vi vel fraude subtractum queruntur, stabilitum volunt. Sic rex Hispaniæ regem se scribit Jerosolymorum, rex Anglorum se dicit regem Galliæ, etc. Id vero eo propensius fecit rex Assyriæ, quod Babylonius rex jam spe devorans sceptrum Assyriacum, cœpisset quoque usurpare sibi titulum et nomen *regis Assyriorum,* ut patet ex dictis 4

(1) In Chronico. (2) Lib. 1.
(3) Lib. 2.
(4) Chron. cap. 33.
(5) Lib. 10 Antiq., cap. 5.

tur Ragau, circa Euphraten, et Tigrin, et Jadason, in campo Erioch regis Elicorum.

7. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor ejus elevatum est: et misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano,

8. Et ad gentes, quæ sunt in Carmelo, et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon,

9. Et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, et omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ.

10. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum:

11. Qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abjecerunt.

12. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.

Regum 20 et 23 in fine capitum. Assyrius ergo ut ægrius faceret Babylonio, nomen vicissim *regis Babylonici* publice præferre voluit, nempe *Nabuchodonosor*, antiquum *Nabonassaris*, et secutorum in Babylone regum Chaldæorum nomen, teste Albategnio, et eo vetustiore Arabe Ptolemæi paraphraste, qui *Nabonassar* semper vertunt *Bechatnezer* seu *Nabuchodonosor*. Vide Joseph. Scaligerum [1].

Anno duodecimo regni sui suscepit bellum adversus Medum: sed quinto demum anno post, nempe 17 regni sui, *in campo Erioch regis Elicorum* (græce *regis Elymorum*), collatis cum Arphaxado signis illum superavit, captivum habuit, et jaculis confodi jussit, Ecbatanam vastavit, et omnes illius portas, turres ac palatia solo æquavit. Ita Græcus hic v. 1 et ult.

℣. autem 9 pro *terra Jesse*, idem Græcus legit, *terram Gessen*, ut est Gen. 46, et 47. Porro Nabuchodonosor repulsam passus,

℣. 12. *juravit quod defenderet se* — id est, ulcisceretur se. Simili modo sumitur infra cap. seq. v. 1, et cap. 9, v. 2, et ad Romanos 12, v. 19. Et sic a Virgilio aliisque priscis auctoribus usurpari solitum notat non incuriosus Latini sermonis custos Nonius.

(1) Lib. 5 Emendat. temp.

CAPUT II.

Concilio bellico adstipulante ambitioni Nabuchodonosoris, Holofernes cum validissimis copiis mittitur versus occidentem, ubi varias gentes vi et armis subjicit imperio regis sui.

1. Anno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima et secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se.

2. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui:

3. Dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.

4. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ,

5. Et dixit ei: Egredere adversus omne regnum occidentis, et contra

℣. 4. *Holofernes* Persicum est nomen, ut *Artaphernes, Tisaphernes, Intaphernes*. Et vero hunc Nabuchodonosoris archistrategum *Persam* fuisse, ait Cedrenus. Et hoc nomine facilius inducti fuerunt *Persæ*, de quibus infra cap. 16, v. 12, ut se huic militiæ socios jungerent. Unde, ni fallor, evidenter patet,

eos præcipue, qui contempserunt imperium meum.

6. Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi.

7. Tunc Holofernes vocavit duces, et magistratus virtutis Assyriorum: et dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia.

8. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus.

9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.

10. Aurum vero, et argentum, de domo regis assumpsit multum nimis.

11. Et profectus est ipse, et omnis exercitus, cum quadrigis, et equitibus, et sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ.

12. Cumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, et obtinuit omnem munitionem.

13. Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis, et filios Ismael,

hanc Judithæ historiam ante inchoatam monarchiam Persarum contigisse. Nam illa stabilita, quomodo vel sub Cambyse, vel sub Xerxe, vel sub alio quopiam rege induci potuissent Persæ, tunc rerum domini, et totius Orientis monarchæ, ut rebelli uni Assyrio, nescio unde prorepenti Nabuchodonosori, junctis copiis adessent, ad imperium totius orbis ipsi parandum, sibi vero subtrahendum? Porro *Holofernes* hic, qui in Latino vocatur *princeps militiæ*, in Græco dicitur fuisse *secundus post Nabuchodonosorem*. Qualis in Ægypto post *Pharaonem* [1] fuerat *Josephus:* post *Assuerum* [2] in Perside *Aman:* et nuper post *Assar-Haddon* in Assyria [3] *Achiacharus.* Unde etiam *Holofernes* a Zonara vocatur *archisatrapa;* a Tertulliano et Augustino [4] etiam *rex*, tum ob potentiam et opes pene regias: tum ob regium imperium et potestatem, qua præditus erat. Neque ægre ferebant magni monarchæ, quod minores quosdam reges sibi haberent ministros.

℣. 12. *Venit ad montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ* superioris, ut additur in Græco. Verisimile est designari hic *Taurum* et *Antitaurum*, quia et hi *magni* sunt *montes*, et his adjacet *Cilicia*. Et hi tot admittunt nomina, quot gentes illos vel incolunt, vel accolunt, vel describunt, teste Plinio et Dionysio [5]. Et forsan ob tot montium *vastos et desolatos acervos*, quot in Taurinis istis jugis reperiuntur, ab Hebræis vel Chaldæis dicti fuerunt *ange* ab *Hai*, quod et *acervum* [6] significat, *et vastitatem et desolationem*. Forsan et a populo, vel a loco vicino: nempe, unde dux ille *Philotas* apud Curtium [7] dictus fuit *Angeus:* vel mons apud Herodotum [8] *Rangæus*, apud alios *Pangeus:*

℣. 13. *Effregit*, seu perfringendo expugnavit, *civitatem opinatissimam*, id est, famosissimam, *Melothi* — de qua 2 Machab. 4, vers. 30 ubi etiam cum *Tharsi* conjungitur. Et videtur ea esse quæ a Plinio [9] *Melita* vocatur, a Ptolemæo [10] *Melitena*, a *Semiramide* olim *condita haud procul Euphrate.* Putaturque sic dicta a *plenitudine* (hoc enim significat *melothi*), id est opulentia et abundantia omnium rerum. De *Tharsis* vide quæ dixi 2 Paral. 9, v. 21.

Prædavit — pro *deprædatus est.* Sed hoc Interpreti nostro non minus licuit, quam Ennio *criminat*, Turpilio *proficisceret*, Nævio *minitas*, Pomponio *mirabis* et *convivant*, Titinnio *osculavi*, Varroni *imitat*, Virgilio *populat*, Ciceroni *augurat*, Plauto *vagat, perscrutavi*, et alia alia.

(1) Gen. 41, vers. 40. (2) Esther 3 et 4.
(3) Tobiæ 1 in fine.
(4) Tertull. lib. 1 contr. Marcion., c. 7; Aug. in appendice, serm. 66.
(5) Plin. lib. 5, cap. 27; Dionys. in Periegesi.
(6) Num. 21, vers. 12; Job 30, vers. 24; Ps. 78, vers. 1; Isa. 17, vers. 1; Mich. 1, vers. 6, et c. 3, vers. 12.
(7) Lib. 5. (8) Lib. 7.
(9) Lib. 6, cap. 3. (10) Lib. 5, cap. 7.

qui erant contra faciem deserti, et ad austrum terræ Cellon.

14. Et transivit Euphraten, et venit in Mesopotamiam: et fregit omnes civitates excelsas, quæ erant ibi, a torrente Mambre usquequo perveniatur ad mare:

15. Et occupavit terminos ejus, a Cilicia usque ad fines Japheth, qui sunt ad austrum.

16. Abduxitque omnes filios Madian, et prædavit omnem locupletationem eorum, omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii.

17. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi:

18. Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

CAPUT III.

Universæ urbes ac provinciæ territæ tantis copiis ultro se dedunt Holoferni: ex quibus auxiliares ipse sibi assumit, urbes munitiores destruit, lucos cum idolis et fanis exscindit, ut solus Nabuchodonosor Deus habeatur.

1. Tunc miserunt legatos suos universarum urbium ac provinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, et Syriæ Sobal, et Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt:

2. Desinat indignatio tua circa nos: melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur.

3. Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes et colles, et campi, et armenta boum, gregesque ovium, et caprarum, equorumque et camelorum, et universæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt:

4. Sint omnia nostra sub lege tua.

5. Nos, et filii nostri, servi tui sumus.

6. Veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.

7. Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, et obtinuit omnem civitatem, et omnem inhabitantem terram.

8. De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, et electos ad bellum.

℣. 1. *Syriæ* — nempe presse acceptæ, cujus caput *Damascus*. Syriæ *Sobal* mentio fit 1 Regum 14, v. 47, et 2 Regum 8, v. 3, 5, 12, et Plinio, Straboni ac Ptolemæo [1] dicitur *Sophene*. Alioqui *Syria* latissime sumpta complectitur non solam *Damascenam et Sophenem*, sed et *Palæstinam, Judæam, Cœlen, Phœnicen, Babyloniam, totamque Mesopotamiam, Comagenem, Assyriam, Antiochiam*, ut docet idem Plinius [2].

Pro *Libya*, quia procul a *Syria*, immo ultra *Ægyptum* in *Africa* sita est, mallent aliqui legi *Lycia*, vel *Lygia*, quam Herodotus [3] circa *Syriam* collocat, et a *Libya* distinguit. Sed quid absurdi, si dicamus etiam ex remotissimis orbis partibus, tempori, ut longe positum periculum averterent, legatos ad Holofernem missos fuisse? Ut olim Gabaonitæ se missos mentiebantur, Josue 9, et ad Alexandrum Magnum ex omnibus undique terrarum partibus advolasse, testatur Curtius [4].

℣. 7. *Tunc* Holofernes *descendit de montibus* — Casio, Libano, Antilibano, qui in Syria sunt, inter quorum duos *postremus Damascus* est, in cujus ille felices campos jam descenderat c. 2, v. 17. Porro Holofernes

(1) Plin. lib. 5, cap. 12; Strabo lib. 12; Ptolem. lib. 5, cap. 13.

(2) Supra.

(3) Lib. 7.

(4) Lib. 10.

9. Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes, et honorati simul cum populis, exirent obviam venienti,

10. Excipientes eum cum coronis, et lampadibus, ducentes choros in tympanis, et tibiis,

11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt:

12. Nam et civitates eorum destruxit, et lucos eorum excidit:

13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari.

14. Pertransiens autem Syriam Sobal, et omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa,

15. Accepitque civitates eorum, et sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

℣. 12. *civitates*, puta munitiores et a quibus timeri posset aliquando rebellio, *destruxit, et lucos excidit* — utique cum aris et fanis deorum, quæ *lucis* fere cingebantur ad majorem loco venerationem conciliandam, et ad sordes illorum sacrorum saltem ex parte tegendas. Atque utinam solis idolis, seu falsis diis, hoc bellum movisset Holofernes, et non etiam verum Deum cæli et terræ suo e solio deturbare voluisset!

℣. 14. *Venit ad Idumæos in terram Gabaa* — Id est montanam vel clivosam. Græce est, *venit in planitiem Esdrelon, prope Dotæam* [1] (unde forte legendum, *ad Dotæos*, pro Idumæis) *e regione terræ Judææ* (id est, tractus in Judæa perpetuo clivosi et editi, quæ Lucæ 1, v. 39 *montana* Judææ vocantur): *et castrametatus est inter Gæbe et Scythopolin*. De *Gæbe* vero, vel *Gabe*, dicit Plinius, *urbem* esse *instar regni*. Non video tamen, cur cum Latino non retineamus ipsum *Idumæorum* nomen, cum ex Josepho [2] et aliis constet, *Idumæam* quandoque tam ample sumi, ut *Gazam* quoque et *Gaben et Ascalonem*, et omnia vicina comprehendat.

(1) Gen. 37, vers. 17, Dothain vocatur, et hic cap. 4, vers. 5.

(2) Lib. 4 Antiq. cap. 26, et lib. contra Appionem.

CAPUT IV.

Metu propinquantis tyranni perterriti Judæi media omnia expediunt, quibus se adversus illum tueantur, nec solam humanam adhibent industriam, sed et jejuniis, et humillima prece, divinum auxilium hortatu summi pontificis implorant.

1. Tunc audientes hæc filii Israel, qui habitabant in terra Juda, timuerunt valde a facie ejus.

2. Tremor et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem et templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum.

3. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho, et præoccupaverunt omnes vertices montium:

4. Et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ.

℣. 3. *Miserunt in omnem Samariam* — Urgebat enim vel sola magnitudo instantis belli, ut socias vires jungerent Samaritani Judæis adversus communem hostem.

℣. 4. *Muris circumdederunt* non solas urbes, sed et *vicos* et pagos *suos* — Nisi malis, urbes jam pridem a Salomone aliisque regibus Juda muris sat probe cinctas et munitas fuisse. Quod in tempus Ma-

5. Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, et universos, per quos viæ transitus esse poterat,

6. Ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad

nasse optime quadrat: at post reditum Esdræ e Babylone, cum pene omnes urbes desertæ jacerent, ipsaque Jerosolyma mœnibus careret [1] affirmari nulla ratione potest.

Et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ, et ut obsidionum moras ferre possent. Addit Græcus, *Judææ agros* sub id tempus προσφάτως, id est *recens, demessos* fuisse: unde commode poterant frumentationi vacare.

Ibid. 5. *Sacerdos*, nempe *summus*, ut v. 11 innuitur, seu *pontifex summus*, ut c. 15, v. 9 dicitur, *Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, juxta Dothain* (huc enim jam accesserat *Holofernes*, ut dixi cap. præced., vers. 14), *ut obtinerent et custodirent ascensus et* angustias *montium* — Hic est iste *Eliachim*, seu, ut cap. 15 vocatur, *Joachim* (nam adjecto *El* nomini *Joachim*, fit *Eliachim*): qui medius intercessit pontifex inter *Sobnam*, qui tempore Ezechiæ, et *Helciam*, qui tempore Josiæ floruit: et abducto *Sobna* una cum rege *Manasse* in carcerem Babylonicum, ipse ei in pontificatu successit, ut ex sancto Cyrillo, Hieron., Procopio, Nicephoro Constantinopolitano [2] et aliis contra Wittakerum et similes Novatores probat Cardinalis Bellarminus et Serarius [3]. Et ita futurum prædixerat Isaias c. 22, ubi pontificis ornamenta et insignia detrahenda *Sobnæ*, et in humeros *Eliachim* transferenda dicit, *tunicam, baltheum*, seu *stolam, coronam gloriosam, nomen patris, clavem domus David*, id est, supremam auctoritatem et potestatem in omnes Judæos, non solum spiritualem, quæ illi propria fuit tamquam summo pontifici: sed et temporalem, quæ tamquam vicario regis Manassis, concessa publice fuit. Quin et Reineccius [4] hæreticus, ut de aliis taceam, aperte scribit, hunc *Eliachim summum pontificem* fuisse: et objicientibus, illum in Josephi catalogo summorum pontificum non reperiri, respondet: *Sadocus*, vel *Saldumus* Josephi, *absque dubio Eliacimus est.* Et infra, *Sadocus secundus sub Ezechia et Manasse, ipse est qui a Josepho Odeas, a Nicephoro Callisto Joas, a Nicephoro Constantinopolitano Eliacim vocatur.*

Sed hic quæritur, cur, reducto jam in regnum Manasse rege, bellicam rem adversus Holofernem non rex ipse, sed pontifex administrat? Respondeo, quia Manasses recens e carcere Babylonico redierat, et tanta percussus calamitate, publico ad tempus abstinebat, totus in Dei cultu occupatus, forsan et morbo ex miseriis vix præteritis præpeditus, omnem reipublicæ administrationem penes pontificem et senatum regium reliquit, penes quos ipso absente fuerat. Immo, si Josepho credimus [5], ex quo Babylone rediit Manasses, *in una re*, nempe *ut omni religione Deum prosequeretur, totum vitæ residuum ipse occupabatur: in* hac *una tantum re totus erat.* Et S. Scriptura idem innuit, cum 2 Par. 33, v. 13 de reduce Manasse ait, *Egit pœnitentiam valde coram Deo, deprecatusque est eum, et obsecravit intente.* Nec tamen concesserim, ita prorsus ab hoc bello Holofernico manus continuisse Manassen, ut non etiam, quantum in præsenti posset, intenderit, quin et superintenderit. Nam cujus, obsecro, alterius, aut hostis, aut belli metu, *ædificavit* ipse (ut ibidem vers. 14 additur) *murum extra civitatem David — ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, et exaltavit illum vehementer?* quando item, et contra quos alios hostes *constituit* ipse *principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis?* An ex his verbis colligere non licet, Manassen regem sumpsisse sibi Jerosolymam urbem tuendam, mœnibusque propugnaculisque novis communiendam? Reliquam vero provinciam, et ante omnia primos aditus provinciæ, summo pontifici ceterisque principibus suo nomine tuenda gubernandaque commisisse?

(1) 2 Esdr. 1, etc.
(2) Cyrill. et Hieron. in Isaiæ 22; Niceph. in Chronologia.
(3) Bellarm. lib. 1 de verbo Dei, cap. 12; Serar. hic q. 1.
(4) Tom. 2, f. 255. (5) Lib. 10 Antiq., cap. 4.

Jerusalem, et illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes.

7. Et fecerunt filii Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.

8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum.

9. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio:

10. Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium gentibus.

11. Tunc Eliachim, sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos,

12. Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini.

13. [1] Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit:

14. Sic erunt universi hostes Israel: si perseveraveritis in hoc opere, quod cœpistis.

15. Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini,

16. Ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, et erat cinis super capita eorum.

17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

(1) Exod. 17, vers. 12.

CAPUT V.

Achior Ammonitarum dux rogatus ab Holoferne de Judæis enarrat publice stupenda Dei opera circa istum populum: monetque ne temere contra illos pugnet. Sed ob hæc indignantur Achiori principes omnes Holofernis.

1. Nuntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filii Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent.

2. Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocavitque omnes principes Moab, et duces Ammon,

3. Et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet, aut quæ, et quales, et quantæ sint civitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum:

4. Et quare præ omnibus, qui ha-

℣. 3. *Quis populus iste? quæ civitates? quis rex?* — Istæ Holofernis interrogationes non sunt omnino ignorantis (quomodo enim Assyriorum dux tantus ignoret, quæ paucis ante annis ex gente Judæa retulissent, seu trophæa, seu clades potentissimi reges Assyriorum Theglath-Phalasar, Salmanasar et Sennacherib?); sed sunt militares interrogationes superbissimi ducis mirantis, stupentis, irascentis, indignantis et hostes vilipendentis. Sicut olim Pharao Exodi 5: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* Et Nabal, 1 Reg. 25: *Quis est David, et quis est filius Isai?* Et Nabuchodonosor, Danielis: 3 *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Hic nempe loquendi modus est istorum tumidorum, verbisque

bitant in oriente, isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos cum pace?

5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire, domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo.

6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est:

7. [1] Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.

8. Deserentes itaque cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant,

9. Unum Deum cæli coluerunt, [2] qui et præcepit eis ut exirent inde, et habitarent in Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, [3] descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus.

10. Cumque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto et latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, et percussit totam terram Ægypti plagis variis.

11. [4] Cumque ejecissent eos Ægyptii a se, et cessasset plaga ab eis, et iterum eos vellent capere, et ad suum servitium revocare,

12. [5] Fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.

13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret.

14. Egressi vero mare rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, [6] in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit.

15. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, et per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt.

16. Ubicumque ingressi sunt sine arcu et sagitta, et absque scuto et gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, et vicit.

17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui.

18. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium.

19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

20. Denique Chananæum regem, et Jebusæum, et Pherezæum, et Hethæum, et Hevæum, et Amorrhæum, et [7] omnes potentes in Hesebon prostraverunt, et terras eorum, et civitates eorum ipsi possederunt:

21. Et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem.

22. Nam et ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam.

ipsos pene cælos territantium Pharaonum, Nabalium, Nabuchodonosorum, plenus fastu, sui solius admiratione, aliorum omnium contemptu.

(1) Gen. 11, vers. 31.
(2) Gen. 12, vers. 1.
(3) Gen. 46, vers. 6.
(4) Exod. 12, vers. 33.
(5) Exod. 14, vers. 29.
(6) Jerem. 2, vers. 6.

℣. 22. *Ante hos annos exterminati sunt præliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt* — Ubi certum est, non loqui de captivitate

(7) " Vers. 20. *Omnes potentes in Hesebon.* Hesebon sive urbs, sive provincia erat in terra Galaad ultra Jordanem in tribu Ruben, de qua Cant. cap. 7, vers. 4. „

23. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana hæc omnia, et iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum.

Babylonica. Nam tunc non *plurimi*, sed *omnes* abducti sunt; neque *a multis*, sed ab unica *natione* Chaldaica. Hic ergo respicit Achior ad Æthiopes, ad Ægyptios, ad Syros, ad Assyrios, qui plurimas clades vastitatesque intulerunt Israelitis, affligentes ac diripientes eos, ut dicitur 4 Regum 17, v. 20. Sed omnium recentissimum fuerat exterminium totius regni Israelitici decem tribuum per Salmanasar regem Assyriorum: et rursus etiam Judææ non minima ex parte vastatio per Chaldæos, quando 2 Paralip. 33, v. 11, rex ipse Manasses cum Sobna pontifice, et plerisque regni principibus vincti catenis in carcerem Babylonicum abrepti fuerunt.

Dices, in Græco textu additur, *templum Jerosolymitanum eversum, et solo æquatum fuisse.* Quod a solo Nabuchodonosore factum sub Sedecia: nullo vero modo a Chaldæis sub Manasse. Respondet Bellarminus, verba illa *supposititia videri, quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissime transtulit ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de eversione templi in sua editione posuit.* Et certum est, Græcum textum in multis mendosum deprehendi. Sed agedum, demus, nullum hic mendum esse; an nullo sano sensu saltem morali, et prudenti æstimatione, potest dici *eversum et solo æquatum*, vel, ut verba sonant, *in pavimentum factum*, id est conculcatum, esse templum, quod subtractum cultui divino, profanæ dæmonum seu idolorum latriæ consecratum est? hoc est, ex vero *templo* factum est *non templum*, sed spelunca dæmoniorum? Aut forte non censebis everti templum, si relictis parietibus et tecto, stabulum inde feceris aut haram porcorum, vel, si lubet, fornices meretricum? At simili, immo turpiori, profanatione Manassen evertisse templum Domini, constat ex 4 Regum 21, et 2 Paralip. 33.

At facile, inquies, concesserim, tali profanatione *eversum* fuisse, saltem *formaliter* templum Dei Jerosolymitanum: sed inde non patet, etiam *solo æquatum*, vel *in pavimentum factum* fuisse, quod Græcus affirmat. Respondeo primo, posse *formaliter*, et saltem *metaphorice* etiam ob easdem causas, dici *factum in pavimentum*, immo *solo æquatum* fuisse, sicut dici posset, *funditus et stirpitus excisum, eversum*, etc. Respondeo secundo, posse quoque *physice et materialiter* idem de templo dici, cujus magnas partes constat cum ab *aliis regibus Juda*, tum ab ipso *Manasse*, disjectas, dissolutas et solo æquatas fuisse, ut profanis plurium simul idolorum altaribus, v. g. Baalim et Astaroth, soli, lunæ, et universæ militiæ cæli, tum in templo ipso, tum in atriis omnibus templi, locus commodus patefieret, ut constat ex capitibus libri Regum et Paralip. jam citatis, et etiam ex immediate sequentibus, ubi de Josia Manassis nepote, narratur, quod *ingenti vi pecuniæ* curarit *instaurari templum Domini, et commissuras ac contignationes quas destruxerant reges Juda.* Aut forte *solo æquatum* fuisse negabimus, quod adeo dejectum multis partibus complanatumque jacuit, ut et Manasses, quantumvis serio pœnitens, et cultui divino totus addictus, ut vidimus cap. præced. toto reliquo tempore regni sui, et Josias, et ipse cultus divini zelosissimus, primis imperii sui annis, eidem restituendo, et quidem tot tantisque thesauris regiis pares non essent, sed totius Israelis collectis impensis, ut ibidem narratur, instaurari debuerit? Quamquam de *physica* seu *materiali demolitione* templi, et *solo æquatione* sermonem non esse in hoc textu Græco, vel inde certissimo patet, quod cap. 4, v. 2 cum de vastatione templi, de qua hic agitur, sermonem facit, indicet *mansisse* integra *vasa, altare, templum*, sed *profanata ac polluta.* Unde dicit, eadem omnia recens ante accessum Holofernis, *mundata, expiata* et rursus *sanctificata* fuisse. Dixisset vero *reædificata* vel *de novo rursus constructa* fuisse; si de *physica* seu *materiali destructione*, qualis fuit tempore captivitatis Babylonicæ, locutus esset.

℣. 23. *Nuper*, puta reducto e vinculis Manasse, *reversi ex dispersione qua*, vel metu Chaldæorum ultro fugientes horsum, istorsum: vel vi fugati ab iisdem, aut in Babylonem cum rege suo et por-

24. Nunc ergo, mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, et subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ.

25. Si vero non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, et erimus in opprobrium universæ terræ.

26. Et factum est, cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum:

27. Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, et exercitibus ejus homines inermes, et sine virtute, et sine peritia artis pugnæ?

28. Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana: et cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur:

29. Ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, et præter ipsum alius non est.

tifice abducti, et sic *dispersi fuerant* extorres a patria et vagabundi, urbe Jedosolyma, vicinisque omnibus hostiliter ereptis a milite Chaldæo: sed jam, placato rursum Deo, et propitio rege Chaldæo, recepta libertate pristina, recurrerunt undique in Judæam, et iterum in sua patria *adunati sunt, et* deserta prius *montana hæc omnia* incolenda repetierunt, *et iterum possident Jerusalem,* e qua fugati fuerant.

CAPUT VI.

Oratione Achioris commotus Holofernes jubet eum ad hostes transferri Bethuliam, ut ea devicta simul intereat: quare arbori alligatus, a Judæis in urbem recipitur, et benigne habetur, ipsis interim Dei opem humillime implorantibus.

1. Factum est autem cum cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

2. Quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor:

3. Cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, et omnis Israel tecum perditione disperiet:

4. Et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universæ terræ: tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, et confixus cades inter vulneratos Israel, et non respirabis ultra, donec extermineris cum illis.

5. Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, et pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse.

6. Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut, dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas.

7. Tunc Holofernes præcepit servis suis ut comprehenderent Achior,

℣. 4. *Donec extermineris* — conjungendum non cum proximo verbo, *respirabis:* sed, more Hebræo, cum remotiore *transiet.*

℣. 7. *Bethulia* significat *virginitatem* [1] *Dei.* Civitas est *Galilææ,* in tribu *Za-*

(1) Deut. 22, vers. 14 et 15; Judic. 11, vers. 36 et 37; Lev. 21, vers. 14; Ezech. 23, vers. 3.

et perducerent eum in Bethuliam, et traderent eum in manus filiorum Israel.

8. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii.

9. Illi autem divertentes a latere montis, ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vinctum restibus dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum.

10. Porro filii Israel descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrii reliquissent.

11. In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, et Charmi, qui et Gothoniel.

12. In medio itaque seniorum, et in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: et qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum,

13. Et quemadmodum ipse Holofernes iratus jusserit eum Israelitis hac de causa tradi: ut, dum vicerit filios Israel, tunc et ipsum Achior diversis jubeat interire suppliciis, propter hoc quod dixisset: Deus cæli defensor eorum est.

14. [1] Cumque Achior universa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Dño effuderunt.

15. Dicentes: Domine Deus cæli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende, et ostende quoniam non dere-

bulon, sita in monte: tribus leucis a *Dothain* versus Austrum, de qua c. 3, v. 14, itemque a *Scythopoli* versus septemtrionem: una leuca a *Tiberiade* versus occidentem: et a *Diocæsarea* versus orientem. Vide Brocardum et Adrichomium [2], qui addit, etiamnum hodie conspici istic vestigia castrorum Holofernis.

℣. 11. *Erant illic* (in Bethulia) *principes, Ozias de tribu Simeon et Charmi* — ergo advena erat *Ozias*, utpote ex tribu *Simeon* oriundus, sed qui Bethuliæ, in urbe Zabulonicæ tribus, principem agebat, forte civitate jam pridem donatus: forte post abductas decem tribus in Assyriam, casu vel consilio (nam liberum cuique tunc erat, ubicumque vellet, sedem figere) eo delatus: forte etiam recens occasione belli hujus Holofernici Jerosolyma a rege Manasse, vel a pontifice Eliacim Bethuliam submissus. Cui postremo favet, quod in decursu hujus historiæ, non *Bethuliæ* tantum princeps, sed subinde etiam *princeps Juda* vocetur, ut cap. 8, v. 34, immo etiam *princeps populi Israel* c. 13, v. 23. Alteri principi *Charmi* hic in Græco, cognomen additur *Melchiel:* et c. 8, v. 9 etiam in Latino jungitur ei socius *Chabri:* alias *Gothoniel*, quos Lyranus et Carthusianus ex eo putant *sacerdotes* fuisse, quod in hac historia subinde *presbyteri* vocentur: et soleant *sacerdotes* sæpe præfici etiam rebus bellicis, ut Josephus [3] suo pluriumque aliorum exemplo docet. Sed infirmum hoc est argumentum, cum *presbyterorum* nomine designari constet *seniores* quosvis: et in singulis urbibus essent ex institutione Moysis, ut alibi tradit Josephus [4] septem designati, qui *principes et judices* populi essent, et *seniores et presbyteri* [5] vocari solerent, vel *majores natu* [6], vel [7] *optimates*. Et licet his assiderent semper aliqui ex Levitis, poterant tamen ipsi ex quavis tribu desumi: et fere desumebantur ex ea tribu cujus civitas esset, quamquam, ut dixi, in ea quæ tunc erat tribuum dispersione, is ordo sæpe servatus non fuerit.

℣. 15. *Faciem sanctorum tuorum attende* — Græce, *sanctificatorum tibi hoc*

(1) Supra 5, vers. 6.
(2) Brocard. lib. de Terra sancta; Adrichom. lib. eod.
(3) Lib. 2 Belli, cap. 42.
(4) Lib. 4. Antiq. c. ult.
(5) Libri Ruth cap. 4, vers. 2; 1 Reg. 30, v. 26.
(6) 3 Reg. 21, vers. 8.
(7) 4 Reg. 10, vers. 1.

linquis præsumentes de te: et præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes, humilias.

16. Finito itaque fletu, et per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior,

17. Dicentes: Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas.

18. Cum vero Dñus Deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit et tecum Deus in medio nostri: ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus converseris nobiscum.

19. Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, et fecit ei cœnam magnam.

20. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt.

21. Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel.

ipso die, id est miserere et opitulare populo tuo non solum ab antiquo per circumcisionis sacramentum sancto, sed jam recentissimo rursum fœdere tibi devincto, et novo fidelitatis juramento tibi adstricto, atque ita plurimis titulis sanctificato, tibique plene dedicato.

℣. 19. *Tunc Ozias suscepit eum in domum suam* — non quidem vinctum, aut custodia septum: sed tamen aliquantulum observatum, et semper in plurium oculis detentum. Unde et postea, victrice *Judith* Bethuliam reversa, et Holofernis caput inferente, cum ad spectaculum omnes concurrerent, *Achior* tamen non nisi vocatus accessit, cap. 13. Procul vero erat, ut ad remp. ipsum adhiberent, aut munus aliquod demandarent. Transfugis enim non facile credendum. Et meminerant exempli *Chusai*, qui *Absalomi* rem consilio suo evertit, 2 Reg. 17. Forsan etiam audierant qua vafricie *Sinon* olim *Trojanos* Græcis prodidisset [1]. Certe maximo suo malo crediderunt Assyrii *Judithæ*, Babylonii *Zopyro*, et Gabini *Tarquinio*, qui paullo post hæc tempora, illa a Bethuliis, ille a Persis, iste a Romanis transfugerant, et adepti summam gerendi seu privatim quidquid vellent, seu etiam publice adversus hostes belli administrandi potestatem, urbes et copias sibi creditas hosti prodiderunt.

(1) Virg. Æn. 2.

CAPUT VII.

Bethulia obsidetur: aqvæductus præciditur: a fontibus arcentur obsessi, qui siti nimia cruciati deditionem urgent: sed Ozias princeps populo persuadet ut ad quinque dies differatur.

1. Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam.

2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, et equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupaverat captivitas, et abducti fuerant de provinciis et urbibus universæ juventutis.

℣. 2. *Equites viginti duo millia* — Accesserunt ergo *ex Assyria* de novo *decem millia* ad illa *duodecim millia*, quæ Holofernes c. 2, v. 7, ex Assyria secum eduxerat. Submittebat enim *Nabuchodonosor* statis temporibus novas legiones ex ipsa Assyria, nec volebat, nec vero tutum erat, solis auxiliaribus copiis rem geri. Quin et ipsemet parabat paullatim subsequi cum flore totius imperii, ut promiserat abeunti Holoferni, cap. 2 in Græco.

3. Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, et venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothain, a loco qui dicitur Belma, usque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon.

4. Filii autem Israel, ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum.

5. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, et erant custodientes ea tota die et nocte.

6. Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret: et incidi præcepit aquæductum illorum.

7. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius quam ad potandum.

8. Sed filii Ammon et Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filii Israel, non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, et muniunt illos colles in præcipitio constituti.

9. Ut ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, et sine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse.

10. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, et coram satellitibus ejus, et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

11. Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, et collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem unde satiarentur vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.

12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri feminæque, juvenes, et parvuli, omnes simul una voce

13. Dixerunt: [1] Judicet Deus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

14. Et ideo non est qui adjuvet,

℣. 3. *Belma*, a Brocardo [2] vocatur *Abelina:* urbs est ad radices montis *Bethuliæ*, non nisi leuca una inde dissita: a *Dothain* vero non nisi media leuca. Ibidem in vicino etiam est urbs *Chelmon*, quæ in Græco vocatur *Cyamon*. His in locis dicit Græcus Assyrios *castra metatos* fuisse: Latinus, *se ad pugnam* accinxisse. Utrumque factum.

℣. 6. *Fons, qui* ex valle *australi* (de qua c. 12, v. 7) per tubum seu canalem in urbem *influebat, aquæductum dirigebat* — id est, per canalem recta destinabat aquam in urbem Bethuliæ. Hoc canali inciso per *Holofernem*, non supererat obsessis aqua, nisi quæ

℣. 7. *non longe a muris* ex fonticulis modice scaturiebat; quam *furtim* subinde haustum veniebant. Sed et has scatebras, appositis ubique custodiis, eripuit mox Holofernes, v. 10. Neque vero molestius quidquam obsessis, aut ad deditionem accelerandam opportunius esse solet siti et aquæ penuria: unde plurimas urbes arcesque munitissimas, et viris aliisque rebus omnibus instructissimas, hac via dedi coactas, ostendit enumeratque Polybius, Lucanus et Josephus [3], qui addit, hoc ipsum, quod *ad mensuram aqua dividitur*, ut hic factum a Bethuliensibus, v. 11, *ipsa penuria videri molestius:* nam *appetitum magis proritat, quod liberum non est.*

(1) Exod. 5, vers. 21. (2) Supra.
(3) Polyb. lib. 7, cap. 5; Lucan. lib. 4; Joseph lib. 15 Antiq., cap. 8, et lib. 1 Captiv., cap. 14, et lib. 3, cap. 13.

cum prosternamur ante oculos eorum in siti, et perditione magna.

15. Et nunc congregate universos qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

16. Melius est enim ut captivi benedicamus Dñum, viventes, quam moriamur, et simus opprobrium omni carni, cum viderimus uxores nostras, et infantes nostros mori ante oculos nostros.

17. Contestamur hodie cælum et terram, et Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, et sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis.

18. Et cum hæc dixissent, factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes:

19. [1] Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus,

20. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, et noli tradere confitentes te populo qui ignorat te,

21. Ut non dicant inter gentes: Ubi est Deus eorum?

22. Et cum fatigati his clamoribus, et his fletibus lassati siluissent,

23. Exurgens Ozias infusus lacrymis, dixit: Æquo animo estote, fratres, et hos quinque dies expectemus a Domino misericordiam.

24. Forsitan enim indignationem suam abscindet, et dabit gloriam nomini suo.

25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

ỳ. 18. *Factus est fletus magnus in ecclesia* — Id est, in *Synagoga* [2], quæ in singulis urbibus æque *orationis* ac *concionis* locus erat. Et alio nomine *Proseucha* vocabatur, deducto a *precibus et votis* quæ inibi fiebant, et *Euchæ* dicuntur: Josephus [3] dicit, *ædificium* fuisse; *quod maximam hominum multitudinem capere posset.* Ceterum ex hoc populi ad Synagogam adcursu, ex humillimis precibus ibi profusis, ex fletu, et opis divinæ tam seria imploratione, patet, industria et suadela principis Oziæ sedatum fuisse priorem populi tumultum, et jam animæquiores factos omnes non amplius ursisse deditionem, sed a divina manu subsidium præstolari decrevisse.

Et vero quam triste negotium fuisset tum Bethuliæ, tum Judææ universæ, si primo populi furori, et ardentissimæ siti princeps cessisset, deditionemque fecisset! in quantas se conjecissent isti cives ærumnas! quam insigni victoria et triumpho se spoliassent! Exemplo sit Lysimachus Macedonum rex, qui cum in Thracia, cum toto suo exercitu, siti pene enectus, hosti se dedidisset, et jam optato potu se refecisset, *O Dii*, exclamabat, *quam parvæ voluptatis causa, meipsum ex rege servum effeci!* Caveamus et nos, exiguæ voluptatis appetentia, cælestis regni hereditate privari, et tartareo Holoferni mancipia fieri.

(1) Ps. 105, vers. 6.
(2) Matth. 13; Marc. 13; Luc. 4. et 7.
(3) De Vita sua.

CAPUT VIII.

Judithæ stirps, laudes et encomia. Principes nimis trepidantes ipsa objurgat, vacillantes confirmat: patrum exemplo ad patientiam et divinæ opis imploratione hortatur, et bono animo omnes esse jubet.

1. Et factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben:

2. Et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ:

3. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis.

4. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, et mensibus sex.

5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur;

6. Et habens super lumbos suos

℣. 1. *Judith*, id est *laudans* vel *confitens* Deo, a radice *Jadah*, quod significat *laudare, confiteri, gratias agere.* Porro etiam uxorem unam Esau, Genesis 26, v. 34 legimus vocatam fuisse *Jehudith.* Et *Jehudi* nomen viri proprium Jeremiæ 36. Erat hæc nostra *Judith* oriunda ex tribu *Simeon*, ut constat ex cap. seq. v. 2 ubi *Simeonem* patriarcham vocat *patrem suum.* Quod ergo hic vocetur filia *Simeon, filii Ruben;* vel mendum est, et pro *Ruben*, legendum *Israel*, ut Græcus legit. Et ita sentit ex S. Fulgentio et aliis Bellarminus [1], Serarius et Mariana. Vel intelligendum de *Simeone et Rubeno* non patriarchis, sed aliis quibusdam viris illustribus intermediis, non diducta stirpe usque ad primos patriarchas. Certum enim, ex omnibus *Rubeni patriarchæ* filiis nullum habuisse nomen Simeonis, ut patet ex Gen. 46, v. 9, et 1 Paral. 5, v. 3 ubi omnes Rubeni filii recensentur: ita Lyranus. Et ut aliquis illorum tale nomen habuisset, certo constat ex initio c. seq. Juditham non *Rubeni*, sed *Simeonis* patriarchæ filiam fuisse.

℣. 2. *Vir ejus Manasses* in Græco dicitur ejusdem cum *Juditha* tribus fuisse et patriæ. Qui

(1) Fulgentius epist. 2, c. 14; Bellarm. lib. 1 de verbo Dei, c. 12, argum. 12.

℣. 3. *instabat* tamquam summus præfectus, ut Græca significant, *super* omni messorum multitudine *in campo* illo magno Bethuliæ vicino. Videtur enim Manasses non privatis tantum et propriis agris invigilasse, sed et publicis, cum publico præfecti munere. Nam ejusmodi præfecturas apud Hebræos fuisse, testis est Josephus [2], qui de *Æbutio Decadarcho* scribit, *magni campi præfecturam illi commissam fuisse.*

℣. 5. *In superioribus domus suæ*, id est, in suprema parte domus, quod *solarium* vel *doma* vocabant, ut dixi Deuteron. 22, v. 8, et 4 Regum 1, v. 2, *fecit sibi* Judith *secretum cubiculum*, seu *precatorium tabernaculum*, ut est in Græco. Sed *clausum, et in quo cum puellis suis*, seu cognatis, seu ancillis, quas eadem pietatis exercitamenta docebat, omnibus feriatis diebus *clausa morabatur* — Neque ex sublimi isto sacroque lararío vel ipsa, vel ipsius gynæceum descendere solebat, nisi diebus sabbati et festis, ut est in Græco cap. 10, v. 2, quando ad Synagogam, vel ad conjunctum Synagogæ gynæcona, ut legis divinæ explicationi interesset, se transferre consueverat.

℣. 6. *Jejunabat omnibus diebus præter sabbata, neomenias, et festa* alia *do-*

(2) In vita sua.

cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel.

7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis boum et gregibus ovium plenas.

8. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dñum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

9. Hæc itaque cum audisset quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi.

10. Et venerunt ad illam, et dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium?

11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

12. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat.

13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.

14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus:

15. Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

16. Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi,

17. Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur:

18. Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, et adoraverunt deos alienos,

19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, et in rapinam, et in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.

20. Expectemus humiles conso-

mus Israel — Cum enim Judæis dies isti essent publici gaudii, nullum tunc jejunium suscipiebant. Immo vetitum id illis pœnitentiæ causa tum facere scribit Rabbi Moyses Ægyptius [1]. Saltem consuetudine receptum erat, sabbatis et festis otio epulisque ab hora sexta seu meridie vacare, ut ex illorum traditione docent S. Hieronymus, Socrates [2] et alii: cum diebus jejunii solerent ad vesperam usque, seu stellarum aspectum, refectione abstinere. Huic ergo jam ab antiquo receptæ honestæque consuetudini sese accommodans Judith, etiam ipsa festos dies et sabbata hilarius transigebat. In Græco dicitur, etiam *antesabbatis et anteneomeniis* a jejunio abstinuisse. Quia dies illi pridiani, licet festi non essent, nisi sub vesperam: quia tamen vel sic videbantur jam tum aliquid festi habere, ideo etiam illis diebus jejunia minus admittebat mos publicus: a quo noluit *Judith* familiam suam dissentire. Cur vero Ecclesia christiana a primo sui exordio, prorsus contrario Judæis ritu, præceperit, iisdem duobus illis *sabbati et antesabbati* diebus jejunari, *Dominico* vero die non jejunari, originem et causas vide apud Baronium et Bellarminum [3].

℣. 15. *Non quasi homo*, scilicet vane et inaniter, solis sæpe verbis aut vultu, *sic Deus comminabitur, et ad iracundiam inflammabitur* — sed reipsa quoque infliget quæcumque iratus minatur, nisi, ut sequitur,

℣. 16. *humiliemus illi animas nostras* — seu humili pœnitentia et pœnarum deprecatione nobis illum propitium reddamus.

(1) Lib. 3 de Temp., c. de sabb., et c. de jejun.
(2) Hieron. in Isaiæ 15; Socrat. Eccl. hist. l. 7, cap. 13.
(3) Baron. anno Christi 57 et 58; Bellarm. l. 2 de bonis operib., cap. 18 et seq.

lationem ejus, et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, et humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgunt contra nos, et faciet illas sine honore Dominus Deus noster.

21. Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum.

22. [1] Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.

23. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

24. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Dñi, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt,

25. [2] Exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt.

26. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur,

27. Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus.

28. Et dixerunt illi Ozias et presbyteri: Omnia quæ locuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio.

29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, et timens Deum.

30. Et dixit illis Judith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis:

31. Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, et orate ut firmum faciat Deus consilium meum.

32. Stabitis vos ad portam nocte ista, et ego exeam cum abra mea: et orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel.

33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

34. Et dixit ad eam Ozias princeps Juda: Vade in pace, et Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

℣. 26. *Non ulciscamur nos* — Id est, non irascamur, non obloquamur, non indignemur, quasi volentes nos ulcisci de Deo ob flagella quæ patimur.

℣. 31. *Probate* — non discutiendo, sed ratum et gratum habendo. Id est, *approbate*, quandoquidem quod facere decrevi, non minus *ex Deo est*, seu ex Dei instinctu, quam fuit oratio hæc mea, quam *cognoscitis Dei esse*, et ultro fatemini, a Deo mihi suggestam esse.

℣. 32. *Exeam*, pro *exibo*, *cum abra*, id est ancilla, *mea* — est enim appellativum [3], non proprium nomen. Sed ex Græco hic v. 9 patet, *ancillam* fuisse non vulgarem, sed *quæ omnibus illius facultatibus* totique familiæ *præposita erat*.

(1) Gen. 22. vers. 1.
(2) 1 ad Cor. 10. v 9.

(3) Gen. 24, vers. 61; Exod. 2, vers. 5, et Esth. 2, 4, 5 ubi latine est *ancilla*, græce semper est *abra*.

CAPUT IX.

Judith cinere et cilicio sese affligens orat Deum pro novo robore, quo prosternat Holofernem, et ab illius tyrannide patriam liberet.

1. Quibus abscedentibus, Judith ingressa est oratorium suum: et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum : et prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens :

2. Domine Deus patris mei Simeon, [1] qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem :

3. Et dedisti mulieres illorum in prædam, et filias illorum in captivitatem; et omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum : subveni, quæso te, Domine Deus meus, mihi viduæ.

4. Tu enim fecisti priora, et illa post illa cogitasti : et hoc factum est quod ipse voluisti.

5. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia posuisti.

6. [2] Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, et in equitatu suo, et in multitudine bellatorum.

7. Sed aspexisti super castra eorum, et tenebræ fatigaverunt eos.

8. Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos.

9. Sic fiant et isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, et in curribus suis, et in contis, et in scutis, et in sagittis suis, et in lanceis gloriantur,

10. Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, et Dominus nomen est tibi.

11. Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, et polluere tabernaculum nominis tui, et dejicere gladio suo cornu altaris tui.

12. Fac, Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur :

13. Capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meæ.

14. Da mihi in animo constan-

℣. 2. *Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem,* id est ultionem [3], *alienigenarum* — (puta Sichem et Hemor et complicum) propter Dinam violente constupratam. Quomodo factum hoc Simeonis ac Levi, et Deo ascribi possit, uti hic adscribit Judith, et nihilominus juste reprehensum, et merito punitum fuerit a patriarcha Jacob, dixi Genesis 34.

℣. 4. *Et illa post illa,* id est, alia post alia exempla tuæ vindictæ, *cogitasti* præbere, seu decreviste exhibere. Parat enim viam Judith ad Pharaonis exemplum proponendum.

(1) Gen. 34, vers. 26. (2) Exod. 14, vers. 9.

℣. 9. *Conti* sunt hastæ oblongæ, venabula, etc.

℣. 11. Per *cornu* designatur gloria et majestas *altaris* seu sacrificiorum, quæ in altari offerebantur Deo.

℣. 13. *Labia charitatis* suæ vocat blandiloqua labia, e quibus verba elegantia et ad *charitatem* seu amorem allicientia profluunt. An ergo intendit vel optavit Judith pellicere Holofernem ad libidinem? Respondeo, Nullo modo; ut patet ex cap. seq., v. 4; sed solum intendit et optavit pellicere illum ad amorem sui honestum et castum, quo v. g. poterat Holofernes prosequi Juditham ut futuram conjugem.

(3) Supra cap. 1, vers. 12.

tiam, ut contemnam illum, et virtutem, ut evertam illum.

15. [1] Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus feminæ dejecerit eum.

16. Non enim in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

17. Deus cælorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.

18. Memento, Domine, testamenti tui, et da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat:

19. Et omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, et non est alius præter te.

Et licet probabilibus conjecturis præsciret, illum non ad castum, sed ad turpem amorem pellectum iri; quia tamen id non ex natura facti Judithæ, sed vitio ipsius Holofernis futurum erat, et Judith justissimas haberet causas faciendi quod faciebat, puta ad liberandam patriam suam, et fugandos hostes, poterat negative seu mere passive sese habere ad peccatum Holofernis, et eo non obstante, curare modis omnibus, ut is ad sui amorem pertraheretur: ita fere S. Ambrosius [2] et Doctores Scholastici. Et placuisse hoc ejus factum Deo, patet ex eo, quod singulari modo eidem cooperatus sit, ut habes cap. seq., v. 4. Sed subdit Judith:

℣. 16. *Non in multitudine est virtus tua* — Idem agnoscebat *Asa* rex Juda, 2 Paralip. 14, v. 11, cum rex Æthiopum *Zara* decies centena armatorum millia in Judæam ductaret. Idem etiam *Artabanus*, licet Gentilis, inculcabat *Xerxi*, pluribus adhuc millibus dum Græciam peteret, stulte glorianti, *Ingens*, inquit, *exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus iis quos detestatur, aut metum, aut tonitru incutit* [3].

℣. 17. *De Dei misericordia præsumere* tum in malam partem quis potest, quando illi soli inniti vellet, aliis omnibus quæ Deus simul requirit, neglectis. In bonam vero partem, quando adhibitis adhibendis, ob nullam vel rei difficultatem, vel postulantis indignitatem, diffidit de potentia et bonitate Dei. Et sic facit hic Judith, et supra c. 6, v. 15 fecerunt etiam reliqui Bethulienses.

℣. 18. *Domus tua*, seu templum, *in sanctificatione tua*, id est, in religione et cultu tui, quo solo vere sanctificatur, *permaneat*.

(1) Jud. 4, vers. 21, et 5, 26.

(2) Lib. de Viduis.

(3) Herod. lib. 7.

CAPUT X.

Judith pulcherrime exornata excedit Bethulia cum unica ancilla, et ab exploratoribus deprehensa ducitur ad Holofernem, qui mox ejus forma capitur.

1. Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo jacuerat prostrata ad Dominum:

2. Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suæ,

3. Et lavit corpus suum, et unxit se myro optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit

℣. 3. *Unxit se myro*, id est unguento, *optimo* — quia admodum delectante: ita Plinius [1].

Mitra capitis ornamentum est, inquit S. Hieronymus [2]; quod Itali *cuffia*, Galli *coiffe* vocant. Nempe fascia byssina gem-

(1) Lib. 13, cap. 1, 2, 3.

(2) In Isaiæ 3.

se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola. et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se.

4. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat: et ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, et vas olei, et polentam, et palathas, et panes, et caseum, et profecta est.

6. Cumque venissent ad portam civitatis, invenerunt expectantem Oziam et presbyteros civitatis.

7. Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulcritudinem ejus.

8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut glorietur super te Jerusalem, et sit nomen tuum in numero sanctorum et justorum.

9. Et dixerunt hi, qui illic erant, omnes una voce: Fiat, fiat.

10. Judith vero orans Dominum, transivit per portas ipsa et abra ejus.

11. Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, et tenuerunt eam, dicentes: Unde venis? aut quo vadis?

12. Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro.

13. Hac de causa cogitavi mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi se-

mis et bracteolis aureis tremulisque collucens.

Lilia, græce ψέλλια, vocantur *armillæ*, vel colli ornamenta, specie et forma liliorum contexta.

℣. 5. *Ascopera* est saccus utricularis et coriaceus, ex ἄσκος, id est uter, et *pera*, id est saccus seu marsupium.

Polenta est farina hordeacea, ut dixi 3 Regum 17, v. 17.

Palathæ sunt ficus, seu pingues caricæ. Vide Plinium [1]. Cur vero proprios ipsa cibos secum detulerit Judith, explicat ipsamet cap. 12, v. 2. Quia, nempe, putabat per legem divinam non licere sibi vesci de cibis gentilium, uti et Daniel ejusque socii, Danielis 1, v. 8, eo quod Gentiles solerent pleraque sua esculenta, et poculenta, quibusdam deorum suorum imprecationibus contaminare, etiam in macello: unde suspecta erant omnia Judæis, inquit Theodoretus [2].

℣. 12. *Fugi a facie* Hebræorum, *quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem* — Lyranus, Abulensis, S. Thomas, Emmanuel Sa, Mariana [3], et quidam alii, putant Judith in decursu historiæ hujus sæpius mentitam esse, sed officiose, et in bonum patriæ. Quod, teste S. Augustino, multi veterum, etiam post Christum passum, secuti Platonem putarunt sine peccato licuisse. Sed hoc merito refutat S. Augustinus toto libro quem de *mendacio* conscripsit, ubi et negat mentitam fuisse Judith, et idem negant Rabanus, Glossa, Carthusianus, Hugo et Serarius. Et certe, cum ex v. 4 hujus capitis constet, facta hæc *Judith*, et omnem *compositionem* ipsius, utique non solarum vestium, sed et totius tragœdiæ, quam præ manibus habebat, *ex virtute pependisse*, et ideo speciali Dei favore et ope *ampliatam* fuisse ac promotam: cum rursus ipsa cap. 13, v. 20 diserte affirmet quod *sine pollutione peccati* custodita fuerit: et cap. 11, v. 16, *hæc* ipsa quæ exponit Holoferni, fateatur sibi *dicta per providentiam Dei:* et vers. 4 promittat, se *nihil falsi enuntiaturam:* et possint omnia quæcumque dixit, sano et vero sensu, quantum est ex mente loquentis, exponi: ut deinceps

(1) Supra cap. 5.
(2) Lib. 3 hist., c. 14.
(3) Lyran hic, et Sa, et Mariana; Abulens. in Exod. 1; S. Thom. 2, 2, q. 110, art. 3 ad 3.

creta illorum, et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus.

14. Et cum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, et erat in oculis eorum stupor, quoniam pulcritudinem ejus mirabantur nimis.

15. Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum.

16. Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu ejus, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam.

17. Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes.

18. Dixeruntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?

19. Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, et auro, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum:

20. Et cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum, prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente domino suo.

ostendam, et certum sit, ipsam jus habuisse ut non adeo simpliciter et aperte cum Assyriis ageret, sed veritatem prudenter ipsos celaret; non video qua ratione pia laudataque ab omnibus matrona merito possit (absit debeat) mendacii redargui, immo tot mendaciorum rea constitui. Ergo quod primo loco hic dicit, *se fugisse ab Hebræis*, idem est, atque celeriter ab eis abscessisse, vel fugientis instar ad Assyrios transiisse. Secundo addit: *Futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem*, scilicet via naturali et ordinaria, et nisi præter communem rerum ordinem Deus quasi e machina succurrat, et malum istud præpediat. Tertio, *Vadam, ut indicem secreta illorum*, nempe de extrema siti et fame Bethuliensium, et aliis quæ seq. capite exponit Holoferni.

℣. 16. *Duxeruntque illam.* In Græco additur, *cum ancilla sua, junctoque curru, et centum virorum* præsidio, *ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam* adesse; græce, *annuntiaverunt ei de ipsa.* Et addit, *ipsius* interim *pulcritudinis fama, totis e castris ad eam videndam concurrisse* quamplurimos, omnesque *formam* illius *stupuisse.* Et cum ex ipsa conjecturam facerent de reliquis omnibus Hebræis, dixisse tum mutuo inter se, tum ad ipsum Holofernem, *merito pro tam decoris mulieribus* pugnandum adversus Hebræos. Neque hoc solum, sed et *non expedire, vel virum unum ex Hebræis residuum fieri,* seu vivum relinqui, *quia si qui dimittantur* vivi, *poterunt universam terram decipere,* id est, illecebrosa feminarum suarum forma totum terrarum orbem in fraudem ac perniciem pellicere. Denique subjungit, Holofernis prodromos, *qui apud ipsum* in anteriori aula *dormiebant, et omnes famulos ejus* aulicos foras *prodiisse:* tandemque et ipsum *Holofernem in proscenium* seu tentorii vestibulum, maximo fastu *progressum, cui argenteæ lampades* seu candelabra *præferebantur:* et sub nobilissimo *conopeo,* quale hic describitur, se Judithæ visendum præbuisse. Est vero *conopeum* cortina sursum in conum acutum desinens, inferius in rotundum expansa, parvi instar tentorii. Quales cortinæ lectis castrensibus induci solent, vulgo *Pavillon.*

CAPUT XI.

Judith ab Holoferne rogata, causam exponit adventus sui: promittit certam victoriam: laudatur non modo a pulcritudine, sed a sapientia: et vicissim maxima illi præmia promittuntur.

1. Tunc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, et noli pavere in corde tuo: quoniam ego numquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosor regi.

2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum.

3. Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, et placuit tibi ut venires ad nos?

4. Et dixit illi Judith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.

5. Vivit enim Nabuchodonosor rex terræ, et vivit virtus ejus, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed et bestiæ agri obtemperant illi.

6. Nuntiatur enim animi tui industria universis gentibus, et indicatum est omni seculo, quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno ejus, et disciplina tua omnibus provinciis prædicatur.

7. [1] Nec hoc latet, quod locutus est Achior: nec illud ignoratur, quod ei jusseris evenire.

8. Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per prophetas suos ad populum, quod tradat eum pro peccatis suis.

9. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est.

10. Insuper etiam fames invasit eos, et ab ariditate aquæ jam inter mortuos computantur.

11. Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, et bibant sanguinem eorum:

℣. 4. *Perfectam rem faciet Dominus tecum* — Id est, bellum hoc perfecta et gloriosa victoria cito concludet Deus. Quod per deditionem vel expugnationem Hebræorum putabat futurum Holofernes: sed Judith intellexit id fore per necem Holofernis, et cædem ac fugam Assyriorum.

℣. 5. *Vivit enim Nabuchodonosor* — Jurandi formula Hebræis et Gentilibus usitatissima, de qua Gen. 42, v. 16, q. d. Tam vere quam vivit Nabuchodonosor, tuque Holofernes, in quo præcipue viget potentia Assyrii imperii, tam vera sunt quæ loquar, nempe, vos non solis hominibus dominari, sed et bestiis. Item

℣. 6. *industria animi, bonitate* morum, *potentia armorum*, et *disciplina* militari te omnibus præcellere notum est *omni seculo*, id est toti mundo, ut est in Græco.

℣. 8. *Deum peccatis* Hebræorum *offensum, per prophetas mandasse* dici *populo, quod tradet eum* hostibus. Quod verissimum esse docuerunt decem tribus nuper in Assyriam abductæ: et ex residuis duabus tribubus non pauci quotidie novis, ut fit, sceleribus provocabant in se novam iram [2] Dei.

℣. 11. Siti cogente, decreverunt *bibere sanguinem pecorum suorum* — Lege id expresse vetante [3]. In Græco additur, *etiam vetitis lege carnibus, aliisque cibis uti decrevisse* Bethulienses, *et super hac re Jerosolymam misisse, qui hujus rei licentiam a senatu afferrent.* Nam Jerosolymis residebant qui *Sanedrim* seu *magnum Synedrion* constituebant, a quo,

(1) Supra 5, vers. 5.
(2) 4 Reg. 17, vv. 18, 19, et c. 21, v. 13.
(3) Lev. 17, vers. 10; Deut. 12, vers. 16, et c. 15, vers. 23.

12. Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino et oleo, hæc cogitaverunt impendere, et volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur.

13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, et misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi.

14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: et exiet ancilla tua, et orabo Deum,

15. Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, et veniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Jerusalem, et habebis omnem populum Israel, sicut oves, quibus non est pastor, et non latrabit vel unus canis contra te:

16. Quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei.

17. Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi.

18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, et coram pueris ejus, et mirabantur sapientiam ejus, et dicebant alter ad alterum:

19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulcritudine, et in sensu verborum.

20. Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris:

21. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit et Deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, et nomen tuum nominabitur in universa terra.

si quæ certis casibus necessariæ viderentur, legum quarumdam solutiones, sive dispensationes peti debebant, ut monet apud Josephum [1] ipse legislator Moyses.

℣. 12. *Et sancta Domini* — Id est, consecrata Deo, puta primitias et decimas: quæ cum Deo sacræ essent, non poterant a laicis vel manu contingi: jam tamen etiam ore absumere statuerunt, contra expressum legis suæ [2] mandatum. Et verisimile est, non paucos privatim et clam, etiam nondum obtenta Jerosolymis facultate, similia patrasse, aliaque his similia et pejora, propter quæ merito punitum eos, immo *perditum* iri prædicere potuit Judith, nempe si Deus pro meritis quemque perdere velit.

℣. 15. *Ego adducam te per mediam Jerusalem* — Triumphabundum putavit Holofernes: sed triumphatum ac jugulatum intelligebat Judith. Quod factum, cum caput tyranni secum in triumphali curru per urbem Jerosolymam, et forte per Judæam quoque universam, circumduxit.

Et habebis omnem populum Israel, sicut oves quibus non est pastor — cum nempe, occiso Holoferne, Judæi nullo servato ordine Assyrios huc illuc fugientes palantesque persequentur, et castra diripient.

Et non latrabit vel unus canis contra te — puta jam mortuum, cum desines omnibus esse molestus. Sic enim partim ironice, partim amphibologice, partim prophetice exposita veritati per omnia quadrant. Quamquam et in proprio verborum sensu, et ut ipsimet interpretabantur Assyrii, potuerunt hæc omnia a Judith cum veritate promitti, sed conditionate, et secundum præsentem rerum statum. Si nempe noluerit Deus peculiari providentia et ope statum præsentem commutare. Nam tunc ad litteram certissimo eventura erant, quæcumque hic promittuntur Holoferni.

(1) Lib. 4 Antiq., cap. ult.

(2) Deut. 12, vers. 6, 7, 17.

CAPUT XII.

In loco thesaurorum Holofernis excipitur Judith: toto quatriduo permittitur sibi, et jejunio et orationi vacare, et noctu quoque foras, quoties vellet, egredi: quarto demum vespere in eodem cœnaculo cum Holoferne, sed alia in mensa, convivatur: quando Holofernes amore Judithæ inflammatus vino totus inebriatur.

1. Tunc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri ejus, et jussit illic manere eam, et constituit quid daretur illi de convivio suo.

2. Cui respondit Judith, et dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo.

3. Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi?

4. Et dixit Judith: Vivit anima tua, domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitavi. Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum, quod præceperat.

5. Et petiit dum introiret, ut daretur ei copia nocte et ante lucem egrediendi foras ad orationem, et deprecandi Dominum.

6. Et præcepit cubiculariis suis, ut sicut placeret illi, exiret et introiret ad adorandum Deum suum, per triduum:

7. Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fonte aquæ.

8. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui.

9. Et introiens, munda manebat

℣. 2. *Ne veniat super me offensio* — græce scandalum. Id est, ne, dum vescar cibis lege mea vetitis, offendiculum seu peccatum aliquod ex eo esu suscipiam (ut dixi c. 10, v. 5); atque ita impediam ne per me possit confici quod Deus in publicum bonum per me facere decrevit.

℣. 7. *Baptizabat se in fonte,* qui erat in valle Bethuliæ, cujus *aquæductum* seu canalem, cap. 7, v. 6, præciderat Holofernes, et Bethuliensibus aquam subtraxerat. In hoc fonte, ritu Judaico manus pedesque abluebat Judith, ut mundaretur a profanatione seu immunditia si quam forsan ex consortio Gentilium contraxisset. Nam Judæis omnibus solemne erat baptizari, teste S. Marco [1], cum vel *a foro,* vel ex alio loco publico, ad quem Gentiles etiam conveniebant, domum redirent, ut ea lotione purgarentur ab immunditia, si quam forte ex contactu alicujus Gentilis contraxissent. Judith vero jam in medio Gentilium morabatur, ideoque noctu, si quam forte labem incurrisset, ablui volebat: saltem honestum hunc Judaicæ religionis ritum prætexuit, ut absque suspicione posset nocturnis horis foras extra tentorium ad fontem, quoties vellet, prorepere, et libere per castra transire.

℣. 9. *Et* a fonte regressa, in tentorium suum *introiens,* munda a consortio et convictu Gentilium *manebat* jejuna, et orationi intenta, *in tabernaculo suo usque ad vesperam* — Sane oportet illa Assyriorum castra, disciplinamque militarem, adeoque et Holofernis familiam utcumque probam fuisse, in qua talis formæ et elegantiæ puella (sic enim vocabant Juditham) toto quatriduo, etiam nocturnis horis illæsa et intacta vagari quocumque vellet, libere posset: neque esset vel ex gregariis militibus, vel ex principibus, qui formæ tam excellenti apud se, suaque in potestate positæ vim aliquam pararet: vel noctu saltem ad preces et baptismata exeuntem insidiose captaret. Sed neque Holofernes, cujus dominatui omnia subjacebant, voluit alia via, quam precum et blanditiarum, ipsam sibi demereri.

(1) Cap. 7, vers. 3 et 4.

in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere.

10. Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, et suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum:

11. Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat.

12. Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus; ut manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditate.

13. Cui Judith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?

14. Omne quod erit ante oculos ejus bonum et optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

15. Et surrexit, et ornavit se vestimento suo, et ingressa stetit ante faciem ejus.

16. Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus.

17. Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, et accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me.

18. Et dixit Judith: Bibam, domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

19. Et accepit, et manducavit, et bibit coram ipso, ea quæ paraverat illi ancilla ejus.

20. Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum numquam biberat in vita sua.

℣. 10. *Quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis* — Et, ut in Græco est, *solis* servis seu domesticis suis: nempe exclusos voluit proceres omnes, quo liberius posset Baccho et Veneri se totum mancipare, et pro voto cum sola Juditha deliciari.

Et dixit ad Vagao — Græce est Βαγώας, quo nomine apud Persas designabatur is *eunuchus* qui præ ceteris in aula dominabatur, teste Plinio [1]. Quin et Alexandro Magno suus erat nequissimus *Bagoas*, et Herodi etiam suus, ut scribunt Curtius et Josephus [2]. Porro Holofernes hoc Bagoa suasore et perductore, obtinuit a Juditha ut volens lubensque ad se cœnatum veniret, sed in alia mensa vicina tamen mensæ Holofernis, in tapetio humi ante Holofernem strato, cui Juditha insidebat, ut est in Græco. Cumque frequentibus blanditiis Juditham Holofernes ad genialem vitam provocaret, et ipsa ex composito non minus blande responderet provocanti, contigit ut oblitus sui Holofernes usque eo se vino ingurgitaret, ut prorsus a mente dimoveretur; atque ita jugulandi sui potestatem Judithæ plenam et pro voto daret.

(1) Lib. 13, cap. 4.
(2) Curt. lib. 10; Joseph. lib. 17, cap. 3.

CAPUT XIII.

Ebrii Holofernis caput acinace præscindit Judith, et Bethuliam defert ad suos concives, et omnes ad Deo gratias agendas hortatur: ipsa vero ab omnibus benedicitur et laudatur. Achior, viso capite Holofernis, pene exanimatur.

1. Ut autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit:

2. Erant autem omnes fatigati a vino:

3. Eratque Judith sola in cubiculo.

4. Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.

5. Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foris ante cubiculum, et observaret.

6. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrymis, et labiorum motu in silentio,

7. Dicens: Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas: et hoc, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.

8. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit.

9. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait: Confirma me, Domine Deus, in hac hora;

10. Et percussit bis in cervicem ejus, et abscidit caput ejus, et abstulit conopeum ejus a columnis, et evolvit corpus ejus truncum.

11. Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et jussit ut mitteret illud in peram suam.

12. Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam quasi ad orationem, et transierunt castra, et gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis.

13. Et dixit Judith a longe custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.

14. Et factum est, cum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis.

15. Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum, quoniam sperabant eam jam non esse venturam.

16. Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiorem

℣. 4. *Holofernes jacebat in lecto* — nempe vino nimio mersus obrutusque penitus, designati cum Juditha flagitii et immemor et impos, cum neque mente, neque pedibus consisteret, *in lectum* non ivit, sed *cecidit*, ut ait Græcus: qui et addit, præmonuisse Judith, tam eunuchum Bagoan dum ostia obseraret, quam *abram* suam, se more suo, etiam illa ipsa nocte, foras ad orandum et lavandum egressuram: quare jussit ancillæ, ut tantisper præ foribus staret, et egressum suum observaret. Mox Judith

℣. 8. cum brevi et quasi *ejaculata* in cælum oratione (sic vocat S. Augustinus) opem a Deo postulasset, *pugionem* Holofernis *exsolvit* a *columna lectuli ejus* — Græcus *acinacem* fuisse dicit, seu *ensem Persicum*, qui quia brevior esse solet, teste Josepho, Curtio et Diodoro [1], propterea *pugio* hic vocatur.

℣. 10. *Percussit bis in cervicem ejus*, nempe *totis viribus*, ut addit Græcus: *Et abscidit caput ejus*, et abscissum involvit parti *conopei* a columnis detractæ. *Et corpus truncum*, seu cadaver, *evolvit* — id est e lecto dejecit in terram, ut patet ex cap. seq., v. 14. Nempe volebat ut ingressuris mane in cubiculum, statim in oculos incurreret cadaver, neque celari posset cædes ducis, sed innotesceret e vestigio totis castris, quæ volebat hac via turbari, tumultuari et dissipari.

℣. 11. *Post pusillum*, deterso si quid adhæresceret cruoris, et gratiis Deo pro felici successu humillime actis, reserato ostio *exivit*, *capite Holofernis* immisso *in peram ancillæ suæ* — qua *cibos* ante *attulerat*, ut ait Græcus, de qua dixi cap. 10, v. 5. O quam lætum Bethulienibus et toti Judææ cibum hac sua pera defert ancilla Judithæ! At illi

℣. 15. *sperabant*, id est timebant, *eam jam non esse venturam* — ob nimias moras de reditu desperantes. *Sperare* enim pro *timere* usurpavit Virgilius [2], ut et ἐλπίζειν Herodianus [3], Sophocles, Thucydides, teste Serario, et alii.

(1) Joseph. lib. ult. Antiq., c. 7; Curtius lib. 3; Diodor. lib. 17.

(2) Lib. 4 Æneid.
(3) Lib. 7.

locum, jussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent,

17. Dixit Judith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se:

18. Et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel: et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.

19. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, et ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum feminæ percussit illum Dominus Deus noster.

20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra.

21. [1] Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

22. Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

23. Porro Ozias princeps populi Israel, dixit ad eam: Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præomnibus mulieribus super terram.

24. Benedictus Dñus, qui creavit cælum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum:

25. Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

26. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

27. Porro Achior vocatus venit, et dixit ei Judith: Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.

28. Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, et tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua.

29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pavore, cecidit in faciem suam super terram, et æstuavit anima ejus.

30. Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad

℣. 20. *Custodivit me,* et quoad animum et quoad corpus, *angelus* Domini: quicumque is demum fuit, seu custos mihi proprius; seu publicus Synagogæ Judaicæ præses *Michael* (uti nunc præses idem est Ecclesiæ christianæ, quod docent S. Hieron., Theodoret. et auctor Operis imperfecti [2]), seu quicumque alius e principibus aulæ cælestis. Per eum, inquit Judith, ego conservata sum a peccato, et vos omnes ab hoste teterrimo liberati. Custodiæ et tutelæ angelicæ exempla habes in S. Cæcilia, SS. Juliano et Basilissa, et alii apud Cæsarium [3].

℣. 25. *Pro quibus* (hebraismus est, pro *eo quod*) *non pepercisti animæ,* id est vitæ, *tuæ.*

℣. 29. *Æstuavit anima* — Græce *defecit,* seu *exsolutus est spiritus,* id est, deliquium animi passus est *Achior,* mox ut vidit caput funestum Holofernis. Quomodo enim credidisset id fieri posse, præsertim feminea manu?

(1) Psalm. 105, vers. 1, et 106, vers. 1.
(2) Hieron. in Dan. 10; Theod. ibid.; Auct. Imperf., hom. 48.
(3) Lib. 8, cap. 42.

pedes ejus, et adoravit eam, et dixit:
31. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

CAPUT XIV.

Achior ad fidem veri Dei convertitur et circumciditur. Judæi, suspenso capite Holofernis de muro Bethuliæ, irruunt in Assyrios: qui, comperta cæde Holofernis, incredibili timore atque animi turbatione concutiuntur.

1. Dixit autem Judith ad omnem populum: Audite me, fratres, suspendite caput hoc super muros nostros:
2. Et erit, cum exierit sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.
3. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam,
4. Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor.
5. Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.
6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem.
7. Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, et egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu.
8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.

v. 2. *Non ut descendatis deorsum*, puta ad veram et seriam pugnam: *sed quasi impetum facientes* — seu impressionem in proximas hostium stationes ex composito parantes, q. d. Nolite vos serio pugnare, sed simulate tantum. Unde in Græco est, *Quasi descendentes, et non descendetis*. Nolebat enim venire Judæos ad manus cum Assyriis prius, quam mors Holofernis totis castris percrebuisset, et animos omnium consternasset. Tum demum tempus esse irruendi, cum destituti capite et consilio et animo fugam pararent.

v. 6. *Tunc Achior credidit Deo*, et prima opportunitate *circumcidit*, sed aliena manu, *carnem præputii sui*, et, relicta gente sua Ammonitica, *appositus*, seu aggregatus, *est ad populum Israel* — De circumcisione vide Genesis 17. Sed numquid Ammonitæ ex posteris erant Lot, qui verisimiliter una cum Abraham patruo suo circumcisus est? Et docet Origenes, Cyrillus, Eusebius [1] et alii, pleraque Orientalium nationum circumcidi solere, puta Phœnices, Arabes (in Arabia vero degebant Ammonitæ), Ægyptios, Æthiopes, Chaldæos, Saracenos. Respondeo, rarum id erat, et omnibus illis liberum, ut dixi Gen. 17, v. 14. Et ut initio viguerit forte hæc cæremonia apud posteros Lot, successu tamen temporis, uti a fide veri Dei, sic et ab hac pia quidem, sed dura, consuetudine deflexisse videntur. Sed alia superest quæstio de nostro *Achiore:* quo jure aggregetur hic populo Israel, et jure civium donetur, cum Deuteronom. 23, v. 3 diserte vetarit Deus, ne umquam *Ammonitis* id beneficii præstetur *in æternum?* Resp., id Achiori concessum propter insignem ipsius coram Holoferne professionem potentiæ et providentiæ divinæ, aliaque insignia merita: propter quæ potuisse in ea Deuteronomii lege dispensari, ibidem dixi, et exemplis probavi.

(1) Orig. in epist. ad Rom. 2; Cyrill. lib. 9 contr. Julianum; Euseb. lib. 9 de præpar. Evang., c. 4.

9. Porro hi, qui in tabernaculo erant, venientes, et ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret.

10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.

11. Sed cum venissent ejus duces ac tribuni, et universi majores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubicullariis:

12. Intrate, et excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis ausi sunt provocare nos ad prælium.

13. Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam, et plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Judith dormire.

14. Sed cum nullum motum jacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, et elevans eam, vidensque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, et scidit vestimenta sua.

15. Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam, et exiliit foras ad populum,

16. Et dixit: Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: ecce enim Holofernes jacet in terra, et caput ejus non est in illo.

17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, et intolerabilis timor et tremor cecidit super eos, et turbati sunt animi eorum valde.

18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

℣. 10. *Virtus Assyriorum*, seu potentia et majestas Assyriaca, sumitur pro eo in quo est et residet illa potentia et majestas, puta pro ipso *Holoferne*. Sic et nos *Regem* ipsum vel *Ducem* solemus vocare *Suam Majestatem, suam Celsitudinem, suam Excellentiam.*

℣. 12. *Egressi mures de cavernis suis* — Hoc sarcasmo deridebant etiam olim Philisthæi Hebræos, 1 Regum 14, v. 11. Sed hi mures post paullo facti sunt leones: vel, si mavis, mures isti prostraverunt Assyrios Nabuchodonosorianæ superbiæ elephantos, ut patebit cap. seq.

CAPUT XV.

Cæde ducis sui perculsi Assyrii, relictis castris, gazis, impedimentis omnibus, in effusam fugam ruunt, sed ab Hebræis, undique insequentibus et occurrentibus, miserrime cæduntur. Castrorum spolia totis triginta diebus vix evehi possunt. Ditantur omnes Bethulienses. Judith a summo pontifice totoque populo laudatur, benedicitur, et omnibus quæ Holoferni propria fuerant, condecoratur.

1. Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt,

2. Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum et semitas collium.

3. Videntes itaque filii Israel fu-

℣. 2. *Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo* — Panicus sane terror, sed Numinis providentia multum auctus. *Nec tamen adunati* fugiebant, sed sociis quoque suis diffisi, singulares et dispersi, atque ita opportuni injuriæ, palantes horsum, istorsum sine ordine ferebantur, nulloque negotio passim cædebantur. Porro quantum terroris soleat inopina cædes ducis afferre etiam integris ac po-

gientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos.

4. Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites: filii autem Israel uno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos invenire potuissent.

5. Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates et regiones Israel.

6. Omnis itaque regio, omnisque urbs, electam juventutem armatam misit post eos, et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum.

7. Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, et onustati sunt valde.

8. Hi vero, qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus, et jumentis, et universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum.

9. Joacim autem summus pontifex, de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.

10. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu

tentibus castris, docuit caput *Asdrubalis* a Romano *consule* resectum, et ante stationes *Hannibalis* fratris ejus projectum. Item *Halis Bassæ* jam nuper in nobilissima *Joannis Austriaci* ad Naupactum victoria, desectum et malo navis præfixum caput, ut graphice describit Joannes Baptista Lambertinus in fine sui Theatri regum Hispaniæ.

℣. 4. *Debilitabant*, pro mactabant, *omnes*. Nam utrumque significat Chaldæum *chalas* [1].

℣. 7. *Onustati* — pro onerati. Sed Mariana legendum putat, *honestati*. Græce est, *ditati sunt valde*.

℣. 9. *Joacim*, qui cap. 4, v. 11 *Eliachim, summus pontifex, cum universis presbyteris*, seu senioribus, forte qui de *Sanedrim* erant: nam Græcus dicit, *cum Jerosolymitano senatu, venit ut videret Judith*, simulque ei de victoria gratularetur: ipsam etiam Jerosolymam deduceret ad publicas in sacratissimo Israelis loco gratias Deo agendas, ut dicitur cap. seq., v. 22, nempe post collecta divisaque Assyriorum spolia: quæ cum plurima essent, utpote ex plurium ditissimarum urbium, immo provinciarum et regnorum, opibus in unum corrasa, totos triginta dies occuparunt Judæos. Quibus exactis, Jerosolymam itum est eo apparatu et pompa, quem Noster vers. ult. breviter perstringit, sed Græcus fusius exponit: *Concurrerunt*, inquit, *omnes feminæ Judææ, et fecerunt ipsi Judithæ*, seu in honorem Judithæ, *choros* triumphales, *coronantes tam ipsam, quam abram ejus, coronis oleaginis:* reliquæ vero matronæ et puellæ cum *thyrsis in manibus* præeuntem *Judítham sequentes, ducebant choreas cum organis et citharis, et sequebantur omnes viri armati, coronis* redimiti, *hymnos* concinentes, etc. Ubi figuram habes *processionum* a Christianis institui solitarum, cum aliqua etiam vestium, florum, ramorum, musicæ, cereorum, subinde et armorum et chorearum pompa. Debent enim Creatori laudando creaturæ omnes, quoquo modo fieri potest, subservire. De *oleaginis coronis* multa Petrus Faber [2]. De *Thyrsis* Josephus [3]: *Apud Judæos lex est, quemlibet in scenopegia, thyrsos* seu ramos *ex palmis et citriis habere*. Et horum meminit lib. 2 Esd. c. 8, v. 16. Et Baccho consecrati erant a Gentilibus, teste Virgilio, Dionysio [4] et aliis: et inde proverbium, *Thyrsigeri multi, Bacchi pauci*.

Nota, solemnem hanc et festinam processionem Judithæ Jerosolymam cum celebri tum mulierum, tum virorum comitatu, non hac sola vice, sed quotannis deinceps, immo sæpius quotannis, iterari consuevisse, ut dicitur c. seq., v. 27.

(1) חלש.
(2) Lib. 2 Agonist., cap. 22.
(3) Lib. 13, cap. 21.
(4) Virg. ecloga 5; Dionys. in Periegesi.

lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri:

11. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris: ideo et manus Dñi confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum.

12. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel.

14. Porro autem universa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Judith in auro, et argento, et vestibus, et gemmis, et omni supellectili, et tradita sunt omnia illi a populo.

15. Et omnes populi gaudebant, cum mulieribus, et virginibus, et juvenibus, in organis et citharis.

CAPUT XVI.

Epinicion canit Judith. Populus holocausta offert Deo in gratiarum actionem pro tanta victoria. Judith plena dierum moritur. Et dies victoriæ ipsius perpetuo celebrari jubetur.

1. Tunc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens:

2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate, et invocate nomen ejus.

3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5. Venit Assur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cujus multitudo obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles.

6. Dixit se incensurum fines meos, et juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem.

7. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confodit eum.

8. Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gi-

℣. 2. *Incipite*, supple psallere, *Domino*.

℣. 4. *Qui posuit castra sua*, id est cæleste præsidium et auxilium, *in medio populi sui* Israelitici.

℣. 5. *Venit Assur*, seu exercitus Assyriorum, *ab aquilone*, unde *pandetur* [1] *omne malum super omnes habitatores terræ*. Nam *Judææ* comparatione *Assyria* partim ad *ortum*, partim et magis ad *aquilonem* seu *septemtrionem* est.

℣. 7. *Dominus autem nocuit eum* — Græcismus est, pro *percussit eum*. Et sic etiam loquitur Plautus in Milite, actu 5. Sed qua manu percussit?

℣. 8. *Non filii Titan percusserunt eum* — id est *excelsi gigantes*, ut mox sequitur. Porro *Titanes*, secundum fabulas Gentilium, sunt *dæmones subterranei*, inquit Hesiodus [2], seu *quos contra superos deos irata terra in ultionem effudit*. Unde Servius vult *Titanes* dictos ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab *ultione*. Sed mox a Jove devicti, in tartara dejecti sunt, ut Virgilius [3] describit. Et videtur hæc fabula sumpsisse originem ex historia et gestis gigantum ante diluvium, de quibus Genesis 6, v. 4.

Petes, An ergo S. Scriptura fabulas narret aut probet? Respondeo, nequaquam. Nam nomen *Titanum*, etsi a Gentilibus applicetur ad fabulosos illos terræ filios, generatim tamen usurpari solet pro quibusvis vastæ et proceræ staturæ hominibus, id est, pro omnibus gigantibus. Et quia nomen hoc nobis notius et familiarius est, utpote quod cum lacte combibimus, et usu perpetuo didicimus; idcirco noster Interpres [4] illo potius, quam alio minus noto usus est, et

(1) Jer. 1. (2) In Theogonia. (3) Lib. 6 Æneid. (4) S. Hieron. in 5 Amos, v. 8.

gantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10. Unxit faciem suam unguento, et colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulcritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus.

12. Horruerunt Persæ constantiam ejus, et Medi audaciam ejus.

13. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.

14. Filii puellarum compunxerunt eos, et sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Dño, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16. Adonai Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest.

17. Tibi serviat omnis creatura tua: [1] quia dixisti, et facta sunt: misisti spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.

18. Montes a fundamentis movebuntur cum aquis: petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, et vermes

alias subinde utitur, v. g. Threnorum 4, vers. 3 pro *draconibus* seu *immanibus monstris*, ut est in Hebræo, Noster *Lamias* vertit. Et idem subinde solent etiam LXX Interpretes facere, v. g. Job ultimo, vers. 14 ubi in Latino est *cornu stibii*, ipsi LXX habent *cornu Amaltheæ*. Simile est de Arcturo, Orione, et aliis. Ergo *filii Titanum* hic sunt qui Hebræis dicuntur *filii Raphaim*, id est *filii gigantum*, hominum robustissimorum et bellicosissimorum, id est, ipsi *gigantes*; nam per indolem parentum designatur indoles filiorum. Itaque non manu gigantæa prostratus est Holofernes, sed feminea, puellari et imbelli dextera.

℣. 13. *Quando* armati *apparuerunt humiles* ante cives *mei* Bethulienses, *arescentes* præ *siti* — Id factum initio cap. 15 ubi dicitur, Assyrios, comperta cæde Holofernis, in effusam fugam actos metu instantium Hebræorum.

℣. 14. *Filii puellarum*, id est parvi pueri, et teneriores adolescentuli, quales solent esse qui matres habent juvenculas; *compunxerunt eos* gladiolis et cultellis suis, et pene inermi manu *occiderunt eos*.

℣. 17. *Misisti spiritum tuum*, id est, *vocem* oris tui, ut sequitur, id est, præcepisti, et mox *creata sunt* omnia.

(1) Gen. 1; Psalm. 32, 9. (2) In 4 dist. 50.

℣. 18. *Montes movebuntur*, seu transferentur quocumque vult Deus, una *cum aquis*, quas quasi in sinu perpetuo fovent, adeo ut ne guttula quidem reliqua maneat in priori loco. *Et petræ sicut cera liquescent*, si tantum jusserit Deus. Metaphorice significantur superbi, præfracti et duri homines, qui una cum opibus, cum servitiorum gregibus, cum exercituum suorum millibus, Deo jubente funditus exscindentur, tabescent, exterminabuntur.

℣. 20. *In die judicii* — Id est, quando ut judex voluerit quemque judicare, et pro meritis punire: et præsertim in extremo mundi totius judicio.

℣. 21. *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum* — Idem habes Ecclesiastici 7, v. 19, et cap. 10, v. 13, Isaiæ ultim., vers. 24, et Marci 9, v. 46 etc. Et potest intelligi partim de metaphoricis, partim de proprie dictis *igni et vermibus*, tum in hac, tum in futura vita. Nam in *inferno* proprie dictum *ignem* esse, communis est Theologorum [2] sensus. Et de *vermibus et nivibus et sulphure* idem docent S. Hieron., S. Augustinus, Lyranus, Carthusianus, Glossa interlinearis, Abulensis, Haymo, Ribera, Serarius, et teste Maldonato [3] etiam Chrysostomus, Theophylactus, et multi alii,

(3) Hieron. in Job 24; Aug. 21 de Civ., cap. 9;

in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.

22. Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum: et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas.

23. Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.

24. Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith.

25. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, et Judith magna facta est in Bethulia, et præclarior erat universæ terræ Israel.

26. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.

27. Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.

28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit abram suam liberam, et defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.

29. Luxitque illam omnis populus [1] septem diebus.

30. In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis.

31. Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

ut inquit Suarez [2]. Et confirmatur, quia vocantur *vermes carnis*, ergo erunt carnei. Et hanc fœdam sensuum pœnam promerita fuit fœda carnis concupiscentia. Sicut carnis maceratio et mortificatio in Beatis promeretur oblectationem corporalem sensuum externorum in cælo per suavissima mixta, quæ sensus omnes mirifice oblectabunt.

℣. 22. *Mox ut purificati sunt*, ab immunditia ex cæde Assyriorum et contactu cadaverum contracta. Nam, ut insinuatur Numerorum 31, vers. 24, *lavanda* erant *et corpora et vestimenta*.

℣. 23. *Anathema oblivionis*, vocatur donum *sepositum*, et æternum dicatum Deo, ad arcendam beneficii accepti oblivionem: et hebraice dicitur *cherem*. Quamquam in nullo exemplari Græco reperiatur hæc vocula, *oblivionis*. Unde suspicor a Vulgato positum, *oblationis*, quod deinde in *oblivionis* commutatum sit.

℣. 24. *Erat populus jucundus secundum*, seu ante, *faciem sanctorum* — id est, coram templo Domini, vel coram tota Synagoga seu collectione Judæorum.

℣. 28. *Mansit*, græce consenuit, Juditha *in domo viri sui* Manassis *annos centum quinque* — seu usque ad annum vitæ suæ *centesimum quintum*. Ut in simili dixi Exodi 12, vers. 40. Addit Græcus, Juditham, *antequam moreretur, divisisse substantiam suis et viri sui cognatis*. Unde colligitur, liberis caruisse. Quo magis admiranda illius *in viduitate* constantia v. 26. Denique

℣. 30. *In omni spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis* — Videtur quadragenaria fuisse præter propter, quando cervices Holoferni præcidit. Quod puto contigisse secundum nostrum Latinum textum anno 11, sed secundum Græcum anno 16 regni Manassis, ex quo supervixit Judith annos 65. Res vero Israeliticæ manserunt quietæ et pacatæ totis exinde 73, vel 78 annis, nempe usque ad mortem Josiæ regis Juda. Vide Chron.

Lyr., Carthus, Glossa hic; Abulens. in Matth. 25, q. 553; Haymo in Isaiæ 66; Ribera in Apoc. 19; Serarius in Judith ult., q. 2; Maldon. in Marc. 9.

(1) " Vers. 29. *Septem.* Græca additur distribuisse ante mortem bona sua propinquis viri sui, et suis.„

(2) In 3 p., tom. 2, disp. 56, sect. 3.

LIBER ESTHER

Auctor ejus Mardochæus, ut dicitur c. 9, v. 20, et c. 12, v. 4; videtur tamen ipsa quoque Esther quædam inseruisse: cum id in Græco textu ibidem diserte affirmetur. Scriptus est primum hebraice, et a S. Hieron. (1) inde verbotenus in Latinum translatus: a LXX in Græcum: ab aliis in alias linguas.

De novem prioribus capp. et initio 10 usque ad v. 4 quia in Hebræo reperiebantur, nullum fuit umquam dubium. Sed reliqua etiam hujus libri residua prorsus canonica esse, docet S. Hieronymus, Athanasius, Origenes, Rufinus, Cyrillus, S. Augustinus, Hilarius, Innocentius I, Alcimus, Concilium Laodicenum, Carthaginiense III et novissime Tridentinum: citanturque passim ut canonica ab utroque Josepho et a SS. Patribus, quos recensent Bellarminus (2), Serarius et alii. Extant etiam in editione LXX Interpretum: et olim etiam extabant in veteri Vulgata, non seorsim, ut modo in nostra Latina, sed suis quæque locis inserta, ordine servato historiæ. Nam S. Hieronymus suo demum tempore, quod illa hebraice non reperiret, sejunxit a reliquis, et ad calcem libri rejecit.

Argumentum libri est depressio Vasthi et Aman: exaltatio Esther et Mardochæi: et liberatio Judæorum. Allegorice, Christus per Assuerum: B. Virgo Maria vel Ecclesia per Estherem; pii cujusque anima per Mardochæum: diabolus, mundus, caro per Amanum et Vasthi designantur. Vide S. Hieronymum, Petrum Canisium, et Martinum Delrio (3).

CAPUT I.

Assuero ad potentiæ et gloriæ suæ ostentationem toto semestri splendidissimum celebrante convivium, regina Vasthi accersita venire recusat, ideoque repudiatur.

1. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias:

℣. 1. *In diebus Assueri* — Puta Darii filii Hystaspis, tertii Persarum monarchæ. Ita Megasthenes, Ammianus, Rabbi Salomon, Joann. Benedictus, Lyranus, Fevardentius [4], Cornelius a Lapide: et ex hæreticis Carion, Lucas Osiander [5], et alii. Et patet ex 3 Esdræ 3, vv. 1 et 2. Ubi quod hic de amplitudine imperii *Assueri* dicitur, idem prorsus totidem verbis de Dario Hystaspis affirmatur. Et patet secundo, ex ætate Mardochæi hic cap. 2, v. 6, qui alioqui nimis longævus, et multo major centenario fuisset. Tertio, quia Dario Hystaspis soli ab Herodoto [6] tribuitur subactio Indorum. Denique quod cap. ult. hujus libri v. 16

(1) In præfat. in Esther.
(2) Hieron. supr.; Athan. in Synopsi; Origen. in Psalm. 1, et apud Euseb. lib. 6 Hist. cap. 25; Rufin. in Symbolum; Cyrill. catechesi 4; Aug lib. 2 Doctr. Christianæ, cap. 4; Hilarius in Psalm. 1; Innoc. I. epist. 3; Alcim. ad sororem; Conc. Laod. can. 59; Carth. III. can. 47; Trid. sess. 4; Bellarm. de verbo Dei, l. 1, c. 7.
(3) S. Hier. sup.; Canis. lib. 1 de B. V., c. 2, et lib. 5, cap. 23; Delrio in Floridis Marianis in festo Assumpt.
(4) Comm. in Esther.
(5) Carion. in Chronico; Osiander hic.
(6) Lib 4 et 7.

2. Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit.

3. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se,

4. Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus.

5. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: et jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat.

6. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, et carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei, super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

7. Bibebant autem, qui invitati

Assuerus hic agnoscat, beneficio Dei Israel traditum sibi, suisque majoribus, et conservatum imperium, optime convenit cum voto quod fecit Deo cæli Darius Hystaspis, ut obtineret regnum, 3 Esdræ 4, vers. 43: et narrat Josephus, et ad amussim quadrat cum edicto ejusdem Darii de instaurando templo Jerosolymitano, 1 Esdræ 6. Nec quemquam movere debet, quod hic vocetur *Assuerus:* nam hoc commune erat nomen omnium regum Medorum, sicut *Artaxerxes* omnium regum Persarum. Utriusque vero regni, et tot aliorum regnorum rex erat *Darius Hystaspis:* unde et *Artaxerxes* vocatur hic cap. ult., v. 1. Vide quæ dixi de proprietatibus Hebraicis.

℣. 2. *Susan regni ejus exordium fuit* — quia in ea Persidis metropoli solemnissime coronari voluit, anno ab electione sui tertio. Sicut Imperator Romanus primo, Francofurti; secundo, Aquisgrani; tertio, in Italia coronari solet: et tum demum dicitur incipere perfecte suum imperium. Sic *Darius* anno regni sui tertio, relictis aliis aliorum regnorum sedibus regiis, in Susan voluit publice inaugurari et coronari, exhibito per integrum semestre nobili epulo, quod hoc cap. describitur. Est vero *Susan* urbs ad *Choaspen* fluvium, situ amœnissimo: sic dicta a *liliis*, quæ istic plurima. Ita Athenæus [1], Eustathius, Lexicon magnum et alii. Nam Persis, Phœnicibus et Hebræis *Susan* vel *Susanna* significat *lilium*. Unde et unguentum *Susinum*, cujus præcipua materia de *liliis* est, teste Hesychio et Plinio [2]. Sic *Rhodus* a rosa: *Florentia* a floribus dicta. Idem Plinius [3] dicit *Susan conditam* ab hoc *Dario Hystaspis*, id est, ut Ælianus explicat, valde amplificatam, lautius ædificatam, novisque palatiis et regia sede ornatam. Nam, teste eodem Æliano, Herodoto, Strabone et Cassiodoro [4], *Memnon* Titonis filius, primus ejus conditor fuit, quem dicunt, illigatis hinc inde auro lapidibus eam exædificasse, et ab ejus nomine *Memnoneam* dictam fuisse. Benjaminius [5] dicit, palatii *Assueri* in *Susan*, etiam hodie superesse non exiguas partes vere admirandas. Boderianus ex Judæorum opinione putat, eam esse quæ hodie *Taulis* nominatur, et Magni Sophi Persarum Imperatoris regia sedes est [6].

℣. 6. *Lectuli aurei* — non ad dormiendum, sed ad epulandum. Licet enim more jam nostro solerent etiam prisci sedibus uti et assidere mensæ, ut patet ex Genesis 43, v. 33, Philone, Athenæo, Homero et aliis; postea tamen mollitie et luxu invalescentibus cœperunt Persæ, Græci, Romani, Judæi, et pene omnes Orientales, uti accubitu ad mensam, hac fere forma: Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, in-

(1) Athenæus lib. 12; Eustathius in Dionysium, de Situ orbis; Hesych. in verbo Σώσινον.
(2) Lib. 13, cap. 1. (3) Lib. 6, cap. 27.
(4) Ælianus de Anim. lib. 13, c. 18 et 59; Herod. lib. 5; Strabo lib. 15; Cassiod. l. 7, epist. 15.
(5) Fol. 78 Itinerarii.
(6) Boderian. in suo Syro-Chaldæo; Jovius l. 14.

erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur.

8. Nec erat qui nolentes cogeret ab bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

9. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.

10. Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, et post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, et Bazatha, et Harbona, et Bagatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant,

11. Ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulcritudinem illius: erat enim pulcra valde.

12. Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, et nimio furore succensus,

13. Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, et illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum,

14. (Erant autem primi et proximi, Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant),

15. Cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset.

16. Responditque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos, et principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri.

17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant: Rex As-

fera in longum porrecta et jacente in lecto, capite leniter erecto, dorso pulvillis fulto. In singulis lectulis accumbebant terni vel quaterni, ita ut ejus qui summus accumberet pedes pone secundi dorsum porrigerentur: et secundi post tertium. Rursus ejus qui secundus accumberet occiput ad umbilicum aut pectus primi obversum esset, et sic deinceps. Atque ita Joannes in sinu Christi, ultima cœna recubuit: et Christus pedes suorum Apostolorum lavit ac tersit. Et quia fere bini aut terni erant in singulis cœnaculis lecti, hinc *Triclinium, Biclinium*: inde etiam *Thori, Thoralia, Discubitus, Accubitus, Accubitalia*, apud Ciceronem, Athenæum, Senecam, Virgilium. Vide Manutium et Lipsium [1].

Mira varietate pictura pavimentum decorabat — nempe opere insititio, seu *musivo*, vel *mosaico* ex lapidibus diversicoloribus tam concinne junctis, ut picturam etiam nobilissimæ manus subinde mentiantur. Testis Florentia, Roma, Neapolis, ubi plurima ejusce generis vidi sane elegantissima.

℣. 9. *Vasthi regina* quæ fuerit incertum. Suspicatur Serarius, sororem fuisse ipsiusmet *Assueri* regis, idque ex fratris ipsius Assueri *Oudiastis*, et parentis *Hystaspis* nominibus utcumque affinibus *Vasthi:* itemque ex Persarum consuetudine, qua cum sororibus, ut in Cambyse ostendit Herodotus, Curtius et Plinius [2]; immo et cum filiabus nuptiæ permittebantur, teste Plutarcho [3].

℣. 10. Pro *Maumam* in Græco est *Aman*. An ille patibularius? Sed Hebræi volunt Amanem illum fuisse *Mamuchan*, de quo v. 14 et sequentibus. Et fieri potuit, ut improbo repudiandæ Vasthi consilio gratiam principis cœperit nancisci.

Septem eunuchis — Id est, curialibus ministris, etsi non essent evirati, ut dixi Genes. 37, vers. 36. Unde Chaldæus hic pro eunuchis habet *satrapas*.

(1) Manut. libello de Acoubitu; Lipsius lib. 3 Antiq. Unct. c. 1.

(2) Her. in Cambyse; Curtius 8; Plin. l. 36, c. 8.
(3) In Artaxerxe.

suerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit.

18. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio.

19. Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, et scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat.

20. Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, et cunctæ uxores tam majorum, quam minorum, deferant maritis suis honorem.

21. Placuit consilium ejus regi, et principibus: fecitque rex juxta consilium Mamuchan,

22. Et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire et legere poterat diversis linguis et litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis: et hoc per cunctos populos divulgari.

℣. 22. *Viros,* seu maritos, *esse* debere *principes ac majores,* seu dominos, *in domibus suis* — nec famulos modo ac filios, sed et uxorem dominio mariti subjacere. Quod quia *Vasthi* recusasset, et thoro regio, et regia dignitate merito excidisse.

CAPUT II.

In locum repudiatæ Vasthi regina surrogatur Esther: cujus opera Mardochæus indicat regi Assuero insidias, quæ regi struebantur a duobus palatii ministris. Hi in crucem aguntur; et factum hoc Mardochæi in regios annales refertur.

1. His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, et quæ fecisset, vel quæ passa esset:

2. Dixeruntque pueri regis, ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ,

3. Et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas et virgines: et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus et custos mulierum regiarum: et accipiant mundum muliebrem, et cetera ad usus necessaria.

4. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: et ita, ut suggesserant, jussit fieri.

5. Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, [1] filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini,

℣. 1. *Rex recordatus est Vasthi,* exclusæ nuper uxoris, deturbatæ reginæ, tam speciosæ, tam gratiosæ. Forte jam facti pœnitebat. Sed ne revocaret sententiam, obstabat et facti illius indignitas, quo non sua modo, sed et omnium maritorum auctoritas læsa fuerat, et irrevocabile decretum Persarum, quo ipsa jam *passa erat* damnationem, et jussa exulare. Ergo quærenda alia quæ in locum surrogetur.

℣. 5. *Mardochæus* — Id est *amara contritio,* vel *myrrha contrita.* Jam redierat Jerosolyma (ut tradunt Hebræi [2]), quo cum Jesu et Zorobabele, 1 Esdræ cap. 2, v. 2, primo anno Cyri, negotiorum causa, et ad contribules suos animandos ad breve tempus excurrerat. Neque enim

(1) Infra 11, vers. 2.

(2) Rabi Abenesra, et Joseph. 11 Antiq., c. 4.

6. Qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, [1] quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat,

7. Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, et utrumque parentem amiserat: pulcra nimis, et decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

8. Cumque percrebruisset regis imperium, et juxta mandatum illius multæ pulcræ virgines adducerentur Susan, et Egeo traderentur eunucho; Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum.

9. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret.

10. Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret:

11. Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam

poterat diu ab aula regis abesse, cum ut hic cap. 11, v. 3 dicitur, *vir magnus* esset, *et inter primos aulæ regiæ.* Nempe, officium ejus erat, ut hoc c. 2, v. 19 habetur, *manere ad januam regis:* quod solis regii corporis custodibus, qui e primis erant principibus, concedi solebat, teste Herodoto et Xenophonte [2]. Et vero erat ex regia oriundus stirpe Mardochæus, puta ex familia *Cis,* ut hic dicitur, et forsan ex posteris erat Saulis regis, per Jonatham et Miphiboseth.

℣. 6. *Qui translatus fuerat* — nempe Mardochæus, non in parente vel avo suo, sed in propria persona. Nam c. 11, v. 4 dicitur *Mardochæus* fuisse *de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia rege Juda.* Unde palam fit, non potuisse hanc Estheræ historiam serius contingere quam sub Dario Hystaspis; ut dixi in Chronico.

℣. 7. *Nutritius filiæ fratris sui* (in Græco est, *filiæ patrui sui* [3]) *Edissæ* — Hebraice et chaldaice *Hadassa,* id est *myrtea,* ob eximiam pulcritudinem. Postquam vero adscita fuit in thorum regium vocata est *Eher,* quod Persica lingua forte idem sonat quod Græcum ἀστήρ, et Germanicum *sterre,* puta *stellam;* eo quod ipsa instar lucidioris *stellæ* præcelleret ceteris omnibus puellis regiis. Herodotus [4] inter uxores Darii Hystaspis numerat præ ceteris *Atossan* et *Artystonam,* viduam illam Cambysis et Smerdis Magi, hanc virginem, ideoque etiam plus adamatam; utramque filiam *Cyri,* ut ipse ait. Videat Lector, an istud nomen non possit quadrare in nostram *Esther;* et an pro filia *Cyri,* non debuerit poni filia *Cis.* Cum enim constaret, Estherem esse filiam regis, et simul filiam, seu ex posteris, *Cis,* ignoti Persis, putarunt forte filiam Cyri esse: et hoc inseruit chartis suis Herodotus.

℣. 9. *Egeus* eunuchus *præcepit* alteri eunucho inferioris ordinis, et sibi subdito, cui peculiaris incumbebat cura serviendi Estheræ, *ut acceleraret* ei præ ceteris puellis omnem *mundum muliebrem,* v. g. torques, armillas, inaures, unguenta, specula, tiaras, et cetera ad cultum corporis spectantia: *et traderet ei partes suas* — Id est *dimensum* ciborum et epulas, quæ de mensa regia singulis præbebantur, ut et adolescentulis illis Danielis 1. Verisimile quoque est, Estherem ab immundis cibis, qui Hebræis lege vetiti erant, tam ante quam post nuptias regias abstinuisse exemplo eorumdem adolescentum [5]. Et facile erat delicatæ puellæ apud famulos sui amantissimos prætexere, se non oblectari his vel illis ferculis: et in tanto ciborum delectu numquam deerat quo liceret vesci. Certe de idolothytis numquam se gustasse, ipsamet affirmat, c. 14, v. 17 et sequentibus.

(1) 4 Reg 24, vers. 15. Infra 11, vers. 4.
(2) Herod. lib. 3: Xenoph. l. 1 Anabaseos.
(3) Chron. c. 37.
(4) Lib. 7.
(5) Dan. 1.

agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret.

12. Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur.

13. Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, et ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant.

14. Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, et eam venire jussisset ex nomine.

15. Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

16. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus.

17. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi.

18. Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, et servis suis, pro conjunctione et nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

19. Cumque secundo quærerentur virgines et congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis:

20. Necdum prodiderat Esther patriam, et populum suum, juxta

℣. 12. *Mensis duodecimus vertebatur* antequam posset aliqua puellarum istarum parata esse pro thoro regio. Unde singulari beneficio accelerari jussum quidquid ad Estherem parandam requirebatur. Et tamen quarto [1] demum repudiata Vasthi anno, vices Estheræ, quantumcumque acceleratæ, adesse potuerunt.

℣. 16. *Ducta est itaque ad cubiculum regis, mense decimo Tebeth* — qui respondet nostro partim Decembri, partim Januario. Græcus dicit, ductam *mense duodecimo Adar:* sed exponendus est de solemni deductione ad nuptias regales, quæ bimestri post accidit.

Nota, virgines istas omnes, cum ad regem venirent, ejus uxores factas fuisse, sed minus principales, unde et concubinæ vocabantur, ut alibi dixi [2]. Non ergo peccavit Esther, illis sese aggregando. Sed licitumne erat Hetrææ virgini matrimonio copulari Gentili marito? Respondi Exodi 34 id hoc saltem casu licuisse, propter rationes ibidem allatas. Porro ad regias *Estheræ nuptias* celebriores reddendas,

℣. 18. *dedit* rex inter alia *requiem*, id est immunitatem a quibusdam tributis, ut est in Græco, *universis provinciis* suis. Alioqui male audierat Darius Hystaspis a rigidiore tributorum exactione inquit Herodotus [3].

℣. 19. *Cum secundo quærerentur virgines* — Nempe ad insatiabilem Assueri libidinem explendam, non sufficiebant tot concubinarum greges ex 127 provinciis semel collecti: oportuit etiam secundo colligere: forsan collectæ fuissent iterum, tertio et sæpius, nisi piis Estheræ monitis paullatim ad modestiam, ut credere fas est, deductus fuisset.

(1) Hic vers. 16. (2) Gen. 25, vers. 6. (3) Supra.

mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.

21. Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan et Thares, duo eunuchi regis, qui janitores erant, et in primo palatii limine præsidebant: volueruntque insurgere in regem, et occidere eum.

22. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther; et illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

23. Quæsitum est, et inventum: et appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, et annalibus traditum coram rege.

ỳ. 21. *Irati sunt* in regem *duo eunuchi*, præsides custodum palatii regii. Irarum causam dicit Græcus, quod *Mardochæus* in officiis palatinis *prælatus illis esset* a rege. Hi duo eunuchi erant intimi Amani, immo consiliarii, inquit Josephus Gorion. [1], et qui rebus illius per omnia studerent, forsan et occiso Assuero, sceptrum ad Amanem transferre cogitarent. Unde supplicium de illis sumptum, præcipua dicitur cap. 12, v. 6 causa fuisse tantarum irarum Amanis in Mardochæum, qui illos prodidisset.

(1) Lib. 2, cap. 2.

CAPUT III.

Aman omnibus Medorum Persarumque principibus antepositus a rege, cum a Mardochæo Judæo non adoraretur, omnes Judæos internecioni dari postulat ab Assuero, et impetrat, et mandat.

1. Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: et posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat.

2. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator; solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

3. Cui dixerunt pueri regis, qui

ỳ. 1. *Aman*, id est conturbans, *de stirpe Agag*, Amalecitarum regis a *Saule* capti, a *Samuele* confossi, 1 Reg. 15. Ita uterque Josephus, et Flavius, et Gorion, Hebræi omnes, et Thargum uterque, quorum alter ipsius etiam *Amanis* genealogiam ad *Esau* usque deducit. Idem sentiunt Rupertus [1], Lyranus et Cajetanus [2]. At LXX hic cap. 9 et Noster c. 16, vv. 10 et 14 *Macedonem* fuisse diserte affirmant: Sulpitius mavult *Persam* vocare. Quid si dicamus, majores ejus ex strage Amalecitarum profugos Macedoniam petiisse, indeque parentes Amanis paullo ante hæc tempora in Persidem demigrasse? Sic poterit ex omnibus illis gentibus vere prognatus dici Aman.

ỳ. 2. *Solus Mardochæus non flecte-*

bat genu, neque adorabat Aman. *Timebam enim* (inquit ipse Mardochæus infra cap. 13, vv. 13 et 14) *ne, si superbissimum Aman adorarem, honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Alioqui, si sola civili adoratione adorari voluisset, *libenter pro salute Israel, etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem.* Verum cum publice constaret, eum divinos sibi honores deposcere, non volui, non potui salva conscientia, signum aliquod talis honoris ei exhibere, *ne* cum scandalo plurimorum *quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Et vero Persarum reges, sibi tamquam diis quibusdam, divinos honores vindicasse, et aliis quoque quos eximie honoratos vellent, deferri jussisse; tot testimoniis et exemplis

(1) Lib. 8 de Vict., cap. 4.

(2) In 2. 2. q. 84, a. 2.

ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis?

4. Cumque hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman: scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judæum.

5. Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde,

6. Et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Judææ: magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.

7. Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici: et exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

8. Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, et a se mutuo separatus, novis utens legibus et cæremoniis, insuper et regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo, ut insoleascat per licentiam;

9. Si tibi placet, decerne ut pereat, et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

adstruunt etiam Ethnici scriptores, Isocrates, Strabo, Heliodorus, Herodianus, Aristoteles, Seneca, Lampridius, Martialis, Curtius [1], etc. nullus ut dubitationi locus esse possit.

Petes, Qua ratione ergo licuit Mardochæo, Estheri, Esdræ, Nehemiæ, et tot aliis sanctis Judæis agere cum regibus Persarum? An forte numquam illos adorabant aut honorabant? Respondeo, Honorabant profecto, sed honore civili ac politico. Nam divinos honores non sibi deposcebant isti reges quovis loco, quovis tempore, quavis occasione (nam id permolestum fuisset ac pene impossibile): sed in solis publicis solemnibusque actibus, cum venditantes sese pro diis, divinos petebant cultus; uti hic in publico solemnique per urbem progressu fiebat ab Amane: et id spargebatur ubique, et ipse palam præ se ferebat. Alioquin in familiari convictu, in quotidianis negotiorum vel animi causa congressibus, ut summum nonnisi civilis honor et adoratio deposcebatur ac deferebatur. Et talem deferebant istis regibus Judæi, quando cum ipsis agendum erat: forte etiam numquam reges aliam ab ipsis deposcebant. Vide S. Thomam, et Cajetanum, et Suarez, et Vasquez [2].

(1) Isocr in Panegyrico; Strabo lib. 10; Heliod. lib. 7 et 9; Herodian. lib. 1; Aristot. 1 Rhetor.; Seneca lib. 3 de Benefic, c. 12, lib. 3 de Ira, c. 17; Lamprid. in Alex. Severo; Martial. l. 10, epigr. 22; Curtius l. 5 et 8.

℣. 7. *Phur* — In Hebræo additur, *Ipsa est goral*, id est sors [3]. Utrumque est Hebraicum, ut optime Fursterus [4] ostendit. Unde et dies Hebræorum festus *phurim*, id est, *sortium* nempe is quo a funestis Amanis *sortibus* opera Estheris et Mardochæi liberati sunt Judæi.

℣. 9. *Decem millia talentorum* — scilicet argenti, ut est in Hebræo, Chaldæo et Græco. Id est, quinque milliones aureorum in specie, si de Atticis [5] talentis (ut probabile est) sit sermo: sin de Hebræis, dupla erit summa. Ingens certe vis pecuniæ, et quam verisimiliter ex præda Judæorum collegisset: nam diserte jubebantur ministri regii *bona* Judæorum *diripere*, ut hic dicitur v. 13. Callido consilio defert eam summam Aman regi Assuero; nam sciebat, regem utcumque ad rem attentum, nullo alio argumento detineri posse, quo minus consentiret suæ petitioni de Judæis simul omnibus jugulandis, quam quod ingens quotannis summa regiis proventibus, ex tributo Judæorum colligi consueta, deinceps deperiret. Huic malo medendo summam offert, quæ multorum annorum damnis instaurandis sufficeret, nempe ex spoliis eorumdem Judæorum. Quod si forte rex seu pudore præpeditus, seu

(2) S. Thom. 2. 2. q. 84, a. 1, et Cajet. ibid.; Suarez de religione; Vasquez de adoratione.

(3) גורל. (4) In Lexico.
(5) Proleg. de Ponderib.

10. Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, et dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum,

11. Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet.

12. Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiadecima die ejusdem mensis: et scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, et judices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, et audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: et litteræ signatæ ipsius annulo

13. Missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, a puero usque ad senem, parvulos et mulieres, uno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, et bona eorum diriperent.

14. Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, et pararent se ad prædictam diem.

15. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege et Aman celebrante convivium, et cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus.

affectu in Amanem compulsus, oblatam summam non admitteret, in promptu esse sciebat, ut ea omnis in se unum devolveretur. Et ita accidit ex regis quidem animi sententia: sed quo minus reipsa frueretur Aman, intercurrit e machina cælestis manus, quæ pessimi hominis pessima consilia in ipsiusmet caput retorsit.

℣. 10. *Tulit rex annulum de manu sua, et dedit eum Aman* — nempe ad omnia obsignanda quæcumque scripta, quæcumque facta vellet. Erat is annulus symbolum datæ potestatis, a rege proximæ, ut habes etiam Genesis 41, et 1 Mach. 6, et Tobiæ 1 in fine.

CAPUT IV.

Ob crudele regis edictum luget publice Mardochæus et omnes Judæi. Esther quoque regina cum suo gynæceo precibus toto triduo et jejuniis se dat ad exorandum Deum, ut ingressura ad regem cum vitæ suæ periculo (quia non vocata), possit per eum cladem Judæis impendentem depellere.

1. Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti: et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui,

2. Et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco intrare ad regem.

℣. 1. *In platea mediæ civitatis* — id est, in foro seu loco patente publico, ut dixi 3 Reg. 20, v. 34.

Voce magna clamabat Mardochæus — Quid clamarit explicat Græcus, nempe, populum innocentem, qui nihil improbi commiserit, tolli de medio. Videri posset quibusdam valde insolens hic publicus luctus et clamor viri tantæ dignitatis, et e primis aulæ regiæ principibus, ut vidimus cap. 2, v. 5. Sed erat mos iste apud Persas magnis in malis usitatissimus, ut Herodotus et Curtius [1] ostendunt.

℣. 2. *Non erat licitum, indutum sacco*, seu cilicio, *aulam regis intrare* — nempe, ne quid triste aut miserabile incurreret in oculos regis. Sic in Josaphati et Barlaam historia narrat Damascenus, a palatii limine, a regis oculis communes etiam humanæ naturæ miserias arceri jussas, ut nullus mendicus, æger, senex,

(1) Herod. lib. 3 et 8; Curtius lib. 4 et 5.

citum indutum sacco aulam regis intrare.

3. In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium ululatus, et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus.

4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther, et eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est: et vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit.

5. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret.

6. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii:

7. Qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum:

8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam, ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo.

9. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia quæ Mardochæus dixerat.

10. Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardochæo:

11. Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum?

12. Quod cum audisset Mardochæus,

13. Rursum mandavit Esther, di-

cæcus, claudus, aliisve id genus malis obsitus videri a rege posset.

℣. 3. *Crudele regis dogma* — id est, decretum seu edictum. Simili modo usurpatur Actor. 15, v. 16, et apud Demosthenem, Josephum et alios.

℣. 11. *Atrium regis*, seu regiarum ædium, *duplex* erat, teste Plutarcho, Xenophonte, Philostrato [1] et aliis. Unum *exterius*, in quo satrapæ morabantur, de quo cap. 6, v. 4, licet ibi vocetur *interius* atrium, respectu plurium aliorum exteriorum, in quibus famuli, et uxores quoque regis degebant. Alterum ergo ex iis quæ regi propria erant, *interius atrium regis* vocabatur, et erat auro undique tectum, et in eo distinctum quoddam spatium aulæis pretiosissimis circumdatum, quod cap. 5, v. 1 vocatur *basilica, et consistorium palatii:* in Hebræo, *domus regni*. In illo atrio thronus erat aureus, in quo rex, dum externos admitteret, residebat aureo in manu sceptro: coruscabantque auro et gemmis omnia, pene ut Ovidiana *solis regia*. Vide c. 15, v. 9 et præter supra citatos auctores etiam Æschylum, Dionem, Chrysostomum et Josephum Gorionidem [2].

Hoc *atrium* si quis *non vocatus intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur* — Hunc in finem, inquit Flavius Josephus, *circumstabant* perpetuo *regem* lictores cum *securibus* et aliis spiculis, *ad eos qui invocati venissent, plectendos*. Ita lege cautum erat apud Persas, inquit Herodotus, Ammianus, Xenophon, Athenæus [3]. Addit uterque Josephus [4], eam legem ab hoc ipso Assuero latam fuisse, et quidem, ut nonnulli alii volunt, *Amanis* instinctu, ne qua via ulli pro Judæis rogaturo pateret. Sic enim solent subinde quidam aulici potentiores, omnia ad regis oculos et aures itinera intercludere et obsepire. Prout de Comite Candidiano aliisque palatinis ad Ephesinam Synodum a Theodosio missis, refert

(1) Plutarch. in Themistocle; Xenophon. lib. 8; Philostr lib, 2.

(2) Æschylus Persis; Dion.; Chrysost. orat. de regno; Gorion. lib. 2, cap. 4.

(3) Herod. l. 1, 3, 8; Ammian. l. 14; Xenoph. l. 7; Athen. l. 12.

(4) Josephus Flav. lib. 14, 15, 16 Ant.; Gorion. supra.

cens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis:

14. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi: et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

15. Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit:

16. Vade et congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus: et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et periculo.

17. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

tom. 5 Baronius. Rupertus dicit [1], Amanem legis hujus suasorem regi fuisse, non ut tum primo ferretur, sed ut olim lata severe servaretur. Et præter causam præsentem Judæorum, quæ tum movit *Amanem*, addit et aliam, quæ primos movit legis hujusce latores: nempe, *ut persona regis occultaretur sub specie majestatis* non omnibus pro libitu accessæ: *putaretur que aliquid habere plus homine, nec vilior fieret ex usu publicæ visionis*. Idem de regibus quibusdam Sinarum Nicolaus Trigautius [2], et de quibusdam aliis narrat Damianus Goes [3].

(1) Lib. 8 de Vict., cap. 10.

(2) In Hist. Sinensi. (3) In sua Legatione.

CAPUT V.

Esther, contempto vitæ periculo, non vocata ingreditur ad regem, a quo demum comiter excepta postulat ut cum Amane ad suum veniat convivium, quo impetrato, rogat ut et secundo cum eodem veniat. Interim Aman indignatus se a Mardochæo non honorari, crucem illi parat.

1. Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra basilicam regis; at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus.

2. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus.

3. Dixitque ad eam rex: Quid vis,

℣. 1. De *basilica*, et *consistorio palatii contra ostium*, id est e regione portæ qua in basilicam ingrediebatur, dixi cap. præced. v. 11.

℣. 2. *Placuit Esther oculis* regis. Placuit certe, sed non primo statim ingressu: nam, ut dicitur cap. 15, v. 9 et seq. rex, visa Esthere, *terribilis aspectu, et ardentibus oculis furorem pectoris indicabat*. Nempe putabat, illam reginæ libertatem ad suæ majestatis contemptum spectare, nimiæque vel arrogantiæ esse, vel audaciæ. Ita Josephus Gorionides [1] qui addit, regem ægre admodum tulisse, quod regina ultro irrepens, violasset legem suam. Forsan et e vestigio eam satellitibus obtruncandam dare cogitabat: cum metu perculsa Esther, linqui cœpit animo, et spiritu destitui. Sed rex (cujus cor extemplo mutavit Deus) reginæ suæ periculo territus, e solio desiliens, suis labentem ulnis excepit, ut ibidem narraturus.

(1) Supra.

℣. 3. *Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi* — Reges ut magnifici et liberales viderentur, sic loqui solebant. Ut etiam in *Herode* patuit, Mat-

Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.

4. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi.

5. Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat.

6. Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

7. Cui respondit Esther: Petitio mea, et preces sunt istæ:

8. Si inveni in conspectu regis gratiam, et si regi placet, ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem: veniat rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam regi voluntatem meam.

9. Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde:

10. Et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam:

11. Et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset.

12. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.

13. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.

14. Responderuntque ei, Zares uxor ejus, et ceteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem.

thæi 14, et in *Xerxe* apud Herodotum [1], a quo *nurus*, quidquid vellet, petere jussa, *urbes, thesauros et exercitum* petiit et impetravit.

ỳ. 8. *Veniat rex et Aman* etiam *cras* — Magnæ prudentiæ fuit in Esthere, non statim sua vota pandere. Primo, quia consultum non erat, in circumfusa satellitum et aulicorum turba, genus suum, gentemque, patriamque evulgare. Secundo, aberat initio *Aman*, et accepto nuntio forsan elabi potuisset. Tertio, propensum in se regis animum nova subinde morula, magis magisque stabilire, quin et augere studebat. Quarto, observat Lyranus, Estherem solum semper *Amanem* cum rege invitasse, ut apud reliquos optimates majorem invidiam subiret. Quinto, addi posset, ideo Estherem voluisse præsentem adesse Amanem, ut palam regi faceret se candido sinceroque animo ad hostem suum accusandum venisse, utpote quem vellet coram adesse, et facinus quacumque vellet aut posset via excusare. Longe aliter quam soleant viles animi, qui quos exosos habent, clam et furtive apud principes accusant, caventque studiose (quia causæ suæ plerumque diffidunt) ne vel accusator innotescat, vel accusato locus purgandi se detur.

(1) Lib. 9.

CAPUT VI.

Ex annalibus innovata regi Assuero memoria detectarum olim per Mardochæum insidiarum, quas eunuchi regi struxerant, jubet ipsum regiis honoribus affici, idque per Amanem juratum et capitalem ipsius hostem.

1. Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Quæ cum, illo præsente, legerentur,

2. Ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium.

3. Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.

4. Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, et juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

5. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

6. Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, et reputans quod nullum alium rex, nisi se vellet honorare,

7. Respondit: Homo, quem rex honorare cupit,

8. Debet indui vestibus regiis, et

℣. 1. *Noctem illam duxit rex insomnem* — si non totam, saltem postremam illius partem. Neque id ex corporis invaletudine aut dyscrasia, vel nimiis animi curis, sed Numinis solius providentia, ut ajunt LXX et Josephus. Ubi adverte primo, quam mirabiliter oculus ille, qui numquam dormit, et omnia gubernat, afflictis desperatisque, ut videbatur, Judæorum rebus adesse et subvenire contendat, præter opinionem, præter expectationem omnium. Secundo, mirum tantum monarcham, cui tot suppetebant voluptatum illecebræ, tot uxores, tot concubinæ, tot psaltriæ, et musurgi, qui noctis molestias pellere possent, nihil horum omnium adhibere voluisse, sed pro omni suo solatio *historias et annales* poposcisse. Sed sapiebat profecto ille supra vulgus, sciebatque historias jucundissimam viro cordato oblectationem, et maximam ad res gerendas prudentiam, multiplicemque utilitatem suppeditare, teste Livio, Cicerone, Diodoro, Eusebio [1] et aliis.

℣. 3. *Nihil omnino mercedis accepit* — Atqui cap. 12, v. 5 dicitur, *præcepit* Mardochæo *rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Respondeo, Munera quædam leviora donata fuerant Mardochæo, sed quæ non responderent meritis ipsius, unde nec *merces* vocari poterant tanti meriti, multo minus *præmium* vel *honos*, de quibus solis rex interrogabat. Verisimile quidem est, regem juxta notam satis celebremque Persarum gratitudinem, de qua Herodotus [2], etiam tunc temporis de condigno honore, præmio ac mercede Mardochæo decernenda cogitasse: sed opera *Amanis*, qui ægerrime ferebat istorum eunuchorum per Mardochæum detectorum supplicium, ut dixi in fine c. 2, id omne vel impeditum, vel astute dilatum primo, dein etiam oblivioni prorsus traditum fuisse.

℣. 4. *Interius atrium* — Hebraice et chaldaice vocatur *exterius*. Sed utrumvis dici posse, ostendi cap. 4, v. 11, nempe diverso respectu.

℣. 7. *Quem rex honorare cupit* — nempe singulari modo, et pro insignibus meritis.

℣. 8. *Debet imponi super equum, qui*

(1) Livius initio Decadis 1; Cicero 2 de Orator. et 2 de Finib.; Diodor. lib. 1; Euseb. lib. 4 Vitæ Constantini, cap. 13.

(2) Lib. 4.

imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum,

9. Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

10. Dixitque ei rex: Festina, et sumpta stola et equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

11. Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.

12. Reversusque est Mardochæus ad januam palatii: et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite:

13. Narravitque Zares uxori suæ, et amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, et uxor ejus: Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.

14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, et cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

de sella regis est — id est, jubeatur per urbem regiam devehi solemni pompa, et eodem quo rex comitatu, eodemque equo cui rex insidere solet, eodem diademate, etc. nempe paria cum rege ornamenta testentur, talem non solum a rege secundum esse, sed parem regi, et quasi alterum regem. Porro *diadema* dicit Curtius [1], fuisse *insigne purpureum, alba fascia* et pretiosis lapidibus *distinctum, et cidari* seu *mitræ* capitis erat intextum: unde subinde pro ipsa cidari usurpatur apud Justinum et Diodorum [2]. Neque ulli præter regem, licebat *diademari,* inquit Lyranus; sicut neque coronari. Quod intellige, nisi rex singulari vellet alicui, tamquam alteri sibi, id honoris indulgeri: ut hic Mardochæo indulsisse, patet ex hoc versu et c. 8, v. 15. Pergit Aman:

℣. 9. *Equum* manu ducat *primus de tyrannis* — Hebraice, *satrapis,* seu *regiis principibus,* ut præcessit. Nam sic olim usurpabatur ea vox, *tyrannus:* quæ postea propter abusum potestatis, ad eum solum designandum adhiberi consuevit, qui injuste ac violente dominatur.

℣. 10. *Sumpta stola,* id est veste regia *et equo* regio, utique *et regio diademate:* nam mox sequitur: *Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas* — Sic a matutino pene diluculo, fere usque ad convivii tempus, coactus est superbissimus Aman vice stratoris fungi, et fræno equi arrepto deducere per universam urbem regiam juratum suum hostem Mardochæum, et tamquam domino ac regi suo deservire, adeoque et præconis instar, laudes illius et merita ubique intonare. O quantum modesto Mardochæo decus! quantum tyranno arrogantissimo dedecus! *Deponit potentes* quando vult *Deus, et exaltat humiles.*

Sed nota, quam ad omnia regum istorum jussa paratos esse quoslibet principes oportuerit, cum hic omnium primus ac supremus in re tam ardua, tam sibi probrosa, non ausus sit adversus subitum regis imperium, vel verbum unum commutare.

℣. 12. *Operto capite* — Nempe solent tristes et irati pallium capiti obvolvere, quasi non ferentes intuentium se conspectum.

(1) Lib. 3 et 6.

(2) Just. lib. 10; Diod. lib. 16.

CAPUT VII.

Esther in convivio regem jam exhilaratum interpellat pro sua et populi totius Judaici vita, et Amanem accusat: quem rex eadem hora e sublimi cruce, ab illo parata Mardochæo, publice suspendi jubet.

1. Intravit itaque rex et Aman, ut biberent cum regina.

2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

3. Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro.

4. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur: esset tolerabile malum, et gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

5. Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?

6. Dixitque Esther: Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

7. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim a rege sibi paratum malum.

8. Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, et ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus.

℣. 4. *Nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem* — id est, non sat illi fuit, nobis nocuisse; voluit etiam in te, o rex, crudelitatem suam redundare. Nam si solum in servos et ancillas commutati fuissemus, ingens proventus ex opere manuum nostrarum tibi regi obveniret; neque ego, carissima tibi uxor, a tuo latere necessario divellerer; nam posses etiam tum meis, licet ancillæ, complexibus frui pro voto. Sed jam cum jubeamur omnes ad unum jugulari, perire tibi vult proventus istos omnes, et te quoque privare conatur optatissimo complexu meo. Non poterat prudentissima Esther telo magis acuto ferire cor regis, reginæ suæ et opum appetentissimi.

℣. 8. *Reperit* rex Amanem *super lectum* epulantem *corruisse, in quo* accumbentium more *jacebat Esther* — cujus genua comprehendebat Aman, et supplex fiebat reginæ, inquit S. Athanasius [1]. De *lectulis* vide quæ dixi cap. 1, v. 6.

Statim operuerunt faciem ejus — scilicet ministri regii. Nam moris erat, inquit Aben-Esra, ut cui rex irasceretur, ejus statim vultum ministri obnuberent, quasi indignus foret qui regem aspiceret. Sed Gretserus [2] mavult, Amani, tamquam jam jam crucifigendo, caput de more obnubi, et faciem velari jussam, juxta antiquum et ferale carmen, de quo Livius et Tullius, *Caput obnubito, infelici arbori suspendito* [3].

(1) In Synopsi.
(2) De Cruce l. 1, c. 21.
(3) Vide P. Martin de hoc vultus obnubendi more disputantem p. 262. Putat autem ille, opertam fuisse faciem Amani, ut eo velamento, quod supplicis esset indicium, Regis animus sectaretur.

9. Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo: et regis ira quievit.

℣. 9. *Dixitque Harbona: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege,* id est, pro regis salute, prodens ei paratas insidias. Hic eunuchus missus fuerat cap. 5, v. 8 ad Amanem, ut ad convivium Estheræ properaret, et tunc patibulum domi Amanis viderat, et Mardochæo paratum, ex aliquo domesticorum intellexerat, inquit Jos.

℣. 10. *Suspensus est itaque Aman* — et quidem clavis affixum fuisse, extra dubium esse dicit Gretserus [1]. Porro crux quidem illa 50 cubitorum, domi Amanis erecta fuerat Mardochæo: sed jam jussu regis videtur inde exempta, et ante portas urbis fixa fuisse, ut habetur infra cap. 16, v. 18 et in Græco c. 8 prorsus uti idem Darius lege sanxerat, 1 Esdræ 6, v. 11: *Tollatur lignum de domo ejus, et erigatur, et configatur in eo.* Sic in fossam cecidit miser quam Mardochæo pararat. *Neque enim lex justior ulla est, quam necis artifices arte perire sua:* ut ait Sulmonius et Claudianus [2], et confirmant exemplis *Thrasii* et *Perilli*, quorum ille a Busiride primus in ferali ara excarnificari; iste a Phalaride primus in candenti suo tauro mugire jussus est. Tertium addit S. Paulinus [3] de Euthymio, qui eodem carpento, quo Episcopum decreverat avehere, ipse in exilium abreptus et devectus fuit. Erat porro apud Persas in more, ut, cum quis criminis alicujus reus agebatur, bona illius facta omnia simul et mala conferrentur, teste Herodoto et Diodoro [4], et si quidem præponderarent bona, liberari jubebatur. ut Sandaci et Tiribazo accidit; sin mala, plecti debebat, ut Amani hic factum, cujus scelera multis millibus præponderabant. Sed an talis circa ipsum comparatio instituta fuerit, non ausim affirmare.

(1) Supra cap. 19.
(2) Sulmonius lib. 1 de Arte; Claudian. lib. in Eutrop. 1.
(3) In vita S. Ambros.
(4) Herod. lib. 7; Diodor. supra.

CAPUT VIII.

Suffecto Mardochæo in locum Amanis, feralesque Amanis litteræ de jugulandis ipsos Judæorum hostes conscribantur.

Esther a rege postulat et impetrat ut ubique Judæis irritentur, et novæ in Unde maxima ubique lætitia.

1. Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum, et Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.

2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, et tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.

3. Nec his contenta, procidit ad

℣. 1. *Dedit rex Esther reginæ domum Aman* — non vacuam aut inanem, sed omnibus Amanis facultatibus, omni supellectili, omni instrumento instructam, simulque omnes opes, thesauros, fundos, possessiones, quas usquam ille habuerat, prout LXX explicant et Josephus. Porro hanc donationem vers. seq. transfert Esther in Mardochæum.

Et Mardochæus ingressus est ante faciem regis — id est, ad intimam regis consuetudinem familiaritatemque admissus est. Hoc enim est videre faciem regis. Et eadem metaphora dicuntur *angeli semper videre faciem Patris* cælestis, Matth. 18, ut ibidem explicat Maldonatus.

℣. 2. *Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, et tradidit*

pedes regis, flevitque, et locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, et machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri.

4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum,

5. Et ait: Si placet regi, et si inveni gratiam in oculis ejus, et deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris et hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur.

6. Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei?

7. Responditque rex Assuerus Esther reginæ, et Mardochæo Judæo: Domum Aman concessi Esther, et ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Judæos.

8. Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, et illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.

9. Accitisque scribis et librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Siban) vigesima et tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Judæos, et ad principes, procuratoresque et judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præsidebant; provinciæ atque provinciæ, populo et populo, juxta linguas et litteras suas, et Judæis, prout legere poterant, et audire.

10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, et missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent.

11. Quibus imperavit rex, ut convenirent Judæos per singulas civitates, et in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis et universis domibus, interficerent atque delerent, et spolia eorum diriperent.

12. Et constituta est per omnes

Mardochæo — Symbolum hoc erat dignitatis Amanis jam translatæ in Mardochæum. Unde et vestibus regiis, et corona aurea decoratus dicitur vers. 15 et *princeps palatii* vocatur, cap. 9, v. 4 et secundus a rege c. 10, v. 3. Ubi LXX dicunt, Mardochæum *successisse regi*, nempe ut vicarium: et Josephus, *simul cum rege gubernasse imperium. Ad tantam* vero *dignitatem voluit Deus evehi Mardochæum*, inquit S. Hieronymus [1], *ut sicut* olim *in Josepho*, Genesis 41 et recens *in Daniele*, c. 2, *sic* jam *in Mardochæo haberent captivi et exules Judæi solatia, videntes hominem gentis suæ* nunc *Ægyptiorum esse principem*, nunc *Chaldæorum*, nunc *Persarum*.

℣. 5. *Veteres Aman litteræ* — Invidiosum fuisset vocare *regis litteras:* nam illæ erant more Persico *irrevocabiles*, ut insinuatur hic v. 8, et expresse affirmatur cap. 1, v. 19 et exemplis docet Diodorus [2]. Quare Esther ferales illas, quas abolitas volebat, non *regis*, sed *Amanis* litteras vocat, ut, cum illas revocaret rex, non suum, sed *Amanis* edictum revocasse videatur. Et ita affirmat ipse rex cap. 16, vers. 17. Missæ ergo sunt novæ litteræ.

℣. 9. *Etiam Judæis, prout legere poterant* — Nempe, singularum litterarum regiarum, quæ ad præsides et præfectos singularum provinciarum mittebatur lingua cuique provinciæ propria, exemplar unum lingua Hebraica mittebatur ad Judæos ibidem degentes, ut scirent quid illis contineretur. Quin et

℣. 11. *Imperavit rex, ut* veredarii seu cursores, qui litteras regias quaquaversum deferebant, primo et ante omnia *convenirent Judæos per singulas civitates* — nec nisi cum illorum scitu ac

(1) In 2 Dan. sub finem.

(2) Lib. 14 ubi de Charidemo, etc.

provincias una ultionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar.

13. Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret, paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

14. Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, et edictum regis pependit in Susan.

15. Mardochæus autem, de palatio, et de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aeriis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit, atque lætata est.

16. Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium.

17. Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque convivia, et festus dies: in tantum ut plures alterius gentis et sectæ, eorum religioni et cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos judaici nominis terror invaserat.

placito traderent litteras magistratibus: ut sic nullus ignorantiæ locus esse posset, cum, poscentibus postea Judæis opem militarem ad obruendos delendosque hostes suos, ipsi forte dissimularent sibi tale quid a rege perscriptum fuisse. Addunt hic LXX et Latinus infra c. 16, v. 19 Judæis insuper regio edicto concessum, *ut suis ipsi legibus ubique viverent.* Quod unice semper optarunt Judæi, et ab omnibus aliarum quoque gentium regibus, ubicumque degerent, obtinere conati sunt, inquit Josephus [1].

(1) Lib. 11, 12, 16, 17 Antiq.

CAPUT IX.

Judæi hostes suos eodem, quem ipsi Judæorum cædi præstituerant, die passim trucidant, et decem filios Aman e patibulis suspendunt. Et dies phurim, seu sortium, 14 et 15 mensis duodecimi Adar perpetuo solemnes et festivos esse jubent.

1. Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores esse cœperunt, et se de adversariis vindicare.

2. Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, et loca, ut extenderent manum contra inimicos et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.

3. Nam et provinciarum judices, et duces, et procuratores, omnisque dignitas quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochæi:

4. Quem principem esse palatii, et plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, et per cunctorum ora volitabat.

5. Itaque percusserunt Judæi inimicos suos plaga magna, et occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere:

6. In tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum: quorum ista sunt nomina:

7. Pharsandatha, et Delphon, et Esphatha,

8. Et Phoratha, et Adalia, et Aridatha,

9. Et Phermesta, et Arisai, et Aridai, et Jezatha.

10. Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.

11. Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est.

12. Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros et alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, et quid vis ut fieri jubeam?

13. Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Judæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic et cras faciant, et decem filii Aman in patibulis suspendantur.

14. Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, et decem filii Aman suspensi sunt.

15. Congregatis Judæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est.

16. Sed et per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur, et nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.

17. Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, et quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis.

18. At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo et quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ.

℣. 10. *Prædas de substantiis eorum tangere noluerunt* — neque in Susan, neque ullo alio loco, licet edicto regio potestas ubique facta esset Judæis spolia hostium diripiendi, c. 8, v. 11. Nempe palam facere voluerunt, se non opes, sed solam vitam et incolumitatem optare. Et ne dici posset, propter fortunas suas aliquem innocentem jugulatum fuisse, prudenter ab omnium fortunis sibi temperarunt. Ah, quam sæpe Christianos milites, adeoque et ipsos duces, præda nimium excæcat!

℣. 13. *Et decem filii Aman in patibulis suspendantur* — Nempe jugulati fuerant hoc ipso die, et verisimiliter in publico theatro: atque ita cædes hostium Judæorum ab Amanis filiis, tamquam primitiis cœperat, qui ad eum usque diem, per novem circiter menses in carcere et vinculis detenti fuerant.

Dices, c. 16, v. 18, in litteris quibus jubentur omnes provinciarum omnium præsides auxilio Judæis esse, ad cædendos condicta die suos hostes, dicit rex, *Amanem et omnem cognationem ejus ante portas Susan pendere in patibulis.* Atqui litteræ istæ missæ sunt nono mense ante promiscuam hanc cædem, ut dicitur c. 8, v. 9. Quomodo ergo ad tempus promiscuæ hujus cædis adservatos dicimus decem filios Aman? Respondeo, Quia ibi per *cognationem* Amanis, non filii, sed *cognati* et alii similes propinqui intelliguntur. Nam si etiam filii in patibulis tunc suspensi fuissent, hoc ipsorum filiorum nomen, ad rei exaggerationem expressum fuisset. Jam vero voluerunt Judæi filios tyranni tantisper in vinculis detinere, ut postmodum majori pompa, ab illis tamquam primitiis, ut dixi, publicæ cædis initium fieret. Atque ita factum constat ex hoc loco. Postridie tamen quam jugulati essent, cadavera trucidatorum patibulis affixa sunt, partim ad majorem contumeliam, partim ad severius longiusque duraturum exemplum.

℣. 16. *Pro animabus suis*, id est pro vita sua, a paratis hostium seu insidiis, seu violentia in posterum vindicanda, atque in tuto locanda, *steterunt Judæi*, et fortiter constanterque egerunt, occidendo a quibus sibi jure metuere poterant.

19. Hi vero Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conviviorum et gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum.

20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, et litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul,

21. Ut quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore:

22. Quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, et mitterent sibi invicem ciborum partes, et pauperibus munuscula largirentur.

23. Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, et quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat.

24. Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis et adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: et misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.

25. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus litteris regis irriti fierent: et malum, quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique et ipsum et filios ejus affixerunt cruci,

26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium: eo quod phur, id est, sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri hujus volumine continentur:

27. Quæque sustinuerunt, et quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Judæi super se et semen suum, et super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quos scriptura testatur, et certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus.

28. Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio: et per sin-

℣. 27. *Quæque sustinuerunt* Judæi ab Amane ejusque complicibus: *et quæ deinceps immutata sunt,* versa sorte in ipsorummet hostium capita: supple, *continentur* hoc *volumine.* In quorum gratam memoriam lege perpetua *susceperunt Judæi super se et semen suum,* id est, obstrinxerunt se tum suo nomine, tum filiorum et posterorum, immo et omnium proselytorum, seu *qui religioni Judaicæ voluerunt copulari:* horum, inquam, omnium nomine *susceperunt festum* hoc *sortium* deinceps celebrare quotannis: *neque ulli licet duos hos dies absque solemnitate transigere.* Non quod singuli tenerentur utrumque diem solemnem habere: sed ex duobus singulis [1] unum: nam qui Susis in urbe regia degebant, quia non vacarent a cæde hostium, nisi 15 die mensis Adar, ipsum illum diem [2] habebant festum: reliqui, quia uno die citius a cæde abstinuerant, uno quoque die citius: nempe 14 [3] ejusdem mensis, idem festum celebrabant. Unde universim dicebantur Judæi duos illos dies celebrare, quia unum idemque festum utroque die non in eodem, sed variis in locis celebrabant. *Quos* duos dies *scriptura,* seu epistola per Mardochæum primo conscripta, sed postea per capita Synagogæ confirmata, celebrandos *testatur,* seu contestatur et præcipit, *et tempora certa,* per legem publicam decreta, ita *expetunt,* non a Judæis modo, quibus id Mardochæus [4] et Esther primo, deinde tota Synagoga præscripsit: sed ab omnibus quoque Gentilibus, qui sub imperio regis Darii per omnes 127 provincias degebant: nam omnibus sub pœna capitis id injunxit idem rex publico suo rescripto, cap. 16, v. 22 et 24. Monent denique Esther et Mardochæus Judæos,

(1) Hic vers. 29. (2) Vers. 18. (3) Vers. 17. (4) Vers. 31.

gulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non observentur a Judæis, et ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.

29. Scripseruntque Esther regina filia Abihail et Mardochæus Judæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum;

30. Et miserunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, et susciperent veritatem,

31. Observantes dies sortium, et suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus et Esther, et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo, jejunia et clamores, et sortium dies,

32. Et omnia, quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur.

℣. 30. *Ut omnes haberent pacem, et susciperent veritatem* — Hebraice, *precati sunt eis pacem*, id est, salutem et prosperitatem, *hortantes ad veritatem*, id est, fidelitatem, et constantiam in servandis promissis de festo *phurim*, seu *Sortium* quotannis celebrando.

℣. 31. *Et illi susceperunt observanda jejunia et clamores* — Nempe, more aliorum festorum præmittebatur solemni festo *jejunium*. Quod si 13 mensis Adar institutum fuit, a Juda Machabæo postea antiquatum fateamur oportet: nam is, ut patet ex 2 Machab. ult., v. 37 die illa 13 festum aliud indixit, ob nobilissimam victoriam de Nicanore tunc obtentam. Festo vero diei jejunium non conveniebat, ut colligitur ex 2 Esdræ 8, v. 10. Porro jejunio publico conjungi solebant publicæ quoque preces, quæ hic *clamores* vocantur, quod *clament ad Deum*. Sed huic profecto maxime quadrabant, ob ingentes fletus, ejulatus et clamores in cælum, quos olim ante sui liberationem Judæi profuderant. Solent vero etiamnum, hoc tempore Judæi magnum in suis synagogis hoc festo, dum Amanis historia prælegitur, strepitum excitare, malleolis et pugnis scamna et pulpita ferientes, inscriptumque Amanis nomen eradentes, ut notat Antonius Margarita et Gregorius Tholosas [1]. Unde forsan ille mos Christianorum, ut, dum redemptionis nostræ memoria, et Christi cruciatus quotannis repetuntur, strepitus aliquis in Ecclesia, post eas quæ Tenebrosæ dicuntur Matutinas, excitetur. Denique solebant olim Judæi, in memoria crucifixi Amanis, crucem ligneam, contumeliæ causa, in Ambarualibus quibusdam publice præferre, eamdemque postea, ut et effigiem Amanis, flammis exurere, teste S. Athanasio [2], sed quia plerique ficta illa comœdia sanctissimam Christi passionem irridebant, ab illis ritibus per Honorium et Theodosium Imperatores supersedere jussi sunt.

(1) Ant. Marg. lib. de Ritib. Judæor.; Greg. Tholos. Syntag lib. 2, c. 16, n. 10.

(2) In Synopsi Cod. de Judæis et Cœlicolis, lib. *Judæis*.

CAPUT X.

Majestas, dignitas, gloria Mardochæi: et explicatio somnii ejusdem de rebus in Perside obventuris genti Judaicæ tum adversis, tum prosperis.

1. Rex vero Assuerus, omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias:

2. Cujus fortitudo et imperium, et dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta sunt

℣. 1. *Omnem terram et cunctas insulas* — supple, imperio suo subjectas, *tributis* utique novis gravavit. Qua de causa incertum. Nisi quod divina providentia

in libris Medorum, atque Persarum:

3. Et quomodo Mardochæus judaici generis secundus a rege Assuero fuerit: et magnus apud Judæos, et acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, et loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua et litteris continentur: et interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod juxta consuetudinem nostram obelo, id est, veru prænotavimus.

4. Dixitque Mardochæus: A Deo facta sunt ista.

5. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit.

6. Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam.

7. Duo autem dracones: ego sum, et Aman.

8. Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Judæorum.

9. Gens autem mea, Israel est, quæ clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes.

10. Et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, et alteram cunctarum gentium.

videatur hac via punire voluisse istas provincias, quæ paullo ante nimis avide inhiarant facultatibus et sanguini miserorum Judæorum.

℣. 3. *Loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent* — Id est, Mardochæus erat studens commodis et quieti populi sui Judaici. Plura de gestis Mardochæi et Esther non habemus in historiis, quæ quidem extent: sed remittit nos Scriptura ad Annales *Medorum et Persarum*. Benjaminus [1] dicit, utrumque sepultum fuisse in principe urbe Medorum *Hamda magna*, in qua *Israelitarum* suo tempore fuerint *millia* circiter *quinquaginta*. Et forsan a *Mardochæo* nomen sumpsit illa regio, quæ inter Babyloniam et Sinum Persicum jacet *Mardocæa*, vel ut in Græco Ptolemæi [2] textu est, ἀμορδαχία.

℣. 4. *Dixitque Mardochæus*, cum apud se expenderet tragœdiæ Amanis catastrophen.

℣. 6. *Parvus fons, Esther est* — cujus aquis ingens ab Amane excitatum incendium restinguendum, cujus lacrymis Numen propitiandum, cujus opera, studio et industria tot adversariorum myriades [3], quasi amne et torrente demergendæ, penitusque obruendæ essent. *Et* hic idem *fons*, qui ante erat *in* [4] *tenebris*, id est, in maximis ærumnis, mox *in lucem solemque conversus est* — Est hendyadis, pro, *in lucidum solem*, seu in maximam lætitiam felicitatemque *conversus est*, cum nempe Judæi suos sub pedibus hostes habuerunt.

℣. 7. *Duo dracones, ego sum et Aman* — Draco enim jam ab antiquo hieroglyphycum symbolum est tum regum, tum militiæ præfectorum, teste Pierio [5]. Et nominatim apud Persas, ferociores et instructiores milites *draconum* nomine appellabantur, ut ait Lucianus [6]. Quæ in Amanem et Mardochæum optime quadrant.

℣. 10. *Duas*, seu duplicis generis, *sortes* constitui voluit Deus, *unam populi Dei*, id est Judæorum: *et alteram cunctarum gentium*, inimicarum et hostium Judæis. *Et venit utraque sors*, id est utriusque partis sors incidit, *in* unum eumdemque *diem, ex illo jam tempore*, immo ab æterno, *statutum coram Deo*, seu a divina providentia, nempe in 13 *diem* [7] *mensis duodecimi Adar*. Sed venit hic dies infestus et exitialis *universis gentibus:* lætatus vero et festus *populo Dei*, quia *recordatus est* illius *Dominus, ac misertus est hereditatis suæ*, ut vidimus cap. præced. Hæc est somnii interpretatio, quam Mardochæus tum demum

(1) In Itinerario.
(2) Geogr. lib. 5, cap. 20, et Asiæ tabula 4.
(3) Cap. 9, vers. 16. (4) Cap. 11, vers. 8.
(5) In Hierogl. lib. 15.
(6) Lib. de conscribendæ historia.
(7) Cap. 9, vers. 1.

11. Venit utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus:

12. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suæ.

13. Et observabuntur dies isti in mense Adar, quartadecima et quintadecima die ejusdem mensis, cum omni studio et gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

plene assecutus est, quando ipso rerum eventu, et evidentia facti, quid sibi velet, persensit. Ipsum vero somnium narratur cap. seq.

CAPUT XI.

Somnium Mardochæi. Quod secundum ordinem temporis deberet primo loco hujus libri Esther poni: ut ponunt LXX, Romana.

1. Anno quarto, regnantibus Ptolemæo et Cleopatra, attulerunt, Dosithæus, qui se sacerdotem et Levitici generis ferebat, et Ptolemæus filius ejus, hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum, Ptolemæi filium in Jerusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in hebræo, nec apud ullum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin:

3. Homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, et inter primos aulæ regiæ.

4. [1] Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia rege Juda:

℣. 1. *Regnantibus Ptolemæo et Cleopatra* — Reges omnes Ægypti a primo *Ptolemæo* Lagi filio, communi nomine vocabantur *Ptolemæi:* et reginæ omnes *Cleopatræ*, ut alibi dixi [2]. Unde non potest ex his nominibus aliud colligi, quam post tempora Alexandri Magni hanc epistolam Jerosolymis in Ægyptum delatam fuisse. Crediderim tamen id accidisse tempore *Ptolemæi Philometoris*, sexti a morte Alexandri Magni, regis Ægypti. Nam is extreme favebat et addictus erat Judæis; immo, si Josepho [3] credimus, omne regnum suum commisit Judæis administrandum: totius quoque militiæ suæ duces fecit Oniam et Dosithæum Judæos. Sed an hic Dosithæus idem sit cum illo sacerdote, qui hic dicitur hanc epistolam attulisse, non ausim affirmare. Nam etiam sacerdotes rem bellicam administrasse, certissimum est tum ex Banaia, 1 Paral. 27, v. 5, tum ex Mathathia, ejusque filiis Juda, Jonatha, Simone, et aliis Machabæis, 1 Machab. 2, et seqq.

Epistolam phurim — id est *sortium*, quia continebat historiam Estheris, quæ a catastrophe feralium *sortium*, subinde *historia sortium*, vel *liber sortium* vocari solebat. Porro hanc historiam dicitur hic *Lysimachus Ptolemæi*, non regis, sed sacerdotis antedicti, *filius*, ex Hebræo vel Chaldæo *interpretatus esse*, seu convertisse in Græcum.

℣. 2. *Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo* — id est Dario Hystaspis, ut dixi cap. 1, v. 1. Erat is idem annus, quo idem Darius potestatem fecit Judæis templum Jerosolymis instaurandi, quod ante concesserat Cyrus, sed inhibuerat Cambyses. 1 Esd. 4, et 6.

Mardochæus filius Cis. Vide cap. 2 Esther, v. 5. *De tribu Benjamin* — Ibi dicebatur esse *de stirpe Jemini*. E qui-

(1) 4 Reg. 24, 15. Supra 2, 6.
(2) In Chron. cap. 39 in Ptolemæo Lagi et Epiphane.
(3) Lib. 2 contr. Appionem.

5. Et hoc ejus somnium fuit: Apparuerunt voces, et tumultus, et tonitrua, et terræmotus, et conturbatio super terram:

6. Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium.

7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum.

8. Fuitque dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiæ, et ingens formido super terram.

9. Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, et præparata ad mortem.

10. Clamaveruntque ad Deum: et illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit.

11. Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.

12. Quod cum vidisset Mardochæus, et surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: et fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

bus duobus locis patet, *Jemini* idem prorsus esse quod *Benjamin*. De cetero somnium quod hic narrat Mardochæus, jam ipsemet exposuit c. præced.

℣. 12. *Cogitabat et fixum habebat in animo scire*, reu resciscere, *quid significaret somnium* — Sciebat a Deo sibi immissum; quid ni ad seriam ejus intelligentiam attenderet? Vide de somniis quæ dixi Genes. 40 et S. Thomam, Cajetanum, Rupertum et Pererium [1]. Porro Mardochæus etei solicitus fuerit de somnii sui significatione, non videtur tamen, ut dixi in fine cap. 10, prius quid sibi vellet rescivisse, quam ipso rerum exitu et experientia id didicerit. Semper tamen memoria illud tenebat, et subinde tam se, quam suam neptem Estherem, recordatione ejusdem animare solebat: nominatim vero, inquit Josephus Gorionides [2], *cum Aman Mardochæo tam infensus esset, ait ad suam Esther: impletum somnium quod narravi tibi in diebus juventutis tuæ.*

(1) S. Thom. 2. 2. q. 95, a. 6, et Cajet ibid.; Rup. lib. 9 de Victoria, cap 2; Perer. totis 7, qq. in c. 1 Daniel.

(2) Lib. 2, cap. 2.

CAPUT XII.

Mardochæus detegit regi insidias ipsi structas per eunuchos. Nempe fusius explicatur quod cap. 2, vers. 21 descriptum fuit.

1. Morabatur autem eo tempore in aula regis, [1] cum Bagatha et Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii.

2. Cumque intellexisset cogitationes eorum, et curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, et nuntiavit super eo regi.

3. Qui de utroque habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem.

4. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed et Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.

5. Præcepitque ei rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

℣. 1. *Bagatha et Thara* — Cap. 2 vocantur *Bagathan et Thares*. Janitores palatii. Quale officium id fuerit, colligere licet ex officio janitorum templi, quod exposui 1 Par. 26, vers. 12. Mardochæus structas insidias

℣. 2. *Nuntiavit regi* — non per se immediate, sed per Estherem suam jam reginam, ut dicitur cap. 2, v. 22.

(1) Supra 2, vers 21, et 6, vers. 2.

6. Aman vero filius Amadathi, bugæus, erat gloriosissimus coram rege, et voluit nocere Mardochæo et populo ejus, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque proœmium.

℣. 6. *Aman* porro *Bugæus* vocatur — pro *Agagæus* (ut est in Hebræo et Latino supra c. 3, v. 1). Nam Græci subinde usurpant *beth* pro *gamma*, teste S. Hieron. [1]. Et causa cur ita hic fecerint Græci fuisse videtur, quod vellent alludere ad mores superbos Amanis: nam *Bugæus* significat *magnum jactatorem*, composito verbo ex βω, quod Græcis auxesin affert (a βῶς, q. d. *bovis* magnitudine) et γαίω, id est *glorior, jacto*.

Voluit nocere Mardochæo et populo ejus, seu Judæis omnibus, ut dicitur cap. 3. vers. 6, *pro duobus eunuchis* —

(1) De Locis Hebr.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

Quid his cum Amane commune fuerit, dixi in fine cap. 2.

Et diripuerunt, etc. — S. Hieronymus monet, post ea verba, scilicet, *Et bona eorum diriperent*, quæ sunt in cap. 3, v. 13 collocatam fuisse in Vulgata Græcorum seu LXX Interpretum editione, epistolam regis qua Judæi una omnes die jugulari jubebantur: quæ epistola hic cap. seq. recitatur. Et de facto eam ibidem positam videbis in Græcis codicibus qui nunc extant. Citat eamdem epistolam Josephus quam ex LXX Interpretibus deprompsit, verbis quidem a nostra Vulgata nonnihil dissidentem, sed sensu concordantem.

CAPUT XIII.

Exemplar epistolæ regiæ, quam misit Aman ad principes et præsides omnium provinciarum super cæde et excidio Judæorum. Inseri deberet cap. 3 post v. 13. Oratio vero Mardochæi pro Judæorum liberatione, ponenda est post cap. 4.

1. Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus et ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem.

2. Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

3. Quærente autem me a consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia et fide ceteros præcellebat, et erat post regem secundus, Aman nomine,

4. Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum jussa contemneret, et universarum concordiam nationum sua dissensione violaret.

5. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, et turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam,

6. Jussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstra-

℣. 2. *Vitam silentio*, id est quiete, *transigentes* — procul ab omni strepitu bellorum et turbarum.

℣. 6. *Deleantur quartadecima die duodecimi mensis Adar* — Ita habent etiam LXX et Josephus.

Dices, cap. 3, v. 13 præscribitur huic cædi Judæorum *decimatertia dies* illius

verit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis:

7. Ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

Hucusque exemplar epistolæ. Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur,

Pergensque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, et apud nullum penitus feruntur interpretum.

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus,

9. Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.

10. Tu fecisti cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur.

11. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

12. Cuncta nosti, et scis, quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum.

13. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem);

14. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

15. Et nunc, Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hereditatem tuam delere.

16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.

17. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo

mensis: et ita habet ibidem etiam Hebræus et Græcus textus. Respondeo. Jubebatur *inchoari* cædes die *decimatertia,* sed consummari die 14. Patet ex strage et cæde Persarum, quam ediderunt Judæi eadem illa die, seu diebus, quas Aman ante pro cæde Judæorum designarat. Nam ut dicitur c. 9, vers. 1: *Dies decimustertius primus apud omnes interfectionis fuit: et quartadecima die cædere desierunt,* nempe qui plures quos occisos vellent, non habebant: nam qui in Susan urbe regia degebant, etiam *decimoquarto die in cæde versati sunt, et trecentos* hostium *occiderunt,* ut ibidem dicitur vers. 15 et 18.

℣. 7. Porro hanc orationem Mardochæi dicit S. Hieron. *non haberi in hebraico,* scilicet quo ipse utebatur exemplari: *et apud nullum penitus interpretum reperiri,* puta Symmachum, Aquilam, Theodotionem et similes. Nam apud LXX *Interpretes* repertam fuisse, ipsemet hic affirmat, cum ait, se eam in Vulgata editione scriptam reperisse, ubi legitur post finem c. 4. Atqui LXX Interpretum versio est ex Hebræo, ut omnibus notissimum est. Porro hanc orationem Mardochæi jam ab antiquo legit Ecclesia in sacro Missæ officio feria quarta Dominicæ 2 Quadragesimæ, et in Missa contra Paganos, et Dominica 21 post Pentecosten. Unde constat, etiam has particulas, ex decreto SS. Concilii Tridentini *pro sacris et canonicis* habendas ese, ut dixi initio hujus libri.

℣. 13. *Libenter vestigia pedum* Amanis *deosculari paratus essem* — Josephus Gorionides profundam hanc Mardochæi humilitatem significantius sic exprimit: *Fuissem paratus lingere calceum qui in ejus pedibus, et pulverem quem ipse calcasset.* Alludere videtur ad illud Isaiæ 49, v. 23: *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.*

℣. 14. *Sed timui ne honorem Dei mei,* id est soli Deo debitum, puta *latriæ, transferrem ad hominem* — Nam Amanem sibi divinum honorem poposcisse, supra demonstravi c. 3, v. 2. Subdit Mardochæus,

℣. 16. *Ne despicias partem tuam* — scilicet hereditariam, id est populum Israeliticum, quem tibi quasi hereditarium delegisti ex omnibus populis totius mundi.

tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, et ne claudas ora te canentium.

18. Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

CAPUT XIV.

Planctus Esther, et ejusdem oratio ad Deum. Subjungitur in Græco orationi Mardochæi, post cap. 4.

1. Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.

2. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.

3. Et deprecabatur Dñum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius.

4. Periculum meum in manibus meis est.

5. [1] Audivi a patre meo, quod tu, Domine, tulisses Israel de cunctis gentibus, et patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hereditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es.

6. Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum:

℣. 1. *Pavens periculum* — LXX *in agone mortis comprehensa.* Nempe in quali fuit etiam *Jaddus* pontifex, cum Alexander Magnus infesto agmine peteret Jerosolymam, teste Josepho [2]. Item *Onias*, 2 Machab. 3, adeoque et Christus ipse in horto.

℣. 2. *Corpus suum humiliavit* — nempe *jejuniis*, ut Noster explicat; quod in Græco non exprimitur, sed includitur: quia Judæi sua *jejunia* vocare solent *thaanin* [3], id est *humiliationes*. Et jejunium Esther, quod celebrare consueverunt 13 die *Adar*, vocant *thaanith Esther* [4]. *Crinium laceratione* testabantur olim ingentem animi luctum. Ut de nobilibus matronis testatur Curtius et Diodorus [5], de Alexandra Hyrcani filia, socru Herodis, et Salome sorore ejusdem Herodis, narrat Josephus [6], et de seipso Esdras libr. 1 cap. 9, et de aliis pluribus Adrianus Junius [7].

℣. 3. *Adjuva me solitariam* — id est, ut sequitur, omni ope et auxilio humano destitutam. Gorionides [8] sic loquentem facit: *Ego sola hic habito: sola ego in domo regis, absque patre et absque matre sum. Sicuti pupilla paupercula, quæ ostiatim mendicat, ita ego mendico miserationes tuas fenestratim*, seu ex una fenestra vadens ad aliam. Solent enim Judæi serio oraturi, loca superiora et fenestras captare, e quibus patentior prospectus in cælum, exemplo Judith c. 8, v. 5, et Dan. c. 6, v. 10, et aliorum.

℣. 4. *Periculum meum* (ita etiam LXX. Gorionides habet, *anima* seu vita *mea*) *in manibus meis est* — id est, præsto et in promptu est, sicut est id quod manui impositum quis habet. Unde eadem phrasi significari solet etiam præsentissimum perdendæ rei periculum, quia quod manui superimponitur, casui vel profusioni expositum est. Sic Psalm. 118, v. 109: *Anima* seu vita *mea in manibus meis*, quasi jam jam profundenda, et 1 Reg. 19, v. 5: *Animam suam posuit in manu sua.*

(1) Deut. 4, vv. 20, 34, 32, 9.
(2) Lib. 11 Antiq., cap. 8.
(3) תענין. (4) תענית אסתר.
(5) Curtius lib. 3; Diod. lib. 17.
(6) Lib. 15, cap. 11, et lib. 16, cap. 11.
(7) De Coma, cap. 5. (8) Cap. 3.

7. Coluimus enim deos eorum. Justus es, Domine:

8. Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes,

9. Volunt tua mutare promissa, et delere hereditatem tuam, et claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi et altaris tui,

10. Ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem, et prædicent carnalem regem in sempiternum.

11. Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum, qui in nos cœpit sævire, disperde.

12. Memento, Dñe, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, et da mihi fiduciam, Domine rex deorum et universæ potestatis.

13. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, ut et ipse pereat, et ceteri qui ei consentiunt.

14. Nos autem libera manu tua, et adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam,

15. Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ.

16. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei,

17. Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum:

18. Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham.

19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

℣. 7. *Coluimus deos eorum* — Non loquitur de se, vel de populo qui jam in Perside vel Chaldæa erant: nam isti numquam leguntur coluisse deos alienos: sed scelera parentum et majorum suorum confitetur, qui sua idololatria causam dederunt Babylonicæ captivitati, ita Gorionides[1].

℣. 8. *Robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes* — Gorionides clarius exponit: *Ecce ipsi* hostes nostri, Aman et complices, *non dicunt, te*, o Deus, *nos in suas manus tradidisse: sed idolis suis id acceptum ferunt.*

℣. 9. *Volunt tua promissa* Deuter. 7 et alibi, *mutare*, seu invertere, *et delere hereditatem tuam*, quam ibidem promisisti te perpetuo conservaturum, *et claudere*, græce delere, *ora laudantium te: atque extinguere gloriam templi et altaris tui* — quod recens jam instauratum erat Jerosolymis, indulto hujus ejusdem Darii Hystaspis, mariti Esdræ, ut dicitur 1 Esdræ 6.

(1) Supra.

℣. 11. *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt* — id est idolis, ut dixi, q. d. Ne permittas tantam dæmonibus adscribi potentiam.

℣. 12. *Rex deorum* — id est regum, judicum, principum omnium, qui etiam Joan. 10 et Psal. 81, Dii vocantur.

℣. 13. *Tribue sermonem compositum in ore meo* (LXX bene concinneque constructum) *in conspectu leonis* — Sic vocat regem Assuerum, ob ejus animositatem et feritatem. Quam eamdem ob causam S. Paulus etiam *Neronem* vocat leonem 2 ad Tim. 4, Gorionides facit Estherem hic trementem quasi *capellam* ante *leonem*.

℣. 16. *Tu scis necessitatem meam*, qua nempe cogor me regio more ornare, quod alioqui nollem: *quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ* — id est, regium diadema seu cidarim.

In diebus ostentationis meæ, cum publice mihi prodeundum, vel coram rege comparendum est, neque enim *porto* illud *in diebus silentii mei* — id est, cum domi quiesco, a publico sejuncta.

CAPUT XV.

Mandante Mardochæo, Esther cum vitæ suæ periculo ingreditur ad regem, ut dictum est cap. 5, vv. 1 et 2, sed hic fusius enarratur.

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

1. Et mandavit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, et rogaret pro populo suo et pro patria sua.

2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem:

3. Et tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte.

Necnon et ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua.

5. Cumque regio fulgeret habitu, et invocasset omnium rectorem et salvatorem Deum, assumpsit duas famulas,

6. Et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens:

7. Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.

8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, et nimio timore contractum.

9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.

10. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et, in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput.

11. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur:

12. Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

13. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

℣. 4. *Vestimenta ornatus sui* vocat hic, non quibus ad splendorem, sed ad mœrorem, et ad Dei cultum ornata fuerat Esther. Græce vocantur *vestimenta luctus.*

℣. 8. *Animum nimio timore contractum* habebat Esther, primo propter ingens periculum tum sibi, tum Judæis omnibus impendens, casu quo non succederet quod tentatum ibat. Secundo, propter ancipitem dubiumque rei eventum. Tertio, propter regis Assueri in throno suo, tanto cum splendore et apparatu majestatem: nam ut vers. 9 dicitur, *erat terribilis aspectu.* Quarto, propter subitam ingentemque regis iram ac furorem, quem subintrante regina indicabat toto vultu, *oculis ardentibus* ipsam prosequens, ut habetur v. 10 et dixi c. 5, v. 2. Putabat enim ad suæ majestatis contemptum spectare, quod regina tam libere accederet non vocata. Sed iram regis compescuit mox Deus.

℣. 12. *Noli metuere, ego sum frater tuus* — Blandientis vox est et intimæ amicitiæ ac familiaritatis. Et solent conjuges ita sibi mutuo blandiri: et sponsus, Canticor. 4, *sponsam* sæpe *sororem* suam vocat.

℣. 13. *Lex*, ne quis non vocatus ad me veniat, *non est pro te constituta*, quæ regnum totum commune mecum habes et non minus tua lex est, quam mea: unde

14. Accede igitur, et tange sceptrum.

15. Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, et posuit super collum ejus, et osculatus est eam, et ait: Cur mihi non loqueris?

16. Quæ respondit: Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

17. Valde enim mirabilis es, domine: et facies tua plena est gratiarum.

18. Cumque loqueretur, rursus corruit, et pene exanimata est.

19. Rex autem turbabatur, et omnes ministri ejus consolabantur eam.

tu illa lege non obstringeris, multoque minus pœna legis teneris. *Sed* solum *pro omnibus* subditis nostris, *hæc lex constituta est.*

℣. 16. *Vidi te, domine, quasi angelum Dei* — id est angelica majestate, splendore, terrore. Et credibile est, id dixisse ex parœmia seu similitudine non solis Hebræis sed et Persis aliisque gentibus usitata. Ut colligere possumus ex tam frequenti angelorum mentione, quam faciebant Hebræi etiam cum loquerentur Gentilibus; v. g. David cum Achis [1] rege Geth Philisthæo.

Et quidem de Persis narrat Cedrenus, in admirabili illa *Cosdroæ* regis Persarum ab *Heraclio* devicti sphæras angelos fuisse, qui regem circumstabant: et tamen Gentilis erat *Cosdroas.* Unde constat, non ignotos fuisse angelos Persis, etsi Gentilibus. Reliqua vide supra cap. 5.

(1) 1 Reg. 29, vers. 9.

CAPUT XVI.

Exemplar epistolæ Darii Hystaspis, qua revocat ferale rescriptum Amanis: jubetque vice versa a Judæis quoscumque hostes ipsorum occidi, et diem istum toto imperio suo festum deinceps haberi.

1. Rex magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit.

2. Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

3. Et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.

4. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, et humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

5. Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, et ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere,

6. Dum aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.

7. Quæ res et ex veteribus probatur historiis, et ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur.

8. Unde providendum est paci omnium provinciarum.

9. Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire

℣. 9. *Si diversa jubeamus,* antiquantes prius Amanis decretum de Judæis una omnibus die jugulandis, *non ex animi nostri venit levitate* — neque hoc

levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.

10. Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis: [1] Aman filius Amadathi, et animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, et pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est:

11. Et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, et adoraretur ab omnibus post regem secundus:

12. Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur et spiritu.

13. Nam Mardochæum, cujus fide et beneficiis vivimus, et consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem:

14. Hoc cogitans ut, illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedonas.

15. Nos autem, a pessimo mor-

repugnat antiquæ *Persarum et Medorum* consuetudini, quia hæc solum jubet irrevocabilia esse decreta, quæ surreptitia non sunt, vel fraude extorta, sed sano sinceroque consilio constituta.

℣. 10. *Aman gente Macedo, alienus a Persarum sanguine* — Nam licet ipse forsan in Perside natus esset, tamen parentes constabat esse alienigenas, et ex Macedonia advenisse, ut dixi initio c. 3 supra.

℣. 12. *Ut regno privare nos niteretur et spiritu* — Id est vita. De quo dixi in fine cap. 2.

℣. 14. *Ut interfectis* Mardochæo, Esthere, et omnibus Judæis, *insidiaretur nostræ solitudini* — Id est, mihi tam caris, tam fidis præsidiariis orbato commodius insidias strueret, ac throno regio et vita exturbaret.

Et regnum Persarum transferret in Macedonas — Ita etiam habent LXX. Sed unde regi Dario hic de *Macedonibus* metus? An non plusculum videtur suspicionibus suis indulgere, et verisimilia potius, quam certa testataque scribere? Respondeo, Certa testataque fuisse nemo negare poterit, qui quæ supra de eunuchorum Amanis perfamiliarium insidiis, cap. 2 in fine dicta sunt: quæque suspenso Amane, ex chartis domi ejus repertis, secretisque ejusdem consiliis per complices detectis, regi innotuerunt, animo expenderit: simulque cogitarit, litterarum harum auctorem qui id diserte affirmat, non esse solum regem, licet jam ad Deum conversum, ut constat ex v. 16, sed ipsam quoque Estherem et Mardochæum, id est

(1) Sup. 3, vers. 1. (2) Lib. 7.
(3) Lib. 2. (4) Lib. 2 hist.

mendacii hostes, et veritatis amantes; qui numquam id affirmassent, nisi certo compertum habuissent. Sed quis, obsecro, metus sub Dario Hystaspis de regno ad Macedonas transferendo, cum hi sub tempora demum Philippi patris Alexandri Magni clarescere, viribusque invalescere cœperint? Respondeo, falli egregie qui sic sentiunt: nam Græcos, quorum pars non minima erant Macedones, jam tum a tempore Darii Hystaspis metuendos fuisse Persis, deque iisdem valde male meritos, testis est Herodotus [2]. Et Justinus [3] ait, Darium hunc bellum cum Atheniensibus gessisse, in quo jam tum emicuit industria et gloria Themistoclis adolescentis. Et quis nescit, Darium Hystaspis quarto ante mortem anno pugnam illam apud *Marathonem* pugnasse, Græcis Romanisque historiis celeberrimam? de qua vide Sulpicium [4] et alios. Denique Diodorus Siculus [5] scribit, *Xerxem olympiade 75 movisse arma contra Græcos*, non jam recens, sed ab antiquo, immo *perpetuos infestissimosque Persici nominis hostes:* additque, *patrem Xerxis*, nempe Darium Hystaspis, *magnam materiam ad classis adversus Græcos instructionem præparasse*, et filio reliquisse. Ex quibus clarissime patet, Dario Hystaspis jure merito, si de ullis, certe de Græcis, metuendum fuisse. Jam vero si metuit transferendum imperium ad Græcos: idque opera Amanis *animo et gente Macedonis*, qui sceptrum sibi [7] ipsi vindicare studebat; nonne potuit juste affirmare, mentem Amanis fuisse, *transferre* sceptrum Persicum *ad Macedonas?*

(5) Lib. 11. (6) Hic vers. 10.
(7) Hic vers. 12, et cap. 2 in fine.

talium Judæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed e contrario justis utentes legibus,

16. Et filios altissimi et maximi, semperque viventis Dei, cujus beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur.

17. Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.

18. Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.

19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis.

20. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar;

21. Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris et luctus, eis vertit in gaudium.

22. Unde et vos, inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, et celebrate eam cum omni lætitia, ut et in posterum cognoscatur,

23. Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.

24. Omnis autem provincia et civitas, quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, gladio et igne pereat, et sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, et inobedientiæ.

℣. 18. *Et omnis cognatio ejus pendet in patibulis* — Hoc exposui c. 9, v. 13. Notat Ammianus [1], *leges apud Persas impendio formidatas* fuisse, *per quas ob noxam unius, omnis propinquitas periret.* Sicut etiam de filiis Intaphernis narrat Herodotus [2], et de aliis Justinus [3].

℣. 22. *Inter ceteros festos dies* — qualis v. g. erat τῆς Μαγοφονίας, seu cædis, Magorum, quem diem idem hic Darius, qui in locum cæsorum successerat, æternum jusserat festum esse, teste Herodoto [4]. Et familiare erat Gentilibus, certa tempora Numini dicare, quibus illud ob præstita beneficia publice laudarent et gratias agerent, teste Plutarcho [5] et aliis.

(1) Lib. 23. (2) Lib. 3.
(3) Lib. 10. (4) Lib. 3.
(5) In Nicia.

LIBER JOB

Veram hanc esse historiam, non autem parabolam, ut quidam Judæi voluere, patet ex Tobia, Ezechiel et Jacobo Apostolo (1), qui eam ut historiam citant. Conscripta fuit primum ab ipsomet Jobo, ut vult S. Gregorius, Albertus Magnus, Suidas (2) et alii: et quidem lingua Syriaca, seu Arabica, vel Idumæa: nam, teste S. Hieronymo (3), syrismis passim et arabismis inspergitur. Ex Syriaca vero in Hebræam linguam convertit eam Moyses, forte dum soceri sui Jethro oves pasceret in Madianitide. Unde Moysen ipsum auctorem libri faciunt Origenes, Philippus presbyter, Isidorus, Abulensis (4) et quidam alii. Causa scribendi finalis fuit, ut omnibus, et maxime Hebræis, sub id tempus in Ægypto graviter afflictis vivum daretur exemplum patientiæ. Graphice enim hic depingitur duellum pœnarum et tolerantiæ: naturæ et gratiæ: dæmonis et viri justi, ut pulcre explicat S. Prosper (5), et alii Patres in Catena Græcorum (6). Porro præcipua toto libro quæstio agitatur an soli peccatores a Deo adversis affligantur in hac vita: an vero etiam pii et justi, qui nil tale meruerunt. Priorem partem et falsam tuentur amici Jobi: posteriorem et veram ipse S. Job. Unde verba tum Dei, tum Jobi, quæ Deus cap. ult. probat, infallibilem habent veritatem Canonicæ Scripturæ: non item verba amicorum Jobi, ut passim patebit; ita S. Gregorius, Augustinus, Chrysostomus et Polychronius in Catena (7). Qui idcirco dicunt, hos tres gessisse typum hæreticorum Ecclesiam et pios impugnantium. Allegorice et anagogice, Christi et cujuslibet patientis victoria ac triumphus in resurrectione adumbratur.

CAPUT I.

Jobi pietas insignis, divitiæ, et proles commemorantur. Convivia vicissim celebrant: Job pro ipsis sacrificat Deo. Satan impetrat ut Jobum liberis et opibus omnibus exuere liceat. Job omnia patientissime tolerat.

1. Vir erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo:

℣. 1. *In terra Hus* — Id est, in Idumæa, ut habetur in Threnis Jeremiæ [8]. Fuit autem *Hus* filius *Aram* filii *Sem*, Genesis 10, v. 23. Hussitis vero vel Ausitis terra sita est ultra Jordanem; inter montem *Hermon* et *Trachonitidem;* quæ postea cessit in sortem *dimidiæ tribui Manasse:* ubi etiamnum visitur pyramis sepulcri S. Job, inquit Adrichomius. Hinc Patres passim nunc *Idumæum*, nunc *Arabem* vocant, prout terminos *Idumææ* vel *Arabiæ* latius aut longius extendunt.

Nomine Job — vel *Jobab:* quod, ut sanctus Gregorius, Philippus Presbyter et Chrysostomus in Catena exponunt, significat ululantem, vel ejulantem. In ap-

(1) Tob. 2, vers. 15; Ezech. 14; Jac. 5, vers. 11.
(2) In Job.
(3) Prologo in Job.
(4) Isidor. lib. 1 Offic., cap. 12; Abul. in Prologo Gen.
(5) Lib. 1 de Promiss., cap. 22.
(6) Cap. 9.
(7) Cap. 7.
(8) Thren. 4, vers. 21.

2. Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ.

3. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes orientales.

4. Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis.

5. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

6. Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affluit inter eos etiam Satan.

7. Cui dixit Dominus: Unde ve-

pendice libri Job (quam habent LXX et Theodotion, et S. Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Polychronius, et alii SS. Patres in Catena [1] et a Bellarmino [2] citati, passim ut legitimam admittunt), dicitur *Job* natus matre *Bosra*, patre *Zara* vel Zareph *Isaaci* pronepote: nam *Abraham* genuit *Isaac:* hic *Esau*, hic *Rahuel*, hic *Zara*, hic *Job* Genes. 36 [3]. Fuit ergo *Job* quintus ab *Abrahamo*. In eadem appendice additur, habitasse in *Ausitide*, *in finibus Idumææ et Arabiæ:* et ut *regem imperasse in Edom, post Balac* seu *Bela*, ut in Genesi nominatur. Ex quibus patet, *Job* non ex *Hus* filio *Nachor* fratris Abraham, Genes. 22, v. 21 oriundum esse, ut volunt quidam Hebræi et cum his S. Hieronymus, Rupertus, Rabanus, Isidorus [4] et Lyranus: sed ex ipsomet *Abrahamo*, *Isaaco* et *Esau:* ita Origenes, Gregor. Volaterr. et alii quos citat noster Pineda [5]. Secundo patet, Job *regem* fuisse, ut ipsemet sat innuit c. 19, v. 9 et alibi. Immo *regem regum* fuisse, probat Pineda ex vers. 3 hujus cap. ubi dicitur, *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* Fuit idem etiam *sacerdos*, ut patet ex *sacrificio* quod obtulit vers. 5. Fuit et *Propheta*, inquit S. Hieronymus, Augustinus et Gregorius [6], et colligitur ex cap. 40, v. 1. Denique *Martyrem*, immo multis Martyribus majorem vocat S. Jo. Chrysost. [7] et alii quos citat Pineda et Salianus. Tertio patet, vixisse Jobum sub tempus habitationis Hebræorum in Ægypto. Et quidem natum ipso anno, quo Jacob cum suis in Ægyptum descendit: trigesimo post anno uxorem duxisse Bosorram Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse, septuagesimo luctam cum dæmone complevisse: denique anno vitæ Moysis 75 quinquennio ante egressum Hebræorum ex Ægypto vita functum esse, ex probatis auctoribus docui in Chronico, c. 16 et 17.

Vir simplex — Id est, simplici et candida mente omnis falsitatis, duplicitatis, simulationis et peccati experte. Ita vocem hanc usurpat Cicero, et alii auctores. Hebraice est, *perfectus;* græce, *verus*, veritate non doctrinæ tantum, sed et vitæ: ita S. Jo. Chrysostomus et alii Patres in Catena.

℣. 5. *Sanctificabat eos* — Id est, jubebat sanctificari [8], seu mundari et præparari ad fructus sacrificii percipiendos.

Ne forte benedixerint Deo — pro maledixerint, per antiphrasin, ut ait sanctus Augustinus [9]: vel per euphemismum, de quo in idiotismis Hebraicis n. 31 et 32. In LXX est, *ne mali quidpiam cogitarint contra Deum*, id est, peccatum aliquod admiserint. Hebræis enim *dicere* vel *cogitare*, idem est quod *agere:* ita Origenes, Basilius, Polychronius, Olympiodorus, et alii in Catena.

℣. 6. *Cum filii Dei*, seu angeli, *assisterent coram Domino* — non parabolice, vel per prosopopœjam, quasi solum hic significetur omniscientia Dei, et machinationes seu bonæ angelorum, seu malæ dæmonum, ut volunt Origenes, Cajetanus,

(1) Cat. Græc. in fine libri.
(2) Lib. 1 de verbo Dei, cap. 4.
(3) Vv. 10, 13, 17, 33.
(4) Hier. qq. in Genes.; Rupert. et Raban. in Gen. 36; Isid. de vita et morte SS.
(5) In cap. 1 Job, vers. 1, n. 32.
(6) Hier. epist. ad Evagrium; Aug. serm. 6 de Tempore; Greg. lib. 14 Moral., cap. 17.
(7) Hom. 25 ad pop. et hom. 1 et 5 de laud. Job.
(8) Vide 2 Par. 29, vers. 15, et cap. 30, vers. 18, et 2 Esdr. 3, vers. 1.
(9) Lib. contr. Mendacium, cap. 10.

nis? Qui respondens ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.

8. Dixitque Dñus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo?

9. Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum?

10. Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra?

11. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini.

13. Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,

14. Nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos,

15. Et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus ut nuntiarem tibi.

16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit e cælo, et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

17. Sed et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus ut nuntiarem tibi.

18. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

19. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

20. Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit,

21. Et dixit: [1] Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Dño placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Emmanuel Sa, Mariana et quidam alii: non etiam per solam visionem seu revelationem scriptori hujus libri factam, ut vult Eusebius et Hugo: sed vere ac realiter. Fuit enim hoc quasi *judicium*, ut ait Chaldæus, aut *concilium magnum*, in quo sancti angeli referebant Deo sua ministeria. In quo *affuit et Satan*, quasi lictor et satelles Dei, visus a Deo et angelis, non tamen vicissim videns ipse Deum, sed solos angelos, et quasi cæcus respectu Dei: sola locutione mentali cum Deo et angelis colloquens, hominesque accusans, et ad pœnam deposcens. Ita sonant simpliciter verba Scripturæ: et ita explicant Athanasius, Lactantius, Salvianus [2], Augustinus, Nazianzenus.

℣. 11. *Nisi in faciem* — id est, palam, impudenter in tua præsentia maledicat tibi. Supple, dispeream vel mentiar: ita Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

(1) Eccle. 5, vers. 14; 1 ad Tim. 6, vers. 7.

(2) Athan. q. 8 in S. Script.; Lactant. l. 1, c. 1 Anticimenon.

CAPUT II.

Satan, permittente Deo, Jobum pessimis ulceribus morbisque excruciat. Uxor maritum ridet, eique insultat. Job ejus impietatem redarguit. Tres amici Jobi solandi causa adcurrunt: sed magnitudine mali perculsi, toto septiduo illum affari non audent.

1. Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus,

2. Ut diceret Dñus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, et perambulavi eam.

3. Et dixit Dñus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra.

4. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:

5. Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.

7. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus:

8. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

℣. 3. *Ut affligerem eum frustra* — id est, immerentem. Vel frustra, id est, absque eo quod spe et intentione tua potiaris: ita Origenes, Olympiodorus, sanctus Thomas.

℣. 4. *Pellem pro pelle*, id est, omnem pellem, id est, omnes *opes*, quæ inde vocantur *supellex*, eo quod *sub pellibus* adservari solerent. Sic Joan. 1, vers. 16: *Gratiam pro gratia*, id est, omne genus gratiarum. Chaldæus hic vertit, *membrum pro membro*, seu omne membrum. Sed aptius, *pellem*, nempe alienam, boum, camelorum, mancipiorum, et etiam filiorum, libenter *dabit* quis *pro pelle* propria: ut idem sit quod mox sequitur, *Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua* — seu pro vita et valetudine salva. Similis phrasis est Exodi 21, v. 23: ita Origenes, Hieronym. [1], Gregorius, Apollinaris [2], Lyranus et alii.

℣. 7. *Ulcere pessimo* — id est, fœdissimo simul et acutissimis doloribus referto. Chaldæus vertit, *scabiem*, lepræ et elephantiasi conjunctam, inquit Chrysostomus et alii in Catena. *Arthritide* et *podagra* laborasse, consequenter etiam chiragra et ischiade, colligitur ex c. 16, v. 8, et cap. 13, v. 27; *phthiriasi*, seu pediculari morbo, ex cap. 30, v. 17; *dysenteria*, ex cap. 16, v. 14; *marasmo*, seu totius corporis marcore ex siccitate et febri ectica, ex cap. 19, v. 20 et cap. 30, v. 16; *incubo* quoque, ex cap. 7, v. 4 et 14. Denique ex aliis locis conjectat Pineda, Jobum laborasse etiam *lue venerea, angina, fame canina, igne sacro, cancro*, seu erisypelate per totum corpus, *asthmate*, etc. Neque dubium est, cum Deus in hoc duello Jobum in potestate dæmonis posuerit, dæmonem ex innato odio et superbia, omnes quas vivens ferre potuit, in eum plagas immisisse. Addit Chrysostomus cum S. Athanasio lethales fuisse hos morbos, et mortem illaturos fuisse, si Deus eos ad cor aliamve principem partem proserpere permisisset. Et consequenter, Jobum martyrem vocat: sicut plerique Patres B. Virginem et S. Joannem martyres faciunt.

℣. 8. *Sedens in sterquilinio* — nempe extra civitatem, eo quod elephantiacus

(1) Epist. 34.

(2) In Catena.

9. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo et morere.

10. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

11. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Conesset, ideoque sejunctus a solio suo et palatio regali, et a cœtu hominum, inquiunt Apollinaris, Polychronius et alii. In quo typus Christi fuit, vulneribus pleni, extra urbem in Calvaria crucifixi [1].

℣. 9. *Benedic Deo, et morere* — Sarcasmus est, q. d. I nunc, servi Deo, benedic et lauda Deum, tam tibi amicum, ut te jam jam morte perditurus sit.

℣. 11. *Tres amici Job* — Hi *reges* vocantur Tobiæ 2, v. 15 et hic apud LXX. et in appendice, de qua c. 1, v. 1 ubi *Eliphaz* vocatur *Themanorum rex*, *Baldad Sauchæorum tyrannus*, *et Sophar Minæorum rex*. Porro *Eliphazi* mentio fit Genesis 36, v. 4, et ejus filii *Theman*, dixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.

12. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum.

13. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

v. 11. *Baldad* ex nepotibus fuit *Abrahæ* ex *Cetura*, cujus filius fuit *Sue*, Genesis 25, v. 2, et 1 Paral. 1, v. 32. Unde *Baldad* dicitur *Suites*. Porro *Sophar Naamathites* verisimiliter est filius *Nahath*, Gen. 36, v. 13 (quod per *crasin* videtur idem nomen esse cum *Nahamath*), fratruelis Eliphazi. Vide Chronicon nostrum c. 46.

Notat vero Origenes, Olympiodorus, Chrysostomus et Gregorius [2], hos amicos Job fuisse *viros sanctos*, utpote sanctissimi hominis amicos et familiares. Dum igitur arguunt Jobum, peccant non malitia, sed ignorantia.

(1) P. Martin, p. 267 seqq., *Explan. loc. Script. difficilior.*, putat, jacuisse Job in cinere, qui in vestibulo suæ ipsius domus esset; in primis enim domorum ingressibus Aræ ac foci haberi consueverant. Verum ut hæc focorum in vestibulis ædium consuetudo Hebræorum fuerit (quod nullo argumento comprobari poterit), falso sumit P. Martin Jobo domum fuisse relictam. Etenim quod Jobi domus memoretur cap. 42, 11, ad Jobum spectat, cui *addiderat Dominus quæcumque fuerant, duplicia* (ibid. vers. 10) non ad illum plaga percussum.

(2) Orig. initio lib. 3: Olymp. et Chrysost. in Catena; Gregor. in præfat., cap. 1 Job.

CAPUT III.

Job, laxatis naturæ habenis, maledicit diei suo natali et præsenti vitæ: pulcherrimo carmine describens mortalium miserias, et a quantis malis liberentur qui tam miseræ vitæ subtracti sunt.

Nota, a v. 2 hujus cap. usque ad v. 7 ultimi cap. omnia carmine conscripta sunt, teste S. Hieronymo, Isidoro [1] et aliis.

1. Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo,

℣. 1. *Maledixit diei suo* natali. Maledixit eidem etiam Habacuc et Jerem. [2]. Id est, optarunt eum numquam fuisse in rerum natura, seu, numquam se natos fuisse: idque justissimas et gravissimas ob causas: nempe quia dies ille natalis, adeoque ipsa nativitas et vita fuit ipsis infinitarum ærumnarum exordium et causa, ut jam omittam *peccatum originale*, aliaque inde consequentia mala, v. g. periculum æternæ damnationis. Job enim

(1) Hieron. in præfat.; Isid. l. 6 Etymol., c. 2.

(2) Habacuc 3, vers. 16; Jerem. 20, vers. 14.

2. Et locutus est.

3. [1] Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo!

4. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine:

5. Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis, occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.

6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

7. Sit nox illa solitaria, nec laude digna:

8. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare leviathan:

9. Obtenebrentur stellæ caligine

hic ab illis abstrahit, et solas naturales ærumnas attingit. Porro cum subest justa causa, licet vovere et optare irrationabilibus creaturis malum, nempe, ut non sint aut ut careant aliquo suo ornamento. Neque vero læditur hic charitas, cum adversus irrationabilia non sit charitas. Suppono autem non maledici eis quatenus creaturæ Dei sunt, neque in odium proximi, sed solum ut causant vel comitantur malum. Quin et maledicere ex zelo justitiæ, creaturis rationalibus non qua tales, sed quia impiæ sunt; et ob ingentia quæ procreant mala, peccatum non est [2]. Unde et Christus non soli *ficui* infrugiferæ *maledixit*, Marc. 11, vers. 14, sed et *reprobis hominibus*, Matth. 25, v. 41: *Discedite a me, maledicti*. Item maledictus omnis qui pendet in ligno. Unde non est quod hic confugiamus ad locutionem indeliberatam, quasi hæc Jobi verba fuerint solius sensus aut affectus inferioris: nam etiam rationis et partis superioris verba esse constat ex prædeliberato exordio, totoque orationis decursu. Neque vero ex impatientia animi (ut quidam Hebræi, et hæretici nostri volunt) hic loquitur patientissimus Job, ut patet ex 1, 2 et ult. cap., sed ratio et pars animi superior laxat consulto habenas parti seu appetitui inferiori, ut dolor internus in verba et querelas erumpat, quibus tam amicis præsentibus, quam posteris omnibus testata fiat dolorum suorum et ærumnarum acerbitas, utpote quibus mortem, et ab utero carentiam vitæ longe præoptet: ita Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Hilarius, S. Thomas, Bonaventura, Scotus [3] et alii. Porro licere inefficaci volitione et conditionata desiderare *se natum non esse*, vel in genere *non esse*, dummodo absoluta et efficaci voluntate resignatus sis in omnem voluntatem Dei (ut erat Job), patet etiam ex ipsius Christi exemplo, Matth. 26: *Transeat a me calix iste*. Damnandis quoque melius esse, numquam natos fuisse, de fide est ex Matth. 26, v. 24. Quid ni possint etiam alii, qui multis magnisque ærumnis tum animi, tum corporis involvuntur, prudenter idem exoptare, si Dei voluntas ea fuisset? maxime, cum præstet numquam fuisse, quam Deum vel semel offendisse. Denique in genere melius esse homini mori, quam vivere, non soli Gentiles apud Herodotum et Ciceronem: sed et SS. Patres, Cyprianus, Ambrosius, Gregorius [4] et alii docuerunt.

℣. 3. *Pereat dies* — Pro, utinam periisset! numquam fuisset! Est enim enallage temporum, Hebræis familiaris, quæ et in sequentibus frequens occurret.

℣. 5. *Obscurent eum tenebræ et umbra mortis* — id est densissimæ tenebræ, adeoque ipsa nocte et morte obscuriores. Nihil porro morte, seu mortuis obscurius, quia nihil amplius vident omnium quæ in mundo sunt.

Involvatur amaritudine — Id est densissimis nebulis, tempestatibus ac procellis, quæ diem faciunt homini amarum. Pergit enim in carmine, poetice loqui de die præterita, quasi adhuc existente et præsente.

℣. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei* — scilicet sibi infausto et infesto. Ut solent Æthiopes, qui juxta Atlantem

(1) Jerem. 20, vers. 14.
(2) Deut. 21, vers. 23, et cap. 23, vers. 4.
(3) Orig. hic; Chrysost. in Catena; Ambr. lib. de Bono mortis, cap. 2; Hieron. in cap. 20 Jerem.; Hilarius in Psalm. 119; S. Thom., Bonavent. et Scotus in 4, dist. 50.
(4) Herod. lib. 1 de Solone et Cræso, et lib. 7 de Artabano et Xerxe; Cicero in fine 1 Tuscul.; Cypr. de Mortalitate; Ambr. de Bono mortis; Gregorius hic.

ejus: expectet lucem et non videat, nec ortum surgentis auroræ:

10. Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

11. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?

12. Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?

13. Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem

14. Cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines:

15. Aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento:

16. Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

17. Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore.

18. Et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.

19. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.

20. Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt,

21. Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum:

22. Gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum:

23. Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris?

24. Antequam comedam suspiro: et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus:

25. Quia timor, quem timebam, evenit mihi: et quod verebar, accidit.

26. Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? et venit super me indignatio.

Æthiopiæ montem habitant: hi enim, teste Herodoto, Plinio, Solino et Mela, solem et dum oritur, et dum occidit, execrantur, eo quod nimio suo calore ipsos ipsorumque terras perdat, q. d. Job, illi potiori jure meum natalem diem, multo nocentiorem, maledictis prosequantur.

Qui parati sunt suscitare leviathan — Aquila, Symmachus, Theodotion vertunt *draconem*, nempe cetum magnum seu balænam, de qua infra cap. 40. Solent enim nautæ in maledicta proni, tum maxime in ea prorumpere, cum, expeditis magno molimine omnibus ad venandas capiendasque belluas illas marinas necessariis, turbo vel procella ex improviso supervenit, quæ omnia disjicit, discerpit et irrita reddit: ita communiter Interpretes. Chaldæus non proprie, sed appellative exponit *Leviathan*, ut significet lamentationem seu luctum: ita Aben Esra, Levi Ben Gerson, Kimki, et fere Hebræi recentiores apud Pagninum et Vatablum. Et solent subinde in nostra Vulgata retineri nomina peregrina quasi propria, cum sint appellativa, verb. gr. Psal. 73, v. 15, *Fluvii Ethan*, id est perpetentes et perennes: sic *Maranata, Racha*, etc. Unde putat Mariana hic alludi ad *planctores et planctrices*, quas Festus Pompejus et Varro *Præficas* [1] vocat, et *Leviathan* significare canticum execrationibus refertum; quod suscitari dicitur quando intonatur et canitur. Additque, proverbio Hebræis vulgari, prohiberi mulieri in die festo *Leviathan suscitare*.

℣. 17. *Ibi*, post mortem, *impii* tyranni, *cessaverunt a tumultu* — seu tumultuari, metumque et plagas aliis incutere.

Et requieverunt fessi robore — Id est, quorum robur et vires morbo vel labore exhaustæ fuerant. Est enim mors, vel Seneca teste: *portus æternæ placidus quietis:* et Sophocle, *extremus morborum medicus* [2].

℣. 23. Cur data lux vitæ *viro:* cui *circumdato* miseriarum *tenebris, abscondita est* et inaccessa *via*, qua possit ad lætam felicemque vitam pertingere?

℣. 26. *Nonne dissimulavi*, etc. patienter ferendo omnia priora mala, quæ seu ab hominibus, seu a Deo mihi illata fuerunt, cap. 1, ita Chaldæus. Quæ ergo causa tam graviter me affligendi?

(1) Jerem. 9, vers. 17.

(2) Plutarch. in consolat. ad Apollon.

CAPUT IV.

Eliphaz arguit Jobum impatientiæ: conaturque ei persuadere, quod propter peccata sua flagelletur a Deo, qui nulli innocenti adversa immittat.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?

3. Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti:

4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti:

5. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti: tetigit te, et conturbatus es.

6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

7. Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?

8. Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos,

9. Flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos.

10. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt.

11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.

12. Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.

13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines,

14. Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt

15. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi:

17. [1] Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?

℣. 3. *Manus lassas,* id est, eos qui nimio labore, morbo, dolore, vel adversa fortuna fracti, tardius aut segnius officio suo fungebantur, opportunis monitis, aliisque remediis excitasti et *roborasti.*

℣. 6. *Ubi est timor tuus* — nempe filialis ille, quo Deum, præ rerum omnium jactura constanter timere, ejusque placitis acquiescere solebas?

℣. 9. *Flante Deo* — seu naribus iram efflante, et immittente celerem vindictam. Solet vero *ira Dei* comparari *spiritui* seu vento, tum ob facilitatem, inquit Polychronius: tum ob vehementiam et celeritatem, inquit Chrysostomus. Simile habes Exodi 15, v. 10. Porro

℣. 10. Per *leonem, leænam et tigridem* potentes et tyrannos designat, qui cives et subditos suos deprædantur: sed tandem, Deo puniente, etiam ipsi ab aliis spoliantur, et non raro cum filiis fame quoque consumuntur.

℣. 12. *Venas susurri ejus* — Hebraice, tenue quiddam et modicum ex eo, puta lenem sibilum vel auram tenuem. Significat Eliphaz se quidem de lapsu angelorum accepisse divinum oraculum, sed clanculum, et valde accisum seu breve. Nam de divinis ac cælestibus pauca novimus, et parvas subinde guttas, non integra pocula haurimus.

℣. 15. *Cum transiret spiritus,* seu ventus, index et præcursor personæ Dei, per angelum legatum suum apparituræ. Sicut et Eliæ factum 3 Regum 19, vers. 12. Subdit

℣. 17. *Numquid homo, Dei compara-*

(1) Infr. 25, vers. 4.

18. [1] Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem:

19. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?

20. De mane usque ad vesperam succidentur: et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.

21. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, et non in sapientia.

tione justificabitur? — Hebraice, Deo justior erit, aut justior censeri poterit? quasi homo sit justus et innocens: Deus vero quia illum affligit, injustus et nocens.

℣. 18. *Ecce qui* in cælesti palatio *serviunt ei*, nempe angeli, *non sunt stabiles* in bono et justitia et virtute: tum quia non sunt, uti Deus, natura sua immutabiles: tum quia de facto plurimi cum Lucifero deflexerunt a bono ad *pravitatem*, ad insaniam, ad miseriam: ita Symmachus vertit, et explicant Athanasius, Chrysostomus, Didymus, et alii Patres Græci in Catena.

℣. 19. *Quanto magis* homines *qui habitant domos luteas* — puta corpus e luto et limo formatum, Genesis 2. Et similem habes hominis periphrasin 2 Corinth. 5, vers. 1.

Qui terrenum, seu ex terra, *habent fundamentum*, vel basin, nempe corpus, quod quasi basis est animæ, vitæ, et hominis totius.

Consumentur velut a tinea — tum physice secundum corpus, corruptione intrinseca: tum moraliter secundum animam, concupiscentia, aliisque pravis motibus, quasi tineis, animam arrodentibus, et in peccatum, et ratione peccati, in mille miserias hominem pertrahentibus.

℣. 20. *De mane usque ad vesperam*, id est, quotidie et continuo, ab ipso primo vitæ exordio, donec perveniant ad vesperam, seu terminum vitæ, *succiduntur* — id est, sensim ad mortem tendunt, immo *nascentes morimur:* et vita hæc potius mors longa est quam vita.

Et quia nullus impiorum id *intelligit*, per consequens nec providet, resipiscendo ac pœnitendo, *in æternum* damnati *peribunt.*

℣. 21. *Qui autem reliqui* eis *fuerint*, nempe posteri illorum, nihilo parentibus meliores cautioresve, etiam ipsi *non in sapientia*, sed in sua insipientia *auferentur* e medio, et similiter æternum peribunt. His omnibus vult Eliphaz Jobo probare, nullius hominis seu naturam, seu justitiam plene stabilem ex se esse, hominemque variis ut vitiis, ita et casibus ac miseriis obnoxium esse, et licet vitia seu peccata sua homo ignoret (ut mox dicet, Jobum sua ignorare) Deum tamen, cui omnia patent, latere non posse.

(1) Infr. 15, vers. 15; 2 Petr. 2, vers. 4; Jud. 6.

CAPUT V.

Arguit Eliphaz Jobum iniquitatis, licet non omnibus, et nec ipsi forsan notæ, propter quam a Deo flagelletur. Unde monet, ut supplex Deo fiat, veniamque precetur peccatorum: ita cuncta fore ipsi prospera, exemplo aliorum Deo supplicum.

1. Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.

2. Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.

℣. 1. *Voca ergo* — Id est, si mihi ex Dei revelatione docenti, neminem innocentem plecti a Deo, necdum credis; ipsemet Deum, vel angelum, vel sanctum aliquem invoca, ut contrarium, si verius sit, tibi revelet; ita S. Thomas: vel, si lubet, ex piorum numero saltem cita aliquem, qui contrarium seu verbo, seu exemplo suo nos doceat.

℣. 2. *Vere stultum interficit iracun-*

3. Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulcritudini ejus statim.

4. Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit qui eruat.

5. Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias ejus.

6. Nihil in terra sine causa fit, et de humo non oritur dolor.

7. Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.

8. Quam ob rem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum:

9. Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero:

10. Qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat aquis universa:

11. Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate:

12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant:

13. [1] Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat:

14. Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

15. Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.

16. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.

17. Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes:

18. Quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt,

19. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.

20. In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii.

21. A flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem cum venerit.

22. In vastitate et fame ridebis; et bestias terræ non formidabis.

23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

dia, dum impatientia et cholera præfervida miser contabescit. *Et parvulum* mente, Chaldæus *insipientem, occidit invidia* — q. d. Vide et tu, ne stulto similis stulta impatientia et invidia contabescas.

℣. 3. *Firma radice* — Id est, familia ampla, bene sana, et divitiis fulta.

Et maledixi pulcritudini ejus statim — Id est, male ominatus sum, et mala vertici ejus jam jam impendentia, ut prævidi, sic et prædixi. Simile Psal. 36, v. 35 et alibi.

℣. 4. *Filii conterentur in porta* — Id est, a judicibus et magistratus publica sententia quæ in portis urbium ferri solebat, damnabuntur et supplicio afficientur.

℣. 5. *Armatus*, nempe miles aut prædo.

℣. 6. *De humo*, seu terra, *non oritur dolor* — supple. Sed ex peccato et prava voluntate. Unde S. Gregorius, *Nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando vim percussionis extorsit.*

℣. 7. *Homo nascitur ad laborem* — non ad quietem vel gaudia, saltem in hac vita. *Quamobrem*, inquit, non obmurmurandum, sed patienter *deprecandus* et exorandus Deus, qui laborum et dolorum omnium portus est tutissimus, et asylum certissimum.

℣. 15. *A gladio oris* — id est, a calumnia, quæ est quasi gladius anceps.

℣. 19. *In sex et in septima* — Hebraismus poeticus, q. d. Etsi septies, id est pluries [2], in omne genus mala incidas, semper liberabit te. Septenarius enim in scripturis plenitudinem et universitatem significat, teste S. August. [3]. Didymus, anagogice, inquit, sex diebus hujus vitæ variis tribulationibus exercebit et eripiet te; et in septimo, seu Sabbato resurrectionis, impassibilitate et gloria æterna cumulabit te.

℣. 23. *Cum lapidibus regionum pa-*

(1) 1 ad Cor. 3, vers. 19.
(2) Simile Lev. 26, vers. 28; Jerem. 15, vers. 9; Eccles. 11, vers. 2; Amos 1, vers. 3; Proverb. 30, vv. 15, 18, 21, 29.
(3) Lib. 11 de Civit., cap. 31.

24. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis.

25. Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terræ.

26. Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

27. Ecce, hoc, ut investigavimus, ita est: quod auditum mente pertracta.

ctum tuum — Id est, non lædent te lapides, seu quos nudis (ut olim solebant) pedibus calcas: seu qui superne decidui e montibus vel maceriis periculum tibi creare possent. Non, inquam, lædent, perinde ac si pacto de non te lædendo tibi obstricti essent. Nisi malis per lapides *scopelismum* cum Pineda intelligere, proprium Arabibus. De quo sic Ulpianus [1]: *In Arabia* scopelismus *tale est crimen. Plerique inimicorum solent prædium inimici* σκοπελίζειν, *id est, lapides* in agro *ponere indicio futuros, quod, si quis eum agrum coluisset, malo letho periturus esset insidiis eorum qui scopelos posuissent, ita ut nemo deinde eum colere audeat*, q. d. Tibi, o Job, si Deo nitaris, ejusmodi scopeli non nocebunt.

(1) Lib. *Sunt quædam*, ff. de extraordinariis criminibus.

℣. 24. *Visitans speciem tuam*, id est, speciosam, pulcram, splendidam familiam tuam, *non peccabis*, superbiendo ex ea, vel vane confidendo in ea.

℣. 26. *In abundantia* dierum et annorum, id est, in plena senectute morieris.

CAPUT VI.

Queritur Job se longe graviora pati, quam peccatis suis secundum legem Dei ordinariam promeritus sit, affirmans se tantos corporis animique dolores naturaliter non posse diutius perferre. Queritur et se ab amicis deseri: ac nominatim tres istos, cum consolaturi ipsum venerint, jam prorsus contrarium præstare.

1. Respondens autem Job, dixit:

2. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: et calamitas, quam patior, in statera!

3. Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde et verba mea dolore sunt plena:

4. Quia sagittæ Dñi in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me.

5. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?

6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?

℣. 3. *Quasi arena maris* — In Hebræo, Chaldæo et LXX est, *præ arena maris*, q. d. Calamitas notabiliter gravior appareret demeritis meis. Allegorice, Passio Christi infinite major fuit omni demerito nostro.

℣. 4. *Sagittæ Domini*, nempe plagæ, ulcera, vulnera: *quarum indignatio*, id est, acrimonia, vehementia, frequentia (nam hoc symbolum et signum est *indignationis* seu acris castigationis Dei, non ex odio, sed ex amore profectæ): *ebibit spiritum meum*, id est, exhausit omnem animi et corporis mei vigorem.

℣. 5. *Numquid rugiet onager*, etc. — q. d. Nil mirum, vos non dolere, nec mihi condolere, sed instar ferorum et silvestrium asinorum, ne tangi quidem sensu aliquo mearum miseriarum; cum omnia vobis sint prospera.

℣. 6. *Quod gustatum affert mortem* — Hebraice et chaldaice, *salivam albuminis ovi*, quæ prorsus insipida est. Sed optime Vulgatus per *salivam* metonymice *gustatum* (cujus præcipuum instrumentum est *saliva*) intellexit, et quidem *doloris*, aut *vulneris mortis*, seu lethalis, q. d. Ego multo justiore ratione horreo et gemo,

7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

8. Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus?

9. Et qui cepit, ipse me conterat: solvat manum suam, et succidat me?

10. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.

11. Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?

12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

13. Ecce, non est auxilium mihi in me et necessarii quoque mei recesserunt a me.

14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Dñi derelinquit.

15. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.

16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.

17. Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt: et ut incaluerit, solventur de loco suo.

18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, et peribunt.

19. Considerate semitas Thema, itinera Saba, et expectate paulisper.

20. Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt.

21. Nunc venistis: et modo videntes plagam meam timetis.

22. Numquid dixi: Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi?

23. Vel, Liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me?

24. Docete me, et ego tacebo: et si quid forte ignoravi, instruite me.

qui non modo insulsum aut insipidum cibum, sed plane mortiferum dolorem, non jam summis labris gustare, sed omnino deglutire et penitus exhaurire cogor.

℣. 9. *Solvat manum suam,* quæ jam quasi ligata, solum lente me vulnerat; dissoluta et libera percutiat me totis viribus, citoque interimat. Brevem enim mortem longæ morti præopto.

℣. 10. *Nec contradicam sermonibus Sancti* — quibus decernet et conabitur me simul et semel occidere: immo gratias agam pro celeri nece.

℣. 11. *Ut sustineam,* seu diu sustinere possim, vires non adsunt.

Quis finis meus? — Id est, quam longe adhuc distat mors, *ut patienter* illam expectem? Nam ex tanta ægritudine naturaliter cogar cito morti succumbere.

℣. 13. *Necessarii mei* — id est, amici proximi et intimi, quorum quia ope carere ægre possumus, *necessarii* merito vocantur. Pungit enim tres illos amicos, quod in se acerbiores eos experiretur.

℣. 16. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix* — Proverbium est, q. d. Qui minus incommodum immerito subterfugiunt, merito in gravius incurrunt. Sic amici mei qui me prætergrediuntur, ne vel tantillum malorum meorum sensum hauriant vel dolorem, forsan graviores molestias ferre cogentur. Nam instar *nivis* non in spissam massam collectæ, sed

℣. 17. *dissipatæ,* nempe mutuis discordiis, *peribunt: et ut incaluerint* æstu et fervore divinæ indignationis et punitionis, subito *solventur de loco suo* — id est, excident pristina gloria et felicitate.

℣. 18. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum* — id est, opera et negotia illorum implicantur multis peccatis, laboribus, molestiis, doloribus: ac tandem æterna damnatione involvuntur.

℣℣. 19, 20. *Considerate semitas Thema, itinera Saba.* Id est, videte quam pauci amicorum meorum in *Thema et Saba* habitantium, ad me invisendum et solandum accurrant. Nempe, omnes pene victi pudore, et contemptu deterriti, fugiunt me et aversantur. *Confusi sunt, quia speravi:* id est, puduit eos infelicis et abjectæ sortis meæ, necessitudinisque qua mihi adstringebantur, et opem ferre cogebantur, quam jure merito, sed frustra *speravi.* In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *quia speravit,* supple, unusquisque eorum se lucrum ex me, gaudium, solatium et gloriam capturum: sed jam spe sua frustrati dolent, lugent, confusi sunt.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me?

26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.

27. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum.

28. Verumtamen quod cœpistis explete: præbete aurum et videte an mentiar.

29. Respondete, obsecro, absque contentione: et loquentes id quod justum est judicate.

30. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

℣. 25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis*, seu quare fidem denegatis verbis verissimis? Hebraice, *quare vim patientur verba mea?* Quod exponi potest: quare violenter irrumpitis in verba mea?

CAPUT VII.

Humanæ vitæ, suasque imprimis, calamitates depingit: petitque a Deo tantis malis cito exsolvi.

1. Militia est vita hominis super terram; et sicut dies mercenarii dies ejus.

2. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui:

3. Sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.

4. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras.

5. Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris, cutis mea aruit, et contracta est.

6. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe.

7. Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona.

8. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, et non subsistam.

℣. 1. *Militia est vita hominis* — LXX πειρατήριον, id est, *locus tentationis*, vel, si mavis, *exercitium piraticæ*, aut *locus piratis infestus*, q. d. Mille periculis, mille conflictibus, mille mortibus, quotidie expositi sumus, sicut qui militiæ dant operam terra vel mari, innumeris undique hostibus cincti. Vide S. Gregorium.

Et dies ejus, seu vita tota continuis laboribus, molestiis, fatigationi obnoxia et adstricta est, *sicut dies mercenarii* — ad laborandum pretio conducti et obstricti. Sic enim paterno Adami et hereditario jure omnes adstringimur labori et dolori.

Unde ℣. 3 *habui menses vacuos* omni quiete et solatio, id est, tempora molestissima.

℣. 5. *Induta est caro mea putredine*, id est, computruit: hebraice, græce, chaldaice, *caro mea scatet vermibus. Et sordibus pulveris* — Hebraice, *ramentis scabiei*, seu furfuribus, qui corpore scalpto decidebant, alias impetigine et prurita cutem ustulabant.

℣. 6. *Dies mei* pristini, læti et prosperi, jam dilapsi et *consumpti sunt absque ulla* humana *spe* eos recuperandi. Quare ad te convertor, o Deus, qui omnia potes, et solus potes.

℣. 7. *Memento, quia* sicut *ventus*, sic cito transvolabit *vita mea*, tot malis jam pressa. Neque arte ulla vel industria, aut ope humana reddi possum pristinæ sanitati. *Nec* umquam deinceps felicem aut sanum *me aspiciet visus hominis.*

℣. 8. *Oculi tui* ergo *in me* sint, id est,

9. Sicut consumitur nubes, et pertransit: sic qui descenderit ad inferos non ascendet,

10. Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.

11. Quapropter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

12. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

13. Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in strato meo:

14. Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.

15. Quam ob rem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.

16. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.

17. Quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

18. Visitas eum diluculo, et subito probas illum:

19. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?

20. Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?

benigno vultu me aspice, o Deus, et quum decreveris me non liberare quibus premor doloribus, concede et indulge, cito vita defungar, et inter mortales diutius *non subsistam*.

℣. 12. *Numquid mare ego sum, aut cetus,* quorum utrumque, ne terris noceant, *carcere,* id est littoribus, *circumdas* et coerces, q. d. Adeone tibi, o Deus, videor ferus et noxius inter homines, ut instar insani maris, aut marinæ belluæ, debeam in corporis hujus ærumnosi carcere tot plagis, tot doloribus violenter deprimi, vinciri, compesci?

℣. 14. *Terrebis me per somnia et per visiones* — tum naturaliter (imaginibus diurnæ miseriæ noctu recurrentibus): tum per dæmonem (somnia terrifica fingentem, et phlegma et melancholiam commoventem): tum per incubum. Vide Chrysostomum et alios Patres in Catena.

℣. 15. *Quamobrem elegit anima mea, et ossa mea,* seu corpus meum, id est, ego elegi, *suspendium* — Hebraice, *strangulationem* [1]; chaldaice, *suffocationem.* Sensus idem est, nempe, Præopto mortem, quantumvis miserrimam, maximeque infamem, vitæ tot doloribus refertæ.

℣. 16. *Desperavi,* non de beatitudine æterna (de qua nullus hic sermo), sed de vita et salute corporis, seu sanitate naturaliter recuperabili.

Parce mihi, Deus, nec me tam diris cruciatibus torqueas, enixe rogo.

(1) Prolegom. de Idiotism. Hebr., n. 28.

Nihil enim sunt dies mei — Hebraice, et græce, *vanitas sunt* dies vitæ meæ reliqui, id est paucissimi et brevissimi ex se sunt: quid ergo iis quasi accidendis, opus est tot tantisque cruciatibus et ærumnis?

℣. 17. *Quid est* homuncio, *quia magnificas eum,* seu tam magni eum facis, ut sicut antagonistam tibi opponas, cum quo quasi pari duello congrediaris, tela plagarum tuarum in pectus illius torquendo? *Ecce,* inquit Seneca [2], *par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

℣. 18. *Visitas eum diluculo* — Id est, initio demulces eum variis consolationibus et deliciis.

Et subito, subtractis iis omnibus, *probare,* id est exercere, *illum* et tentare incipis mille afflictionibus, ut dixi v. 1.

℣. 19. *Ut glutiam salivam meam* — quam præ nimio pectoris æstu, et faucium siccitate, nec attrahere, nec transmittere possum, immo vix respirare possum. Putant aliqui, Jobum etiam queri de *asthmate* et *angina.*

℣. 20. *Peccavi,* ut amici objiciunt, et libens agnosco. Sed, *o custos hominum,* qui singulari providentia invigilas non perdendis, sed custodiendis hominibus; *quid faciam tibi?* — id est, quo modo tibi satisfaciam juste ac plene pro admissis peccatis! Nam licet infinitas de me pœnas sumeres, tamen iis omnibus in

(2) Lib. de Provid.

21. Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris non subsistam.

rigore justitiæ tibi numquam fieret satis, nisi accedat infinita tua clementia, qua mihi (intuitu meritorum Messiæ) ignoscas. Hæc enim ut in omni merito, sic et in omni satisfactione interveniat necesse est.

Posuisti me contrarium tibi, seu antagonistam, ut dixi v. 17. Sed tantum abest, ego tibi resistendo sim aut ferendo ictus tuos, ut *mihimetipsi gravis sim*, id est; meipsum, measque ipse miserias, dolores et cruciatus ferre diutius non possim.

℣. 21. *Ecce nunc in pulvere dormiam*, id est, in terram revertar et resolvar, et *mane*, seu cito, deprehendar mortuus, et *non* amplius in vita *subsistens*.

CAPUT VIII.

Baldad Suhites Jobum quasi impietatis arguit, monetque ad Deum et ad pœnitentiam se convertat: sic omnia illi prospera fore: cum Deus bona bonis, mala malis rependat.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermones oris tui?

3. Numquid Deus supplantat judicium, aut Omnipotens subvertit quod justum est?

4. Etiam si filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suæ;

5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus:

6. Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ:

7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.

8. Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam:

9. (Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut [1] umbra dies nostri sunt super terram)

10. Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia.

11. Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?

12. Cum adhuc sit in flore, nec

℣. 2. *Spiritus multiplex* — Hebraice, *validus*; græce, *multiloquus:* quo tanto verborum et rationum apparatu jactas innocentiam tuam, et quasi accusas clementiam et justitiam divinam.

℣. 3. *Numquid Deus supplantat*, hebraice, *corrumpit, judicium* — An putas quod tui unius causa deflectet a justitia Deus, a qua nullius umquam causa deflexit?

℣. 4. *Dimisit* filios tuos *in manu*, id est, in potestate, *iniquitatis suæ* — ut nempe scelera eorum eos condigna pœna punirent, et merita morte afficerent. Hic Baldad mitius cum Jobo agere videtur, quam Eliphaz: iste enim peccatis ipsius Jobi; ille peccatis filiorum Jobi, adversa hæc omnia adscribit.

℣. 6. *Pacatum reddet* — Id est, omni prosperitate beabit: Hebræis enim *pax* omnem prosperitatem designat.

℣. 9. *Hesterni sumus* — Pro, nuper seu recens nati sumus. Unde multa *ignoramus*, id est, experti non sumus.

℣. 11. *Numquid virere*, seu crescere, *potest scirpus?* seu juncus; LXX *papyrus:* quæ planta est frequens in Ægypto, ut dixi Exodi 2, v. 5. Huic comparat *hypocritam*, id est, fictum cultorem Dei: insinuans, filios Jobi tales fuisse, ac proinde punitos merito fuisse.

(1) Infra 14, vers. 2; Psalm. 143, vers. 4.

carpatur manu, ante omnes herbas arescit:

13. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.

14. Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus.

15. Innitetur super domum suam, et non stabit: fulciet eam, et non consurget.

16. Humectus videtur antequam veniat sol, et in ortu suo germen ejus egredietur.

17. Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur.

18. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet: Non novi te.

19. Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii germinentur.

20. Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis:

21. Donec impleatur risu os tuum et labia tua jubilo.

22. Qui oderunt te, induentur confusione: et tabernaculum impiorum non subsistet.

℣. 14. *Non ei*, nempe Deo, *placebit vecordia sua* — pro ejus, hypocritæ, ut sequitur.

℣. 16. *Humectus* scirpus seu juncus, *videtur* initio, seu *in ortu suo;* hebraice, chaldaice, græce, *in horto suo*, bene virens et *germinans:* sed *super petras* radicatus, quia *radices* profundius jacere non potest, ideoque eas in superficie petræ *condensat;* hinc solis ardore statim exarescit, absorpto omni quo ante fovebatur humore: adeo ut *loco suo* prorsus excidat, possitque locus ei *dicere, Non novi te*, quia scilicet nullum tui superest vestigium. Sic impius hypocrita initio videtur florens et felix: at mox marcescit, et justo Dei judicio, *alii de terra germinantur*, et in locum ejus succedunt.

℣℣. 20, 21. *Deus non projiciet simplicem*, seu justum et rectum: *nec porriget manum malignis*, id est, non juvabit, non roborabit impios adversus justum: supple, sed roborabit et stabiliet justum (et consequenter te quoque, si justus et simplex fueris), adversus quosvis alios adversarios: ditabitque bonis omnis generis: *donec impleatur risu os tuum* — id est, ad plenum usque risum et gaudium. S. Gregorius, anagogice per *risum* intelligit jubilum proborum in die judicii: per *confusionem*, ignominiam improborum.

CAPUT IX.

Admittit Job, Deum per omnia justum esse, nec posse hominem convincere Deum injustitiæ; cum ipse, ut omnium Dominus possit de omnibus pro libito disponere. Contendit tamen, Deum nihilominus percutere et affligere non solos impios (ut volebant amici), sed et innocentes: innocentiam deinde suam demonstrat, simul et afflictiones exaggerat.

1. Et respondens Job, ait:

2. Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo.

3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.

4. Sapiens corde est, et fortis robore: quis restitit ei, et pacem habuit?

5. Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo.

6. Qui commovet terram de loco

℣. 5. *Et nescierunt hi quos subvertit* — Id est, non præsciverunt, non præsenserunt hunc montium casum accolæ, quos Deus terræmotu vel diluvio, ob peccata sua subito involvit.

℣. 6. *Commovet terram* — non totam,

suo, et columnæ ejus concutiuntur.

7. Qui præcipit soli, et non oritur: et stellas claudit quasi sub signaculo.

8. Qui extendit cælos solus, et graditur super fluctus maris.

9. Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora austri.

10. Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.

11. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.

12. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis?

sed partes aliquas, v. g. urbes, montes, insulas aliquas terræmotu concutiendo.

Et columnæ ejus, seu fundamenta, id est, ima terræ, simili motu, *concutiuntur* — nempe extraordinario, et cum placuerit Deo. Nam quod de naturali et continuo motu globi terrarum, docuere Pythagorici [1], Copernicus, et quidam alii, meras nugas esse docet Clavius [2] noster, et Scripturæ [3] convincunt. Semel terram totam conquassatam, et e centro divulsam fuisse, nempe in passione Christi, docet hic Didymus: et rursus in fine mundi sic concutiendam, non improbabile putat Cornelius a Lapide [4].

℣. 7. *Præcipit soli, et non oritur* — Allegorice idem Didymus, uti etiam Athanasius et Olympiodorus in Catena, hæc intelligunt de obscurato sole in passione Christi.

Stellas claudit sub signaculo — primum divinæ voluntatis et potentiæ suæ, dein etiam tempestatum et tenebrarum, quæ sunt externa signacula divinæ potentiæ. Solet enim in [5] Scripturis *cælum* comparari *libro*, cujus *characteres* sunt *stellæ*. *Signaculum* sunt *tenebræ*, quibus nobis hic *liber* clauditur. *Extenditur* vero, cum sudum lucet, et stellatum prodit.

℣. 8. *Graditur super fluctus maris* — Metaphorice, id est, imperat maris fluctibus: sicut eques equo imperat cui insidet. Simili phrasi dicitur Deus *ambulare* aut volare *super pennas ventorum*.

℣. 9. *Arcturum, Oriona et Hyadas* — Tres has constellationes sat cuivis conspicuas vide in Sphæra Clavii vel aliorum Astrologorum.

Per *interiora austri* intelligit absconditas et occultas *australis* seu antarctici poli constellationes; quæ solis antipodibus nostris patent. Porro per hæc quatuor constellationum genera synecdochice intelligit omnes cæli stellas: atque in omnibus miram Dei potentiam sapientiamque deprædicat: nec *stellis* vult tribui *tempestates* aut *fatum*, sed ad *Deum* auctorem stellarum omnia vult referri. S. Gregorius allegorice, per *cælum* Ecclesiam vult designari, Apostolos vero per *Arcturum*, seu *Booten*, qui circa *polum arcticum*, post caudam ursæ majoris semper immotus versatur: unde et nomen habet Arcturi, quasi ab ἄρκτος, id est ursa, et οὐρὰ, id est cauda. A Cicerone [6] vocatur Arctophylax, id est ursæ custos, et ut Plinius [7] loquitur, vim ordinaria majorem et quasi divinam habet in ciendis tempestatibus ac procellis, quod optime in Apostolos quadrat. Per *Oriona*, nimbosum, hiemale et horridum sidus (inter Hyadas et Syrium, seu canem majorem) juxta frontem tauri ex 38 stellis compositum, vult tyrannorum persecutiones, et ex his prognata Martyrum agmina denotari. Per *Eyadas* (seu *Plejadas*, ut habent LXX) septem stellas in capite tauri, indices pluviæ, nuntias veris (unde et *Vergiliæ* Latinis dicuntur) intelligi possunt *Doctores* Ecclesiæ, imbrem sacræ doctrinæ spargentes. Per *interiora austri*, occulti *angelorum ordines*, et secreti *patriæ cælestis sinus*.

℣. 11. *Si venerit ad me*, mihique benevolus adfuerit; *si abierit*, mihique malevolus defuerit: *non videbo, non intelligam* — id est, non certo sciam, non certo mihi innotescet.

℣. 12. *Si repente interroget* — nempe raptum hominem (ut in Hebræo est) ad judicium: interrogatumque et convictum judicet ac puniat.

(1) Teste Plutarcho in Numa, et de Placitis philosophor.
(2) In cap. 1 Sphæræ.
(3) Psalm. 92, vers. 1; Eccl. 1, vers. 4.
(4) In Isaiæ 24, vers. 18.
(5) Isaiæ 34, vers. 4, et Apoc. 6, vers. 14.
(6) Lib. 2 de Nat. deor.
(7) Lib. 18, cap. 28.

13. Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.

14. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo?

15. Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.

16. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.

17. In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

18. Non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudinibus.

19. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere.

20. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.

21. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ.

22. Unum est quod locutus sum, et innocentem et impium ipse consumit.

23. Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat.

24. Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit, quod si non ille est, quis ergo est?

25. Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, et non viderunt bonum.

26. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.

27. Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, et dolore torqueor.

℣. 13. *Sub quo curvantur qui portant orbem* — Id est, sub cujus immensa celsitudine humiliter se inclinant tum angeli, tum principes, seu boni, seu mali: nam hi sua sapientia, potentia et imperio, quasi manibus et humeris, orbem sustinent. Unde Hebraice, princeps vocatur *Adon* [1], id est basis: et græce *βασιλεύς*, quasi *βάσις λάων*, basis populorum.

℣. 16. *Non credo* — Hebraice, *non credam.* Id est, non ero certus me exauditum esse. Facit et hoc ad explicandam Dei infinitam et inaccessam majestatem.

℣. 17. *Turbine,* id est subita calamitate, *conteret me, etiam sine causa* — seu culpa (quod sciam) a me data.

℣. 20. *Si justificare me voluero* — Id est, si dicam, me nullum umquam facere peccatum, et me per omnia justum esse atque innocentem, mentiar profecto, *et os meum* hoc præsumptuose jactans, arguet me, et exosum ac *damnabilem* coram Deo faciet, q. d. Sunt occulta peccata, quæ pœnas semper merentur.

℣. 23. *Non de pœnis innocentum rideat* — Id est, tam lentis longisque pœnis hominem sibi amicum exagitet, perinde ac si illis oblectaretur et gauderet; ut pulchre docet Tertullianus [2] illum eximie gaudere patientia justorum, et ipsis tamquam pilis ludere, sed ipsorum lucro; non cessare quantumvis hic lusus ipsis molestus accidat.

℣. 24. *Terra data est* a Deo *in manus,* seu potestatem, *impii,* id est diaboli et ministrorum illius. Hic impius *vultum judicum* terræ *operit* — Id est, excæcat judices, ut perverso ordine bonos deprimant, malos attollant, q. d. Hæc una causa est afflictionis meæ et perturbationis bonorum. *Quod si* impius *ille non est* horum causa; dic *ergo quis* sit causa?

℣. 26. *Pertransierunt quasi naves poma portantes,* seu vehentes ad nundinas. Tales enim naves concitatissimæ sunt, tum ne poma putrescant: tum ne ab aliis mercatoribus præveniantur. Addunt LXX: *Quæ nullum sui vestigium relinquunt.* Tales enim sunt anni nostri.

℣. 27. *Cum dixero,* seu animo proposuero, vestris obsecutus consiliis: *Nequaquam ita loquar* amplius, id est, non plangam amare, non conquerar de miseria. Frustra id est. Nam quo magis comprimo intus *dolorem,* tanto magis *torqueor,* adeo ut et vultus meus notabiliter

(1) אדון.

(2) In Scorpiaco, cap. 7.

28. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

29. Si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi?

30. Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ;

31. Tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea.

32. Neque enim viro qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri.

33. Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.

34. Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat:

35. Loquar, et non timebo eum; neque enim possum metuens respondere.

immutetur. Atque ita quod verbis sileo, facie prodo: nec minuitur hac via, sed augetur dolor. Solatium enim est miseris posse fiere et plangere. Nam (ut medici et experientia docent) dum dolet homo, excitatur spiritus vehemens in præcordiis: qui si intus comprimatur, auget angustias et dolores.

℣. 29. *Si et sic impius sum.* Id est, si post tam serium totius vitæ conatum, post constantem timorem Dei, adhuc impius sum, et judicor, et ut talis punior (uti vos vultis), merito sane lamentari possum, quod tota vita *frustrà laborarim.* Neque tamen me jacto quasi prorsus innocentem coram Deo; quia quantumcumque me lateant meæ sordes, te tamen, o Deus, nulla ex parte latere possunt: inde *sordibus intinges me,* id est, intinctum ostendes, justo et incorrupto judicio tuo: adeo ut *et vestimenta mea abominentur me,* seu abominabilem ostendant [1]. Id est, etiam foris et palam aliis omnibus apparebam abominabiliter sordidus. Metaphora est a vestimentis desumpta, quæ corporis scabiem et saniem, cui tegendæ adhibentur, infectione sua produnt et palam faciunt.

℣. 33. *Ponere manum suam in ambobus* — Id est, instar judicis utrumque, nempe Deum et me, reprehendere, apprehendere, dijudicare, et coercere, q. d. Altior et potentior est Deus, quam ut vel a me, vel ab alio quopiam possit in litem aut judicium trahi: sed omnes ipsius tribunali et judicio subjacent, et ipsum tamquam supremum Dominum merito timent et pavent. Absque quo *pavore* esset, auderem ex testimonio conscientiæ pro mea innocentia aliquid Deo *respondere.*

(1) Proleg. de Idiot. Hebr., n. 58.

CAPUT X.

Leniendo nonnihil dolori vias omnes tentat Job: lamentatur, plangit, causas inquirit. Securus de sua innocentia, certus de divina justitia, se conjicit in sinum ejus misericordiæ: sed propter exuberantiam dolorum mallet se numquam natum fuisse. Vivum est exemplum luctæ carnis et spiritus: partis inferioris et superioris.

1. Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.

2. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica mihi cur me ita judices.

3. Numquid bonum tibi videtur,

℣. 1. *Dimittam adversum me eloquium* — Id est, loquar libere et conquerar contra meam miseriam, seu de mea miseria; spero id mihi fore aliquanto levamini.

℣. 2. *Cur me ita judices* — Metonymice pro *punias.*

℣. 3. *Numquid bonum tibi videtur si calumnieris me, et opprimas?* — id est, per calumniam opprimas, id est, injuste

si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves?

4. Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu videbis?

5. Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora,

6. Ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris?

7. Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

8. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente præcipitas me?

9. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.

10. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?

11. Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me:

12. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

13. Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.

14. Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?

15. Et si impius fuero, væ mihi est: et si justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria.

16. Et propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias.

17. Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me.

18. Quare de vulva eduxisti me?

mecum agas? q. d. Minime hoc tibi placet: alienum id a tua bonitate, sapientia et clementia. Unde mox vias omnes injustitiæ, quibus terreni judices corrumpi solent, a Deo amolitur. Optat ergo vel sibi insonti parci; vel certe significari, quam ob culpam, vel quo fine, quo fructu sic exerceatur.

℣. 4. *Num oculi carnei tibi sunt*, ut specie externa decipi possis, ut solent homines in judicio?

℣. 5. *Num sicut dies hominis*, qui successive per partes, et post longa demum tempora veritatem cognoscunt, et de statu causæ certiores fiunt?

℣. 7. *Cum sit nemo*, etc. id est cum scirem certissimo neminem manus ultrices tuas vel oculos tuos evadere posse; timore tui deterritus, *nihil impium egi*.

℣. 9. *Memento quod sicut lutum feceris me* — Id est, miserere fragilitatis et vilitatis meæ; sum enim quasi fictile vasculum tuum, brevi *in pulveres* redigendum.

℣. 10. *Sicut lac mulsisti me, et coagulasti* — nempe in utero matris meæ. Nam ut Plinius [1] et medici docent, semen mulieris est instar lactis album, liquidum et diffluens: sed accedente virili semine, calore illius quasi coagulatur, consolidatur, et concrescit ut fiat embryo.

(1) Lib. 7, cap. 15.

℣. 12. *Misericordiam tribuisti mihi*, id est misericorditer mecum egisti, mihique benefecisti, conservando me in vita, nutriendo, pie educando. Nam *visitatio tua*, id est, suavis, et blanda providentia, quam semper habuisti mei, conservavit mihi vitam.

℣. 14. *Si peccavi*, pro, si peccata pristina sunt causa hujus meæ afflictionis, *et ad horam pepercisti mihi*, id est, ad hoc usque tempus distulisti punire illa mea peccata; *cur* jam saltem, quando id tam obnixe precor, *non* mundas *me ab* illa *iniquitate*, ut sic tollas et causam plagarum, et simul ipsas plagas?

℣. 16. *Propter superbiam, quasi leænam capies me*, id est, videris me, sicut leænam insectari, et ut superbum, crudelem, rapacem exagitare. *Reversusque*, id est, iterum atque iterum, *mirabiliter me crucias* — plagam plagæ superinducendo. Simili hebraismo *verbum* pro *adverbio* ponitur Psalmo 84, v. 7: *Conversus*, id est iterum, *vivificabis nos*.

℣. 17. *Instauras testes tuos*, nempe flagella tua et *plagas*, ut vertit Pagninus: nam hæ testes videntur iræ divinæ. *Et pœnæ militant in me*. Hebraice, vice exercitus sunt adversum me, q. d. Ilias malorum et pœnarum in me incurrit, et aliæ aliis denso agmine succedunt, uti solent in conflictu milites integri succe-

qui utinam consumptus essem ne oculus me videret.

19. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

20. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum:

21. Antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine:

22. Terram miseriæ, et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

dere fessis. Quare et ego fessus enixe rogo, v. 20: *Dimitte me,* et aliquid indulge quietis ut respirem nonnihil.

℣. 21. *Non revertar* ad hanc vitam, sed *vadam ad terram tenebrosam* — secundum *corpus*, in sepulcrum: secundum *animam*, in limbum. Poetice describit regionem *mortis*, quæ vulgi opinione, tenebris, miseriis et horrore scatet, *neque ullus* ibi *ordo*, cum neque ex ætate, neque ex censu, neque ex pietate, neque ex scientia, neque ex eloquentia, neque ex ullo certo capite citemur.

CAPUT XI.

Sophar tertius amicorum multa recenset peccata, quorum reum facit Jobum, et causas esse dicit afflictionum illius: spondet tamen resipiscenti prospera omnia et secunda.

1. Respondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Numquid qui multa loquitur, non et audiet? aut vir verbosus justificabitur?

3. Tibi soli tacebunt homines? et cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis?

4. Dixisti enim: Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo.

5. Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi!

6. Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus, et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?

8. Excelsior cælo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?

9. Longior terra mensura ejus, et latior mari.

10. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?

11. Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat?

12. Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.

13. Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas.

14. Si iniquitatem, quæ est in

℣. 4. *Purus* a mendacio et peccato, id est verax, *est sermo meus*.

℣. 6. *Multiplex lex ejus*, id est multa exigens, multa præscribens, multis rationibus fulta, multum obligans: ac proinde multis quoque modis in eam peccatur. *Et multo minora exigaris*, id est, justo minus puniaris, *ab eo*.

℣. 13. *Tu autem firmasti*, seu obfirmasti, *cor tuum*, id est, obduratus manes in tua superbia, *et expandis* sic *manus ad* Deum — Quid mirum si ab eo non exaudiaris? Ubi contra, si humillime poeniteas,

manu tua abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia:

15. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis.

16. Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.

17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.

18. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies.

19. Requiesces, et [1] non erit qui te exterreat: et deprecabuntur faciem tuam plurimi.

20. [2] Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ.

℣. 17. *meridianus fulgor*, seu plena prosperitas, *consurget tibi ad vesperam*, elapso jam æstu calamitatum, *et orieris ut lucifer* — id est, illustrior et lætior ipso lucifero. Hæc enim stella utramque repræsentat fortunam; adversam, cum sequitur solem occidentem; prosperam, cum percurrit orientem.

℣. 18. *Et defossus*, id est, etiamsi defodiaris in terram, vel in lacum conjiciaris leonum, *securus dormies* — spe opis divinæ. S. Thomas, Dionysius, Lyranus et Titelmannus cum plerisque aliis, id exponunt de sepulcro et morte, q. d. Etsi jamjam moriendum tibi: vel, etsi mortuus; tutus eris.

℣. 19. *Deprecabuntur faciem tuam* — Id est, eris in maxima dignitate et auctoritate apud omnes.

℣. 20. *Spes* impiorum *abominatio animæ* — Id est, *anima* impiorum in fine *opem* suam quam habuit *abominabitur*, quando videbit, illam fuisse vanissimam et fallacissimam; prout graphice describitur Sapientiæ 5, v. 6.

(1) Lev. 26, vers. 6. (2) Lev. 26, vers. 16.

CAPUT XII.

Job ut amicorum retundat jactantiam, ostendit, jam pridem sibi perspecta ea omnia quæ de Deo proferebant. Sed vicissim divinam illis vindictam minatur, quod justo insultent, et simplicem rideant. Extollit deinde divinam potentiam, sapientiam et providentiam in universi gubernatione.

1. Respondens autem Job, dixit:

2. Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia?

3. [1] Et mihi est cor, sicut et vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat?

4. [2] Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum et exaudiet eum: deridetur enim justi simplicitas.

5. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.

6. Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.

7. Nimirum interroga jumenta, et docebunt te: et volatilia cæli, et indicabunt tibi.

8. Loquere terræ, et respondebit tibi: et narrabunt pisces maris.

℣. 5. *Lampas*, etc. Id est, vir justus miseriis oppressus revera est lucerna ardens et lucens, sed *contempta a divitibus* superbis: *parata* tamen *ad tempus statutum* — id est, ut statuto tempore judicii exaltetur, honoretur, et inter filios Dei æternum collocetur, Sapient. 5, v. 2. Quod S. Gregorius pulcre hic declarat.

℣. 7. *Jumenta docebunt te* — nempe Dei bonitatem, sapientiam, providentiam.

(1) Infra 20, vers. 2. (2) Prov. 14, vers. 2.

9. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?

10. In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis.

11. [1] Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem?

12. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.

13. Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium et intelligentiam.

14. [2] Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.

15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: et si emiserit eas, subvertent terram.

16. Apud ipsum est fortitudo et sapientia: [3] ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur.

17. Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem.

18. Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.

19. Ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat:

20. Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens:

21. Effundit despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, relevans.

22. Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.

23. Qui multiplicat gentes et perdit eas, et subversas in integrum restituit.

24. Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium:

25. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.

v. 11. *Auris verba dijudicat, et fauces saporem* — q. d. Ut externo sensu statim percipiuntur sensibilia: sic intellectu, si quis velit attendere, facile capiuntur intelligibilia, nempe Dei opera, et operum auctor Deus, maxime in adulta ætate, ut sequitur. Agebat enim jam tum Job annum vitæ 70, ut dixi in Chronico c. 16.

℣. 13. *Sapientia, fortitudo, consilium et intelligentia* — Quatuor sunt equi, qui currum triumphalem divinæ providentiæ trahunt: ante quem currum captivi in triumphum aguntur; et toti mundo spectandi ridendique proponuntur superbi *consiliarii*, injusti *judices*, impii *reges*, inglorii *sacerdotes*, de quibus in versibus sequentibus. Unde S. Jo. Chrysost., Ambros., Augustinus.

℣. 17. *Consiliarios*, seu viros prudentes, *adducit in stultum finem*, ut consilia dent vel fatua, vel quorum exitum reperire non possit: *et judices in stuporem* — id est, stupidos facit, et aliis stupori ut sint ob infelicem eorum sortem, quam subeunt. Exemplo sit Achitophel 2 Regum 15, vers. 31, et alii de quibus Isaias cap. 19, v. 11: *Stulti consiliarii Pharaonis.*

℣. 18. *Balteum regum dissolvit*, id est, gloriosam potestatem qua alios vinciebant et premebant, aufert Deus a regibus: *et præcingit fune renes eorum* — id est, facit ut loco baltei funibus in carcere vinciantur, vel in triumphum, vel ad mortem trahantur. Et his talibus *balteus* vere est *bullateus:* nam a bullis affixis *balteum* nomen traxisse, docent Varro et Pierius [4].

℣. 20. *Commutans labium veracium* — puta Prophetarum et doctorum: non quod Deus iis suggerat aut inspiret falsitatem, ut Beza, et alii Calvinistæ blasphemant: sed quia permittit, cum impedire posset: deserit, cum juvare posset, occasiones erroris objici sinit, etc. ut dixi sæpe alibi. Simili modo dicit vers. 24, Deum *decipere principes.*

℣. 21. *Effundit despectionem super principes* — id est, reddit maxime despectos et contemptibiles.

℣. 22. *Umbram mortis* — Id est, densissimas tenebras commutat *in lucem* splendidissimam.

℣. 24. *Ut frustra*, nullo suo bono, sed maximo malo, *incedant per invium* — id est per loca ignota, periculosa, exitialia. Sicut deceptus fuit *Pharao*, ut intraret *mare rubrum*, Exodi 14. V. Is. 29, v. 9.

(1) Inf. 34, v. 3. (2) Isa. 22, v. 22; Apoc. 3, v. 7. (3) " Vers. 16. *Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur.* Spectant hæc, Sherlockio judice t. 2 *Usus et finium prophetiæ*, diss. 2, pag. 125, ad primos homines, eorumque deceptorem diabolum. „ (4) In hieroglyph. Bullæ.

CAPUT XIII.

Ejusdem argumenti est cum cap. præcedenti: nisi quod hic fortius urgeat Job suam innocentiam: rogetque Deum, dignetur sibi aperire propter quæ peccata, vel alias causas tam graviter affligatur.

1. Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula.

2. Secundum scientiam vestram et ego novi: nec inferior vestri sum.

3. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio:

4. Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.

5. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes!

6. Audite ergo correptionem meam, et judicium labiorum meorum attendite.

7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?

8. Numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini?

9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo vestris fraudulentiis?

10. Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.

11. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos.

12. Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ.

13. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit.

14. Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis?

15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam.

16. Et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

℣. 3. *Disputare,* seu rationibus agere, *cupio,* non vobiscum qui in multis fallimini, sed *cum Deo* — qui infallibilis est veritatis.

℣. 7. *Dolos* — Id est, falsas calumnias, quibus fingitis, Deum me pro solis peccatis meis tam acerbe affligere, q. d. Putatis Dei bonitatem et justitiam non aliter a vobis defendi posse, quam si me innocentem calumniemini?

℣. 8. *Faciem ejus accipitis* — non causam, sed personam respicientes, ut solent iniqui judices, qui contra innocentem pronuntiant pro eo qui et quia potentior et honoratior est. Ita sane facitis, sed

℣. 10. *in abscondito,* id est, tecte, latenter, fraudulente: nam ut videamini favere Deo (quem timetis et suspicitis propter infinitam potentiam), causam et judicium meum subvertitis. Cujus rei non alium volo testem, quam ipsum Deum: qui suo tempore *vos arguet* et puniet.

℣. 14. *Quare lacero carnes meas?* Id est, quænam est causa, quod ita ululem et plangam, et mortem optando rogandoque, videar vobis instar furibundi, dentibus meipsum discerpere velle. Est ergo metalepsis.

Et animam, seu vitam, *meam porto in manibus meis,* quasi illius prodigus et pertæsus, illam cuivis rapiendam exponam, q. d. Causa cur hæc faciam, non est *impatientia* vel *desperatio,* ut vos putatis. Nam, ut sequitur, *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo,* id est, etiam in media morte spem certam fovebo, et cum Abrahamo, contra spem naturæ, in spem gratiæ credam. Hac *tamen* spe non obstante, *vias meas in conspectu ejus arguam,* id est, Deo qui falli non potest, probare conabor, vitam meam honestam et probam fuisse. Patet ex versu 16 sequenti.

17. Audite sermonem meum, et ænigmata percipite auribus vestris.

18. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.

19. Quis est qui judicetur mecum? veniat: quare tacens consumor?

20. Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar.

21. Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.

22. Voca me, et ego respondebo tibi: aut certe loquar, et tu responde mihi.

23. Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi.

24. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum?

25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris:

26. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

27. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti:

28. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

℣. 17. *Ænigmata mea* — Hebraice, elocutiones, propositiones meas, quæ vobis videntur obscuræ quasi ænigmata.

℣. 19. *Qui judicetur mecum* — Id est, qui sententiam æqui judicis una mecum subeat. Hebraice, qui litiget mecum, coram judice.

Quare tacens consumor? — Id est, cur instar rei et probati nocentis sileam, et sic moriar? et non potius innocentiam meam quibus potero viis aperiam et defendam?

℣. 23. *Quantas habeo iniquitates?* — Id est, quot, qualia, quam gravia admisi delicta?

℣. 24. *Cur faciem tuam abscondis?* — cur detrectas intueri me, et respondere mihi? Nam si nossem delicti mei gravitatem, subito etiam mihi innotesceret æquitas pœnæ pro illo mihi inflictæ. Sed jam ex silentio tuo videor merito colligere posse, vel nullum esse delictum meum; vel admodum leve, saltem impar tantis pœnis. Nihilominus *arbitraris me inimicum tuum* — id est, sic tractas et exagitas me, ac si essem juratus tibi hostis. Sed pugnas

℣. 25. *contra folium* — q. d. Indignum hoc tua majestate et potentia, ut manus conseras cum tam imbelli antagonista, folio et stipulæ potius comparando quam robori vel cedro.

℣. 26. *Scribis enim*, more forensi, hoc est, instar judicis, de scripto data sententia, pronuntias et decernis *amaritudines*, id est, amaras pœnas et mulctas. *Et consumere*, seu perdere, *me vis peccatis adolescentiæ meæ* — id est, ob peccata jam pridem commissa, sed longa pœnitentia, prolixisque operibus bonis plene, ut putabam, compensata.

℣. 27. *Posuisti in nervo*, id est, in compedibus in cippis, *pedem meum* — Nervus enim est lignum magnum quo pedes vinctorum stringuntur. Sic metaphorice vocat Job suas afflictiones et dolores, quibus secundum corpus et animam stringebatur.

Observasti — Hebraice, *custodisti*, seu quasi custode apposito exploras quidquid ago. Periphrasis est arctissimi carceris, et strictissimæ custodiæ.

Considerasti, hebraice, notasti, et circumscripsisti, *vestigia mea* — ne scilicet loco vel tantillum moveri possim.

CAPUT XIV.

Fragilitatem deprædicat humanam, simulque divinam erga miseros providentiam; maxime quod post hanc vitam ærumnosam concedat alteram felicem, adeoque et corporum quoque resurrectionem.

1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.

2. [1] Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.

3. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?

4. [2] Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?

5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

6. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus.

7. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant.

8. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius,

9. Ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est:

10. Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quæso est?

11. Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat:

12. Sic homo cum dormierit, non resurget; donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.

13. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus,

℣. 4. *Quis potest facere mundum de immundo,* supple *Adamo,* vel, ut Noster supplevit, *semine conceptum?* — Non quod semini insit aliqua qualitas quæ sua contagione animam inficiat, ut voluit Tertullianus, sed *causaliter* dicitur *immundum semen,* quia eo ipso quo causa est generationis hominis, facitque ut hic infans sit filius Adæ, censetur etiam causa immunditiæ originalis, quæ propria est filiis Adæ. Vide Scholasticos in 1. 2. LXX quos passim citat et sequitur Cyprianus, Leo [3], aliique plurimi Patres, legunt: *Quis mundus erit a sorde? Nullus, etsi unicus dies vita ejus in terra,* q. d. Miserere hominis tam miseri, ut peccati reus sit prius quam natus: unde nec a seipso, nec ab alia creatura, sed a te solo juvari, liberari et purgari potest.

℣. 6. *Recede paululum,* id est, intermitte nonnihil cruciare et torquere miserum: *donec veniat optata dies* mortis, et quæ consequitur *vitæ æternæ,* qua fesso et laboribus doloribusque fracto dabitur, et requies, et laborum merces, *ut mercenario:* ita Chaldæus et LXX.

℣. 8. *Emortuus truncus,* ut apparet exterius, quia foliis spoliatus et aridus; rursum *germinare* incipit.

℣. 9. *Ad odorem,* seu ad tactum et attractum aquæ. Est catachresis et enallage sensuum.

℣. 10. *Homo mortuus, ubi quæso est?* — q. d. Nusquam in mundo comparet, sed putrefactus in terra jacet.

℣. 12. *Non resurget* ad hanc mortalem vitam, *donec atteratur;* hebraice, prætereat vel pereat, *cælum,* nempe secundum qualitates suas. Id est, non ante extremum judicii diem.

℣. 13. *In inferno protegas et abscondas me.* Id est, in loco et statu mortuorum, nempe *in limbo,* fac degam liber et procul ab his miseriis, quas *furor tuus*

(1) Sup. 8, vers. 9; Psalm. 143, vers. 4.
(2) Psalm. 50, vers. 4.
(3) Cypr. 1 contr. Judæos; S. Leo serm. 1 de Nativ.

et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?

14. Putasne mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.

15. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

16. [1] Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

17. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.

18. Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo.

19. Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur: et hominem ergo similiter perdes.

20. Roborasti eum paululum ut in perpetuum transiret: immutabis faciem ejus, et emittes eum.

21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.

22. Attamen caro ejus dum vivet dolebit, et anima illius super semetipso lugebit.

jam *transiens* et sæviens in me immittit. Ibi *constituas mihi tempus*, nempe diem resurrectionis, *quo mei recorderis*, meque resuscites ad vitam meliorem: ita Gregorius, Chrysost., et alii in Catena.

℣. 14. *Putasne mortuus homo rursum vivat?* q. d. Supra naturam hoc est, et videtur incredibile. Tamen fide certo id credo: unde continuo *expecto mei immutationem* — puta per gloriam animæ et corporis.

℣. 15. *Vocabis me* divino imperio et nutu tuo, quum tibi placuerit: *et ego respondebo tibi*, non tam voce, quam reipsa tibi parendo, et ad jussum et imperium tuum statim resurgendo: non meis viribus aut meritis, sed tua potenti *dextera* et consueta misericordia, quam de more *porriges operi manuum tuarum* — id est creaturæ tuæ, illam ex mortuis erigendo et excitando.

℣. 17. *Signasti*, id est, obsignata et recondita habes in memoria tua, *quasi in sacculo*, peccata *mea*, *sed*, ut confido, jam *curasti* ea, remittendo et ignoscendo, propter pœnitentiam quam egi.

℣. 19. *Et hominem ergo perdes* — q. d. Si montes et lapides tam duri, tam solidi, tamen naturæ mutabilitate paullatim pereunt; quid mirum si fragilis homo cadat?

℣. 20. *Roborasti eum*, id est, hac lege vitam homini et robur das, *ut in perpetuum transeat*, id est, ut perpetuis alterationibus continuo immutetur ac tandem moriatur, et ex hac vita in aliam *emittatur*, quod facillimo negotio curas, nempe *immutando faciem ejus* — id est, inducendo vultui ejus, adeoque toti corpori, alium colorem, puta pallidum, cinericium et cadaverosum.

℣. 22. *Anima illius super semetipso lugebit* — Id est, ex omni eo, quod in se sentit, dolorem hauriet et mœrorem, quamdiu hæc misera vita durabit. Unde vitæ tam miseræ, tam molestæ, merito præeligo mortem quietam.

(1) Infra 31, vers. 4, et 34, vers. 21; Proverb. 5, vers. 21.

CAPUT XV.

Eliphaz arguit Jobum superbiæ, impatientiæ et blasphemiæ in Deum, in cujus oculis dicit neminem mundum aut innocentem inveniri. Describit deinde impiorum hypocritarum multiplicem nequitiam, terrorem, pœnam et maledictionem.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, et implebit ardore stomachum suum?

3. Arguis verbis eum qui non est

℣. 2. *Numquid sapiens*, qualis esse et videri vis, *respondebit quasi in ventum loquens?* — id est, pro seriis reddet vana et impertinentia responsa? idque

æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit.

4. Quantum in te est, evacuasti timorem, et tulisti preces coram Deo.

5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.

6. Condemnabit te os tuum, et non ego: et labia tua respondebunt tibi.

7. Numquid primus homo tu natus es, et ante colles formatus?

8. Numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia?

9. Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?

10. [1] Et senes et antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui.

11. Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.

12. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?

13. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones?

14. Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere?

15. [2] Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cæli non sunt mundi in conspectu ejus.

16. Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

17. Ostendam tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi.

18. Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos.

19. Quibus solis data est terra, et non transivit alienus per eos.

20. Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.

cum *ardore*, seu ira, *stomachi*, id est mentis et animi, *sui?* Sicut enim stomachus concoquit et digerit cibum, sic mens meditatur, ponderat et designat verba et discursus.

℣. 4. *Tulisti* de medio, vel sustulisti, *preces* — quia non vis Deo supplex fieri, sed audacter cum eo disceptas, quasi qui innocentes opprimat. Hinc tollis divinam justitiam, et consequenter *evacuas* ejus *timorem* et cultum.

℣. 11. *Grande* — Id est, difficile.

℣. 12. *Quid attonitos*, elatos, tumidos, *habes oculos*, ut solent attoniti?

℣. 15. *Inter sanctos ejus*, id est angelos, *nemo* est *immutabilis*, per se et ex natura sua. *Et cæli non sunt mundi* — quia polluti peccatis dæmonum, quos proinde velut sordidas fæces exspuerunt. Vel metonymice cum Chaldæo, *cæli* pro angelis cæli incolis, non sunt mundi comparatione divinæ munditiei. Quia, ut recte Dionysius, lux omnis et mundities creata, comparata increatæ, non videtur esse lux, sed solum umbra lucis. Et hoc sensu dicebat Christus, *Nemo bonus nisi unus Deus*, Marci 10, v. 18.

℣. 16. Sicut *aquam* copiosissime et avidissime sine sensu aut metu mali haurit sitiens et febri æstuans ægèr; sic *homo* peccator concupiscentiæ siti accensus, *bibit iniquitatem* largissimo haustu, maxima copia, nullo obstaculo, nullo sensu mali, nullo metu pœnæ, summa animi voluptate, inquit S. Gregorius.

℣. 18. *Non abscondunt patres suos* — Id est, citant auctores suæ assertionis et meæ, majores suos, q. d. Est traditio antiquorum patrum, quod dicturus sum v. 20 et sequentibus, nempe quod soli impii et tyranni affligantur a Deo. Videtur alludere ab Abrahamum, et Isaacum, et illis coævos patres.

℣. 19. *Quibus solis data est* a Deo *terra*, nempe certa promissione. *Et non transivit alienus per eos* — id est, nullus umquam hostis prævaluit eis, q. d. Tam sapienter et fortiter omnia administrarunt, ut nemo eis nocere potuerit: unde merito credere debemus illorum tam sapientum monitis et instructionibus.

℣. 20. *Superbit:* LXX *est in curis*, hebraice *parturit*, seu instar parturientis est in magnis angustiis; vel ob hoc solum, quod tempus *tyrannidis ejus* sit *incertum*, timeatque omni momento præcisum iri.

(1) Eccli. 18, vers. 8.

(2) Sup. 4, vers. 18.

21. Sonitus terroris semper in auribus illius: et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.

22. Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.

23. Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.

24. Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.

25. Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est.

26. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est.

27. Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet.

28. Habitavit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.

29. Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.

30. Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, et auferetur spiritus oris sui.

31. Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.

32. Antequam dies ejus impleantur, peribit: et manus ejus arescent.

33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum.

34. Congregatio enim hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.

35. [1] Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos.

℣. 21. *Sonitus terroris,* strepitus vel levissimus folii vento concussi terret miserum. Quod si de facto subinde in *tenebras* seu calamitates incidat, tam vili et abjecto est animo, ut mox desperet,

℣. 22. *non credens quod reverti possit ad lucem* seu felicem statum: *circumspectans undique gladium,* quasi e seta equina supra caput pendulum, ut ajebat Siculus tyrannus Dionysius.

℣. 23. *Cum se moverit ad quærendum panem,* id est, cum omnibus ingenii et industriæ viribus corraserit undique sibi suæque familiæ necessaria, et spoliis etiam vi extortis abundet; *novit* tamen, et certo sibi persuadet, *quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies* — id est, quod proxime sibi instet dies exitii.

℣. 26. *Pingui cervice* — Id est, arrogantia et obstinatione in malo. Hæc enim sola duo pariunt divitiæ tyrannis cum pinguedine et gula: et his solis armis utitur tyrannus adversus Deum.

℣. 30. *Non recedet de tenebris,* id est, non evadet miserias. Quin et *ramos,* id est proles ejus, *arefaciet flamma,* et absumet ignis tribulationis.

Et auferetur spiritus oris sui — Hebraice, ejus, puta flammæ, vel *Dei,* q. d. Levi flatu tribulationis, vel solo imperio Dei tolletur de medio.

℣. 34. *Congregatio enim hypocritæ sterilis* est. Id est, quidquid congregat impius, proles, opes, potentia, dignitates, evanida ipsi sunt omnia, nec duratura. Porro insinuat Eliphaz hæc ipsa omnia in Jobum quoque quadrare, qui cum impius sit (ut colligit ex pœnis quibus a Deo punitur) velit tamen pius haberi et justus.

℣. 35. *Uterus ejus* — Id est animus, seu mens parturiens semper impias inventiones.

(1) Psalm. 7, vers. 15; Isa. 59, vers. 4.

CAPUT XVI.

Job amicis reponit, si suo loco essent, secus locuturos.
Explicat sigillatim morbos et miserias, quas patitur citra meritum suum.

1. Respondens autem Job, dixit:
2. Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.
3. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris?
4. Poteram et ego similia vestri loqui: atque utinam esset anima vestra pro anima mea:
5. Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos:
6. Roborarem vos ore meo: et moverem labia mea, quasi parcens vobis.
7. Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: et si tacuero, non recedet a me.
8. Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei.
9. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.
10. Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.
11. Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.
12. Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.
13. Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum.
14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea.
15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.
16. Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.
17. Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

℣. 3. *Num aliquid tibi molestum est si loquaris?* q. d. Nulla molestia, nullo labore effutis temere quidquid in buccam venit.

℣. 4. *Utinam esset anima vestra pro anima mea* — seu, utinam vos essetis meo loco! Non quod optem id vobis: sed, si ita contingeret,

℣. 5. *moverem caput meum super vos* — LXX cum planctu: nempe ex compassione. Nisi malis per mimesin hæc dici, q. d. Simili modo quo vos nunc me, ego tunc vos irridere possem, præ me ferendo verbis compassionem, sed revera subsannando: ita Chrysostomus.

℣. 6. *Quasi parcens vobis* — Id est, quasi levans et minuens vestrum dolorem.

℣. 8. *Omnes artus mei,* hebraice, *omnis congregatio mea,* quod quidam de *familia* exponunt: sed Noster de *membrorum collectione* accepit: *in nihilum redacti sunt* — Hyperbole, pro, viribus destituti sunt, ulceribus et doloribus exesi sunt.

℣. 9. *Et suscitatur falsiloquus* — q. d. Et cum his omnibus malis, etiam amici falso me accusant. Allegorice, quadrant hæc omnia in Christum patientem, cujus figura erat Job.

℣. 13. *Tenuit* Deus *cervicem meam,* sicut tenet miles cervicem gallinæ, et intorquens illam *confregit* ac discerpsit *me. Posuit me sibi quasi in signum,* seu scopum, in quem omnia sua tela conjiciat. Simile habes Threnorum 3, v. 12; ita S. Augustinus et Gregorius.

℣. 14. *Effudit viscera mea* — Hyperbolice designat dysenteriam.

18. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.

19. Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

20. Ecce enim in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis.

21. Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus.

22. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo!

23. Ecce enim breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar, ambulo.

℣. 19. *Terra ne operias sanguinem meum* — Id est, ne occultes afflictionem et miseriam meam, qua consumitur sanguis meus et vita mea; q. d. Velim cælo et toti mundo notam esse calamitatem meam et causam meam: ut sic constet de mea innocentia: ita Chrysost., Polychronius, Olympiodorus, qui etiam hoc referunt ad appetitum justæ de hostibus vindictæ. S. Gregorius refert allegorice ad sanguinem Christi, *melius clamantem* quam *Abel* [1], nempe misericordiam, non vindictam.

(1) Gen. 4, vers. 10.

℣. 21. *Ad Deum stillat oculus meus* — Id est, cum lacrymis clamo.

℣. 22. *Utinam judicaretur!* seu utinam posset judicio contendere, seu pari jure litigare! q. d. Possem facile meam causam probare et justificare.

℣. 23. *Ecce enim breves anni* mei jam *transeunt* et finientur. Id est, instat mihi mors. Unde opto, ad mei memoriam, et exemplum aliorum, publicam meæ innocentiæ probationem et sententiam, quæ etiam mihi in divino tribunali, cui jam sistar, usui esse possit.

CAPUT XVII.

Ex ærumnarum magnitudine et multitudine certam sibi mortem imminere præsagit: unde amicos increpat, qui bona præsentis vitæ pro præmio toties pœnitenti inculcarent. Mavult enim quietem vitæ futuræ.

1. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum.

2. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.

3. Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.

4. Cor eorum longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur.

5. Prædam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus deficient.

6. Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis.

7. Caligavit ab indignatione oculi

℣. 1. *Spiritus meus* vitalis paullatim *attenuatur* et minuitur, et sensim ad mortem tendo.

℣. 3. *Pone me juxta te* — Hebraice, *pone fidejussionem meam tecum*, id est, fide jube, seu promitte, quod apud te, et non apud homines causa mea agetur: et tuo, non humano, judicio causa definietur. Tum neminem timebo.

℣. 4. *Cor eorum*, nempe impiorum quorumcumque, contra quos pugnare paratum me dixi, *longe fecisti a* vera *disciplina*, seu scientia: id est, relinquis eos in illa sua cæcitate, qua putant neminem a te affligi, nisi qui te graviter offenderit.

℣. 5. Qui *prædam pollicetur sociis* (sicut vos mei amici fecistis, qui non tam ad solandum me: quam ad reliquias spoliorum meorum advolasse videmini), *oculi filiorum ejus deficient* miseriis et morte.

℣. 6. *Exemplum sum* — Hebraice *Topheth* [1], quod Chaldæus et Pagninus ver-

(1) תופת.

lus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.

8. Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur.

9. Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.

10. Igitur omnes vos convertimini, et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem.

11. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.

12. Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem.

13. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum.

14. Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus.

15. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat?

16. In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi?

tit, *vallem Ennon*, seu *gehennam*, de qua dixi 4 Regum 23, v. 10. Græce est γέλως, id est *risus*, seu ludibrium, q. d. Factus sum fabula vulgi, et abominatio amicis meis, sicut ipsa gehenna.

℣. 8. *Super hoc* quod mihi innocenti et justo tantæ obvenerint miseriæ, et tamen me tam fortiter ac constanter gesserim adversus omnes impiorum et dæmonum insultus: *stupebunt justi*, seu mirabuntur pii posteri, *et innocens contra hypocritam suscitabitur* — Id est, erigentur pii ut simili modo sese impiis opponant.

Nota, *impios* hic passim vocari *hypocritas*, quia ut plurimum tales sunt: nam licet mali sint, volunt tamen et student videri boni.

℣. 9. *Mundis manibus*, seu piis manuum operibus, *addet fortitudinem* — q. d. De virtute in virtutem fortiter procedet: et quanto ab hypocritis magis ridebitur aut tentabitur, tanto ad bene agendum magis invalescet. *Gaudet* enim *patientia duris:* iisque ut cote acuitur, teste Apostolo Rom. 5, v. 3.

℣. 10. *Convertimini* — nempe huc ad me, et ad verba mea.

℣℣. 11, 12. *Cogitationes meæ* sollicitæ et anxiæ, *noctem* mihi *verterunt in diem*, id est, faciunt me noctu æque ac die vigilare: adeo ut nox mihi sit instar stre-

pitosi diei, nec vel tantillum quietis concedat. Unde *rursum spero*, et avide exopto *post tenebras lucem*, ut pulsa nocte redeat aurora levamini mihi futura, q. d. Nulla umquam mihi quies, nec die, nec nocte.

℣. 13. *Si sustinuero*, seu patienter toleravero, ut vos monetis, et ego facio: non tamen restituar pristinæ vitæ et bonis prioribus, ut pollicemini: sed quidquid egero, *infernus domus mea est*, brevi moriendum mihi erit, et corpore ad sepulcrum, anima ad limbum necessario demigrandum: ubi *in tenebris* quasi in lectulo quiescam, usque ad adventum Messiæ.

℣. 14. *Putredini dixi*, etc. — q. d. Pro parentibus et cognatis qui me deserunt, alii me propinqui excipient, putredo et vermes, cum iisque arctissima societate jungar.

℣. 15. *Ubi est ergo nunc præstolatio mea*, seu pristina felicitas quam jubetis me præstolari? *Et patientiam meam*, quam adeo mihi commendatis, *quis considerat?* nempe ut ejus merito me reducat ad pristinam fortunam.

℣. 16. *Putasne* in inferno *erit requies mihi* — q. d. Non. Nam et cadaver putrescet, et ossa dispergentur: anima vero diu cum tædio et gemitu in tenebris cogetur adventum Messiæ expectare.

CAPUT XVIII.

Etiam Baldad pergit arguere Jobum impatientiæ et jactantiæ: describit impiorum pedicas et pœnas, ut inde probet, Jobum non nisi ob sua scelera puniri a Deo.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:
2. Usque ad quem finem verba jactabitis? intelligite prius, et sic loquamur.
3. Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram vobis?
4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo?
5. Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?
6. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna, quæ super eum est, extinguetur.
7. Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum.
8. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.
9. Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis.
10. Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.
11. Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus.
12. Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius.
13. Devoret pulcritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.
14. Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum, quasi rex, interitus.
15. Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est, aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.

℣. 4. *Num propter te derelinquetur terra;* q. d. An idcirco tanto *furore* seu impatientia quereris coram Deo et toto mundo, quod putes te unum omnibus eminere? et te cadente, *lucem*, gloriam, decus universæ *terræ* simul tecum occasura! ut merito Deus, ad hoc præcavendum, ne tu cadas, potius *rupes loco suo* movere, leges impiorum vindices refigere, totumque universi cursum invertere debeat: ita Olympiodorus.

℣. 7. *Arctabuntur gressus virtutis*, seu potentiæ impii. Id est, ita angustiabitur, ut non possit exequi quæ velit.

℣. 8. *In maculis*, hebraice, in implexo reti, *ambulat* — Nam retis oculi seu cancelli *maculæ* vocantur latine, hispanice, *malla;* gallice, *mailles*, q. d. Sicut avis capta reti, ex uno filo ejus, vel ocello, dum egredi conatur, in alium graditur, et magis sese implicat: ita impius captus reti concupiscentiæ suæ, ex uno vitio in aliud, ex una macula in aliam transit, magis magisque sese intricando.

℣. 9. *Sitis* — Pro flamma concupiscentiæ: cui quo magis indulgetur, eo magis exardescit.

℣. 13. *Primogenita mors* vocatur, quia inter omnia mala principatum tenet quasi jure primogenituræ. Nam prima per peccatum Adæ invecta est in mundum, adeoque quasi primogenita peccati filia et princeps, in regno peccati successit patri, et pro eo dominatur: et omnia alia mala ipsi tamquam dominæ et principi famulantur, et viam sternuut. Simili modo vox *primogeniti* usurpatur Psalm. 88, vers. 28, et Noster hic vers. seq. sese explicans, *interitum* seu mortem, *regem* vocat.

℣. 15. *Socii*, seu sodales hominis impii, *qui* jam amplius *non est*, id est qui defunctus et mala morte extinctus est, *habitent in tabernaculo illius*, id est occupent et rapiant omnia bona defuncti, exclusis filiis alioquin heredibus. *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur* — Id est, conflagret sulphure et igne domus impii jam ab extraneis spoliata.

16. Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.

17. [1] Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis.

18. Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet eum.

19. Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.

20. In die ejus stupebunt novissimi, et primos invadet horror.

21. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum.

℣. 16. *Radices ejus siccentur:* id est, filii, familia, et stirps omnis a teneris unguiculis contabescat et extinguatur, ne scilicet alia inde excrescere possit. *Messis* vero *ejus*, id est, quidquid jam adultum est, *atteratur* et præcidatur.

℣. 20. *In die*, seu super diem, excidii *ejus, stupebunt novissimi*, id est infimi; vel posteri etiam post multa secula, *et primos*, seu primates, quoque *invadet horror*— q. d. Omnes, novissimi et primi, a minimo usque ad maximum, horrebunt super plagis et horribili clade impii; id S. Gregorius allegorice applicat excidio Antichristi.

(1) Prov. 2, vers. 22.

CAPUT XIX.

Job crudelitatis arguit amicos: fortiterque contendit, se non propter sua scelera flagellari a Deo, sed propter alias justas causas. Unde solius, sed certæ, resurrectionis spe se solatur.

1. Respondens autem Job, dixit:

2. Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus?

3. En, decies confunditis me, et non erubescitis opprimentes me.

4. Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.

5. At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis.

6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit.

7. Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet: vociferabor, et non est qui judicet.

8. Semitam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit.

9. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo.

℣. 3. *Decies*, id est [1] sæpius, *confunditis me* — seu confundere conamini.

℣. 4. *Etsi ignoravi* (ut vos contenditis) multa eorum quæ jam effutitis, *mecum erit ignorantia mea* — q. d. Mihi id uni nocebit, non vobis.

℣. 5. *At vos arguitis me opprobriis meis* — Hebraice *exprobratis mihi opprobrium meum*, seu afflictionem et miseriam meam, quæ me faciunt opprobrio esse aliis, q. d. Ex eo solo quod affligar a Deo, arguitis me impium esse. Quod est petere principium, et velle gratis concedi quod ab aliis negatur. Nam, ut ego contendo,

℣. 6. *Deus non æquo judicio afflixit me* — Id est, non pro mensura peccatorum meorum immisit mihi pœnas, ut vos contenditis: neque hoc spectavit, ut puniret de condigno peccata mea. Supple, sed longe alias causas habuit cur me ita torquendum putarit, æquissimas et justissimas, quas vos vel ignoratis, vel dissimulatis. Et ut alia nulla esset, illa sola, quod creator in creaturam suam plenum jus habet, illi ab omni injustitia excusando sufficeret.

℣. 8. *Semitam meam*, seu vitam, conversationem, actiones omnes meas, *circumsepsit* vallo miseriarum, quæ me undique premunt, in quibus quasi in *tenebris* volvor.

(1) Gen. 31, vers. 41.

10. Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.

11. Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum.

12. Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum.

13. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.

14. Dereliquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, obliti sunt mei.

15. Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16. Servum meum vocavi, et non respondit, ore proprio deprecabar illum.

17. Halitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei.

18. Stulti quoque despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.

19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei: et quem maxime diligebam, aversatus est me.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

21. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

22. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?

23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro

24. Stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?

℣. 12. *Latrones ejus* — Id est milites, qui olim *latrones*, quasi *laterones* vocabantur, ut dixi 2 Regum 4, v. 2. Metaphorice sermo est de agmine tribulationum et dolorum, de quibus cap. 1 et 2 supra.

℣. 17. *Halitum meum* propter nimium fœtorem *exhorruit uxor mea;* et si qua re indigebam, *orare* et supplex fieri debebam *filiis uteri mei;* LXX *filiis concubinarum mearum*, seu secundariarum uxorum. Nam filii primariæ uxoris omnes interempti jam erant, c. 1. Symmachus vertit, *filios puerorum meorum*, seu nepotes meos.

℣. 20. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes* — nempe absumptis genis et gingivis. *Marasmum* id morbi genus Græci vocant, cum toto corpore succo exhausto, ossa cuti præ siccitate adhærescunt.

℣. 22. *Quare carnibus meis saturamini?* — seu, videmini velle saturari? q. d. Ita me vexatis et convitiis proscinditis, ac si velletis carnibus meis pasci, et voluptatem haurire ex mea miseria et afflictione. Ubi pulcre comparantur obtrectatores vulturibus, utpote qui quasi vivis pascantur carnibus vitæ et famæ alienæ. In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *quare non saturamini carnibus meis?* Ac si dicat: Non vobis sufficit, omnia mihi subtracta esse subsidia, solatia, divina, humana: et me continuis doloribus ac miseriis prorsus exhaustum esse? necdum contenti, necdum saturi estis?

℣. 24. *Plumbi lamina* — Veteres solebant, ut ceratis, sic etiam plumbeis tabulis inscribere, et libros inde componere; quales in antiquis sepulcris juxta Neapolim repertos testatur Georgius Fabricius, et ex eo Franciscus Valesius [1].

Celte, instrumentum est scultorium, quod *cælum*, a cælando vocari solet: ita Hieron., Marius Victorius, Calepinus et Franciscus Lucas [2]. Chaldæus, vertit, *in æternum;* S. August. *in testimonium.* Nempe celte consignantur res quasi testimonio æterno. Optat ergo Job, æternam statui memoriam sui hujus agonis, afflictionis, constantiæ et spei, præsertim ejus quam de resurrectione mox subjungit. Et obtinuit profecto quod optavit: nam libro hoc sacro longe certius quam plumbi lamina, triumphus ejus consignatus est æternitati, inquit Chrysostomus et Olympiodorus.

(1) S. Philosophiæ, cap. 49.
(2) Hier. epist. 61 ad Pam., et in eam Victorius; Franc. Lucas not. 82 in Biblia.

25. Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum:

26. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.

27. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

28. Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, et radicem verbi inveniamus contra eum?

29. Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est: et scitote esse judicium.

℣. 25. *Redemptor meus,* Filius Dei, *vivit* ab omni æternitate, nempe vita divinitatis [1].

℣. 28. *Radicem verbi inveniamus* — id est, fundamentum, subjectum et occasionem insectandi eum verbis et rationibus, etiam falsis et calumniosis. Non quod amici sic loquerentur in actu signato, sed in exercito, nam de facto sic se gerebant, ac si verbis condixissent se ita facere decrevisse.

℣. 29. *Fugite ergo a facie gladii* — id est, iræ et vindictæ divinæ, q. d. Cessate insultare mihi, si non amore Dei aut mei, saltem terrore *judicii* et ultionis divinæ.

(1) *Et in novissimo die de terra surrecturus sum.* " Mercerus Grotius, atque anglus Patrik non ad resurrectionem hæc referunt, sed nixi hebræo textui, qui admodum obscurus est, aliter interpretantur. Sed vulgatæ favent LXX Interpretes, favet chaldæus interpres, favet Theodotio. Vide Drusii notas in Jobum, et Nobilium in Græca LXX editione; cum primis vero Sherlockium, tom. 2 *Usus et finium prophetiæ,* pag. 147. „

CAPUT XX.

Quia solent impii justo Dei judicio gravissime puniri, et fortunis omnibus everti, uti Jobo quoque jam contigerat; colligit Sophar, sed male, Jobum impium fuisse, et suis sceleribus eas sibi pœnas accersivisse.

1. Respondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.

3. Doctrinam, qua me arguis, audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

4. [1] Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram.

5. Quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.

6. Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit:

7. Quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est?

8. Velut somnium non avolans invenietur, transiet sicut visio nocturna.

9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.

10. Filii ejus atterentur egestate, et manus illius reddent ei dolorem suum.

11. Ossa ejus implebuntur vitiis

℣. 3. *Respondebit mihi* — seu in mei gratiam, et loco mei.

℣. 10. *Manus* impii *reddet in dolorem suum* — Id est, punietur impius ob mala opera sua, et vim aliis illatam.

℣. 11. *Ossa ejus* jam solidata et indurata *implebuntur vitiis adolescentiæ ejus.* Id est, vitiis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam, usque ad senium et usque ad mortem. *Et* sic *cum eo in pulvere dormient* — id est, cum eo quasi condientur in sepulcro: nam opera sequuntur morientes: ita S. Gregorius, Olympiodorus et alii.

(1) " Vers. 4. *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo,* etc. Hæc ad Adamum, ejusque lapsum spectare contendit Sherlockius, t. 2, p. 119 seqq. „

adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.

12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.

13. Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo.

14. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

15. Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.

16. Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ.

17. (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, et butyri).

18. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.

19. Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, et non ædificavit eam.

20. [1] Nec est satiatus venter ejus: et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.

21. Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus.

22. Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.

23. Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum.

24. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.

25. Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua: vadent et venient super eum horribiles.

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.

℣. 12. *Cum dulce fuerit in ore ejus malum* — q. d. Ratio obstinationis in malo est impiis, quia inescati dulcedine voluptatis et peccati, tenacissime illam in faucibus animæ suæ condunt et asservant: sicut qui dulciaria gustant, illa avide diuque lingua versant et faucibus retinent, ut diuturnior sit oblectatio. Unde Philoxenus Erixeus, teste Aristotele [2], collum gruis sibi optabat, quo diutius sapore cibi frueretur. Sed falluntur miseri: nam

℣. 14. *panis vertetur in fel*, q. d. Deliciæ peccati, quibus ut melleo et sapido pane fruebatur, vertentur illi in fel *aspidum*, seu venenum, puta in tormentum conscientiæ, in exitium corporis et animæ.

℣. 16. *Caput aspidum suget* — Id est, pessimum et exitiale venenum, quale habet aspis in capite, et vipera in lingua, sibi suget peccator ex peccato: ita sanctus Gregorius.

℣. 21. *Non remansit* — Id est, nihil pauperibus relictum fuit de cibariis impii: nam devorat ipse cum suis omnia, nec micas pauperibus donat, instar Evangelici Epulonis, Lucæ 16.

℣. 23. *Utinam impleatur*, supple cito, *venter ejus*, et aqualiculus pro voto sa-

(1) Eccle. 5, vers. 9.

ginetur! Nempe, ut tanto citius a Deo puniatur, e medio tollatur, et aliis nocere desinat, ut sequitur.

℣. 25. *Eductus*, scilicet gladius Dei; id est, simul ac strinxerit Deus vindicem gladium suum, *vadent* impii in interitum, et *venient super* eos *horribiles* — nempe pœnæ, dolores, pavores, ut habent LXX, vel dæmones, ut alii.

℣. 26. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus* — Hebraismus, pro, omnes tenebræ illum abscondere non poterunt.

Devorabit eum ignis qui non succenditur alimento terreno, vel flabello, ut noster ignis: sed semel *ab origine mundi* a Deo succensus, in semetipso cum suis fomentis inconsumptibilis æternum ardebit, Deo illum conservante ad æternam impiorum punitionem. Unde Chaldæus vertit, *ignis gehennæ*. Nec tamen solus impius devorabitur, sed et quicumque fuerit *relictus in tabernaculo suo*, puta uxor, filii, familia reliqua, ejus relicti heredes *affligentur* pari pœna. Significat, summam imminere vastitatem impio. Sicut alibi dicitur simili hebraismo, *Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt* [3].

(2) Lib. 3 Ethic., c. 11. (3) Deut. 30, vers. 36.

27. Revelabunt cæli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum.

28. Apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.

29. Hæc est pars hominis impii a Deo, et hereditas verborum ejus a Domino.

℣. 27. *Revelabunt cæli iniquitatem ejus,* quam conspexerunt, *et terra,* quæ monstrum hoc indignabunda tulit: *revelabunt* scelera ejus, nempe puniendo illa, *cælum* tempestatibus, *terra* infœcunditate. Unde Olympiodorus putat, Sopharem tacite exprobrare Jobo cælestem vindictam, qua greges ipsius igne cælesti, domus et liberi aereo flatu, oppressi fuerant, c. 1. De avibus ultoribus ibici, vide Plutarchum [1]. Allegorice potest etiam applicari extremo judicio, quando *terra* per horrendos hiatus et insolitos motus, et *cæli* per signa terrifica in *sole, luna* et aliis *stellis* quasi accusabunt impios, et a judice Christo vindictam de eis deposcent. Metonymice Chaldæus per cælos et terram, angelos cælicolas, et homines terrigenas intelligit.

℣. 28. *Germen ejus,* id est, fruges omnes impii et opes, *apertum erit* — id est, prædæ exponetur et a prædonibus auferetur.

℣. 29. *Hereditas verborum ejus* — id est, factorum malorum, vel etiam blasphemiarum ejus merces.

(1) De fera Numinis vindicta.

CAPUT XXI.

Errorem amicorum ut refellat Job, docet impios plerumque in hac vita prosperari, pios vero affligi. Unde colligit, non recte concludi, impium se esse quia a Deo affligitur.

1. Respondens autem Job, dixit:

2. Audite quæso sermones meos, et agite pœnitentiam.

3. Sustinete me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete.

4. Numquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari?

5. Attendite me, et obstupescite, et superponite digitum ori vestro:

6. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.

7. [1] Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?

8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.

9. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos.

10. Bos eorum concepit, et non abortivit: vacca peperit, et non est privata fœtu suo.

11. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus.

12. Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi.

13. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

14. Qui dixerunt Deo: Recede a

℣. 4. *Numquid contra hominem disputatio mea est?* — supple, nequaquam, sed contra Deum, q. d. Non est mihi quæstio de offensione vel inimicitia hominum, quam parvi penderem: sed de offensa Dei, quam si incurrissem, merito contristarer et angerer.

(1) Jerem. 12, vers. 1; Habac. 1, vv. 3, 13.

℣. 13. *In puncto ad inferna descendunt* — Id est, subito moriuntur, et sine longa infirmitate vel cruciatu transeunt ad locum mortuorum. Quale mortis genus optasse Julium Cæsarem, et impetrasse, testatur Svetonius [2]. Pertinet ergo etiam hoc, uti omnia præcedentia,

(2) In Julio Cæs.

nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.

15. [1] Quis est Omnipotens ut serviamus ei? et quid nobis prodest si oraverimus illum?

16. Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.

17. Quoties lucerna impiorum extinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui!

18. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit.

19. Deus servabit filiis illius dolorem patris, et cum reddiderit, tunc sciet.

20. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet.

21. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? et si numerus mensium ejus dimidietur?

22. Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos judicat?

23. Iste moritur robustus et sanus, dives et felix.

24. Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur:

25. Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus.

26. Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.

27. Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas.

28. Dicitis enim: Ubi est domus principis? et ubi tabernacula impiorum?

ad prosperitatem impiorum quam exoptant. Unde LXX vertunt, *in requie inferni dormierunt*. Et ita exponunt Hebræi, et recentiores interpretes omnes, et Græci in Catena: Beda tamen cum S. Gregorio id ad pœnam impiorum refert, quasi ex hac vita, quæ est instar puncti, in æterna inferorum supplicia detrudantur.

℣. 16. *Non sunt in manu*, seu potestate, impiorum *bona sua* — Id est, non possunt illa firmiter et diu retinere, utpote caduca et aliena. Unde S. Gregorius moraliter, *Boni sua bona habent in manu, et possident tamquam domini: sed impii et avari a bonis suis tenentur et possidentur tamquam mancipia.*

℣. 17. *Quoties*, seu quotiescumque, *lucerna*, id est prosperitas et gaudium, *impiorum extinguetur*, variante fortuna: *et superveniet eis inundatio* iræ divinæ, quæ instar torrentis exundabit in eos: *et dividet* cuique (ut fit accumbentibus in mensa) *dolores* et pœnas quas quisque meretur; tunc *erunt sicut paleæ*, etc. — Psal. 1 *sicut pulvis terræ*, id est, instar quisquiliarum abjicientur.

℣. 19. *Dolorem* et pœnas *patris servabit* quoque *Deus filiis illius*, ut, quemadmodum scelerum patris, sic et pœnarum participes et heredes fiant. *Et cum reddiderit*, ac de facto inflixerit pœnas filiis, *tunc sciet* et agnoscet justam vindicis Dei manum. Multo enim magis moventur parentes afflictionibus filiorum suorum, quam propriis.

℣. 20. *Videbunt interfectionem* — id est, excidium, interitum absolutum, plenum, atque adeo æternum post hanc vitam. Alioqui

℣. 21. *quid ad* impium *pertinet de domo sua post se?* — q. d. Parum curaret impius post mortem suam, quid obveniat familiæ suæ in terris, sive prosperum, sive adversum: parum item curaret quod vita seu sua, seu suorum, *dimidietur*, id est abbrevietur, si nullæ aliæ post hanc vitam superessent ipsi in inferno subeundæ pœnæ. Et hoc est primum argumentum, quo probat Job pœnas posthumas inferni. Secundum est seq.

℣. 22. Quia *Deus* justissimus judex sic voluit, sic statuit, sic decrevit. Idque jure merito. Et hoc est tertium argumentum, quia, ut

℣. 23. et sequentibus dicitur, id conveniens, immo necessarium est, ut impiis hoc in mundo ditibus, voluptuariis, honoratis: piis e contra pauperibus, afflictis, despectis, æqua et promerita sors ac præmia condigna aliquando reddantur, et saltem post mortem. Hoc enim exigit justitia et providentia divina.

℣. 28. *Dicitis: ubi est domus princi-*

(1) Malach. 3, vers. 14.

29. Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis.

30. Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur.

31. Quis arguet coram eo viam ejus? et quæ fecit quis reddet illi?

32. Ipse ad sepulcra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit.

33. Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet, et ante se innumerabiles.

34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

pis? — supplə, iniqui et impii Jobi, qui fuit princeps magnus inter omnes Orientales, q. d. Juste a Deo palatium ejus et omnis familia subversa est [1].

℣. 29. *Interrogate quemlibet de viatoribus* — seu de trivio, q. d. Vulgares et plebeji sciunt; nempe quod sequitur,

℣. 30. *Quia in diem perditionis* extremæ post hanc vitam, et æternæ, *servatur malus*, nec semper in hac præsenti vita punitur.

℣. 31. *Quis* enim in præsenti vita *arguet coram eo viam ejus?* q. d. Ne verbis quidem corripitur, ut plurimum, impius in hac vita: neque potest quis, vel audet, *illi reddere quæ fecit* mala, seu pro meritis punire.

℣. 32. *Ipse* secundum corpus pacifice *ducetur ad sepulcra*, seu sepelietur: secundum animam vero *in congerie mortuorum vigilabit* — id est, inter mortuos vivet in inferno: secundum famam quoque in mundo vivet, probatus vulgo et gloriosus.

℣. 33. *Dulcis* seu gratus admodum et amicus *fuit glareis*, id est arenis seu glebis, *Cocyti* — LXX *lapidibus torrentis;* Hebræus et Chaldæus, *glebis torrentis*. Ponitur enim hic species pro genere, *Cocytus* pro quovis *fluvio* vel *torrente*. Est vero *Cocytus* Arcadiæ fluvius, ex *Styge* promanans, quem esse inferorum fluvium Poetæ (ad quos hic Job alludit) ideo finxerunt, quod ad illam paludem solerent recondi in arenis, more tum recepto, cadavera defunctorum, ut mordacibus illius aquis cito exederentur. Glarea est terra prope fluvios arenosa et lapidosa, in qua cadavera recondebantur. Unde Stuniga teste, Arabes sepulcra vocare solent *glebas* vel *glareas torrentis*. Sensus ergo est, delationem cadaveris impii ad sepulcrum non tam tristem et amaram esse, quam lætam et dulcem, utpote festis epulis et ludis conditam: ut fere videatur deductio esse ad nuptialem thalamum: ac proinde non tanto sit impius horrori. Nam quod mors, horribilium omnium horribilissimum concomitetur et conjungatur, nil novi mali affert impiis; cum *post se omnem hominem trahat, et ante se innumerabiles*, id est, omnibus, sive bonis, sive malis, pari lege mors immineat, trahatque omnes subsequentes, sicut traxit omnes præcedentes. Cum ergo omnia in hac vita cedant impiis, non item piis, ex voto et animi sententia, certo inde colligitur. Primo, post hanc vitam utrisque reservari condignam retributionem. Secundo, non propter sola scelera homini adversa immitti a Deo in hac vita. Unde sequitur tertio, ex iis colligi non posse, Jobum impium et sceleratum esse, ut amici contendebant.

(1) Job 1, vers. 3.

CAPUT XXII.

Eliphaz ut Jobum convincat impietatis, enumerat sigillatim patrata ab ipso scelera: pœnitenti tamen prospera rursus omnia promittit.

1. Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?

3. Quid prodest Deo, si justus

fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?

4. Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium,

5. Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas?

6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus.

7. Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.

8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.

9. Viduas dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum comminuisti.

10. Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita.

11. Et putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri?

12. An non cogitas quod Deus excelsior cælo sit, et super stellarum verticem sublimetur?

13. Et dicis: Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat.

14. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat.

15. Numquid semitam seculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?

16. Qui sublati sunt ante tempus suum: et fluvius subvertit fundamentum eorum:

17. Qui dicebant Deo: Recede a nobis: et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum:

18. Cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me.

19. [1] Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens subsannabit eos.

20. Nonne succisa est erectio eorum, et reliquias eorum devoravit ignis?

21. Acquiesce igitur ei, et habeto pacem: et per hæc habebis fructus optimos.

22. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo.

23. Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.

24. Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos.

25. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi.

26. Tunc super Omnipotentem deliciis affluës, et elevabis ad Deum faciem tuam.

℣. 4. *Numquid timens* Deus, ne scilicet illi noceas, aut illum erroris vel injustitiæ convincas.

℣. 12. *Super stellarum verticem sublimetur* — Cum ergo visu nostro, quantumcumque perspicaci, non possimus assequi numerum, quantitatem, qualitates stellarum; quomodo assequemur potentiam, sapientiam aut excellentiam Dei, qui stellis longe sublimior est, et altissimorum altissimus, et prorsus inaccessus?

℣. 15. *Num semitam seculorum custodire cupis?* — Id est, an insistere vis opinioni impiorum atheorum, qui superioribus seculis ita impie senserunt de Deo?

℣. 16. Quos *fluvius subvertit* — Id est aquæ diluvii, ut Hebræi: vel metaphorice, impetus iræ et vindictæ divinæ.

℣. 20. *Succisa est* a radicibus *erectio*, seu superbia, *eorum: et reliquias devorabit ignis* — nempe Pentapoleos [2], inquiunt Rabbini. Vel metaphorice, ultio divina, ut S. Thom. exponit.

℣. 23. *Si* per seriam pœnitentiam *reversus fueris ad* Deum, *ædificaberis* — Id est, rursus instaurabitur pristina felicitas tua.

℣. 24. *Dabit pro terra silicem*, metaphorice, id est, pro infirmitate robur; Chaldæus, pro pulvere arcem munitam. *Et pro silice* dabit *torrentes aureos* — Hebraice, *Ophir*, q. d. Ea copia qua silices inveniuntur in torrentibus, dabit tibi aurum Ophir, seu præstantissimum, ut dixi 2 Paral. 8, v. 18. Qui vero

(1) Psalm. 106, vers. 42.
(2) Gen. 29, vers. 24.

27. Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes.

28. Decernes rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen.

29. [1] Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.

30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

℣. 29. *inclinaverit oculos*, id est, qui se humiliaverit, *ipse salvabitur* — ita Chaldæus et LXX. Id est, ab omnibus malis quibus affligebatur, eripietur. Hebraice est, *ipse innocens salvabit insulam*, vel provinciam, q. d. Tanti meriti est apud Deum innocens vita justorum, ut non se solos, sed et totam regionem salvent ac liberent. Sicut Joseph Ægyptum, Moyses, Josue, et tot pii judices totum populum Israeliticum. Et huc alludere videtur Ezechiel c. 14, v. 14.

(1) Prov. 29, vers. 23.

CAPUT XXIII.

Job contra humanum judicium, quo censebatur impius, optat divinum judicium, quo sperat se innocentem declaratum iri; neque conscientiam suam aliud sibi dictare.

1. Respondens autem Job, ait:

2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.

3. Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?

4. Ponam coram eo judicium: et os meum replebo increpationibus.

5. Ut sciam verba quæ mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi.

6. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.

7. Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum.

8. Si ad orientem iero, non apparet: si ad occidentem, non intelligam eum.

9. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.

10. Ipse vero scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit:

11. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.

12. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus.

℣. 2. *Manus plagæ meæ*, id est manus Dei, qua plagam hanc mihi inflixit, *aggravata est super gemitum meum* — id est gravior est quam gemitus meus præ se fert aut prodit.

℣. 3. *Quis mihi tribuat, ut inveniam illum*, nempe Deum? Condemnatus enim judicio hominum, provocat ad Dei judicium infallibile et incorruptum. Loquitur autem ἀνθρωποπαθῶς, seu more et conceptu humano, de Deo, quasi certo loco considente in *solio* ad jus dicendum.

℣. 4. *Ponam coram eo judicium*, id est causam apud illum dicam, et jus atque innocentiam meam tuebor, *et os meum replebo increpationibus* — Id est, libere eloquar amaras querelas, quas mihi justus dolor et bona conscientia in os dabunt, seu suggerent.

℣. 9. Per *sinistram*, septentrionem: per *dexteram*, meridiem intelligit, quasi dicat, Frustra provoco ad tribunal et judicium Dei, quia *lucem habitat inaccessibilem*, et a mortalibus adiri non potest, neque sententia ejus sensu humano percipitur.

13. Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus: et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.

14. Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei.

15. Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore solicitor.

16. Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.

17. Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

℣. 13. *Ipse enim solus est* — puta essentialiter et necessario, ut ipsemet dixit Exodi 3, vers. 14. Unde et solus est omniscius, et omnipotens, ut hic sequitur. Hebraice, *ipse est in uno*, id est, ipse in sua unitate constans persistit, in suo decreto et voluntate stabilis atque immutabilis perseverat, neque in ullius gratiam, vel ob ullius potentiam a vero vel justo deflectet.

℣. 16. *Mollivit cor meum* — nempe, malleo tribulationum nervos et vires animi mei ante robusti ac solidi, valde extenuavit: non tamen penitus elisit: ita Græci in Catena.

℣. 17. *Non enim perii* prorsus, nempe per blasphemiam vel desperationem. Licet enim gemam et querar *propter imminentes*, immo incumbentes mihi tribulationum *tenebras:* necdum tamen plena *caligo operuit faciem meam*, neque destitutus sum usu rationis, aut lumine seu naturali, seu supernaturali: sed ope et gratia Dei erectus maneo fide et spe et charitate constanti in Deum.

CAPUT XXIV.

Ostendit occultam prorsus esse rationem providentiæ divinæ, et gubernationis hujus mundi: quippe qui sæpe etiam ad sævissimam tyrannorum, latronum et adulterorum improbitatem diu admodum conniveat, nec nisi futuræ vitæ cruciatibus puniat.

1. Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.

2. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos.

3. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ.

4. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ.

5. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.

6. Agrum non suum demetunt: et vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.

℣. 1. *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora*, nec quæcumque aguntur in tempore. Id est, Deus omnia perspecta habet: sed homines, etiam *qui noverunt eum*, id est, etiam fideles et pii, *ignorant dies illius* — nempe æternitatem, inquit S. Gregorius. Vel melius, ignorant consilia et opera Dei, quæ per singulos dies exequitur, et rationes cur singula exequatur, vel ab aliis exequi permittat, v. g. cur permittat ut prædones et tyranni impune

℣. 2. *transferant terminos* agrorum suorum, et sic vicinis suis partem adimant. Item ut iidem prædones,

℣. 5. *quasi onagri*, seu asini sylvestres, qui liberi in deserto vagantur, excutiant jugum et imperium non modo principum et dominorum suorum, sed et rectæ rationis, et Dei. Quorum injusta violentia nudati viatores,

7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore:

8. Quos imbres montium rigant: et non habentes velamen, amplexantur lapides.

9. Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt.

10. Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas.

11. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

12. De civitatibus fecerunt viros gemere, et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur.

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.

14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem: per noctem vero erit quasi fur.

15. Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: et operiet vultum suum.

16. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem.

17. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: et sic in tenebris quasi in luce ambulant.

18. Levis est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.

19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius.

20. Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.

℣. 8. *amplexantur lapides* — Id est, applicant se saxis et rupibus, ut harum latebris tegantur ab imbribus.

℣. 10. Etiam pauperculis *esurientibus tulerunt*, pro abstulerunt, *spicas*, quæ solæ famelicis supererant. Et

℣. 11. *inter acervos* segetum, vel potius olivarum, vel uvarum, quos tota nocte et matutino tempore rustici pauperes, magno labore acervarant, et mulsum inde atque oleum expresserant, meridie raptores isti palam invadunt, et de alieno comessantes, *sitientes* et famelicos relinquunt misellos *qui torcularia calcarant*.

℣. 13. *Rebelles lumini* divino, et rectæ rationi: vel, ut Chaldæus, legi et inspirationi Dei.

℣. 14. *A primo mane* usque ad nuperam invigilat homicidiis, ut latrones solent: *per noctem vero erit quasi fur* — id est, in tenebris vacat furtis. Et hæc tanta latronum scelera intuens oculus divinus, dissimulat tamen. Ut et adulterorum, qui

℣. 16. *ignoraverunt lucem* — Id est, aversantur, fugiunt lucem et diem, ne sordes illorum prodant.

℣. 18. *Levis est super faciem aquæ* — Id est, facilis, dissolutus, profusus, diffluens in libidinem, sicut aqua defluit in terram: ita Græci in Catena. Sic Genes. 49, v. 4, Rubeno dicitur, *Effusus es sicut aqua*. S. Thomas hic et Symmachus legunt, *innatat aquæ:* et Mariana, *trajicit aquas* maris et fluminum, ut suis obsequatur libidinibus.

Maledicta sit pars ejus, seu ipse et opera ejus, non solum post mortem in inferno, sed et ante *in terra: nec ambulet per viam vinearum* — id est cultam, fertilem, et lætam, q. d. Non ditetur, sed spolietur omnibus opibus corporis et animæ. Moraliter, via vinearum, quia clivosa, amœna, plena fructibus, designat viam ad cælum: ita S. Gregorius, S. Thomas et alii.

℣. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium* — Id est, hieme nivibus, æstate caloribus omnia exurantur. Moraliter, ab una calamitate in aliam præcipitetur. Anagogice, reprobi in inferno nunc frigore nivali (unde alioqui stridor dentium, Matth. 25, vv. 30 et 41) nunc[1] æstu igneo cruciabuntur: ita iidem cum Ven. Beda, Lyrano et Titelmanno.

Et usque ad inferos peccatum illius — Id est, pœna peccatorum illius continuetur tota vita, usque dum descendat ad inferos, æternum ibi cruciandus gravioribus tormentis.

℣. 20. *Obliviscatur ejus misericordia.*

(1) Judith ult. vers. 21.

21. Pavit enim sterilem, quæ non parit, et viduæ bene non fecit.

22. Detraxit fortes in fortitudine sua: et cum steterit, non credet vitæ suæ.

23. [1] Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius.

24. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur.

25. Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea?

Poetica prosopopœja, q. d. Ne ipsa quidem misericordia, licet infinita, et natura sua misereri consueta, nempe Deus, moveatur compassione erga tam impium. Sed omnis *dulcedo illius*, id est deliciæ et solatia illius sint, *vermes* — intus conscientiam rodentes, foris cadaver absumentes.

℣. 21. *Pavit enim*, id est, depastus est, spoliavit, *sterilem*, satis alioqui per se malo sterilitatis afflictam.

℣. 22. *Cum steterit* in prospera fortuna, et scelerum effræni licentia, *non credet vitæ suæ* sat cautum esse, quia mala conscientia semper meticulosa, etiam omnia tuta timet, ut supra c. 15, v. 21. Quin et

℣. 23. *oculi* Dei *sunt in viis* impii. Id est, intuentur, judicant, et, ut suo tempore puniantur, acta illius annotant.

℣. 24. *Sicut summitate spicarum* — quæ scilicet primo tritura conteruntur, ut grana eliciantur; deinde granis vacuæ substernuntur pedibus jumentorum, et ungulis conculcantur.

℣. 25. *Quod si non est ita.* Hebraismus, pro, *id non ita esse*, vel, *non ita se habere, quis arguet, et ponet ante Deum?* — id est, accusabit coram judicio divino?

(1) Apoc. 2, vers. 21.

CAPUT XXV.

Baldad ex infinita Dei sublimitate, et creaturarum vilitate, probat, hominem Deo comparatum, non debere, non posse mundum censeri vel justum.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

3. Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?

4. Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?

5. Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:

6. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?

℣. 2. *Potestas et terror*, hendyadis [1], id est, terribilis potestas, quia infinita, *apud* Deum *est, qui facit concordiam*, hebraice *pacem, in sublimibus suis* — id est, in stellis et in angelis, licet illorum quasi infinitus sit *numerus*, q. d. Ibi nulla est dissensio aut contrarietas, per consequens, nec corruptio, qualis est in his inferioribus: ita S. Thomas hic.

℣. 3. *Et super quem* istorum sublimium militum et servorum Dei, *non surget lumen illius?* — quis illorum non illuminatur eximie a Deo? quis non singularibus beneficiis a Deo afficitur? Et tamen

℣. 5. *ecce luna etiam*, si Deo divinoque lumini comparetur, *non splendet*, immo nullum censetur lumen ejus. Nec *stellæ* reliquæ *mundæ sunt in conspectu* Dei, seu comparatione munditiei et nitoris divini, ut dixit c. 4, v. 18. Unde recte infert:

℣. 6. *Quanto magis* immundus coram illo censebitur *homo*, qui non est nisi *putredo et vermis?* — Id est, vilis, sordidus, infirmus et fragilis ut vermis, et vermium esca futurus: ita S. Augustinus [2].

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 41.
(2) Epist. 120.

CAPUT XXVI.

Respondet Job, non egere Deum vano, et imbecilli seu Baldadi, seu aliorum hominum auxilio, ut incomprehensibilis ejus majestas et potentia innotescat. Sat innotescere nobis per ejus effectus et opera vere stupenda.

1. Respondens autem Job, dixit:
2. Cujus adjutor es? numquid imbecillis? et sustentas brachium ejus, qui non est fortis?
3. Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, et prudentiam tuam ostendisti plurimam.
4. Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum?
5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis.
6. Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.
7. Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum.
8. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.
9. Qui tenet vultum solii sui, et expandit super illud nebulam suam.
10. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ.
11. Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.
12. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum.
13. Spiritus ejus ornavit cælos: et

℣. 3. *Cui dedisti consilium?* — Ironia est, q. d. Deum vis instruere, quomodo ipse pro se contra me causam agat?

℣. 5. *Ecce gigantes* tempore Noe, *gemunt sub aquis* diluvii, *et qui habitant cum eis* — id est, omnis *familia*, et, ut Chaldæus vertit, omnis *exercitus* illorum. Allegorice; dæmones in tartara deturbati, in centro terræ gemunt sub aquis, seu sub abysso aquæ quæ permeat viscera terræ: ita S. Gregorius, S. Thomas et Lyranus. Sic passim Scriptura [1] infernum vocat locum gigantum, immo et Gentiles, teste Macrobio [2].

℣. 6. *Nullum est operimentum perditioni* — Id est, perditio, seu mors et infernus, occultari Deo non potest.

℣. 7. *Qui extendit aquilonem*, ventum maxime procellosum: vel aquilonarem cæli partem: synecdoche, pro toto cælo: *super vacuum*, seu *super nihilum* — id est, super nullis columnis aut aliis fulcris. Quamquam ipsum spatium in quo cælum extensum est, vere etiam sit per se vacuum, et ex se nihil.

(1) Prov. 9, vers. 18, et cap. 21, vers. 16; Sap. 14, vers. 6; Isaiæ 26, vers. 14.
(2) Lib. 1 Saturn., cap. 20.

℣. 9. *Tenet vultum solii sui* — Id est, occultat quando vult faciem seu speciem cæli, hoc est, id quod sudo et sereno cælo nobis apparet. Dicitur vero cælum solium Dei, quia Deus in eo quasi in palatio et throno regali gloriam suam et seipsum ostendit: ita Olympiodorus.

℣. 10. *Usque dum finiantur lux et tenebræ*, seu vicissitudo diei et noctis, id est, usque ad finem mundi.

℣. 11. *Columnæ cæli*, id est, firmamenta et robora cælorum, *contremiscunt* tonitruis, fulguribus, et orbis concussione. Tum enim videntur quasi columnæ universi vacillare, et loco moveri. Allegorice S. Gregorius et S. Thomas id de angelis cælorum motoribus exponunt, ut hic locus respondeat alteri supra c. 9, v. 13. Sequitur:

℣. 12. *Percussit* Deus *superbum* — supple, elementum istud, nempe *mare*: cujus ferociam solo nutu suo repressit, et etiamnum littoribus quasi frænis coercet.

℣. 13. *Obstetricante*, id est, creante, *manu ejus*, *eductus est* e suo nihilo, seu productus est, *coluber tortuosus* — Id est *circulus* in cælo *lacteus*, ob varie

obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.

14. Ecce, hæc ex parte dicta sunt viarum ejus: et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

intortas stellas figuram habens colubri, inquit Vatablus; vel *Zodiacus*, ut Franc. Valesius; vel *sidus draconis*, juxta ursam majorem, ut Stuniga; vel *anguis* juxta Arcturum; vel *hydræ* juxta leonem, ut alii volunt. Sed simplicius exponendum videtur de quovis *colubro* naturali, maxime marino: unde Chaldæus vertit, *Leviathan*, seu balænam. Ex balænis enim non minus quam ex cælorum fabrica solet Dei potentiam Scriptura commendare. LXX vertunt, *præcepto ejus interfectus est draco apostata* [1], scilicet Lucifer cum suis interiit interitu seu damnatione æterna [2]. Et sic allegorice exponunt S. Gregorius, S. Thomas, Lyranus et alii. Moraliter idem dæmon Dei gratia educitur e mentibus pœnitentium.

℣. 14. *Stillam sermonis ejus* — Id est, minimum operum Dei. Est metaphora in voce *stilla:* metonymia in voce *sermonis*. Sic *tonitru* metaphorice designat *terrificam majestatem* Dei, quam nemo potest *intueri* oculis mentis, id est, intelligere.

(1) Gen. 1, vers. 1.

(2) Atque hanc LXX versionem probat, confirmatque Sherlockius tom. 2, p. 126 seq.

CAPUT XXVII.

Pergit Job fortiter inculcare suam vitæ totius innocentiam: et causas affert cur adeo studuerit illi fovendæ et conservandæ, et primo, quia impios nihil boni manet post hanc vitam.

1. Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit:

2. Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam:

3. Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis,

4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

5. Absit a me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

6. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

7. Sit ut impius, inimicus meus: et adversarius meus quasi iniquus.

8. Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus?

9. Numquid Deus audiet clamorem ejus cum venerit super eum angustia?

10. Aut poterit in Omnipotente

℣. 1. *Parabola* sermonem gravem et sententias eruditas significat. Unde et Salomonis sententiæ, parabolæ vocantur.

℣. 2. *Deus abstulit judicium meum* — puta ordinarium, seu ordinarie cum mortalibus usurpari solitum. Chaldæus, *abstulit regulam judicii mei;* qua scilicet non judicavit me juxta morem legum ordinariarum, quæ solos peccatores seu delinquentes affligunt.

℣. 5. *Absit, judicem vos esse justos,* seu æquos judices, in eo nempe, quod me damnatis iniquitatis.

℣. 7. *Sit ut impius, inimicus meus* — Id est, qui hac in parte mihi *adversatur*, habendus est impius et injustus; quia falso me accusat peccati, ex hoc solo quod me affligi videat.

℣. 8. *Quæ est enim spes hypocritæ?* LXX impii: q. d. Si impius et hypocrita fuissem, quomodo potuissem tam constanter in Deum sperare? quod tamen me perpetuo fecisse, vos ipsi testes estis.

delectari, et invocare Deum omni tempore?

11. Docebo vos per manum Dei, quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.

12. Ecce, vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini?

13. Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hereditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.

14. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane.

15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt.

16. Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta:

17. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis: et argentum innocens dividet.

18. Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.

19. [1] Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet.

20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.

21. Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo.

22. Et mittet super eum, et

℣. 11. *Docebo vos per manum Dei*, id est, Deo bene juvante, *quæ Omnipotens habeat* — id est, quæ sint occultæ viæ et secreta judicia Dei: et consequenter, rationes cur subinde etiam innocentem affligat: simul etiam cur ego tanta semper cura studuerim me ipsi exhibere innocentem.

℣. 12. *Ecce vos nostis* — q. d. Incipio ab iis quæ vobis, et omnibus nota sunt, nempe a divina providentia, vindice acerrimo impiorum: de qua vos hactenus tam multa declamastis, sed sine causa urgente aut necessitate, et ideo in vanum. Quorum tamen similia, ne videar secus sentire, paucis repetam.

℣. 15. *Viduæ* impii, interitum mariti vel filiorum *non plorabunt* — nempe planctu publico et solemni, qui ad honorem defuncti, et solatium viduæ et familiæ superstitis, adhiberi solet, ingenti impensa. Sed defectu mediorum id non licebit viduis impiorum, quantoscumque illi thesauros in vivis inique corraserint. Justo enim Dei judicio fit, ut quod magno labore corraserunt, usui veniat non ipsis, aut ipsorum posteris, sed alienis, et subinde quos pessime oderant, *justis* ipsis et *innocentibus*, ut dicitur v. 17, e quorum spoliis ipsi se ditarant. Atque ita impio et tyranno accidere solet, quod *tineis*, seu vermibus et erucis, v. g. quæ sericum subministrant.

℣. 18. *Sicut* enim *tinea*, seu vermis, *ædificat domum suam*, involvens se in folia arborum non suarum, eaque contrahens, et in iis sese eviscerans, sibi in iis domicilium facit; sed vix confecto domicilio, decerpitur, abjicitur, et divulso serico, vermis jam in tineam transmutatus, pede calcatur et conteritur: simili successu sese exenterat impius assiduis curis et laboribus, corradens undique quæ potest; sed heredem relinquit non quem voluit, sed quem maxime horruit.

Et sicut custos pomorum vel uvarum in autumno fecit sibi *umbraculum* — quod exiguo tempore usui illi fuit, nec tamen in ipsius, sed in alienos usus.

℣. 19. *Aperiet oculos* mentis in morte, *et nihil inveniet* — nihil sibi utile, commodum, fructuosum ex omnibus opibus vel operibus suis.

℣. 20. *Apprehendet eum quasi aqua inopia*, id est, undique magna copia, maximo impetu in eum irruet et obruet, idque *nocte* — id est, insperato, cumque serius erit, nec spes supererit aut effugii, aut remedii.

℣. 21. *Tollet eum* de medio *ventus urens* — id est, morbus et mors, quæ instar *venti urentis* vehementissimi, *et turbinis* impetuosissimi, ac validissimas etiam quercus subvertentis, evellet impium et prosternet.

℣. 22. *Fugiens fugiet* — Id est, celerrime aufugiet, vita et omnibus opibus suis valere jussis.

(1) Psalm. 48, vers. 18.

non parcet: de manu ejus fugiens fugiet.

23. Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus.

℣. 23. *Stringet manus*, quicumque pœnam et exterminium impii viderit vel audierit. Hebraice, græce et chaldaice est, *plaudet complosis manibus*, nempe præ admiratione, irrisione et subsannatione. His, inquam, et aliis similibus impiorum pœnis deterritus, cavi semper mihi ab omni graviore peccato, et vitæ morumque innocentiam perpetuo fovi.

CAPUT XXVIII.

Secundam hic causam recenset Job, cur adeo studuerit semper innocentiæ, quia hæc unica via est ad obtinendam veram sapientiam; quæ licet in Dei sinu occulta, et inaccessa et inscrutabilis maneat, homini tamen particula illius aliqua communicatur per sincerum timorem Dei. Qua particula jubetur in hac vita contentus esse, integra sapientia fruiturus in futura Dei visione.

1. Habet argentum venarum suarum principia: et auro locus est, in quo conflatur.

2. Ferrum de terra tollitur: et lapis solutus calore, in æs vertitur.

3. Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et umbram mortis.

4. Dividit torrens a populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis hominis, et invios.

5. Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.

6. Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum.

7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.

℣. 2. *Lapis solutus calore, in æs vertitur* — Hebraice, *æs effundit*, ut ad oculum patet in fornacibus seu æris, seu ferri, quibus lapides metallici vi ignis liquati, effundunt æs vel ferrum, quod in ipsis latuerat, de quibus vide Plinium, Galenum, Dioscoridem et Valesium [1]; q. d. *Auri, argenti, ferri, æris*, et omnium sequentium *mirabilium* locus, origo et materia inventu sunt facilia: sed non ita *sapientiæ*, de qua vers. 12 et seqq.

℣. 3. *Lapidem caliginis* — Id est, lapidem sepulcralem, inquit Mariana: alii, gemmas et lapides pretiosos. Sed malim universim applicare omnibus lapidibus metallicis, qui idcirco *caliginis*, seu caliginosi et *umbra mortis*, vocantur, quod in profundissimis specubus densissimisque tenebris, quasi in umbra mortis absconditi jaceant: q. d. Etiam hos Deus videt, et suo tempore eruderat et profert in lucem: certa tamen quantitate, pondere et mensura, neque semper ad libitum fossorum: nam sæpe dum minime cogitant, ignis e saxo vel terræ venis erumpens, aut, ut sequitur,

℣. 4. *torrens* aquarum ebulliens, *dividit* quæsita et optata metalla *a populo peregrinante*, id est a fossoribus, qui plerumque peregrinis et pauperibus constant. Hic ergo *torrens* facit, *ut pes egentis hominis*, fossioni incumbentis, *obliviscatur eos*, id est, non sequatur votum aut desiderium illorum, id est, non possit ulterius fodiendo transire.

℣. 6. *Locus sapphiri lapides ejus.* Id est, locus quidam in terræ visceribus est, cujus *lapides* sunt *sapphiri, et glebæ aurum:* sed *semitam*, v. 7, ad ea ducentem, *ignorat* non modo homo, sed et *vultur*, et lynx, quantumcumque oculatissimæ et rapacissimæ aves, sed soli Deo nota est semita, qui illam suo etiam tempore pandit,

(1) Plin. lib. 37, cap. 10; Galen. l. 9 Simplicium; Dioscorides lib. 5, cap. 10; Vales. S. Philosoph., cap. 49.

8. Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leæna.

9. Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes.

10. In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit oculus ejus.

11. Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit.

12. Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ?

13. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.

14. Abyssus dicit: Non est in me; et mare loquitur: Non est mecum.

15. [1] Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus.

16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

17. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri:

18. Excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.

19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

20. Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ?

21. Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet.

22. Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

23. Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.

24. Ipse enim fines mundi intuetur: et omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.

25. Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura.

26. Quando ponebat pluviis le-

℣. 9. *Ad silicem* in quo latent, *extendendo manum suam*, eumque frangendo, et subinde *a radicibus* divellendo, idque vel vi naturali fulminis, aut terræmotus, vel miraculo, etiam rivos et flumina ex eis educendo. Nisi malis hæc referre ad improbam mortalium avaritiam, qua etiam per rupes viam ferro pandunt, montes exscindunt, aurum et gemmas eruunt pene ex inferno, q. d. Hæc omnia, quantumcumque inaccessa et impervestigabilia videantur, aliquando tamen seu naturæ sagacitate, seu divina revelatione patefiunt et in manus veniunt. Sed non ita sapientia: cujus ut summum particula quædam, et quasi vestigium, subinde singulari Dei lumine et dono hominibus obtingit: ita Methodius, Alexander, Dionysius et alii in Catena.

℣. 13. *Nec invenitur in terra viventium* — Ita Hebræi, ubi *suaviter*, non additur: quamquam in idem redeat.

℣. 15. *Non dabitur*, quasi condignum pretium, *pro ea aurum obrizum*, seu præstantissimum, q. d. *Ophirizum*, de quo dixi 2 Paral. 8, v. 18. Sequitur,

℣. 17. *Vel vitrum* — Ita etiam LXX. Pagninus cum plerisque Hebræis vertit, *adamantem* [2], vitrei coloris, incredibilis duritiei gemmam; Chaldæus, *speculum*, alii, crystallum.

℣. 18. *Trahitur autem sapientia de occultis* — nempe cælorum sedibus, e sinu Patris, seu, ut ait apostolus Jacobus [3], *a Patre luminum*, a quo nascitur increata Sapientia, Verbum Patris, quod causa et fons est omnis creatæ sapientiæ, ut ait Baruch c. 3, v. 12 et seq. Unde Gentiles fabulantur de Prometheo (sic dicto ἀπὸ τῆς προμηθίας, id est prudentia) quod auxilio Minervæ cælum ascenderit, faculaque in sole accensa nonnihil luminis seu ignis ad homines, quos e luto plasmarat, animandos detraxerit. De quo Plutarchus [4] et alii.

℣. 22. *Mors et perditio* — Id est, mortui et perditi in inferno, allegorice, qui in limbo sunt patres, quantumcumque longævi hic fuerint et docti, damnati item et dæmones, quantumcumque sagaces; non nisi exiguam habuerunt scientiam et notitiam veræ sapientiæ. Sed ipsa tota penes solum Deum est, in cujus sinu delitescit.

(1) Sap. 7, vers. 9.
(2) Prolegom. de Idiotism. Hebr., n. 11.
(3) Jac. 1, vv. 5 et 17.
(4) In Protagora.

gem, et viam procellis sonantibus:
27. Tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et investigavit.

℣. 27. *Tunc,* seu ab initio creationis mundi, *vidit illam,* id est, visibilem fecit Deus sapientiam, per suos nempe effectus, per quos et angelis et hominibus innotesceret, saltem ex parte, *et enarravit eam,* seu reipsa declaravit cælo et mundo, *et præparavit,* nempe tam hominibus, quam angelis, sapientissime omnia et elegantissime condendo et ornando, *et investigavit,* id est, exegit, requisivit ab omnibus ratione utentibus: ut eam agnoscerent, agnitam venerarentur, obsequerentur et parerent in omnibus. Hic enim finis et scopus est omnis elegantiæ et ornatus cæli et terræ, omniumque creaturarum, ut nempe ex iis, tamquam ex libris divinitatis (ut ajebat Trismegistus) disceremus Dei sapientiam,

(1) 2. 2. quæst. 45.

28. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia.

eamdemque laudaremus, coleremus, serviremus.

Allegorice, S. Gregorius hæc exponit de Filio Dei, qui est incarnata Sapientia; quam *vidit* Deus, quia spiritus est: *enarravit,* quia Verbum: *præparavit,* quia remedium: *investigavit,* quia occultum.

℣. 28. *Et dixit homini* — Ac si dicat: Noluit homines esse pro libito censores suæ sapientiæ: sed solos spectatores effectuum ejus, et humiles adoratores et servos illius. Quæ servitus in timore Dei filiali consistit, et vitæ puritate: *Deum time, et recede a malo.* Ita fere S. Thomas [1] et interpretes. Simili periodo etiam Ecclesiastes [2] librum suum concludit, *Deum time, et mandata ejus observa.*

(2) Eccle. 12, vers. 13.

CAPUT XXIX.

Job ut refellat quæ Eliphaz cap. 22 sigillatim affinxerat Jobo scelera, sigillatim recenset virtutes suas, quibus ab adolescentia perpetuo emicuit; sed quæ jam, defectu virium et mediorum, et multitudine miseriarum, occultabantur: unde optat pristinæ restitui felicitati, quo rursum palam innotescant.

1. Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit:
2. Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?
3. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris?

4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo?
5. Quando erat Omnipotens mecum: et in circuitu meo pueri mei?
6. Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei?

℣. 3. *Lucerna et lumen ejus,* id est favor et benignitas Dei, me instar splendidissimæ facis illuminans, docens, dirigens, et prosperans, *in tenebris* omnium dubiorum, difficultatum, molestiarum.

℣. 4. *Secreto,* id est familiariter, quasi amicus, consiliarius, secretarius, *erat in tabernaculo meo* — res omnes domesticas meas dirigens, protegens, secundans.

℣. 6. *Lavabam pedes meos butyro* — Est metalepsis, q. d. Tanta mihi erat gregum et armentorum copia, ut lac inde mihi et butyrum copiosissimum proveniret, immo instar aquæ abundans, potuissemque, si voluissem, pedes eo, loco aquæ lavare: nec vel tantillo damno mihi fuisset. Simile habes Genes. 49, v. 11 et Deuter. 33, v. 25.

Et petra fundebat mihi rivos olei — Id est, maximam olivarum et olei copiam proferebat mihi non modo ager fœcundus et cultus, sed etiam petrosus, saxosus et incultus: Deo singulariter omnia benedicente.

7. Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi?

8. Videbant me juvenes, et abscondebantur: et senes assurgentes stabant.

9. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo.

10. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat.

11. Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi.

12. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor.

13. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum.

14. Justitia indutus sum: et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo.

15. Oculus fui cæco, et pes claudo.

16. Pater eram pauperum: et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.

17. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.

18. Dicebamque: In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.

19. Radix mea aperta est secus

℣. 7. *Procedebam* instar supremi judicis *ad portam*, in qua exerceri solebant judicia. *Et in platea*, seu foro publico, *parabant mihi cathedram*, tamquam principi et omnium domino [1].

℣. 8. *Juvenes* præ reverentia *abscondebant* se.

℣. 11. *Oculus videns*, id est, quotquot me videbant, *testimonium reddebant mihi* prudentiæ, æquitatis, integritatis.

℣. 13. *Benedictio perituri super me veniebat* — Id est, qui vel suo infortunio, vel aliena malitia perire debuisset, mea ope liberatus, me benedicebat.

℣. 15. *Oculus fui cæco, et pes claudo* — Id est, iis qui vel ignorantia, vel imbecillitate judicii sibi ipsis consulere non valebant, aderam sapienti et fideli consilio. Et qui propter inopiam facultatum, vel amicorum penuriam progredi et expedire non poterant, eorum negotia promovebam et confecta dabam.

℣. 17. *Conterebam molas iniqui* — Id est, potentiam et avaritiam impii, quibus quasi molaribus, seu lapidibus, seu dentibus, subditos conterere solet, ego prævertens contrivi, etiam vi et armis, si quando esset opus.

℣. 18. *Dicebamque* animo, seu cogitabam fore: *In nidulo meo moriar* — Id est, suaviter et quiete in patria et palatio meo, fortunis et liberis meis pro voto fruens, in bona senectute lætus expirabo. *Et sicut palma multiplicabo dies* — Palma enim maxime longæva est, et perenni fronde viret: Chaldæus vertit, *sicut arena*, et hoc proprie significat Hebræum *chol* [2]. Quamquam etiam significet *phœnicem*, ut hic vertit R. Salomon, Pagninus, Mercerus, et quidam alii. Et hoc optime quadrat præcedenti, *In nidulo moriar*. LXX vertunt, *ut truncus φοίνικος*: quod licet S. Augustinus et Olympiodorus de trunco palmæ accipiant, alii tamen de corpore *phœnicis* avis exponunt: q. d. In similitudinem avis phœnicis per mortem in cinere carnis, velut in nido, ad tempus moriar, sed inde resurgam quasi phœnix in vitam et gloriam æternam.

Dices. Fictitia et fabulosa est illa avis: ita Ulysses Aldrovandus [3] et quidam moderni. Respondeo primo, id valde incertum esse. Nam, ut Pierius ait, omnium veterum auctorum constans est sententia, veram esse avem, et mortuam renasci. Et Gesnerus [4] in eam rem citat Manilium, Herodotum, Lactantium, Claudianum, Suidam, Philostratum, et plures alios. Immo Tertullianus [5], Ambrosius, Albertus Magnus, adeoque et Ægyptii phœnicem proferunt in argumentum et symbolum resurrectionis. Respondeo secundo, etsi fabulosa esset avis, posse nihilominus comparationem ab ea desumi: ut desumimus a chimæra, a Cerbero, a campis Elysiis.

℣. 19. *Radix mea aperta est* — Solent

(1) Job 1, vers. 3. (2) חול.
(3) Opere de Attibus.
(4) De Animalibus.
(5) Lib. de Resurrect., cap. 13.

aquas, et ros morabitur in messione mea.

20. Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.

21. Qui me audiebant, expectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum.

22. Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum.

23. Expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, et lux vultus mei non cadebat in terram.

25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

enim coloni per hiemem removere terram, ut radice liberalius aquam sugant arbores: q. d. Sugebam plenis buccis continuo aquam divini favoris.

℣. 24. *Non credebant* — Supple, me ridere, sed aliquid serii in risu meo latere arbitrabantur. Tanta erat modestia mea, et de me opinio.

Et lux vultus mei non cadebat in terram — Id est, splendor, auctoritas, majestas mea non minuebatur, nec contemnebatur propter risum.

℣. 25. *Eram tamen mœrentium consolator* — quasi dicat: Majestas vicissim de humanitate et comitate nihil detrahebat.

CAPUT XXX.

Recenset intolerabiles miserias, quibus loco pristinæ felicitatis nunc obruitur.

1. Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei:

2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni:

3. Egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate et miseria:

4. Et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum.

5. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant:

6. In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream.

7. Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant:

8. Filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes.

9. Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium.

10. Abominantur me, et longe

℣. 2. *Quorum virtus manuum*, id est robur, industria, servitium quotidianum quod mihi præstabant, nihili æstimabatur, ut qui *vita putarentur indigni* — Hebraice, *super quos periit senium*, id est, qui ætatem et vitam inutiliter exigebant.

℣. 3. *Egestate steriles* — Hebraice, *solitarii*, seu sine liberis.

℣. 6. *Habitabant super glaream*, seu terram lapidosam et sterilem, ut dixi cap. 21, v. 33. Iidem

℣. 8. *In terra non parentes* — Id est, non audentes comparere, vel lucem aspicere: nempe homines nihili, terræ filii, etc. qui olim nec ausi fuissent, vel a longe sub oculos meos venire, nunc *faciem meam conspuere non verentur*,

fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur.

11. Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et frenum posuit in os meum.

12. Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt: pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

13. Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium.

14. Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.

15. Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum: et velut nubes pertransiit salus mea.

16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis.

17. Nocte os meum perforatur doloribus: et qui me comedunt, non dormiunt.

18. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.

19. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.

20. Clamo ad te, et non exaudis me: sto, et non respicis me.

21. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.

22. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.

23. Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.

24. Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: et si corruerint, ipse salvabis.

utpote hominis monstrosi, execrabilis et abominabilis. Nec possum tamen ipsos compescere, aut a me depellere.

℣. 11. *Frenum enim posuit* Deus *in os meum* — Id est, coercet, continet, impedit me, neque amplius ea auctoritate polleo, qua solebam tales terrere, et in officio continere.

℣. 12. *Ad dexteram orientis*, seu exortus mei: id est, prope, juxta ortum meum: q. d. Simulatque Dei benignitate deveni ad summam felicitatem, quasi filius ejus recens natus; mox invasit me agmen *calamitatum*, non secus ac solent rami circumdare truncum arboris, aut lictores deprehensum reum.

Pedes meos subverterunt, ut caderem in terram: et corruentem *oppresserunt semitis*, seu pedibus, *suis*, *quasi fluctibus* — Id est, continuis et novis semper calumniis, dolis, injuriis exagitant me.

℣. 13. *Dissipaverunt itinera mea* — Hebraice, *destruxerunt semitas meas*, scilicet, ut nulla per quam effugiam via supersit.

℣. 17. *Qui me comedunt*, nempe pediculi et alii vermes, *non dormiunt*, numquam cessant me arrodere. Alii metaphorice id exponunt de febribus, aliisque doloribus et calamitatibus seu corporis, seu animi.

℣. 18. *Quasi capitio tunicæ* — Hebraice, *quasi os tunicæ*; græce, *circumorale*, quod os seu collum undique cingit et stringit; ita et vermes me undique cingunt et arrodunt.

℣. 19. *Comparatus sum luto*, propter ulcera, saniem et sordes: *et favillæ et cineri*, propter furfures decidentes.

℣. 21. *Mutatus es mihi in crudelem* — id est, in severum, austerum. Quod humano more loquendi est esse *crudelem*.

℣. 22. *Super ventum ponens* — id est, loco altissimo, ex quo decidens, *eliderer*.

℣. 24. *Verumtamen non ad consumptionem*, seu, ut penitus consumar, puta etiam secundum animam: nam hæc est immortalis. *Et si corruerint*, seu morte occubuerint, *ipse salvabis* — id est, suo tempore rursus excitabis. Hebraice, *si in contritione*, seu dum morte conteruntur, *clamor eis* adfuerit, id est, ad te clamarint, te invocarint. Græce est, *utinam possem* (supple, bona tua venia) *meipsum occidere, aut alium rogare ut hoc mihi præstet!* Innuit intolerabilem dolorum acerbitatem, inquit S. Ambrosius [1], Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

(1) Lib. 2 de Interpellatione.

25. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.

26. Expectabam bona, et venerunt mihi mala: præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ.

27. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.

28. Mœrens incedebam, sine furore; consurgens, in turba clamabam.

29. Frater fui draconum, et socius struthionum.

30. Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate.

31. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.

℣. 28. *Mœrens* fui *sine furore:* nam patienter tuli quantoscumque cruciatus; etsi præ nimiis doloribus cogerer, etiam *in* promiscua hominum *turba clamare* et ejulare. Quod in viro gravi et constanti signum est extremæ anxietatis.

℣. 29. *Frater* enim *fui draconum et struthionum* — LXX pro draconibus habent *sirenes*; Olympiodorus legit, *instar altyonum et ululatorum* [1]; q. d. More istorum animalium, præ nimiis doloribus ululabam, sibilabam, stridebam.

(1) Isaiæ 13, vers. 22.

CAPUT XXXI.

Enarrat plures alias virtutes suas, quibus a puero assuevit: removens scelerum a se suspicionem, quæ semper exhorruit: denique Deum ipsum citat et optat judicem suæ innocentiæ.

1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hereditatem Omnipotens de excelsis?

3. Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam?

4. Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?

5. Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus:

6. Appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.

7. Si declinavit gressus meus de via, et si secutum est oculos meos cor meum, et si manibus meis adhæsit macula:

8. Seram, et alius comedat: et progenies mea eradicetur.

9. Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum:

10. Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii.

11. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima:

12. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

13. Si contempsi subire judicium

℣. 2. *Quam partem haberet in me Deus?* — Id est, quomodo habitaret in me, quomodo mihi sua gratia et favore, quasi filio et heredi adesse vellet Deus? q. d. Soli casti sunt filii, heredes et templum Dei: impuri dæmonum sunt cloacæ, et inferni mancipia; longe *alienati* a Deo, v. 3, et *perditi* æternum.

℣. 6. *Sciat*, seu scire se demonstret, *simplicitatem* et innocentiam *meam* — nempe justa sententia sua illam declarando.

℣. 12. Adulterium *ignis est usque ad* plenam, immo æternam, *perditionem devorans:* nam instar flammæ absumit omnia corporis et animi bona, opes, fa-

cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me,

14. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi?

15. Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est: et formavit me in vulva unus?

16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci:

17. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea

18. (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: et de utero matris meæ egressa est mecum):

19. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem:

20. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est:

21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem:

22. Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur;

23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.

24. Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi: Fiducia mea:

25. Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea:

26. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare,

27. Et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo:

28. Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum:

29. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exultavi quod invenisset eum malum:

30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.

31. Si non dixerunt viri taberna-

mam, honorem, amicos, valetudinem, vitam præsentem et futuram, *et omnia eradicans genimina* — nempe posteros et legitimam stirpem, quæ vel non subnascitur, vel nata, ab offensis seu hominibus, seu Deo extirpatur.

℣. 21. *In porta* — Id est, in publico judicio, cum judices faverent meæ causæ adversus pupillos: non tamen eos violente oppressi, aut debitum extorsi.

℣℣. 26, 27. *Sole fulgente* aut *luna, si lætatum;* hebraice, *si lactatum* (ut legit Ribera) vel, ut alii, si deceptum *est cor meum,* ut nempe putarem, illa sidera deos esse: atque in signum reverentiæ et adorationis (cum non possem ipsa sidera contingendo, vel e propinquo osculando adorare), *manus meas* e longinquo versus ipsa protenderim, et mox quasi luce illorum perfusas *osculatus sim* — Ita Rabbini, Mercerus et S. Thomas. De hac adorandi cæremonia vide S. Hieronymum, Minutium, Apulejum et Plinium [1]. Alii explicant metaphorice fulgorem solis et lunæ lætam fortunam et prosperos successus: quos dum quis suæ industriæ acceptas fert, dicitur *osculari manum suam,* quasi fontem et causam tanti boni, ut faciebat Nabuchodonosor, Daniel. 4. Ita fere Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

℣. 30. Neque *expetii animam,* seu vitam, *ejus qui me oderat, maledicens* ei, id est, malum aliquod ei imprecans: licet ille tam proterve, tam indigne me injuriis incesseret, *ut viri tabernaculi mei,* id est domestici mei, *dicerent, Quis det de carnibus ejus ut saturemur* [2]? — id est, optarent eum dentibus suis discerpere ac devorare. Est enim hoc extremi odii indicium, ut dixi cap. 19, v. 22. Ita Paulus Burgensis, Stuniga, Vatablus, Rabbini, Philippus et Olympiodorus in Catena. Alii tamen, ut S. Jo. Chrys. [3], Lyranus, Titelmannus et S. Thomas id accipiunt ut symbolum amoris, q. d. Domesticis meis tam amicum, tam suavem me exhibui (in Græco additur, *Cum valde bonus* ipsis *essem*), ut carne mea, seu corporis mei præsentia nil eis gratius

(1) Hieron. lib. 1 contr. Ruffin.; Minutius in Octavio; Apul. in Apolog. et lib. 1 de Asino; Plin. lib. 28, cap. 2.

(2) Job 19, vers. 22.
(3) In Catena.

culi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?

32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

33. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam:

34. Si expavi ad multitudinem niniam, et despectio propinquorum terruit me: et non magis tacui, nec egressus sum ostium.

35. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens: et librum scribat ipse qui judicat,

36. Ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi?

37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum.

38. Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent:

39. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi:

40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.

Finita sunt verba Job.

accideret, eaque satiari nequirent: ita mihi affixi, ut artus meos absorbere, meque intra sua viscera rapere peroptarent. Idem allegorice S. Thomas [1] applicat Eucharistiæ. Nota. In Hebræo et Chaldæo, præposita negatione legitur, *Non saturabimur*. Ac si dicant: Nisi carnibus ejus pascamur, numquam saturabimur.

℣. 33. *Si abscondi quasi homo* — Hebraice *sicut Adam:* Id est, si peccata mea celavi vel excusavi, sicut olim *Adam* [2], et sicut quivis alius *homo* solet, ex innata superbia et hypocrisi.

℣. 34. *Si expavi ad multitudinem,* quo minus pro justitia pronunciarem: *et terruit me despectio propinquorum*: nempe cum me calumniis, aut etiam conviciis incesserent propinqui ejus cui causam abjudicabam. *Tacui* tamen ad illa et dissimulavi: nec præ pudore aut impatientia *egressus sum ostium* ad illa fugienda.

℣. 35. *Quis mihi tribuat auditorem,* seu cognitorem et judicem Deum; *et ipse librum scribat,* nempe processus et causæ meæ? q. d. Ex eo libro pateret palam mea innocentia. Quare fidenter eum circumferrem *quasi coronam* honorificam.

℣. 37. *Per singulos gradus* (hebraice, gressus) *pronuntiarem,* seu prælegerem illum, etiam coram quovis *principe*, quantumcumque potente et præcellenti; q. d. Adeo præfido causæ meæ, ut nullius tribunal, ne Dei quidem, subterfugiam; immo sponte ad eum appellem.

℣. 38. *Si terra mea,* seu agri a me possessi, *adversum me* pro alio justo domino, cui illos eripuerim, *clamant* vindictam: aut *sulci deflent* — id est, agricolæ mercenarii et operæ queruntur de non solutis stipendiis; maledicat Deus omnibus frugibus meis. Hac porro imprecatione, simulque ad Deum appellatione finit Job orationem suam pro innocentia sua, Deo ejusque providentiæ reliqua committens.

(1) In Officio Corporis Christi.

(2) Idque cum primis placet Sherlockio t. 11, pag. 124.

CAPUT XXXII.

Fessis jam et cedentibus tribus amicis, quartus incipit Eliu, jactans se longe aliis et validioribus argumentis convicturum Jobum: sed, ut ex progressu patebit, nec validioribus, nec novis argumentis, sed solis verborum novis ampullis Jobum aggreditur. Estque insignis typus superbiæ, inquit S. Gregorius.

1. Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur.

℣. 1. *Eo quod justus sibi videretur* — neque pateretur sibi contrarium persuaderi. LXX pro *sibi* habent, *ipsis*; q. d. Tandem amici rationibus Jobi persuasi, innocentem ipsum esse, conticuerunt deinceps. Cum filum resumit

2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo.

3. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job.

4. Igitur Eliu expectavit Job loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur.

5. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.

6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit:

Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.

7. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam.

8. Sed, ut video, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

9. Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.

10. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

11. Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:

12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus.

13. Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo.

14. Nihil locutus est mihi, et ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

15. Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia.

16. Quoniam igitur expectavi, et non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt:

17. Respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam.

18. Plenus sum enim sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.

℣. 2. *Eliu Buzites*, ex progenie *Bux* filii *Nachor*, fratris *Abrahæ*, Genes. 22, vers. 21.

De cognatione Ram — LXX *Aram*; adduntque, de *Ausitidis regione* fuisse, in qua eadem erat terra *Hus* patria Jobi, ut vidimus c. 1, v. 1. Chaldæus vertit, *de cognatione Abrahæ;* alii appellative vertunt, *de cognatione illustri*; nam *ram* illustrem significat. Recte et vere omnes. Sed falso Hebræi putant, hunc *Eliu, Balaam* fuisse qui tempore Moysis maledixit Israelitis: nam *Eliu* cum *Jobo* longe antiquiores sunt Moyse, ut patet ex Chronico cap. 16.

℣. 8. *Spiritus*, id est *inspiratio Dei*, ut sequitur, unde Chaldæus vertit, *spiritus prophetiæ*; q. d. Non cani, non senium, non longa vita dat veram sapientiam, et rerum intelligentiam, sed solus Deus: ita Olympiodorus.

℣. 13. *Ne forte dicatis*, pro, nec est quod dicatis, vos reperisse sapientem et solidam rationem; qua Jobum impietatis conviceritis, nempe hanc, quod *Deus*, qui infinite et per essentiam justus atque infallibilis est, Jobum *projecit* in has miserias, *non* vero *homo* quispiam, qui potest falli et injuste punire. Unde infertis, Jobum impium esse debere, suaque impietate pœnas has sibi accersivisse: et hoc tamquam Achille conamini Jobum convincere. Dico, me hoc vestrum argumentum parvi facere. Neque tamen Jobo propterea palmam concedo; nam et ille *nihil locutus est mihi*, v. 14, id est, mea quidem sententia nil solidi pro se attulit. Unde *et ego respondebo illi*, et, ut spero, convincam, sed *non secundum vestros sermones* — id est, non argumentis quæ vos hactenus protulistis, sed aliis longe efficacioribus.

℣. 15. *Extimuerunt* — pro: extimuistis. More thrasonis vel hominis irati, avertens se cum indignatione, transit a secunda ad tertiam personam; q. d. Indignum est et probrosum, tantos viros seu metu, seu inscitia, obmutuisse.

19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

20. Loquar, et respirabo paululum: aperiam labia mea, et respondebo.

21. Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo.

22. Nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus.

℣. 21. Ego *non accipiam personam viri*, neque curabo quod Job tanti principis munere functus sit. *Et Deum homini non æquabo* — id est, neque patiar, ut Job homo cum sit, se Deo æquet, irreprehensibilem justitiam sibi arrogando. LXX vertunt, *mortalem non reverebor*; Vatablus et recentiores Rabbini, *non blandiar cuiquam honorificis compellationibus*, q. d. Propter nullius majestatem aut dignitatem deviabo a vero et æquo: idque ob timorem Dei judicis mei, qui forte me jam jam rapiet ad tribunal suum.

CAPUT XXXIII.

Etiam Eliu negat Jobum justum et innocentem esse, neque ad ejus impietatem declarandam judicio divino, ad quod Job provocarat, ait opus esse verbali eloquio aut voce Dei: multis et variis modis Deum loqui solere: atque in præsenti, re ipsa, sat manifeste ipsum loqui, et declarare Jobum nocentem esse, quando ipsum tot pœnis tam acriter castigat et punit.

1. Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta.

2. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis.

3. Simplici corde meo sermones mei, et sententiam puram labia mea loquentur.

4. Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.

5. Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste.

6. Ecce, et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum.

7. Verumtamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis.

8. Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi:

9. Mundus sum ego, et absque delicto: immaculatus, et non est iniquitas in me.

10. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.

12. Hoc est ergo, in quo non es justificatus: respondebo tibi, quia major sit Deus homine.

℣. 4. *Spiritus Dei*, seu Deus qui est spiritus, creavit *me: et spiraculum* — id est anima, quæ Genes. 2 vocatur *spiraculum vitæ*; q. d. Ab eodem auctore processimus, et simili modo conditi sumus: quare non est cur me vel mea dicta contemnas.

℣. 7. *Miraculum meum* — Id est, mira et stupenda quæ dicam.

℣. 10. *Querelas in me reperit* — Hebraice, *adversum me invenit irritationem:* vel occasionem querendi de me, meque puniendi quæsivit et invenit Deus, perinde ac si essem ipsi *inimicus*. Repetit, sed sinistre explicat quæ dixerat Job supra in fine c. 13, miserias suas graphice depingens.

℣. 12. *Hoc est ergo, in quo non es justificatus*, sed peccas: quod nempe de Deo quasi de injusto tyranno queraris. Neque opus habeo aliud ad id *respondere tibi*, quam quod *major sit Deus homine*, possitque cum illo, utpote creatura et mancipio suo, facere quod pla-

13. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?

14. Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.

15. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo:

16. Tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina,

17. Ut avertat hominem ab his quæ facit, et liberet eum de superbia:

18. Eruens animam ejus a corruptione: et vitam illius, ut non transeat in gladium.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit.

20. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis.

21. Tabescet caro ejus; et ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

22. Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.

23. Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem:

24. Miserebitur ejus, et dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier.

25. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26. Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit: et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam.

cet, nec teneatur rationem ullam illi reddere. Unde immerito conquereris secundo, *quod non ad omnia verba*, seu ad omnes tuas petitiones, quibus divinum judicium implorasti, c. 23, v. 5, et c. 30, v. 20 e vestigio *responderit tibi* — Neque enim tenetur Deus nobis, quoties et quando et quomodo lubet, respondere.

℣. 14. *Semel loquitur Deus.* Hebraice, *in una*, seu uno modo, indicat Deus mentem suam: neque necesse est, ut *secundo* idem *repetat* — Hebraice, *in duabus*; q. d. Non opus est ut Deus multis et variis viis ac rationibus, instar causidicorum, exponat et probet hominibus cur quodque agat. Sat nobis esse merito debet, quod vel una via, et una vice id manifestet, puta vel per localem internam aut externam locutionem, eamque vel in somniis, vel in vigilia, per se, per angelum, vel per prophetam. Vel absque vocali locutione, per aliquam realem actionem suam, mala puniendo, bona remunerando, manifestat nobis causas actionum suarum. V. g. puniendo te tot morbis, tot plagis, aperte indicat te injustum fuisse: neque enim puniret te nisi pœnas promeritus fuisses. Hos loquendi modos prosequitur a v. 15 usque ad 23, q. d. Sat tibi sit oportet, quod hoc reali modo loquendi Deus tibi ad ejus judicium provocanti respondeat: cui responso ac sententiæ debes prompte acquiescere et obedire. Idem monet Psalmista Psalmo 94, v. 8, et ex eo S. Paulus Hebr. 3, et 4, v. 7: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

℣. 22. *Vita appropinquavit mortiferis* — supple morbis, doloribus, paroxismis: ingruente præsentissimo vitæ periculo.

℣. 23. *Si* tum forte *fuerit pro eo angelus*, id est nuntius, interpellator, mediator, *loquens, unus de millibus.* Id est, si, dum Deus peccatorem morbo juste punit, inveniatur ex infinitis angelorum vel piorum hominum myriadibus vel unus, qui intuitu *æquitatis*, seu bonorum aliquorum operum præteritorum, vel præsentium, vel novi emendandæ vitæ propositi, et seriæ pœnitentiæ istius *hominis* peccatoris, *loquatur* et intercedat *pro eo* apud Deum; continuo *miserebitur ejus* — Quem locum Nota tum pro meritis bonorum operum, et efficacia pœnitentiæ: tum pro invocatione et intercessione Sanctorum.

℣. 26. *Reddet homini justitiam suam* — nempe gratiam ante per peccatum deperditam restituet pœnitenti Deus cum novo gratiæ auctario. Chaldæus vertit, *secundum justitiam suam*, nempe condigna præmia reddet homini temporalia et spiritualia, ut nullam habiturus sit homo causam amplius dolendi vel querendi. Quin potius

27. Respiciet homines, et dicet: Peccavi, et vere deliqui, et, ut eram dignus, non recepi.

28. Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos,

30. Ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium.

31. Attende, Job, et audi me: et tace, dum ego loquor.

32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere justum.

33. Quod si non habes, audi me: tace, et docebo te sapientiam.

℣. 27. *Respiciet homines* — LXX *accusabit is homo seipsum apud alios homines*, et confitebitur palam, se juste a Deo punitum fuisse, nec tamen pro merito aut mensura scelerum suorum: sed valde benigne clementerque secum actum.

℣. 29. *Ecce, hæc omnia*, nempe, punire nocentem, pœnitenti parcere, et ampliorem gratiam reddere; *operatur Deus* non in uno solo homine, sed *per singulos*: nec una solum aut altera vice, sed *tribus*, id est multis, *vicibus* — Est enim ternarius signum multitudinis seu universitatis, ut et septenarius, de quo dixi cap. 5, v. 19. q. d. Hic modus agendi cum hominibus, et sic eos ad mentem et justitiam revocandi, est Deo perfamiliaris et maxime usitatus.

℣. 32. *Volo, te apparere justum* — nempe si justus es, ut dicis, volo id palam et manifestum fieri, et probari a te si quibus potes rationibus et argumentis: neque enim teneor credere solum asserenti, maxime in propria causa.

CAPUT XXXIV.

Ad jactabundi hominis verba prudenter silente Jobo, Eliu blasphemiæ ipsum incusat aliorumque criminum: fuse demonstrans, Deum in judiciis suis numquam errare aut injuste agere.

1. Pronuntians itaque Eliu, etiam hæc locutus est:

2. Audite, sapientes, verba mea, et eruditi, auscultate me:

3. [1] Auris enim verba probat, et guttur escas gustu dijudicat.

4. Judicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius.

5. Quia dixit Job: Justus sum, et Deus subvertit judicium meum.

6. In judicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato.

7. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam:

8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis?

℣. 3. *Auris verba probat.* Hunc versum explicui cap. 12, v. 11.

℣. 4. *Judicium eligamus nobis.* Id est, in modum judicii publici pro tribunali, causam hanc excutiamus, disceptemus *inter nos* justis rationibus, et *videamus* uter nostrum *melius* sentiat, et verum dicat; q. d. Vos appello et facio judices.

℣. 5. *Dixit Job.* Et hæc est controversia nostra: *Deus subvertit*, hebraice, *abstulit, removit, judicium meum.* Ita vere dixerat Job c. 27, vers. 2. Sed invidiose exaggerat Eliu, cum addit dixisse Jobum, *In judicando me mendacium est*, seu error in divino judicio, pro eo quod dixerat, errari ab amicis, et mendaci seu fallaci sequela se impium ab illis judicari, eo quod affligeretur a Deo.

℣. 7. *Bibit Job subsannationem quasi aquam* — Id est, profuse, copiose, sine sensu mali subsannat, et contumeliosus et blasphemus est in Deum. Vide c. 15, v. 16. Sed en novam calumniam.

(1) Sup. 12, vers. 11.

9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.

10. Ideo, viri cordati, audite me, absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas.

11. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis.

12. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium.

13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14. Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.

15. Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur.

16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta vocem eloquii mei.

17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? et quomodo tu eum, qui justus est, in tantum condemnas?

18. Qui dicit regi, Apostata: qui vocat duces impios:

19. [1] Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi.

20. Subito morientur, et in media nocte turbabuntur populi, et pertransibunt, et auferent violentum absque manu.

21. Oculi enim ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat.

22. Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

23. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.

24. Conteret multos, et innume-

℣. 9. *Dixit* Job: *Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo* — supple, viam mandatorum ejus: vel etiamsi prompte et celeriter executus fuerit omnia mandata Dei. Sic dicitur homo [2] *ambulare cum Deo*, quando divinæ voluntati per omnia se accommodat. Calumniose hoc affingit Eliu Jobo, qui nil tale dixerat, sed solum, tractari interdum perinde a Deo pios, sicut impios, nempe quoad externos casus et eventus, c. 21 et aliis. Nusquam vero negavit justos placere Deo, vel præmium habere repositum apud Deum.

℣. 13. *Quem alium* a se *constituit* Deus gubernatorem vel judicem *super* universam *terram?* — Id est, nonne solus Deus est supremus hominum, totiusque universi dominus et judex, sicut solus est creator ejusdem? Quis ergo docebit Deum, vel leges illi præscribet, quibus mundum regere debeat? q. d. Regit Deus mundum pro libito et placito suo, facitque in eo quod vult et prout vult.

℣. 14. *Si direxerit ad* hominem *cor suum*, vel, si posuerit in corde suo, id est, si Deo libuerit, hominem etiam im-

merentem perdere, facillimum id ei esset, nec posset argui injustitiæ. Nam *spiritum et flatum*, id est animam et halitum, quo jure et qua facilitate homini dedit, eadem potest rursum *trahere ad se.*

℣. 18. *Qui dicit regi, Apostata.* Hebraice, *Belial* [3]. Supple ex vers. præced. *An sanari poterit* in causa et lite sua? q. d. Quæ spes reo triumphandi in causa, qui regem seu judicem suum arguit impietatis, apostasiæ et infidelitatis? *et duces*, id est principes ac magistratus, seu superiores suos, *vocat impios?* — Sicut tu blaspheme in Deum opt. max. judicem tuum supremum inveheris.

℣. 19. *Qui* tam justus est, ut nullius, ne potentissimi quidem *tyranni* seu *principis, personam accipiat*, nec illum agnoscat præ paupere mendico coram divino tribunali suo.

℣. 20. *Absque manu* valida, sive copiis militaribus, facillime *auferent* seditiosi *populi violentum* tyrannum de medio, *in media nocte*, in tenebris et ex improviso: si justo suo judicio Deus ita vel decernat, vel permittat.

℣. 23. *Neque enim ultra*, cum semel

(1) Deut. 10, vers. 17; 2 Par 19, vers. 7; Sap. 6, vers. 8; Eccli. 35, vers. 15; Act. 10, vers. 34; ad Rom. 2, vers. 11; ad Gal. 2, vers. 6; ad Eph. 6, vers. 9; ad Coloss. 3, vers. 25; 1 Petr. 1, vers. 17.
(2) Gen. 5, vers. 24.
(3) Deut. 13, vers. 13; Prov. 6, vers. 12.

rabiles, et stare faciet alios pro eis.

25. Novit enim opera eorum: et idcirco inducet noctem, et conterentur.

26. Quasi impios percussit eos in loco videntium.

27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt:

28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.

29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum et super gentes, et super omnes homines?

30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.

32. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.

33. Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, et non ego: quod si quid nosti melius, loquere.

34. Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me.

35. Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam.

36. Pater mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.

37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur: et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

a Deo condemnatus est *homo, in* ejus *potestate* vel arbitrio *est, ut veniat* iterum *ad Deum in judicium,* seu appellet a male informato ad melius informandum: multo minus, ut ab illius sententia appellet ad aliud tribunal: aut executioni sententiæ moras injiciat, fraudes nectat, novas tenebras offundat, ut fit in hominibus.

ỳ. 26. *Quasi impios,* seu more latronum et furum publice convictorum, *percussit eos,* id est, supplicio afficit etiam potentissimos reges, idque non clam, sed *in loco videntium* — id est, palam et in propatulo, coram toto mundo: ut publice pudefacti, ab omnibus explosi et exsibilati cedere cogantur et regno, et vita. Ea vis est et efficacia sententiæ divinæ. Alioqui

ỳ. 29. *Ipso* Deo *concedente* tyranno *pacem, quis* tam potens, tam audax *est, qui* hunc seu *condemnet* seu puniat? Et *ex quo absconderit* Deus *vultum* suum, dissimulans se videre nequitias illius; *quis* tam lynceus *est qui contempletur eum,* et palam probet, atque in publicum proferat scelera ipsius? idque seu *super gentes,* seu *super omnes homines* — Id est, hæc contingunt tam circa universos quam circa singulos: tam circa nationes integras et regna, quam circa personas particulares.

ỳ. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam,* seu impium, *propter peccata populi* — Nam vel hæc sola sunt justa causa, cur subinde Deus impios et sceleratos principes seu provehat ad regnum, seu toleret in regno. Quare qui talibus principibus expediri volunt, ipsi prius se suis sceleribus expediant.

ỳ. 33. *Numquid a te,* o Job, *expetit Deus* iniquitatem, seu ut inique sentias, judices et loquaris de Deo, *quia* ipse *displicuit tibi,* justo suo judicio flagellans te? q. d. Extreme Deo displicet hæc tua obmurmuratio, qua adversus Deum *cœpistis obloqui.*

ỳ. 36. *Pater mi,* addit Chaldæus, *qui es in cœlis,* fac ut *Job homo iniquitatis* [1], seu nequissimus, *probetur* continuis flagellis *usque ad finem* — id est, diu multumque, donec resipiscat.

ỳ. 37. *Inter nos interim constringetur* — Id est, nostrum omnium communi calculo et judicio (ad quod vers. 4 provocavi), condemnetur Job, et falsitatis ac blasphemiæ reus declaretur. Hoc solum jam postulo. Tum, per me licet, provocet ad divinum tribunal quamdiu lubebit.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 40.

CAPUT XXXV.

Pergit Eliu falso accusare Jobum, quasi dixisset, Deo cordi non esse pios præ impiis: docetque si non Deo, certe ipsi homini, et pietatem prodesse, et impietatem obesse plurimum.

1. Igitur Eliu hæc rursum locutus est:

2. Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo?

3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero?

4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum.

5. Suspice cælum et intuere, et contemplare æthera quod altior te sit.

6. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: et filium hominis adjuvabit justitia tua.

9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.

10. Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

11. Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos.

12. Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum.

℣. 3. *Dixit enim, non placere* Deo *quod rectum est.* Hanc calumniam impegerat etiam Jobo cap. præced. vers. 9. Item dixisti: *Quid Deo proderit,* vel oberit, *si ego peccavero?* — q. d. Non curat Deus quid agant homines seu boni, seu mali: cum nihil ab utrisque seu commodi, seu detrimenti accipiat. Numquam id Job dixerat.

℣. 8. *Homini, qui similis tui,* seu peccator, *est, nocebit impietas* sua, sicut tibi jam nocet *tua,* q. d. Etsi Deo non possit nocere impietas impii, valde tamen nocet ipsimet impio. Sicut *justitia* cujusque prodest *filio hominis,* id est cuique homini juste operanti. Uterque enim condignam meritis suis mercedem accipiet a Deo.

℣. 9. *Clamabunt* ad Deum, supple, pauperes et afflicti, q. d. Etsi Deo non noceat impietas impii, quia tamen nocet membris et filiis ejus, nempe pauperibus et afflictis, qui ad Deum pro vindicta et ope clamant; hinc punit impietatem illam Deus perinde ac si sibi noceret. Quod vero subinde non puniat, sed sinat pauperem et afflictum sub jugo impii tyranni diutius gemere, inde contingit, quod pauper ille

℣. 10. *non dixit: Ubi est Deus?* — Id est, non confugit ad Deum, nec fidit divinæ potentiæ ac providentiæ.

Qui dedit carmina in nocte — Id est, qui materiam canendi carmen eucharisticum, nempe lætam et prosperam fortunam, solet clientibus suis subministrare, etiam in media tribulationum nocte. LXX *qui ordinat custodias nocturnas,* seu phalanges angelorum disponit ad custodiendum, eripiendum, et salvandum te. Unde Chaldæus vertit *ante cujus conspectum angeli Excelsi ordinant laudem in nocte,* seu præsidium et subsidium miseris, unde Deus singulariter laudetur. Vide S. Jo. Chrysostomum, Olympiodorum et alios in Catena, et S. Gregorium hic.

℣. 11. *Qui docet nos super,* seu plusquam, *jumenta* — Id est, efficit ut scientia et sapientia præstemus bestiis, q. d. Etsi hæc non semper in oculos incurrant, oportet tamen mente concipiamus, qua bestiis præcellimus. Hæc enim causa esse solet, cur e suis miseriis paupelli non eruantur: et cur, dum

℣. 12. *ibi,* id est, in suis afflictionibus et miseriis, *clamabunt,* ejulabunt, et lamentabuntur apud homines *propter su-*

13. Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens causas singulorum intuebitur.

14. Etiam cum dixeris: Non considerat: judicare coram illo, et expecta eum.

15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.

16. Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.

perbiam malorum tyrannorum, tamen *non exaudiet* illos Deus: quia, nempe, non attollunt mentem et cor ad Deum, sola terrena solatiola et auxilia quærentes.

℣. 13. *Non ergo frustra* (hebraice et chaldaice, *vanitatem*; LXX *indecentia*, seu res indecentes) *audiet Deus* — Id est, quidtam vane et indecenter, ac proinde frustra cum Deo agunt, illum seu negligendo, seu contemnendo, saltem opem ejus non humiliter implorando, non est quod sperent se adjutum iri a Deo. Unde tibi, o Job, suadeo, id facias quamprimum, et opem divinam, promptam paratamque semper, ex animo implores.

℣. 14. *Etiam cum dixeris* in mente, id est, etiamsi tibi surrepat cogitatio, Deum nostra *non considerare*, seu non curare; statim illam mente excludas, *et judicare coram illo*, id est, permitte te tuamque causam libero judicio et arbitrio ac nutui divino: *et* sic *expecta* certissimam ejus opem.

℣. 15. *Nunc enim* in præsenti vita, licet peccatores pro meritis puniat, tamen *non infert furorem suum*, nec liberas iræ suæ laxat habenas, *nec ulciscitur scelus valde*, seu extreme vel pro condigno, sed semper misericordiæ locum relinquit. Illa jam utere, si sapis.

CAPUT XXXVI.

Fortius urget Eliu, ut Job se ex animo convertat ad Deum, utpote quem suis sceleribus, ac nominatim injustis pro tribunali sententiis, provocarit ad tantam iram.

1. Addens quoque Eliu, hæc locutus est:

2. Sustine me paululum, et indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.

3. Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo justum.

4. Vere enim absque mendacio sermones mei, et perfecta scientia probabitur tibi.

5. Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens.

6. Sed non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit.

7. Non auferet a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illi eriguntur.

8. Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis:

9. Indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt.

10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: et loquetur, ut revertantur ab iniquitate.

11. Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria:

12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in ignorantia.

℣. 3. *Repetam a principio*, seu a capite, id est, altius exordiar.

℣. 7. *Reges* justos et probos *in solio* regio *collocat* Deus *in perpetuum* — id est, quoad vivunt: et ut in filios ac posteros quoque, si paternæ justitiæ imitatores fuerint, regnum transmittant.

℣. 10. *Revelabit aurem eorum* [1]. Id est, indicabit eis clare et aperte, ob quæ sua scelera puniantur.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 34.

ibunt per gladium, et consumentur in stultitia.

13. Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint.

14. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos.

15. Eripiet de angustia sua pauperem, et revelabit in tribulatione aurem ejus.

16. Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.

18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.

19. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine.

20. Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis.

21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.

23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?

24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.

℣. 13. *Neque clamabunt hypocritæ* ad Deum: quia etiam dum corripiuntur et puniuntur, nolunt videri deliquisse, quare nec liberabuntur a Deo: sed, ut sequitur,

℣. 14. *morietur in tempestate* — Hebraice, *cum rugitu*, id est horribili morte: vel, ut LXX et Chaldæus vertunt, *in adolescentia sua*, id est intempestiva et præmatura morte.

Et vita eorum inter effeminatos — Hebraice, *inter cinædos*, qui ob fœdissimam turpitudinem solent exosi esse Deo et hominibus, et fere violenta ac probrosa morte in prostibulis cadere: unde LXX legunt, *vita eorum vulnerata ab angelis*.

℣. 15. *Pauperem* vero humiliter resipiscentem, et ad Deum pie clamantem: et consequenter *te* quoque, si talis esse volueris,

℣. 16. *Salvabit de ore angusto*, seu angustiæ, quasi ex rictu feræ pessimæ eductum. Per prosopopœjam enim tribuit *angustiæ*, ac si fera esset, os hians ad devorandum. Et vero miseriis conteritur et absumitur paullatim homo, quasi dentibus feræ crudelissimæ. Vel, si mavis aliam metaphoram, absorbetur quasi hiatu foveæ profundissimæ, *et non habente fundamentum*, seu fundum, *subter se*, ex quo possis emergere. Quod S. Gregorius moraliter de immenso *vitiorum profundo*; Philippus et quidam alii in Catena, allegorice de *inferno* exponunt. Ex quo Deus te, si resipiscens opem ejus inclames, *latissime salvabit*; hebraice et chaldaice, *dilatabit te ne* amplius *sis in angustia: et erit requies mensæ tuæ plena pinguedine* — Id est, omnibus bonis ac deliciis quiete affluës, ac si mensæ instructissimæ assideres. Hæc expende, o Job: et sano consilio obsequere. Jam enim, ut palam constat,

℣. 17. *Causa tua quasi impii judicata est*, seu convictus es impius esse. Unde et impiæ causæ *judicium*, id est pœnam, *recipies*, si pergas impius esse. Sed jam resili, si sapis, et evita deinceps peccata ob quæ puniris.

℣. 18. *Non* amplius *te superet ira: nec multitudo donorum inclinet te* ad injusta judicia.

℣. 19. *Depone magnitudinem*, seu superbiam animi tui, *absque tribulatione*, id est, spontanee et ultro, neque exspecta, ut novis tribulationibus ad id compellaris a Deo. *Depone* etiam *omnes robustos fortitudine* — quos hinc inde judices et exactores constitutos habes: nam si pergas illos fovere, et ipsi violente pauperes opprimant, ut solent, peccata illorum in te recident.

℣. 20. *Ne protrahas noctem*, justo diutius stertendo, vel comessando, sed tuis perinde ac tibi invigila: *ut ascendant populi pro eis* — Id est, ut subditi et clientes tui possint tempore commodo pro causis et negotiis suis te semper interpellare.

℣. 24. *De* Deo, divinisque operibus,

25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.

26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis.

27. Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum:

28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum,

30. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

31. Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus.

32. In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat.

33. Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.

cecinerunt viri eruditi, insignes Philosophi, Theologi, Prophetæ. Quin et

℣. 25. *Omnes homines vident eum*, seu cognoscunt, sed *procul*, et a longe, nempe non *intuitiva*, sed abstractiva cognitione: si nempe velint vel tantillum oculo mentis attendere: nam ex fabrica et gubernatione mundi, adeoque ex omnibus operibus ejus ac creaturis, quasi ex certis vestigiis, Deus creator agnosci potest: ita S. Gregorius.

℣. 31. *Per hæc*, nempe fulgura, pluvias, imbres, et alias tempestates, *judicat*, id est terret, *populos*, simul et pascit eosdem.

℣. 32. *In manibus* suis, seu apud se, cum vult, *abscondit lucem*, ne nobis appareat, v. g. per noctem, per densas nubes, per subtractionem radiorum miraculosam, ut fecit Exodi 10 in Ægypto, et Matth. 27 in passione Christi.

℣. 33. *Annuntiat de ea* luce *amico suo*, id est, amicis suis eam impertit, ut fecit Israelitis Exodi cap. 10, vers. 23, eo *quod possessio* illorum *sit*, et jus habeant ad lucem, quasi ad propriam hereditatem, nam propter illos et lucem et alia omnia Deus creavit: unde *et ad eam ascendere possunt*, seu pertingere, et compotes illius fieri, tum in præsenti, tum in futura vita. Nam hæc non tam ad litteram de *lumine naturali*, quam allegorice, de *lumine fidei et gratiæ*: et anagogice, de *lumine gloriæ*, S. Gregorius, S. Thomas et alii Patres ac Doctores interpretantur.

CAPUT XXXVII.

Ex fulmine, tonitru, ventis, imbribus, et horum mirabilibus effectibus concludit tandem Eliu, inscrutabilia esse Dei judicia, sicut etiam est ejus potentia, majestas et sapientia, unde monet Jobum, ut se nutui divino penitus subjiciat, integreque permittat.

1. Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.

2. Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem.

3. Subter omnes cælos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ.

4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ: et non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.

℣. 2. *Terrore vocis ejus*, id est tonitru, quod *de ore*, id est imperio, Dei *procedit*. Videtur enim vulgi opinione Deus quando tonat, vociferari more hominis irati.

℣. 3. *Subter omnes cælos*, id est omnia sublunaria, *ipse considerat* — perlustrans suo fulmine, quod quasi facem infert in omnia etiam abditissima loca.

℣. 4. *Post eum* sic omnia suo fulmine lustrantem; hebraice est, *post ipsam*, nempe lucem; vel, *post ipsum*, fulmen, *rugiet sonitus* tonitrui. Licet enim tonitru præcedat fulmen: fulmen tamen prius a nobis conspicitur.

Et non investigabitur — Id est, non poterit perfecte ab homine cognosci seu

5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia.

6. Qui præcipit nivi ut descendat in terram, et hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ.

7. Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.

8. Ingredietur bestia latibulum, et in antro suo morabitur.

9. Ab interioribus egredietur tempestas, et ab Arcturo frigus.

10. Flante Deo, concrescit gelu, et rursum latissimæ funduntur aquæ.

11. Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum.

12. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum:

13. Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.

14. Ausculta hæc, Job: sta, et considera mirabilia Dei.

15. Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?

16. Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?

17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?

18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?

19. Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris.

20. Quis narrabit ei quæ loquor? Etiam si locutus fuerit homo, devorabitur.

modus formationis, seu terminus, seu effectus tonitrui: quanto minus ipse Deus, divinaque potentia, sapientia, majestas?

℣. 7. *Qui in manu omnium hominum signat.* Hebraismus est, pro, manu seu potentia sua divina (quam singulariter exerit dum tonat, pluit, aliasque tempestates excitat), aperte ostendit se omnium hominum personas et res omnes obsignatas habere quasi sera, claustro vel sigillo, ut habent LXX. In Hebræo est, *in manu omnem hominem clausum tenet.* Nam tonando, fulminando, pluendo, ningendo, et quasvis pro libito tempestates ciendo, reipsa demonstrat, et quasi sigillis signat, se absolutum esse dominum universi et omnium hominum. Vultque *ut singuli noverint opera sua* — id est, opera hæc omnia a Deo esse, et a manu divina. Frustra ergo Franciscus Valesius, et quidam alii conantur ex hoc loco astruere, chiromantiam physicam seu naturalem, qua ex manu hominis colligatur indoles animi ejusdem, sicut et ex physiognomia vultus. Neque enim hic sermo est de manu hominis, sed de *manu Dei.*

℣. 9. *Ab interioribus,* id est, ab australi et meridionali plaga, seu polo antarctico, qui nobis perpetuo absconditur, quasi intra terræ viscera, ut dixi c. 9, v. 9. Inde oritur *tempestas,* seu ventus tempestuosus, quia calidus et humidus, pluviarum parens. *Ab* opposito vero *Arcturo,* seu septemtrione frigidi venti procedunt. Vide ibidem.

℣. 13. *Sive in terra sua* — Id est, tota aliqua regione.

℣℣. 15, 16. *Numquid scis quando præceperit Deus pluviis,* id est ordinarit, *ut ostenderent lucem nubium ejus,* seu fulgura emittant? q. d. Qui tibi videris omnia scire, scisne quo tempore et qua ratione nubes, totæ aqua cum sint, tamen fulmen et ignem ejaculentur? Et *magnas et perfectas scientias?* — Id est, multaque alia de nubibus et aliis rebus naturalibus vere stupenda et scitu dignissima?

℣. 18. *Cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt* — Hebraice, *quasi aspectus* seu speculum *fusionis;* chaldaice, *sicut speculum fusile,* seu extensum, nitidum, splendens, durum, firmum; ut solent esse ænea specula bene tersa et polita.

℣. 20. *Quis narrabit ei,* seu digne ipso, vel coram ipso, causas et modos exponere ausit eorum quæ loquor, et jam dixi, de nubibus, fulmine, tonitru, ventis? q. d. Potius obmutescet quivis, etiam doctis-

21. At nunc non vident lucem: subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas.

22. Ab aquilone aurum venit, et ad Deum formidolosa laudatio.

23. Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest.

24. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

simus. *Si locutus fuerit*, et illa exponere voluerit, *devorabitur* — absorbebitur multitudine, profunditate et mirabilitate rerum. Quanto magis qui secreta Dei judicia scrutari tentarit, *opprimetur a gloria?* Si enim

℣. 21. *Nunc non vident lucem*, seu rationem et modum et causam lucis corporeæ non intelligunt; si enim corporalem lucem cæli quantumcumque fulgentissimam videre non possunt, cum nubibus aer obducitur; quanto minus lucem spiritualem et alia arcana divina?

℣. 22. *Ab aquilone aurum venit* — LXX *a borea veniunt nubes aurei fulgoris*, vento enim aquilonari discussis nubibus serenatur aer, et aurea lux solis et cæli emicat. Et sic cohæret versui præcedenti; q. d. [Si aureum jubar solis oculo tuo ferre non potes, qui poteris lucis illius inaccessæ et divinæ majestatis radios tolerare? ita Titelmannus, Vatablus, Mercerus. Quamquam etiam, ut in Latino sonat, proprie verum sit, ex aquilonaribus regionibus aurum prodire, inquit Franciscus Valesius [1]; nam omnes qui de metallis scribunt, Pannoniam, Bohemiam, Austriam et citeriorem Germaniam inter feraces auri provincias numerant. Et hoc sensu sic formandum esset argumentum: Quid jactas te divina arcana penetrare, qui capere non potes, neque exponere hoc naturæ arcanum, quomodo aurum non modo in calidis, sed etiam in frigidis regionibus nascatur, et quidem nobilissimum ac præstantissimum? Id vero fit tum per occultas cæli influentias, tum per antiperistasin, calore se intra viscera terræ ob externi frigoris vim cogente et condensante. Allegorice, auster, est Judæa; aquilo, frigida gentilitas; calor, est fidei fervor; aurum, charitas, justitia, gloria æterna.

Ad Deum formidolosa laudatio — supple, ascendat; hebraice, *super Deum terribilem sit laus*. Est enim Hebræis familiaris illa laudis Deo debitæ apprecatio: pro qua nos diceremus, Deo mirabilium istorum patratori sit gloria et laus: sed *formidolosa*, id est, plena timoris et reverentiæ, ob infinitam illius majestatem, nostrique vilitatem.

(1) Supr. cap. 43.

CAPUT XXXVIII.

Deus ipse se disputationi interponit, et reprehenso Eliu, ac silere jusso, docet Jobum, ceterosque omnes, divinam potentiam ac sapientiam suam esse homini prorsus incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas, et creaturarum operationes ac proprietates, quæ aciem mentis humanæ penitus effugiunt.

1. Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit:

2. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?

℣. 1. *Respondens*, id est allocutus, *Dominus Jobum:* neque enim dignabatur alloquio suo reliquos, utpote in amicum sibi carissimum valde injurios.

De turbine — Id est, e nube obscura, aut caligine procellosa, et quasi tonante. Erat hæc index divinæ majestatis ac sublimitatis. Sic apparuit etiam postea Moysi, et Israelitis Exodi 19, et Eliæ, 4 Reg. 2. Et significare volebat, calamitatem Jobi, turbinem esse cito transiturum.

℣. 2. *Quis est iste* Eliu? Nam de ipso id exponunt S. Gregorius, Titelmannus,

3. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et responde mihi.

4. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?

6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus;

7. Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?

8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens:

9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?

10. Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia:

11. Et dixi: Usque huc veniés, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum?

13. Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea?

Stuniga, Emmanuel Sa, et alii quidam. Et est hoc probabilius, quam ut Jobo aptetur, qui jam pridem siluerat. Eliu ergo tacere jusso, convertit Deus sermonem ad Jobum; simul tamen cum Jobo volebat aliis quoque præsentibus aptari sua dicta.

℣. 5. *Quis*, nisi ego, *super terram tetendit lineam?* — Chaldæus, *perpendiculum*, q. d. Quis est architectus vel latomus terræ, qui tam recta et concinna forma illam construxit, et quasi circino vel linea circulari circumducta rotundam descripsit?

℣. 6. *Bases terræ* et *lapis angularis* sunt ipsa terræ a Deo indita stabilitas, qua in loco suo firma et immota consistit, perinde ac si basibus inniteretur, et lapidibus angularibus latera undique stringentibus vinciretur: ita passim Doctores. Unde non est quod pro his basibus cum Valesio [1] confugiamus ad imam terræ partem circa centrum, quam dicit esse gravissimam, solidissimam et quasi adamantinam. Multo minus cum Thalete sentiendum, terram aquis, ut lignum innatare. Minime omnium cum Xenophane et Empedocle, immensam esse terræ profunditatem.

℣. 7. *Astra*, id est sidera proprie dicta, vel allegorice, angeli, qui *matutini* vocantur, non quod ante mundum creati sint, ut voluerunt Basilius, Nazianz., Origen., Hieron., Ambros., Hilarius, Damascenus in Catena: sed quia sub prima mundi initia creati sunt [2]. Ita Conc. Lateranense, et Doctores passim, qui addunt, angelos bonos propter excellentia tum naturæ, tum gratiæ dona, merito comparari astris semper lucentibus, numquam occumbentibus, numquam cadentibus. Iidem propter eximiam sanctitatis excellentiam vocantur hic *filii Dei*, ut patet ex LXX et Chaldæo. Porro jubilum angelorum, cujus hic est mentio, describit Isaias c. 6: *Sanctus, sanctus, sanctus*, etc.

℣. 8. *Quando mare erumpebat quasi de vulva procedens* — LXX *de ventre matris suæ*. Mater autem maris est omnipotentiæ divinæ sinus, e quo quasi infans prodiit, inquit Olympiodorus, vel est chaos illud seu abyssus Genes. 1, v. 2, unde quasi ex utero prorupit. Hebræi enim formationem et originem cujusque rei vocant egressum e *matrice*. Qua eadem phrasi etiam *Verbum* divinum Psal. 109, v. 3 dicitur *genitum ex utero* Patris.

℣. 9. *Caligine* designantur tenebræ illæ quæ erant super faciem abyssi, Genes. 1, v. 2. Porro

℣. 10. *Vectis* et *ostia* maris sunt sinus, promontoria, littora, et alii termini.

℣. 12. *Numquid post ortum tuum* (hebr. et chaldaice, *a diebus tuis*, seu ex quo natus es) *præcepisti diluculo*, id est, fecisti oriri lucem matutinam? *et ostendisti auroræ locum suum*, ubi sol vel æstate, vel hieme oriri debeat?

℣. 13. *Extrema*, hebraice et græce, *alas*, id est cardines, *terræ*, q. d. An potes tu, conservato orbe terrarum, excutere ex eo impios, perinde ac si *vestimentum stans* seu permanens integrum, mundares excusso inde *luto* et sordibus

(1) Supr. cap. 52.

(2) Gen. 2, vers. 1.

14. Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum:

15. Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.

16. Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti?

17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?

18. Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia,

19. In qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit:

20. Ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus.

21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? et numerum dierum tuorum noveras?

22. Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?

23. Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli?

24. Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?

25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui,

26. Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur,

27. Ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes?

28. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?

29. De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cælo quis genuit?

30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur.

31. Numquid conjungere valebis micantes stellas Plejadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

32. Numquid producis Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terræ consurgere facis?

33. Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?

34. Numquid elevabis in nebula

quo fœdabatur? Hoc est enim quod hic dicit, *restituetur* terræ *ut lutum*, id est, ex veste excutietur instar luti, *signaculum* — id est homo, qui est verum signaculum seu imago [1] signata Dei. Ita fere LXX et Chaldæus.

℣. 17. *Ostia tenebrosa* — Chaldæus addit, *gehennæ:* LXX *janitores inferni te videntes stupuerunt.* Id factum, inquit Chrysostomus, quando Christus in infernum descendit.

℣. 21. *Sciebas tunc* cum ego lucem crearem, etiam ante solem, Genes. 1, v. 3, *quod* et quando *nasciturus esses?*

℣. 22. *Thesauros* (Chaldæus, *apothecas*) *nivis et grandinis, præparavi in tempus hostis* — id est, quando per illa volo perdere hostes. Ut factum Exodi 9 et 13, Josue 10 et alias sæpius.

℣. 30. *Superficies abyssi* glacie *constringitur* — Phrasi Hebræa per *abyssum* potest accipi quævis aquarum vorago, etiam in lacubus ac paludibus. Quamquam constet, ipsum quoque mare non paucis locis gelu concrescere: ut de mari glaciali, et locis sub octavo altitudinis gradu, experientia constat.

℣. 31. Tune ita *junges* septem *stellas Plejadas*, ut ego conjunxi? De his egi c. 9, v. 9, q. d. Tune poteris cæli terræque ordinem pro libito mutare, ut possum ego? S. Gregorius per septem Plejadas accipit septiformem gratiam novi testamenti, quod asperæ hiemi veteris testamenti successitinstar amœni veris, cujus nuntiæ sunt Plejades.

℣. 33. *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?* — Hebraice, *statuta*, seu leges, *cæli, et imperium*, seu præfecturam, *in terra*, qua per suas influentias gubernat terram: inferiora enim hæc, inquit Aristoteles [2], superioribus cæli motionibus gubernari necesse est. Anagogice, S. Gregorius per rationem et ordinem cæli intelligit inscrutabiles causas judiciorum Dei, quas in hac vita nemini patefacit.

℣. 34. *Elevabis vocem tuam*, id est

(1) Gen. 4, vers. 26.

(2) De cælo lib. 1 etc.

vocem tuam, et impetus aquarum operiet te?

35. Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?

36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?

37. Quis enarrabit cælorum rationem, et concentum cæli quis dormire faciet?

38. Quando fundebatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur?

39. Numquid capies leænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis,

40. Quando cubant in antris, et in specubus insidiantur?

41. [1] Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

præcipies, *in nebula*; hebraice, *ad nebulam*, seu nubem, nempe ut depluat. *Et operiet te* — LXX *obediet tibi*, copiose pluendo, adeo ut etiam te cooperiat.

℣. 35. *Reverti* dicuntur *fulgura* ad Deum, cum officium suum peregerunt, et jam quiescunt. Est enim catachresis, quia omnes creaturæ ita Deo parent, ac si animo præditæ essent, inquit Chrysostomus.

℣. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* In Hebræo est *lassecui* [2]: quod Arias vertit, *contemplationi*; alii, *intellectui*, sed plerique vertunt, *gallo*. Ita etiam legunt Thalmudici et veteres Hebræi. Porro causas cur gallus post medium noctis, et ante solis ortum statis temporibus canat (quasi *a natura genitus rumpendo somno, et excitandis in opera mortalibus*, inquit Plinius) esse videtur, singularis proprietas indita illi a Deo, qua vi nativi temperamenti aeri et ignei, excitantur ei sensus illis temporibus, quibus solis accessum et influxum notabilius percipit: unde instinctu phantasiæ mox in cantum et alarum plausum erumpit. Vide Franc. Valesium.

℣. 37. *Concentum cæli*, non musicum, ut volebat Pythagoras, quem optime refellit Aristoteles [3]: sed concordem motum, ac stabilem cursum, *quis dormire*, seu cessare, *faciet?* — Utique solus Deus in fine mundi et resurrectione mortuorum. Posset etiam de ventis, tonitru, pluviis, aliisque aeris tempestatibus exponi. Nam Chaldæus et recentiores Hebræi vertunt, *utres cæli*, seu lagenas, *an cessare facies?*

℣℣. 39, 40. *Numquid capies leænæ*, seu pro leæna, *prædam?* qua animam, id est appetitum, *catulorum ejus* exsaties? q. d. Non tu, sed ipsa leæna, quantumcumque ferum animal, a natura sic facere edocta est. *Quando in specubus insidiatur* minoribus bestiis, nec audet a nido longius abscedere: tum enim singulari Dei providentia fit, ut minores et captu faciles bestiæ in casses et insidias leænæ incurrant.

℣. 41. *Quis*, nisi similis Dei providentia, *præparat escam pullis* corvorum a parentibus jam desertis, et *ad Deum* flebili crocitatione *clamantibus*, et circum nidum *vagantibus*, ut escam aliquam reperiant? Nam, ut Aristoteles, Plinius, Ælianus et alii tradunt, corvi seu innata truculentia, seu potius oblivione, negligunt pullos suos, etiam cum adhuc in nidis degunt: cum vero volare cœperint, propter ingluviem, inquit Chrysostomus, contra reliquarum avium morem, nido statim exturbant. Quibus undique escam quæsitantibus et quasi emendicantibus, singulari cura prospicit Deus de rore, de muscis, deque aliis vermiculis in vicinia enatis, quibus tantisper aluntur, quoad assueti volatui, ad cadavera deferantur. S. Gregorius, S. Thomas et Lyranus dicunt corvum pullos suos, primis septem diebus ideo deserere, quia implumes albi sunt, et parenti dissimiles. Sed e priscis probatisque historiis nil tale habemus; inquit Valesius [4].

(1) Psalm. 146, 9.

(2) לשכוי.

(3) Sup. lib. 2.

(4) Sup. cap. 55.

CAPUT XXXIX.

Idem comprobat Deus ex ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione, equo et aquila: arguens Jobum quod cum Deo expostularit. Job vero culpam suam agnoscit, et se temere locutum fatetur.

1. Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?

2. Dinumerasti menses conceptus earum, et scisti tempus partus earum?

3. Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt.

4. Separantur filii earum, et pergunt ad pastum: egrediuntur, et non revertuntur ad eas.

5. Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit?

6. Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis.

7. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.

8. Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit.

9. Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te?

11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi quod sementem reddat tibi, et aream tuam congreget?

13. Penna struthionis similis est pennis herodii, et accipitris.

14. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?

℣. 1. *Partus ibicum in petris* — Hebraice et græce, *caprarum silvestrium:* quas Chaldæus, *rupium ibices;* Plinius, *rupicapras* vocat. Hæ naturali sagacitate *in petris* inaccessis et in summis montium cacuminibus pariunt et jaciunt fœtus suos.

℣. 2. *Dinumerasti menses conceptus?* — Tradunt Physici, ibices, uti et cervas, uterum gestare octo mensibus præter propter: sed quo præcise die, immo qua hebdomada, pariant, constare non potest. Vide Aristotelem et Plinium [1]; q. d. Nescis, o Job, tempus partus illarum molestissimi ac periculosissimi, ut eis obstetricari possis, sicut ego quotidie facio.

℣. 3. *Incurvantur ad fœtum* summo nisu et dolore. Sed partui facilitando dicit Plinius, sese herba cesali ante purgare: *et rugitus emittunt* præ anxietate et dolore. Porro Psalmo 28, v. 9 insinuatur, horrore tonitrui *Deum præparare,* hebraice, parturire facere, *cervas.*

℣. 4. *Separantur* mox a partu *filii earum* — Nam matres recens editos fœtus statim exercent ad cursum, docent meditari fugam, ad prærupta deducunt, et saltus demonstrant. Tropologice, partus cervarum est conversio animarum, inquit S. Gregorius.

℣. 9. De *Rhinocerote* vide quæ dixi Numer. 23, v. 22.

℣. 13. *Penna struthionis* (de quo vide Deuteron. 14, v. 15) *similis est pennis herodii et accipitris* — Id est, alas habent persimiles, puta amplas et elegantes, unde et equites adhibent illas conis galearum suarum: dissimilem tamen habet struthio volatum seu potius gressum. Et ut crudelitate illos superat, ita cedit sagacitate, cum sit capite, et consequenter etiam cerebro exiguo. Tropologice, struthio typus est hypocrisis: herodius (genus est ciconiæ [2]) typus pietatis in parentes et filios: accipiter symbolum sagacitatis.

℣. 14. *Derelinquit* struthio *ova sua in terra,* seu in calidis arenis, nihil ultra

(1) Arist. de hist. Animal. l. 6, c. 29, et l. 9, c. 5 et 50; Plin. lib. 8, c. 32.

(2) S. Ambr. in Catena.

15. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

16. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore cogente.

17. Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum et ascensorem ejus.

19. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?

20. Numquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium ejus terror.

21. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Contemnit pavorem, nec cedit gladio.

23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus.

24. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.

25. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?

27. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?

28. In petris manet et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.

29. Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt.

30. Pulli ejus lambent sangui-

curans illa: sed divina providentia solo calore arenæ pulli inde excluduntur. Cui eidem providentiæ adscribendum, quod nonnisi in calidissimis regionibus, Libya et Arabia versentur, inquit Valesius [1].

℣. 16. *Frustra laboravit*, nempe deserendo et defodiendo sua ova, quia *nullo* ad id *timore cogitur*. Cum enim vasto sit corpore, equo suppar, et vastis viribus, quid est cur timeat ovis suis ab aliis bestiis? Nam

℣. 18. *Cum tempus fuerit*, seu cum periculum aliquod majus cui resistendo non sit, ingruerit, præ aliis feris habet quibus se extricet, nempe binas *alas*, quibus *in altum* erectis, quasi explicatis velis, juvatur non quidem ad volandum, sed ad currendum, tanta pernicitate, ut concitatissimum *equum* et canes venaticos effugiat, et sic illos *derideat* — Ita Plinius, Ælianus, Gesnerus et alii.

℣. 20. *Numquid suscitabis equum*, seu equos, *quasi locustas?* — ut nempe pari celeritate subsiliant et saltitent, etiam ad mensuram et ad modos musicos. Docilitas enim equorum tanta est, ut *integer Sibaritani exercitus equitatus*, teste Plinio [2], *ad symphoniæ cantum saltatione continua moveri solitus fuerit.*

(1) Supra cap. 55. (2) Lib. 3, cap. 42.
(3) Lib. 12, cap. 4.

Gloria narium ejus terror — Id est, flatus ille equi, et fumus quasi flammeus, quem per nares emittit, in quo maxime gloriatur et animositatem suam ostentat, timorem incutit hosti.

℣. 24. *Sorbet* et mordet, seu vorat, *terram* præ impatientia nimiæ moræ: *nec reputat*, id est, non curat, strepitum *turbæ* — Tropologice, S. Gregorius per equum dicit designari Spiritum sanctum, et fortes Christi athletas Martyres.

℣. 26. *Plumescit accipiter* quotannis de novo, ut novis plumis succrescentibus quasi rejuvenescat; naturali instinctu *expandens alas suas ad austrum*, sed ad flatum venti australis: qui quia lenis est et calidus, laxat corpora et poros, ut plumæ facilius excidant. Et facit hoc, inquit Ælianus [3], antequam Nilus inundet, id est ante dies caniculares, post solstitium æstivum, ut, sicut arbores novam comam, sic ipse novellas pennas ante hiemem induat. Symbolum est spiritalis renovationis, inquit S. Gregorius et Pierius [4]. Addit Ulysses Aldrovandus [5], hunc modum renovandæ juventutis, esse omnium pene avium, sed non quotannis, ut in accipitre contingit.

℣. 30. *Pulli* aquilæ *lambent sangui-*

(4) In hieroglyphico Accipitris.
(5) De Animal. in Accipitre.

nem: et ubicumque cadaver fuerit, statim adest.

31. Et adjecit Dominus, et locutus est ad Job:

32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.

33. Respondens autem Job Domino, dixit:

34. Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.

35. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam.

nem prædæ captæ. Solent enim non modo aquilæ, sed et omnes reliquæ adunci rostri aves (si milvum, et paucas alias exceperis) sitim suam restinguere non aquam potando, sed sanguinem prædæ sorbillando, ut docet Oppianus, et Ulysses Aldrovandus [1]. Quod sanctus Gregorius, Ambrosius et Chrysostomus [2] pulcre Christo et christianis allegorice adaptant.

Ubicumque cadaver fuerit, statim adest, seu advolat aquila. Idem dicit Christus Matth. 24, v. 28. Licet enim aquila, utpote rex vel regina avium, pro innata generositate, dicatur non vesci cadavere nisi quod ipsa prostrarit et necarit: quod idem narratur de leone, rege quadrupedum: certo tamen constat, tum ex his Scripturis, tum ex Ulysse Aldrovando, Gesnero [3] et aliis Physicis passim, genus esse aquilarum degener et vulturinum (unde et LXX hic vertunt *vulturem*) quod morticiniis inhiet: Aristoteles [4] vocat ὑπαίστον: Plinius [5] dicit nigris esse alis, quod alæ nigris maculis distinguantur. Allegoriam vide apud sanctos Patres jam citatos.

℣. 32. *Quiescit* — supple a respondendo: id est, silet, non respondet. Et vero quid aliud homo reprehensus a Deo respondeat, quam quod hic Job insigni modestia prudentiaque respondet? Nempe culpam agnoscendo, deprecandoque.

℣. 34. *Leviter locutus sum* — Id est, temere, nimis audacter, et re non sat mature excussa. Non quod peccarit refellendo levia amicorum dicta: sed quod ex aliqua naturali impatientia plusculum questus esset de *Deo*, ipsum *redarguens*, ut hic habent LXX, et cum eo contendere gestiens, quasi præfisus suæ justitiæ et plenæ innocentiæ, adversus inscrutabile judicium Dei, ut patet ex v. 3, c. seq. et ipsemet explicat init. c. ult.

℣. 35. *Quod utinam non dixissem* — Et hoc est illud *unum* et *alterum*, quod dolet a se semel iterumque dictum factumve, seu sæpius repetitum.

(1) Oppian. in Ixeuticis; Ulysses in Aquila.
(2) Ambr. lib. 3 in Luc., cap. 7; Jo. Chrysost. in Psalm. 102, et l. 2, hom. 34.
(3) Ulyss. in ὑπαέτῳ; Gesner. in Aquila.
(4) Supra lib. 9, cap. 32.
(5) Lib. 19, cap. 3.

CAPUT XL.

Idem confirmat Deus ex elephante et balena: docetque potentiam et sapientiam suam sublimiorem esse, quam ut ab ullo mortalium comprehendi possit, absit reprehendi.

1. Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit:

2. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et indica mihi.

3. Numquid irritum facies judicium meum: et condemnabis me, ut tu justificeris?

4. Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?

5. Circumda tibi decorem, et in

℣. 2. *Accinge sicut vir lumbos tuos* — LXX addunt dixisse Deum Jobo, *Minime*, supple volo te tacere: sed para te virili animo ad mecum disceptandum.

℣. 3. *Numquid irritum facies judicium meum*, nempe quo te affligo? Hebraice, *dissipabis*; LXX *repelles*, quasi iniquum et injustum? *ut tu justificeris* — id est, justus et innocens declareris et appareas.

℣. 5. *Esto gloriosus, et speciosis induere vestibus* — Hebraice, græce et

sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.

6. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.

7. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo.

8. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam:

9. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.

10. Ecce behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet:

11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.

12. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt.

13. Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

14. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.

chaldaice, *gloriam et decorem indue*, q. d. Age, magna et mira operando, ut ego facio, declara te dignum esse gloria et decore.

℣. 10. *Ecce behemoth* — id est, *bestiæ*: et significat *elephantem*, qui propter ingentem corporis molem est instar multarum bestiarum: ita S. Thomas, Lyranus, et passim Hebræi: et patet ex sequentibus. Quæ S. Gregorius, Olympiodorus, Nazianzenus et alii allegorice *diabolo* adaptant.

Quem feci tecum: LXX apud te; q. d. Tam grandem et terribilem bestiam curavi, ut tecum habitet, tuisque usibus serviat. *Et fœnum quasi bos comedet* — non vero carnes, ut leo: sed vili pabulo est contentus.

℣. 11. *Virtus illius*, seu robur, est *in lumbis et umbilico* — Quæ partes in aliis animantibus sunt teneriores, in elephante sunt robustissimæ, eo quod e spina dorsi deducti nervi umbilicum fortissime devinciant, adeo ut et turres cum pluribus armatis militibus dorso impositæ, cingulo sub ventre constricto firmentur: quam constrictionem, nisi ventre esset durissimo, ferre ibidem non posset. S. Hieronymus [1] putat his nominibus *lumborum* et *umbilici* honeste designari, sed sensu tropologico, viri et feminæ genitalia, quibus ut potentissimis armis, ad eos et alios proeternendos dæmon ut plurimum utitur: ita etiam Origenes, Olympiodorus, S. Gregorius, Beda et alii.

℣. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum* — non propter altitudinem (quia breviore cauda est elephas), sed rectitudinem et firmitatem. Allegorice, cauda diaboli est Antichristus in fine mundi affuturus, inquit S. Gregorius, et alii.

Nervi testiculorum ejus perplexi, sicut rami arboris, et funes mutuo implexi. Tropologice sunt mira artificia et argumenta, quibus dæmon homines ad libidinem provocat et implicat, ut difficillime extricentur.

℣. 14. *Ipse est principium viarum Dei* — Id est, præcipuum operum et animalium terrestrium a Deo procreatorum, sive magnitudinem spectes, sive fortitudinem, sive comitatem (de qua v. 15), sive docilitatem et quasi prudentiam naturalem, qua et linguas rectorum intelligere et distinguere norunt, tripudiare, scribere, reges et Deum adorare assuescunt, et alia pene incredibilia faciunt, de quibus fuse Plinius, Ælianus, Cicero, Oppianus, et pulcre Lipsius [2]. Allegorice, S. Gregorius, Hieronymus, Isidorus et S. Thomas in Catena, id primo angelorum Lucifero, adaptant.

Qui fecit eum, creator ejus, *applicabit* ei *gladium ejus*, seu suum — Id est, adeo fortis est elephas (allegorice diabolus) ut a solo Deo compesci et occidi posse videatur: LXX vertunt, *ut eluderetur ab angelis ejus*; quod proprie in Luciferum quadrat.

℣. 15. *Omnes bestiæ agri ludent ibi* — juxta elephantem tutæ et ludibundæ versantur. Cum enim sanguinarius non sit, nec carnibus, sed solis herbis vescatur, non est cur reliquis bestiis terrori sit, quin, etsi quid subinde adversus tam potentem belluam moliantur, nonnisi ludere, illamque oblectare videntur. Sic

(1) Epist. 20.

(2) Conc. 1, epist. 50.

16. Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus.

17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.

18. Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur: et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.

19. In oculis ejus quasi hamo capiet eum, et in sudibus perforabit nares ejus.

20. An extrahere poteris leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus?

21. Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus?

22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum?

24. Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?

impii, quamdiu impii manent, quantacumque videantur moliri pro republica, pro Ecclesia, pro Deo, nonnisi lusum diabolo faciunt, et operam ludunt. Quem mysticum sensum LXX expressisse videntur, cum vertunt, gaudium fieri *in tartaro*.

℣. 16. *Sub umbra*, in locis umbrosis, *dormit in secreto calami* — id est in arundinetis, ubi calami sunt plurimi, densissimi, altissimi: nempe ibi quærit et invenit refrigerium: ita ex Aristot. S. Thomas, Mercerus et alii.

℣. 18. *Absorbebit fluvium, et non mirabitur* — Id est, non putat rem grandem aut difficilem esse, si fluvius vel torrens illi exsorbendus esset. Hyperbole illa denotatur, quanta aviditate et copia bibat elephas, quia vasto, terrestri et sicco est corpore; ob melancholicam complexionem, teste Aristotele [1] et aliis.

℣. 19. *In oculis ejus*, id est, palam vidente elephante, nec resistere valente, *capiet eum* (divina providentia) venator, *sicut* piscem piscator capit *hamo* — Videtur alludere ad vulgarem morem quo bellua illa, vastissima licet et robustissima, tamen facili negotio se capi sinit. Nempe in foveam ante paratam a venatoribus adacta et delapsa, cum ab illis in parte corporis teneriore, puta oculo vel nare, fodicatur et vulneratur, ex composito accurrenti alteri, qui illos vulnerantes abigit, et famelicæ belluæ hordeum, cibum illi gratissimum subinde porrigit, ipsa se illi gratitudinis ergo, ut vitæ servatori ac benefico pastori, sponte subjicit. Ita Albertus Magnus, S. Thomas et alii apud Gesnerum,

(1) Supra lib. 8, cap. 19.
(2) Lib. 9, cap. 30.
(3) Basilius apud Ambr. in Hexameron; Theodor. in cap. 1 Genes.; Olaus de Gentib. septemt. l. 21, cap. 25 et 26.

qui ex Aristotele et Æliano plures alios modos suggerit capiendi et cicurandi elephantes. Et hactenus de terrestri bellua: jam de marina omnium maxima et terribilissima.

℣. 20. *Leviathan* — LXX *draco*. Nomine hoc hebraice designatur quivis maximus piscis: hic vero cetus seu balena, non ex vulgaribus istis, quæ mare Balthicum vel Mediterraneum incolunt, sed ex horrendis illis Oceani monstris, de quibus Plinius [2] commemorat, unam subinde balenam in mare Indico longam esse 960 pedes, et vastitate corporis adæquare quatuor jugera. Et ut S. Basilius, Ambrosius, Theodoretus, et Olaus Magnus [3] notant, cum ejusmodi belluæ e mari prominent, instar insularum esse videntur, in quas incauti nautæ si impegerint, in profundum cum universa navi decutiuntur. De hoc ceto ad litteram locum hunc exponunt etiam Aquila, Symmachus, Theodotion, Hebræi, Græci et Latini passim. Allegorico sensu (et quidem a Spiritu sancto præcipue intento) applicatur Lucifero, excellentissimo et superbissimo angelorum, qui incarnatione Filii Dei, et cruce Christi, quasi hamo captus est, inquit Origenes, S. Athanasius, Cyrillus, S. Gregorius, Olympiodorus et Philippus in Catena. Similia habes Isaiæ 14, v. 12, et Ezechiel 28, v. 12 de Nabuchodonosore, et de rege Tyri sub typo Luciferi: et Apocal. 12, v. 1 de muliere sole amicta, etc.

℣. 22. *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* — Id est, supplex tibi fiet quasi a te devictus?

℣. 24. *Numquid* aut *illudes ei quasi avi*, ut solent pueri? *aut ligabis*, seu

25. Concident eum amici, dividentillum negotiatores?

26. Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius?

27. Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui.

28. Ecce, spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur.

alligabis, *eum* filo *ancillis* (hebraice et chaldaice, puellis) *tuis* — ut cum vincto ludant, seque recreent.

℣. 25. *Concident eum amici* et *negotiatores* in frusta, quasi bovem, et concisum inter se *dividentur* — ut solent alias merces, q. d. Nulli homini possibile esset illum capere, aut captum in siccum attrahere, atque in frusta concidere, nisi divina mea providentia, ipse vel se incautius in siccum ejicere, vel ancora devorata, vel alio artificio in littus attraheretur. Vide de hoc etiam quæ dixi c. 3, v. 8.

℣. 26. An capti *illius capite implebis gurgustium piscium?* id est, *fiscellam*, vel melius *tugurium* piscatorum.

℣. 27. *Pone super eum manum tuam*, si audes, et periculum vis facere, sed *memento belli*, ab eo tibi imminentis: nam ni caveris, ita te tuosque omnes excipiet, ut æternum recorderis suscepti temere negotii, *nec ultra addas loqui* — id est, nec deinceps ausis simile quid vel cogitare, vel attentare. Quicumque enim attentarit,

℣. 28. *Frustrabitur eum spes ejus*, quam de eo capiendo ceperat. Hebraice, *nonne etiam ad aspectum ejus* belluæ *cadet* vel proripiet se?

CAPUT XLI.

Fusius explicat robur balenæ: ut inde clarius eluceat divina potentia et sapientia et dominium absolutum, etiam in omnes alias creaturas.

1. Non quasi crudelis suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?

2. Quis ante dedit mihi ut reddam ei? Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.

3. Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.

4. Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit?

5. Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.

6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.

℣. 1. *Non quasi crudelis suscitabo eum* — Id est, non est indicium crudelitatis, quod belluam tam immanem, tam noxiam aliis creem (per consequens, neque quod tibi, o Job, tam acerbas pœnas infligam:) sed argumentum est meæ potentiæ, sapientiæ et dominii in omnes creaturas.

℣. 3. *Non parcam ei* (Leviathan), et consequenter nec tibi, o Job, si sic mihi libuerit. Nec cedam *verbis* seu *potentibus*, seu *ad deprecandum compositis* — Id est propter nullius aut minas, aut preces desinam ferire, lædere, perimere, si sic animo collibitum fuerit meo. Possum enim facile ego, quod nemo alius potest vel audet. Nam

℣. 4. *Quis revelabit*, seu revelare possit vel ausit, *faciem indumenti* Leviathan, id est, qui possit cetum excoriare, vel pellem detrahere? Hebræis enim *facies indumenti*, seu indumentum, est pellis, quæ est quasi superficies corporis. Aut *in medium oris ejus quis intrabit*, ad frenum ei in os injiciendum?

℣. 5. *Portas vultus ejus*, id est, rictum et labia ejus, *quis aperiet*, tam terribili vi dentium armata?

7. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas:

8. Una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.

9. Sternutatio ejus splendor ignis, et oculi ejus, ut palpebræ diluculi.

10. De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.

11. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis.

12. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur.

13. In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedit egestas.

14. Membra carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur.

15. Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.

16. Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur.

17. Cum apprehenderit eum gla-

℣. 9. *Sternutatio ejus*, seu aquæ eructatio, *splendor ignis* — Tanto enim impetu et vi eructat aquam, ut dispersa et dissiliens in subtilissimas guttas, vel vapores, eminus ignis potius fulgens, quam crassa aqua videatur. Quod sanctus Jo. Chrysostomus et S. Thomas dicunt, eum dum sternutat, videri flammas ignis ejaculari:

Et oculi ejus lucentes et flammei (quod nocte maxime advertitur) *ut palpebræ diluculi*, seu auroræ, ut vertit Chaldæus; LXX habent, *ut species Luciferi*, quem, quia auroram præcedit, vocat Olaus Magnus [1] *palpebras auroræ*. Habet enim cetus oculos lucentes et flammeos: unde et eminus videntur a nautis, et tempori evitantur. Allegorice diabolus, proprie dictus Lucifer, se transfigurat in angelum lucis, inquit Origenes et Olympiod.

℣. 10. *De ore ejus lampades procedunt* — Flammas enim (ob ea quæ v. 9 dixi) evomere videtur, tum maxime cum halitum emittit, et aerem interno calore pene succensum efflat, ut novum recentemque hauriat. Ejus enim halitus calor tantus est, ut *prunas ardere faciat*, seu facere posset, v. 12. Licet enim plerique pisces pulmone careant, neque respirent, ut contra Democritum et Anaxagoram, optime docet Aristoteles [2], itemque contra Plinium et Tertullianum Rondeletus et Conimbricenses [3]. Nam ad refrigerium nativi caloris sufficit illis aqua, ad spiritus vero animales fovendos sufficit calor nativus et sanguis. Tamen certum est, nonnullos pisces habere pulmones, et per eos respirare, puta delphinos, physeteres et balenas: unde et fistulam in capite prominentem habent per quam respirant. Quia tamen frigidiore sunt complexione, ideo minus frequenti respiratione egent: et pulmones eorum, utpote exsangues et minus fungosi, ubi semel aerem imbiberint, sat diu sine nova attractione, possunt cor refrigerare: si tamen justo diutius sub aqua detineantur, emori certum est, ut accidit subinde delphinis reti conclusis, et nimis diu sub aqua detentis: ita Aristoteles, Rondeletus, Conimbricenses et alii physici. Tropologice Lucifer, ejusque ministri flammas irarum, persecutionum et tentationum in christianos evomunt, inquit S. Gregor. et S. Thomas.

℣. 13. *In collo ejus morabitur fortitudo:* nam circa collum robustissima est hæc bellua: et ante *faciem præcedit egestas* — LXX *currit perditio*, nempe unica et sola, nam omnia alia devorat vel fugat; hebraice et chaldaice est, *coram eo exultabit dolor*, nempe qui unicus et solus, fugatis vel devoratis aliis omnibus, reliquus manet.

℣. 14. *Mittet* Deus *contra eum fulmina* (sic legendum, non *flumina*, ut legerunt Lovanienses), nil læditur, nil timet, licet directe in illum unum missa et vibrata, nec *ad alium locum ferri* videantur, q. d. Cæleste fulmen et tonitru, quæ omnia alia animantia quasi exanimant, unum cetum non terrent. Potius *stringetur*, et magis magisque compingetur et indurescet *cor ejus* fulmine percussum, sicut *incus malleo* percussa: ita S. Thomas. Clarum hoc in obduratione diaboli, inquit S. Gregorius.

℣. 16. *Cum sublatus* in altum *fuerit*,

(1) Supra cap. 15. (2) L. 1 de resp. c. 1. (3) Plin. lib. 9, cap. 7; Tertull. lib. de Anima, cap. 10; Rondelet. lib 3 de Piscibus, cap. 11, et lib. 4, cap. 9; Conimbr. de respir., cap. 5.

dius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax:

18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs.

19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.

20. Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam.

21. Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum.

22. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt.

23. Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem.

24. Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.

25. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

erigens se supra undas, *timebunt* etiam *angeli:* hebraice et chaldaice, *fortes* et robusti sicut angeli, id est, robustissimi quique, *et territi pugnabuntur* — soluta alvo præ timore, inquit Emmanuel Sa et Mariana.

℣. 21. *Sub ipso erunt radii solis*, quia illos quasi in sua potestate habet, ut, quando volet incalescere, diductis loricis et squamis, pro libito eos excipiat: sin nolit, conclusas teneat, et quasi ferreum et impervium montem sese illis opponat.

Sternet sibi aurum quasi lutum — Id est, merces aureas et pretiosas, quæ magna copia navigiis quaquaversum vehuntur, ipse diripit, dissipat, dispergit, confractis navibus, nec pluris facit immensos thesauros, quam lutum, quod pedibus ejus in fundo maris substratum jacet: ita S. Thom.

℣. 22. *Fervescere faciet mare* suo motu, agitatione, halitu et vomitu jam dictis.

℣. 23. *Post eum lucebit semita*, id est, ex fluctuum concussione et spumis relinquet post se aquam albicantem, et *abyssum quasi senescentem* — id est, mare canescens (ut est in Hebræo et Chaldæo), præ alba spuma.

℣. 25. *Omne sublime videt*, nempe interritus et immotus: quia *ipse* instar regis eminet *super universos filios superbiæ* — Hebraice, *filios elationis;* chaldaice, *filios montium:* id est, super omnia alta et elata animalia. Unde LXX vertunt, *ipse est rex omnium quæ in aquis sunt.* Hebræis enim familiare est, tribuere *filii* nomen etiam *bestiis*, ut Psalm. 28, v. 1: *Afferte Domino filios arietum:* ita Vatablus, Aben-Esra, Mercerus et alii. Allegorice in diabolum omnia optime quadrant, quo noster Interpres respexisse videtur.

CAPUT XLII.

Job iterato culpam agnoscit coram Deo, veniamque petit et impetrat: laudaturque a Deo præ amicis, qui jubentur per holocausta et intercessionem Jobi, reconciliari Deo. Job duplicia omnia recuperat, et plenus dierum in pace quiescit.

1. Respondens autem Job Domino, dixit:

2. Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.

3. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam.

4. Audi, et ego loquar: interrogabo te, et responde mihi.

℣. 3. *Quis est iste* tam audax, tam perfrictæ frontis, *qui celat*, seu celatum esse putet Deo, aliquod *consilium absque scientia?* id est, rem aliquam absconsam et secretam esse, absque quod sciat Deus: quasi Deo aperire quis aliqua de novo, vel illum docere se posse speret. *Ideo* fateor me valde *insipienter locutum* esse, dum dixi Deo quæ sequuntur:

℣. 4. *Audi, et ego loquar: interro-*

5. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.

6. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.

7. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

8. Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

9. Abierunt ergo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Job.

10. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum ora-

gabo te, cur me ita judices, etc., *et responde mihi* — Hæc enim verba videri possent et ab animo plusculum sibi præfidente profecta, et in Deum, quasi non sat gnarum omnium, vel saltem non sat singulis attendentem, injuriosa. Unde et me *pœnitet* dictorum, et ultro *me reprehendo,* meamque inscitiam lubens agnosco: maxime cum tam prolixa instructione tumet, o Deus, coram erudire me dignatus es. Hactenus enim

℣. 5. *Auditu auris audivi* quidem *te* aliquando, seu per internas, seu per externas inspirationes mecum loquentem: *nunc autem* majore me dignatus es beneficio, nempe ut etiam *oculus meus videat te* — sensibili et visibili forma mihi præsentem, meque docentem. Ut mirum non sit, omnia mihi jam clarius certiusque constare, meque magis et melius erga te affici, quam ante: ita sanctus Thomas. Hactenus rythmice omnia, ut dixi initio cap. 3. Quæ jam sequuntur prosa conscripta sunt.

℣. 7. *Iratus in te, et in duos amicos tuos* — Sic etiam in Græco est et Chaldæo. An ergo non iratus fuit Deus etiam tertio Eliu? Fuit profecto, sed hominem incredibili fastu, et falsa opinione sapientiæ turgentem, uti statim ab initio silere jusserat Deus initio c. 38, ita nunc negligit, fastidit, et quasi ignotum præterit, qui *humilia respicit, et alta a longe cognoscit* [1].

Non estis locuti rectum, sicut servus meus Job — Damnat ergo hic Deus amicos quasi qui a scopo aberrarint; Jobo vero, quia rem acu tetigit, causam addicit et palmam. Certum enim est, non solos sceleratos et Deo exosos ab eo affligi in hac vita, quod urgebant amici, sed etiam pios et sanctos, quod Job contendebat. Petulantius etiam et acrioribus verbis, quam deceret, incurrerant in afflictum, unde et jubentur supplices illi fieri, et venia ab Jobo petita, preces quoque ejus ad Deum pro se deposcere. Quod cum prompto animo faceret Job,

℣. 9. *Suscepit Dominus faciem Job* — id est, exaudivit preces ejus pro illis fusas. Quin et

℣. 10. *Ad pœnitentiam Job,* Pagninus, *ad conversionem Job,* id est, simulatque pœnituit Job de suis defectibus, v. 6, et toto corde conversus est ad Deum, simulque *orat pro amicis suis,* licet erga se non valde amicis; intuitu utriusque tamen pii operis, *Dominus quoque conversus est,* hebraice et chaldaice, *Dominus convertit captivitatem Job,* id est, Deus a captivitate dæmonis Jobum exsolvit, neque amplius reliquit illum in ejus potestate. Hinc et ex omnibus supra dictis patet, non admodum diuturnam fuisse hanc Jobi afflictionem, nec nisi paucis mensibus, ut summum durasse. Nam amici Job, simulatque eis innotuit illius infortunium, solandi juvandique ejus causa adcurrerunt. Disceptatio vero illa omnis quæ intercessit, paucis diebus expediri potuit. Disceptationi Deus finem cito imposuit, simulque Jobum malis omnibus exemit. Vide quæ dixi in Chronico cap. 16 in fine.

Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia — Etiam annos vitæ, ut ibidem dixi, et Rabbini diserte affirmant. Filiorum tamen et filiarum numerum non auxit, quia alio-

(1) Psalm. 137, vers. 6.

ret illi pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia.

11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus: et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam.

12. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ.

13. Et fuerunt ei septem filii, et tres filiæ.

14. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii.

15. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum.

16. Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex plenus dierum.

quin ex pecorum et reliquarum opum multiplicatione familia non evasisset auctior et ditior.

℣. 11. *Cuncti moverunt super eum caput* — partim præ compassione, partim præ stupore et admiratione, ut habent LXX.

℣. 14. *Nomen unius*, seu primæ filiæ, *vocavit Diem*, eo quod pulcra esset tum corpore, tum mente, instar splendidæ diei. *Nomen secundæ*, *Cassiam*, quod nobilis et gratiosa esset, instar aromaticæ cassiæ. *Et nomen tertiæ*, *Cornustibii*, quod elegantissimo esset vultu, quasi tota stibio depicta, quo facies et oculi præsertim inungi solent: ita sanctus Thomas. Olympiodorus vero, Vatablus et Mercerus, dicunt Job ea nomina filiabus indidisse in memoriam et monimentum utriusque suæ fortunæ, adversæ et prosperæ, quasi jam ex miseriarum *tenebris* ope divina rediisset ad felicitatis *diem*: a *pedore* ad *fragrantium*: ex *sordibus* ad *nitorem*. Porro pro *cornustibii* LXX vertunt, *cornu Amaltheæ*, id est cornu copiæ: alludentes ad fabulam Poetarum, qui capram *Amaltheam* finxerunt *nutricem* esse *Jovis*, e cujus proinde *cornu* Jupiter omnia bona hauserit: ita Olympiodorus. Qui et tropologice *tres* istas *trium* filiarum Job proprietates applicat *tribus justorum statibus*, primo, incipientium; secundo, progredientium; tertio, perfectorum. S. Gregorius allegorice, de *tribus humani generis statibus* exponit primo, de primis parentibus in gratia creatis; secundo, de nobis omnibus per gratiam Christi redemptis; tertio, de resurrecturis ad gloriam sempiternam.

Coronidis loco, breviter ex antedictis contraham hic in unum, quibus in rebus Job figura et typus fuerit Christi. Primo, Job rex fuit Idumææ: Christus rex cæli et terræ. Secundo, Job excidit omnibus bonis et opibus suis: Christus, omnibus etiam vestibus exutus, nudus pependit in cruce. Tertio, Job filiis simul omnibus et filiabus una hora privatus fuit: Christum captum omnes ejus Apostoli deseruerunt. Quarto, Job omnes pene morborum et dolorum species sustinuit, ulcerosus a capite usque ad talos: Christo totum corpus flagris concisum, manus, pedes clavis, caput spinis confossum fuit, et omnia membra doloribus acerbissimis excruciata. Quinto, Job in animo sensit ingentem mœrorem, tædium, scrupulos, anxietates: Christus in horto cœpit pavere, tædere, tristari et mœstus esse ad

mortem usque. Sexto, Job ab amicis quoque, immo et a propria uxore, gravia probra sustinuit, dictus impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris, etc. Christus a principibus sacerdotum et magistratibus, adeoque tota synagoga audivit impostor, blasphemus, seditiosus, et quid non? Septimo, in Jobo vexando et affligendo dæmon, laxatis sibi a Deo habenis, omnes suas vires exeruit: sed multo magis exeruit in Christo. Octavo, Job queritur, se ab omnibus, etiam ab intimis amicis, derelictum: Christus etiam ad Patrem suum cælestem exclamat, *Ut quid dereliquisti me?* Nono, Job omnia hæc mala sustinuit incredibili patientia, humilitate et constantia, sed exclusa morte. Christus usque ad mortem inclusam, mortem autem crucis. Decimo, Jobo reddita omnia duplicia: Christo omnia centuplicia.

Ecce, sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator. Jacobi 5, vers. 11.

LIBER PSALMORUM

Unicus apud Latinos, sed in quinque libros dissectus apud Hebræos, rhythmo seu carmine (inquit S. Dionysius, Hieronymus et Isidorus (1)) recenset breviter omnia gesta veteris Testamenti, et pleraque gerenda in novo. Hinc multi Psalmi veræ sunt prophetiæ : et ut tales varia subinde argumenta tractant, nullo servato ordine seu temporum, seu rerum, neque habent inter se connexionem. S. Aug. (2), Theophyl., Euthymius, et hos secuti Emmanuel Sa, Mariana et quidam alii, volunt, solum Davidem omnium Psalmorum fuisse auctorem. Sed in fine Psalmi 71 desinere dicuntur Psalmi Davidis: et mox subnectuntur Psalmi Asaphi prophetæ. Et 2 Paral. 29, v. 30 præcipit Ezechias Levitis, ut cantent Psalmos non modo Davidis, sed etiam Asaphi. Unde multo probabilius S. Hieron., Hilarius et Hebræi censent, varios Psalmos a variis Prophetis compositos esse, iis nempe qui in titulis subinde prænotantur, v. g. *Moyse, Asaph, Ethan, Heman, Idithum, Salomone*, et *tribus* filiis *Core*, sed plerosque a *Davide*. Quos deinde Esdras simul omnes in unum volumen compegit. Scripti sunt primum hebraice, sed postmodum (una cum aliis libris veteris Testamenti) a variis in Græcum translati, et nominatim a S. Luciano Martyre: cujus translationem in Latinum deinde conversam (non vero translationem LXX Interpretum, vel S. Hieronymi, ut quidam opinantur) a S. Hieronymo correctam usurpat hactenus Ecclesia Romana. Vide Bellarminum.

PSALMUS I.

Est instar præfationis in quinque libros Psalmorum : et adhortatio ad studium pietatis, et impletionem legis divinæ. In hoc enim sitam esse felicitatem vitæ præsentis: et qui secus faxint, Deo vindice perituros.

1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit:

℣. 1. Vere *beatus* est, non qui opibus, deliciis, honoribus floret, sed *qui in consilio impiorum non abiit*, id est, qui non obsequitur malis consiliis impiorum hominum: *et in via peccatorum non stetit*, seu rationi et consuetudini vivendi ipsorum non inhæret, *neque sedit in cathedra pestilentiæ* — id est, non docuit alios falsa, impia et pestilentia eorum dogmata. LXX pro *pestilentiæ* verterunt, λοιμῶν, id est pestium. In Hebræo est *letzim*; id est, *derisorum*, seu qui divina et humana jura rident, suaque impia principia vulgo instillant, atque ita pestes sunt mundi. Designantur vero partim athei, partim hæretici: ita S. Athanasius, Origenes, Basilius et Theodoretus in Catena Græcorum Danielis Barbari. Et notant hic S. Ambrosius et S. Augustinus triplicem gradationem impietatis: primam in voculis *consilii, viæ, cathedræ*; secundam in nominibus *impiorum, peccatorum* (ex habitu) *et pestilentium*; tertiam in verbis *abiit*, obsequendo : *stetit*, inhærendo; *sedit*, alios docendo.

(1) Dion. Eccl. Hierarch , cap. 3, p. 3; Hieron. in Præfat. et alibi; Isidor. lib. 6 Etymol., cap. 2, et lib. 1 de Officiis, cap. 1.

(2) Lib. 17 de Civit., cap. 14.

2. [1] Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

3. [2] Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

4. Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

5. Ideo non resurgent impii in judicio: [3] neque peccatores in consilio justorum.

6. Quoniam novit Dominus viam justorum: et iter impiorum peribit.

℣. 5. *Non resurgent impii* (hebraice, *non stabunt:* chaldaice, *non consistent*) quia nempe cadent causa, et damnabuntur, puta *in judicio justorum, et in concilio,* seu cœtu eorumdem; q. d. Quando coram divino tribunali impii una cum justis congregabuntur, et judicabuntur; tunc impii non stabunt amplius, ut olim, erecto capite, nec consistent aut residebunt primo loco; sed præ pudore et metu vix pedibus insistent, vultu in terram dejecto; et causa ex toto cadent, palam damnabuntur; et summa cum ignominia, procul a cœtu justorum arcebuntur: ita S. Augustinus.

℣. 6. Quia *novit Dominus,* notitia approbationis, id est, probat, amat, prospe-rat, et præmio compensat, *viam,* id est vivendi modum, conatus et actiones, *justorum.* Odit e contra et perdet *iter,* id est actiones et conatus, *impiorum* — ita Theodoretus et Damascenus.

(1) Jos. 1, vers. 8. (2) Jerem. 17, vers. 8.
(3) " Vers. 5. *Neque peccatores in consilio justorum.* Peccatores hoc in loco, appellat eos, qui impii quidem non sunt, sed perversis moribus scatent: qui judicabuntur soli, et condemnati procul a justis relegabuntur. Consilium autem Aquila et Theodotion hic, justorum congregationem interpretati sunt: verum justos Scriptura appellare solet, non eos tantum, qui in propria ac peculiari justitiæ virtute exercitati sunt, sed omnes sanctos generaliter, tamquam justificatos a Deo. Euthymius Monach. „

PSALMUS II.

Vaticinium est de incarnatione, regia potestate et imperio Christi, cui frustra se opponent reges et principes terræ: nam Deus pater, qui Christum constituit regem universorum, regnum ipsius modis omnibus conservabit. Ubi cum sancto Hieronymo nota, Psalmistam (ut solent Prophetæ, sæpius in eodem Psalmo mutare personas, et in morem dialogismi varios inducere loquentes, jam Deum, jam seipsum, jam hostes suos: nec tamen semper personas has exprimere aut secernere, sed ex adjunctis secernendas lectori relinquere.

1. Quare fremuerunt gentes, [1] et populi meditati sunt inania?

2. Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus christum ejus.

3. Dirumpamus vincula eorum: et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

4. Qui habitat in cælis irridebit eos: et Dominus subsannabit eos.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

6. Ego autem constitutus sum

℣. 3. Dicunt tyranni: *Dirumpamus vincula eorum* — id est leges Dei et Christi, quibus nos tamquam funibus vincire volunt. Sed frustra id impii conantur:

℣. 6. *Ego* enim, inquit Christus, præcepto æterni Patris mei *constitutus sum rex super Sion* — id est, super universam Ecclesiam Dei, cujus typus, fundamentum et origo fuit in *Sion* arce Davidis, et templo Jerosolymitano. Vocatur

(1) Act. 4 vers. 25.

rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

7. [1] Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

8. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

9. [2] Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.

10. Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.

11. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore.

vero *mons*, propter eminentiam et firmitatem, inquit S. Augustinus.

Prædicans præceptum ejus — Hebraice et chaldaice, *prædicabo* jam, seu exponam vobis hoc patris mei *præceptum* nempe quo

℣. 7. *Dixit ad me, Filius meus es tu* — Nam eo ipso quod me genuit naturalem filium suum, constituit me heredem quoque suum universalem, et consequenter dominum et regem cæli et terræ. Genuit vero me primo, *hodie*, id est hoc momento æternitatis (inquit S. Paulus [3] et S. Augustinus): id est, semper, ab omni æternitate, et adhuc continuo omni instanti (nam quod ab æterno est, semper et continuo est), gignit me secundum divinam naturam meam, tamquam Verbum suum et filium naturalem. Secundo, *hodie*, id est, hoc meæ incarnationis die, *genuit* me secundum naturam meam humanam, creando illam, et naturæ divinæ hypostatice uniendo: sic enim de novo produxit me hominem Deum, et filium suum naturalem: ita alibi S. Paulus [4], et Origenes, Cyrillus, Theodoretus, Euthymius. Tertio, *hodie*, id est, hoc die resurrectionis meæ, secundum carnem regeneravit me, dans mihi corpus impassibile et aliis gloriosis dotibus ornatum: ita idem S. Paulus Act. 13, vers. 33, S. Ambrosius, Hilarius, Chrysost. et alii. Possunt enim unius et ejusdem loci S. Scripturæ ut propriæ significationes, ita et sensus litterales plures esse, quos Spiritus sanctus etiam immediate simul intenderit ad plura simul mysteria designanda: ita S. Augustinus [5] et Doctores passim.

℣. 8. *Postula a me* — Decretum enim Dei et prædestinatio preces nostras non excludit, inquit Mariana. Sed hic ad meritum respici videtur, q. d. Ad tres titulos, triplici generatione tibi partos, volo etiam quartus accedat, nempe meriti, quo per varios actus et passiones, quasi jure postules et exigas a me quod optas; *Et dabo tibi* quidquid optaveris, etiam *Gentes* in *hereditatem tuam:* id est, ut regnum tibi hereditarium, seu tua Ecclesia, non amplius constet solis Judæis, ut constat Synagoga, sed sit plane *catholicum* seu universale, complectens omnes nationes et populos, et quidem usque ad *terminos terræ* — nempe quotquot per fidem et obedientiam se tibi tamquam regi suo subderè volent: ita Eusebius, Didymus, Theodoretus et alii. Unde constat hunc Psalmum ad litteram non de Davide, ut volunt Rabbini, et Salianus (nam Davidi numquam obtigit tam amplum imperium), sed de Messia Davidis filio exponendum esse: ita SS. Patres et Doctores.

℣. 9. *Reges*, seu gubernabis, *eos* qui tibi rebelles et inobedientes fuerint (de quibus initio Psalmi: *in virga ferrea* — id est sceptro forti et duro [6], quo tyrannos omnes, licet potentissimos, quasi *vasa figlina confringas* et conteras, partim in hac vita, partim in futura: ita S. Hieronymus [7].

(1) Act. 13, vers. 33; ad Hebr. 1, vers. 5, et 5, vers. 5.
(2) Apoc. 2, vers. 27, et 19, vers. 15.
(3) Ad Hebr. 1, vers. 3.
(4) Ad Hebr. 5, vers. 5.
(5) Lib. 3 Doctr. Christianæ, cap. 37.
(6) Sed de virga ferrea sic statuit doctissimus noster Roa *Singul.* lib. 2, cap. 5, eam multo aptius ad Christi regis jus, doctrinamque referri: nam præterquamquod ejus rei symbolum est, non apud gentes modo, sed etiam apud Hebræos, verbum *Reges* in Hebræis idem valet, quod *pasces*, ut Psalm. XXII: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Itaque *reges eos in virga ferrea* significat; ad fidem, religionemque traduces, quæ numquam deficiet: pasces eos doctrina cælesti, divina et æterna: leges eis dabis æquissimas, sanctissimas et sempiternas. *Ferream* enim dicit Psaltes pro sempiterna: sic Jerem. 1, columna *ferrea* dicitur firma, perpetua et numquam convellenda; Mich. 4, *Ferreum cornu Ecclesiæ*, hoc est invictum, atque sempiternum.
(7) Verbum *confringes* eidem Roæ non severitatem nimiam hic significat; sed vim quamdam divinam, qua mortales ab idolorum cultu erat celerrime traducturus. Nam etiam Latinis *frangere* interdum est vincere, flectere, subjicere, emollire. Cicero 1 offic.: *Viriatus, quem C. Lælius Prætor fregit, atque comminuit*, id est, convicit, flexit, ac se se dare coegit.

12. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.

℣. 12. *Apprehendite disciplinam* — id est instructionem, doctrinam et directionem Messiæ, illique subjacete et obedite. Hebraice, *adorate pure*, vel melius, *osculamini filium* (*bar* [1] enim tam *filium*, quam *purum* seu *puritatem* significat) *Filium*, inquam, Dei, ut dixerat vers. 7; id est *Messiam*, inquit Aben-Esra, reverenter excipite, adorate, colite, ut datum vobis cælitus regem, vosque vestraque omnia illi subjicite: nam *osculum* seu manuum, seu pedum, signum est adorationis, subjectionis et obedientiæ, hoc autem fit *apprehendendo disciplinam*, id est instructionem et doctrinam Evangelii *Christi:* ita Athanasius. Vide dicta in Prolegomenis [2], et Job 31, v. 27.

(1) בר.
(2) Proleg. de Idiotismis Hebr., n. 11.

PSALMUS III.

David fugiens a facie Absalom filii sui, 2 *Regum* 15, *v.* 14, *excitat in se spem divini auxilii numquam sibi defuturi. Allegorice, convenit Christo patienti cum eumdem torrentem Cedron, quem olim David, transgrederetur: tropologice, cuivis justo diabolum et persecutores fugienti: ita Athanasius.*

1. Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui (2. *Reg.* xv, 14).

2. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

3. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

5. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.

6. Ego dormivi, [1] et soporatus sum: et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

7. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge, Domine, salvum me fac Deus meus.

8. Quoniam tu percussisti omnes

℣. 3. *Non est salus ipsi in Deo* — Hebraice additur *sela* [2], quæ cantoribus est *nota silentii*, ut ob rei gravitatem interquiescant nonnihil quasi meditabundi, et sic attentionem excitent ad rem tantam. S. Hieronymus, Aquila et Chaldæus vertunt, *semper*, supple, salus erit in Deo. Vult ergo insinuare David, intolerabilem esse blasphemiam, diffidere de divina providentia, quæ semper adest.

℣. 4. *Tu susceptor meus* — Hebraice et Chaldaice, *clypeus circa me;* q. d. Protector, adjutor, sustentator mihi es. Sic enim etiam v. 6 et alibi in Scripturis usurpatur *suscipere*.

Et gloria mea, scilicet activa, tu es, id est, glorificas me, regiam gloriam meam conservans, ornans et augens. *Et exaltans*, id est erigens et sustentans, *caput meum* — ne ponderi afflictionis succumbam: ita Eusebius.

℣. 5. *De monte sancto suo*, Sion scilicet, et tabernaculo per Davidem ibi erecto, ubi Deus habitare videbatur, et inde orantes exaudire: ita Theodoretus. Et hic quoque additur *sela*, de quo vers. 3 S. Athanasius exponit de cælo et sublimi throno gloriæ suæ *exaudivit me* — submittendo mihi auxilium.

℣. 6. *Ego dormivi* — cinctus licet innumeris hostibus, tamen de Dei ope securus, suaviter in utramque aurem dormivi, et finito somno, illæsus *surrexi:* ita Theodoretus. Allegorice, Christus perfunctus somno mortis in cruce, surrexit die tertia illæsus: ita Origenes, Eusebius, Didymus, et Missale Romanum.

(1) * Vers. 6. *Et soporatus sum.* Hoc est hujusmodi passione diu detentus. Euthym. „
(2) סלה.

adversantes mihi sine causa: [1] dentes peccatorum contrivisti.

9. Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.

℣. 9. *Domini est salus*, id est, salutare: *et benedictio* — Id est benedicere, impendendo cui vult favorem, opem, et copiam omnium bonorum.

(1) " Vers. 8. *Dentes peccatorum contrivisti.* Per dentes, vires intelligit; translatum est autem hoc a feris, quæ in dentibus summum habent robur. Euthym. "

PSALMUS IV.

Hortatur hoc Psalmo David tum socios suos qui fugientem a facie Absalom comitabantur, tum hostes suos, et alios omnes, ut Deum ex animo colant, et ab eo pacem ac rerum omnium copiam sperent. Allegorice, Christus et Ecclesia hortatur filios suos ad firmam spem et constantiam in afflictione.

1. In finem in carminibus, Psalmus David.

2. Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, et exaudi orationem meam.

3. Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitetem, et quæritis mendacium?

4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5. [1] Irascimini, et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

℣. 1. *In finem in carminibus* — Ita et LXX. Id est, ad finem seculorum, seu ad tempora Messiæ spectat hic Psalmus, ut Rabbini exponunt, Vel, *ad finem* legis, id est ad Christum. Hebræum *Lamnatzeah* [2], quod Noster *in finem* vertit, proprie *præfectum* significat [3], nempe cantorum: unde S. Hieronymus vertit *victori*, id est, qui alios seu peritia, seu dignitate vincebat et superabat: supple, detur hic Psalmus *ad canendum*, ut vertit Chaldæus. *In neginoth* [4], quod Noster vertit, *in carminibus*; LXX *in hymnis*; Hieronymus, *in canticis*; proprie significat, *in pulsationibus*, q. d. *præfecto pulsantium* tibias, vel alia musica instrumenta detur hic Psalmus, ut adjunctis tibiis canatur.

℣. 2. *Deus justitiæ meæ*, id est justæ causæ et innocentiæ meæ, supple, inspector, tutor, defensor et vindex.

In tribulatione, quæ solet cor mœrore constringere, *dilatasti mihi* — supple, cor, animum, et viam qua evadam: ita Chrysostomus, Didymus et alii.

℣. 3. *Usquequo gravi corde?* — id est, terreno, obtuso, obstinato animo, supple, eritis, ad me persequendum. Hebraice et chaldaice, *usquequo inclyti mei gloriam meam ad ignominiam diligitis*, id est deducere optatis, et conamini, *vanitate et mendacio?* id est, vanis et fallacibus consiliis ac viis, puta magnis copiis militaribus: ita Athanasius et Theodoretus. An nescitis quia semper hucusque

℣. 4. *mirificavit:* id est mirum atque omnibus admirandum præstitit, *Dominus sanctum suum*, id est Davidem suum a se toties sanctificatum et unctum in regem ac prophetam? nempe singulari ope, protectione ac favore, quo illum semper complexus ac tutatus est, fecit ut stupori esset toti orbi. Nec vero jam deseret illum, maxime *cum clamavero ad eum*, et humillimis precibus opem poposcero. Quare suadeo vobis,

℣. 5. *Irascimini, et nolite peccare.* Id est, sic iram vestram, quam in me justam (ut putatis) acuitis, administrate et regite, ut in Deum et in justitiam non peccetis. Primo, ne permittatis illam extra limites æquitatis salire. Secundo, etsi

(1) Ad Ephes. 4, vers. 26.

(2) למנצח.

(3) 2 Par. 2, vers. ult., et c. 34, vers. 12.

(4) נגינות.

6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino: multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

8. A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.

9. In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

10. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

saliat forte motibus primo primis, impetu naturali, et qui rationem prævertant, nolite eos sponte fovere, et contra dictamen rectæ rationis iis obsequi. Optima vero ratio discernendi justane sit ira, an injusta, fuerit, si *quæ dicitis in cordibus vestris*, seu quæ animo volvitis, quæque ira suggerit, non statim in opus deducatis, aut consentiatis, sed ante *in cubilibus vestris* — cum jam soli et quieti estis, et primus irarum impetus atque æstus deferbuit, maturo consilio, et corde divino amore compuncto, diligenter expendatis. Et sic

℣. 6. *Sacrificate sacrificium justitiæ*, id est, operamini opera justa et pia, Deoque grata instar optimi sacrificii: ita S. Jo. Chrysostomus. Mox occurrit vulgari objectioni, *multi*, scilicet impii, *dicunt, Quis ostendit nobis bona?* id est, quis nobis juste operantibus justam mercedem seu contulit, seu conferre decrevit? Respondet primo, *Sperate in Domino* — Id est, committite hoc paterno affectui et curæ Dei, qui certo certius mercedem rependet, saltem in altera vita. Secundo, respondet neminem prudenter posse de mercede aliquando obventura dubitare, quia, ut sequitur,

℣. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui*, id est, signum divini favoris et affectus tui erga nos certissimum clarissimumque habemus lucidam ac serenam faciem tuam, puta beneficentiam perpetuam, quæ continuos radios ex igne et sole divini pectoris (puta quotidiana omne genus beneficia) in nos vibrat et effundit. Sic expone etiam similes phrases, *Illumina vultum tuum super nos, illustra faciem tuam mihi*, etc. id est, lætum, benevolum, beneficum te mihi exhibe: ita Chrysost. et fere recentiores [1]. Ex illo enim fonte, perpetuo *dedisti lætitiam in corde meo*, id est, summopere gaudere me fecisti: neque hoc propter sola spiritualia beneficia, sed etiam propter temporalia, nempe *a fructu frumenti, vini et olei*, id est rerum omnium copia, qua *multiplicati sunt*, seu abundant quicumque mecum tibi deserviunt et in te sperant. Unde

℣. 9. *in pace in idipsum dormiam* — Id est, quietus et securus de eadem tua erga me singulari providentia, affectu et favore, deinceps placidissime dormiam, et in utramque aurem conquiescam. Anagogice, spe certa resurrectionis et gloriæ æternæ, securus et lætus moriar. Allegorice, fructus frumenti et vini est Ss. Eucharistia: oleum reliqua Sacramenta, et gratia cælestis: ita Theodoretus.

(1) Quidam ajunt contineri his verbis prophetiam de Christianis, quibus per hoc nomen, quo Christiani appellantur, signum atque judicium quoddam impositum est. Euthym.

PSALMUS V.

David in persona Ecclesiæ, vel animæ afflictæ, orat Deum ut impios cohibeat, piis benedicat.

1. In finem pro ea, quæ hereditatem consequitur, Psalmus David.

2. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

℣. 1. Titulus est in Hebræo, *Lamnathzeath in neginoth*: latine, *in finem*, (de quo dixi Psal. 4) *pro ea*, scilicet Ecclesia, vel anima justa *quæ hereditatem consequitur*, nempe cælestem, pro qua hic luctatur: ita Chrysost., Augustinus, Theodoretus.

3. Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus.

4. Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.

5. Mane adstabo tibi, et videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

6. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

7. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus:

8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9. Domine, deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas: [1] cor eorum vanum est.

11. [2] Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.

12. Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt: et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.

13. Quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

℣℣. 4 et 5. *Mane*, id est, mature, tempestive, *astabo tibi*, supplex cum libello meo, quem tibi per mentis elevationem et per preces offeram: item tamquam famulus promptus excipere jussa tua, tuisque nutibus obsequi. *Et videbo* (hebraice, *speculabor, contemplabor*) te quasi præsentem mihi, cui tamquam justissimo judici supplex fiam, et tamquam optimo hero servitium omne meum deferam: et a quo vicissim omnem contra hostes meos opem et præsidium præstolabor. Neque enim *Deus volens iniquitatem tu es* — Hebraice, *non delectaris*, non amas, non vis ut inique seu injuste me opprimant hostes mei.

℣. 7. *Loquuntur*, seu ore, seu corde, seu opere, *mendacium* — id est, falsos dolos et fraudes hostiles; ita S. August.

℣. 9. *Deduc me in justitia tua*, id est in viis justitiæ et virtutis: id est, doce et fac me juste vivere, *et dirige viam*, seu actiones omnes *meas in conspectu tuo*, supple, ut placeam tibi per omnia. *Dirige*, inquam, *propter inimicos meos* — ne ipsi crimen aliquod in me reperiant, quod merito mihi exprobrent, et ob quod me juste persequi videantur.

℣. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum* — Id est, instar aperti sepulcri os eorum exhalat teterrimum ac pestilentem fœtorem mendaciorum, detractionum et sycophantiarum: ita Chrysost.

℣. 13. *Ut scuto bonæ voluntatis* — græce εὐδοκίας, id est, favoris ac benevolentiæ divinæ, q. d. Tu tuo favore atque ope divina, quasi tutissimo scuto, *coronas*, seu undique cingis et munis justos contra omnium hostium tela: ita Chrysost. et Theodor.

(1) " Vers. 10. *Cor eorum vanum est.* Hebr. versio viscera eorum pravitates. Alias, Intimum eorum pravitates. "

(2) Infra 13, vers. 3; ad Rom. 3, vers. 13.

PSALMUS VI.

Hoc Psalmo David æger ex morbo sibi immisso ob adulterium cum Bersabee, sanari orat, et exauditur. Mystice convenit peccatori pœnitenti.

1. In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.
2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea
4. Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?
5. Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.
6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.
8. Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.
9. [1] Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
10. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.
11. [2] Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

℣. 1. *In finem in carminibus* — Vide quæ dixi initio Psalmi 4, unde in posterum hoc non amplius repetemus.

Pro octava — Id est, in octachordo canendus.

℣. 4. *Usquequo?* — supple perges me excruciare? vel non me dederis mihi? inquit Origenes.

℣. 6. *In morte*, seu inter mortuos, *non est qui memor sit tui*, id est, qui memoriam tui excitet in animis viventium. Neque *in inferno* qui *confiteatur tibi*, seu laudes tuas celebret apud viventes, incitando illos ad te laudandum et tibi serviendum: ita Jansenius. Genebrardus utrumque refert ad damnatos in inferno. Simile habes Psalmo 113, *Non mortui laudabunt te, Domine*, et Isaiæ 38, *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Tropologice, anima in peccatis mortua, non est memor Dei. Sed male hinc infert Calvinus, Ergo animæ, etiam Sanctorum, dormiunt usque ad judicium.

℣. 7. *Laboravi in gemitu meo* — id est valde affligor et fatigor gemendo ac suspirando.

Lavabo (hebraice, *batare faciam*) *singulis* vitæ meæ *noctibus lectum meum* — in quo adulterium patravi, et sic perpetuis lacrymis eluam crimen unius noctis. Chrysost. et Eusebius in Catena.

℣. 8. *A furore*, id est, propter furorem tuum, seu propter morbum a furore tuo mihi immissum, *turbatus est oculus meus* — Hebraice, erosus, detritus est, tum dolore, tum lacrymis. Tropologice, mens peccatoris turbatur dum futuri judicii furorem prævidet: ita Hieronymus, Chrysost., Augustinus.

Inveteravi, id est consenui, incanui, quasi dicat: Tanta tristitia et dolore confectus sum, ut ante senectutis tempus canos contraxerim: et quidem *inter omnes inimicos meos* — Id est, in præsentia hostium meorum, illis me videntibus et ridentibus.

(1) Matth. 7, vers. 23, et 25, vers. 41; Luc. 13, vers. 27.

(2) [*] Vers. 11. *Erubescant, et conturbentur*, pro erubescent, et turbabuntur, seu terrefient. Enuntiat, quod futurum erat. *Valde velociter*, Hebr. *subito* aut momento temporis, repente. Mariana.

PSALMUS VII.

Occasione verborum, *seu decretorum, Saulis adversus Davidem videtur hic Psalmus concinnatus, quo queritur David se falso perduellionis traduci, et opem divinam adversus tyrannum implorat, ejusque exitium prædicit. Allegorice, David est Christus, Saul Judæi. Tropologice, David est quivis justus, Saul impii persecutores.*

1. Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini (II. *Reg.* XVI).

2. Domine Deus meus in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

3. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

4. Dñe Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis:

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

6. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

7. Exurge, Dñe, in ira tua: et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti:

8. Et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere:

9. Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, [1] scrutans corda et renes Deus.

Justum

11. Adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

12. Deus judex justus, fortis, et patiens, numquid irascitur per singulos dies?

13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, et paravit illum.

14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

℣. 1. *Pro verbis Chusi* — Id est Æthiopis. Sic vocat *Saulem* interprete Chaldæo, ob morum nigredinem et obstinationem in malo. Sic *Callimachus et Ovidius* hostem suum vocarunt *Ibin*.

℣. 4. *Si feci istud,* quod mihi impingunt, scilicet me vitæ Saulis et regno insidiari.

℣. 5. *Decidam inanis* — Id est, vacuus et frustratus omni spe mea.

℣. 7. *In præcepto quod mandasti* — Id est propter decretum quo sanxisti ut ego pro Saule rex statuerer.

℣. 8. *Synagoga* (hebraice et chaldaice, cœtus, congregatio, Ecclesia) *circumdabit* te supplicabunda, ut a te impetret, et laudabunda, cum impetraverit, ut tamquam judex et vindex exsurgas. Ergo, si non propter me, saltem *propter hanc* fidelium multitudinem, *in altum regredere,* id est, tribunal divini judicii tui conscende.

℣. 9. *Et judica me secundum justitiam meam super me,* seu quæ in me est, qua scilicet numquam nocui Sauli: ita Hieronymus.

℣. 14. *Vasa mortis,* id est, instrumenta et tela lethifera, *effecit;* hebraice, fabricatus est, confecit, exacuit, pharetræ imposuit *sagittas suas,* idque *ardentibus* — hebraice *ledolekim* [2], id est inflammatis, nempe ira et odio in me, quasi dicat: Ut feriat eos qui contra me odio et ira inflammantur et ardent: ita Chaldæus.

(1) 1 Par. 28, vers. 9. Jerem. 11, vv. 20, 17, 10, et 20, vers. 12.

(2) לדלקים.

15. [1] Ecce parturiit injustitiam : concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

16. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

17. [2] Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus : et psallam nomini Domini altissimi.

℣. 15. *Parturiit, concepit, peperit* — Est hysterologia: prius enim est, concipere, tum parturire et parere. Metaphora duplici, a *muliere gravida*, et a *fovea* seu scrobe docet, Saulem et plerosque impios dolis quos innocenti struunt, ipsosmet plerumque capi et perdi; ut accidit Amano Estheræ 7 et satrapis Babyloniis Danielis 3 et 6 et 14.

(1) Job 15, vers. 35; Isa. 59, vers. 4.
(2) " Vers. 17. *Convertetur dolor ejus.* Hebr. Perversitas ejus, aut labor ejus. "

PSALMUS VIII.

Deprædicat hoc Psalmo magnitudinem excellentiæ divinæ ex tot et tam miris ejus operibus. Inter quæ cum nobilissimum sit homo, *et inter homines* Christus; *hinc jure Christo appropriatur Matthæi 21:* Ex ore infantium, *et Hebr. 2:* Minuisti eum paulo minus ab angelis, *etc.*

1. In finem pro torcularibus, Psalmus David.

2. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !

Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.

3. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.

4. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas, quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quod memores ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

6. [1] Minuisti eum paulo minus ab

℣. 1. *In finem pro torcularibus* — Hebraice, *ad githith* [2], quod videtur instrumentum esse musicum. Et, si mutato jod in vau, legas *githoth* [3], significat *torcularia*, per quæ S. Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus et Augustinus intelligunt Ecclesias Christianorum, in quibus reperitur expressum vinum sanguinis Christi, gratiarum et virtutum.

℣. 3. *Perfecisti laudem* — scilicet potentiæ et gloriæ tuæ, q. d. laudari fecisti divinam potentiam et majestatem tuam, non solo ore perfectarum creaturarum, sed etiam hominum rudium et infirmorum, v. gr. Israelitarum, merso Pharaone, ut dicitur Sap. 10, vers. ult. Item Jeremiæ et Amos prophetarum, sed impeditioris linguæ. Piscatorum quoque dein Apostolorum. Denique ad litteram, infantium, *Hosanna* Christo acclamantium Matthæi 21, vers. 16.

℣. 4. *Videbo cælos* — Id est, dum oculis et mente contemplor pulcherrima opera tua, puta cælos et sidera, omnemque eorum multitudinem, amplitudinem, situm, splendorem et motum; et hæc omnia homini deservire, tum in hac, tum in altera vita; pro sede et habitaculo Beatorum; cogor exclamare,

℣. 5. *Quid est homo?* — Hebræum *enos* [4] significat hominem vilissimum, desperatæ salutis et morti destinatum, quasi dicat: Stupendum miraculum, quod in gratiam tam vilis creaturæ, tam splendida pares, eamque tot tantisque beneficiis *visites* et cumules!

℣. 6. *Paulo minus* — Græce, *paululum*; chaldaice, *minimo*, seu in re mi-

(1) Ad Hebr. 2, vers. 7.
(2) גתית.
(3) גתות.
(4) אנוש.

angelis, gloria et honore coronasti eum:

7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. [1] Omnia subjecisti sub pedibus ejus, [2] oves et boves universas: insuper et pecora campi;

9. Volucres cæli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra?

nima: nempe corpore mortali, nam detrahe corpus, homo est similis angelis [3].

Gloria et honore coronasti eum — Primo, quia fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam. Secundo, dedisti ei mentem rationis, beatitudinis, et tui capacem. Tertio, donasti illi dominium creaturarum mundi, plenum in statu innocentiæ: semiplenum in statu naturæ lapsæ. Quarto, gloria resurrectionis et æternæ beatitudinis decorabis eum in futura vita: ita Chrysostomus et alii [3].

(1) Gen. 1, vers. 28; 1 ad Cor. 15, vers. 26.

(2) " Vers. 8. *Oves et boves* animalia omnia domestica. *Pecora campi*, silvestria animantia, et feras. Menoch. "

(3) Minues eum paulo minus a Deo. Hieronymus ex Hebr.

PSALMUS IX.

Gratias agit hoc Psalmo pro victoria de suis hostibus: dein a v. 22 (ubi recentiores Hebræi inchoant Psalmum 10) orat Deum ut pios semper tueatur contra impios, quos graphice depingit.

1. In finem pro occultis filii, Psalmus David.

2. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3. Lætabor et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime,

4. In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

5. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam: sedisti super thronum, qui judicas justitiam.

6. Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in æternum, et in seculum seculi.

7. Inimici defecerunt frameæ in finem: et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu:

8. Et Dominus in æternum permanet.

[1] Paravit in judicio thronum suum:

9. Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populus in justitia.

℣. 1. *Pro occultis* mysteriis et secretis judiciis divinis; Chaldæus et Hieronymus vertunt, *super mortem filii*, nempe Absalomi, vel Christi, ut Augustinus, Origenes, Eusebius exponunt: Mariana putat per *halamoth*, quod *occulta* seu arcana significat, hic designari nomen cantilenæ sic vulgo inchoari consuetæ: et *Ben* nomen esse cantoris 1 Paral. 15, v. 18 qui vers. 20 in Hebræo dicitur cecinisse *in nablis super halamoth*.

℣. 4. *In convertendo inimicos meos retrorsum*, id est, dum hostes mei in fugam verterentur; *infirmabuntur*, id est, infirmati sunt, defecerunt viribus, *a facie tua*, seu a præsentia potentiæ tuæ.

℣. 7. *Defecerunt frameæ*, id est, ceciderunt gladio, *in finem*, id est penitus usque ad ultimum, ad internecionem.

Periit memoria cum sonitu — Est hebraismus, pro celerrime instar sonitus, cujus citissime pereuntis nihil remanet, etiam ipso strepitu mox pereunte: ita S. Augustinus. Simile habes, Sap. 5, vers. 11.

(1) " Vers. 8. *Paravit in judicio thronum suum.* In Hebr. ad verbum est: *Paravit ad judicium thronum suum.* "

10. Et factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

12. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia ejus:

13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

14. Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

16. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

17. Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

20. Exurge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes in conspectu tuo.

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes quoniam homines sunt.

℣. 10. *Adjutor in opportunitatibus* — Id est (ut Symmachus vertit) tempore maxime *opportuno*, puta *in tribulatione*, ut sequitur. Simile habes paullo post, v. 22.

℣. 13. *Requirens;* hebraismo, pro *ulciscens*, effusum *sanguinem eorum* qui quærunt Dominum, ut præcessit v. 11.

℣. 14. *Vide humilitatem meam de inimicis* — Id est, expende violentam depressionem et afflictionem mihi ab hostibus meis obvenientem: nempe detruserunt me usque ad *portas*, seu fauces, *mortis*, ut sequitur. Sed tu Deus meus

℣. 15. *Exaltas me de portis mortis*, id est, retrahis me, ex illis extremis vitæ periculis. Idque ut laudem te perpetuo *in portis filiæ Sion* — id est, in solemnibus conventibus populi Jerosolymitani, qui solebant in portis urbium institui.

℣. 21. *Legislatorem* — Id est, justum et æquum rectorem, judicem, vindicem, qui gentes superbas tibique rebelles domet, et severis legibus coerceat, et sententiis ac pœnis condignis puniat, sicque doceat de se humiliter sentire, atque agnoscere quod sint homines, hebraice *enos;* de quo Psalm. 8, v. 5; nempe, ut suam agnoscentes miseriam, inclament opem Dei, et gratiam atque adventum Messiæ: ita Chrysostomus, Theodoretus, Eusebius et Euthymius.

Psalmus X secundum Hebraeos, secundum Latinos pars posterior Psalmi IX.

1. Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

2. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

℣. 2. *Incenditur pauper*, id est, afflictus et pius homo uritur, torquetur, cruciatur perpetuis vexis impiorum: interea ipsi impii, justo Dei judicio *comprehenduntur in* suismet *consiliis quibus cogitant* et machinantur aliis mala: plerumque enim, ut dixit vers. 16, *in laqueo quem* aliis *absconderunt, comprehenditur pes eorum.*

3. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: et iniquus benedicitur.

4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

5. Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus: omnium inimicorum suorum dominabitur.

6. Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

7. [1] Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo: sub lingua ejus labor et dolor.

8. [2] Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

9. Oculi ejus in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.

11. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12. Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum.

13. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret.

14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.

15. Contere brachium peccatoris et maligni: quæretur peccatum illius, et non invenietur.

16. Dominus regnabit in æternum, et in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius.

17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.

18. Judicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

℣. 4. *Secundum multitudinem iræ suæ.* Hebraice, *præ altitudine nasi,* id est præ nimia arrogantia et ira (quæ diducto naso, et elato supercilio prodi solet) *non quærunt* impii nec curant Deum.

℣. 6. *Non movebor,* scilicet ab hac mea potentia et felicitate. *Sine malo* — supple, ero semper felix et beatus.

℣. 7. *Sub lingua ejus labor et dolor* — Id est, non alia loquitur, quam quibus dolorem et laborem aliis creet.

℣. 9. *Rapere,* pro *ut rapiat* violente, *dum attrahit* — id est, tamdiu donec eum in rete suum et insidias pertraxerit.

℣. 10. *Inclinabit se, et cadet* — q. d. Prostrato jam pauperi, quasi feræ et prædæ captæ incubabit impius, nempe ne rursus elabatur, erepat, vel erumpat.

℣. 14. *Vides,* o Deus, *quoniam* in omni cœtu impiorum nihil aliud *considerare* aut reperire sit quam *laborem et dolorem?* q. d. Vides nil nisi malum ab impiis proficisci. Tempus ergo est, *ut tradas eos in manus tuas* — id est, ut eos ad judicium tuum trahas, et supplicio afficias.

℣. 15. *Quæretur peccatum illius,* pro, si quæratur tam peccatum, quam peccator, *non* amplius *invenietur* — quia te extirpante, jam funditus perierit.

℣. 17. *Præparationem,* scilicet ad precem, *audivit auris tua* — Id est, prævenis preces piorum, et magis desideria attendis quam vocem.

(1) Infra 13, vers. 3; ad Rom. 3, vers. 14.

(2) " Vers. 8. *Sedet in insidiis cum divitibus.* Diversimode ex Hebræo reddunt *sedebit in insidiis atriorum, vestibulorum* vel *villarum,* more latronis. II. *Habitat, manet in insidiis villarum,* idest struere insidias in pagis, ubi est minor hominum frequentia. III. *Versatus foris circum cohortes ad insidiandum.* IV. *Sedebit in angulis villarum juxta publicas vias.* Buchananus *Circa viarum compita insidias locat.* Malven. „

PSALMUS X.

Suadentibus ut fugiat Saulem respondet, se Deo nixum, in tuto esse. Ita Theodoretus.

1. In finem, Psalmus David.
2. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?
3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.
4. Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: justus autem quid fecit?
5. [1] Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus: Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.
6. Dominus interrogat justum et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.
7. Pluet super peccatores laqueos; ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.
8. Quoniam [2] justus Dominus et justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

℣. 3. *Ecce peccatores,* nempe Saul, ejusque asseclæ, *in obscuro,* id est clam, tibi insidias et bella struunt. Tu ergo fuga tibi consule, in montana secede, et ut solent passeres, arcum devita.

℣. 4. *Quæ perfecisti,* tu, o David, id est, quæcumque hactenus domi militiæque fortiter gessisti, et speratæ dignitatis fundamenta (ut Chaldæus vertit) fecisti, ipsi omnia *destruxerunt,* [et porro destruere pergunt.

Justus autem — Respondet jam David, q. d. Ego vero innocens, quid in Saulem peccavi? Nihil.

℣. 5. *Palpebræ,* id est oculi, *ejus interrogant* juridice, id est, severe scrutantur, continuo examinant, et proinde penitus exploratos habent omnes homines, perinde ac si judex accuratissimus eos examinasset: ita Theodoretus et Eusebius, q. d. Mihi ergo, cum nullius peccati coram Deo omnium teste, judice et vindice, conscius sim, nihil est timendum, sed Deo constantissime fidendum.

℣. 7. *Spiritus procellarum;* seu atrox ventus, horrenda tempestas, est *pars calicis,* id est, hereditaria portio, sors et merces impiorum. Significant hæc multiplicem ultionem Dei, eamque gravissimam, et celerrimam, et inevitabilem, inquit Basilius. Metaphora desumpta ab architriclino, qui in conviviis suum cuique calicem seu vini portionem statuebat. Hinc in Scripturis, quod cuique decernitur a Deo, sive bonum, sive malum, *calix* nominatur.

(1) Habac. 2, vers. 20.
(2) " Vers. 8. *Justus Dominus, et justitias dilexit.*

Multa latina exemplaria omittunt conjunctionem *et* consentanee Hebr. Brugen.

PSALMUS XI.

David in medio impiorum, forte domesticorum Saulis, habitans, orat ne ab eis contaminetur.

1. In finem pro octava, Psalmus David.
2. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam di-

℣. 1. *Pro octava* — Hebr. *haschemînit* [1], id est pro octava, seu super instrumento octo chordarum, ut dixi in titulo Psalmi 6, neque in posterum repetemus.

℣. 2. *Defecit sanctus,* id est, Sancti desierunt esse: nulla amplius sanctitas

(1) השמינית.

minutæ sunt veritates a filiis hominum.

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.

4. [1] Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

5. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?

6. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.

7. [2] Eloquia Dñi, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8. Tu, Domine, servabis nos: et custodies nos a generatione hac in æternum.

9. In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

inter homines reperitur. *Diminutæ sunt veritates* — seu fidelitates, q. d. Omnes student mendaciis, dolis, imposturis.

℣. 3. *In corde et corde* — id est, duplici corde: id est, dolose, fraudulenter, mendaciter.

℣. 5. *Linguam nostram magnificabimus*, id est superbe, audacter, imperiose loquemur, ut miseros gemere faciamus. *Labia* enim *nostra a nobis sunt* — id est, sermones et verba nostra pendent a nostra libertate et arbitrio, neque ulli reddenda nobis ratio.

℣. 6. *Ponam*, supple, clamantes ad me pauperes et miseros, *in salutari*, seu in salute, id est, salvabo eos. *Fiducialiter agam in eo* — Græce, libere et confidenter agam in hoc negotio, neminem timens, q. d. Impii valde libere et audacter opprimunt justos, sed ego etiam ostendam, me non minus libere et audacter acturum, sed pro justis contra impios: ita Euthymius.

℣. 7. *Eloquia Domini casta*, id est, promissa hæc Dei non sunt ut promissa hominum, dolosa, *in corde et corde*, sed sunt omnino pura et munda ab omni mendacio, fictione, fallacia: sicut purum est *argentum igne examinatum*, seu per ignem sæpius expurgatum, *et probatum et terræ purgatum* — id est, ab omni terræ admistione mundatum. Ita Hieronymus. Hebraice est, *in opere terræ*, seu terreo: id est, in fornace argillacea; chaldaice, *in infusorio super terram*.

℣. 9. *In circuitu impii ambulant*, Hebraice, circumquaque oberrant, scilicet, ut explorent qua parte nocere possint justis: ita Athanasius et Chrysostomus. Chaldæus addit, circuire *tamquam sanguisugas quæ sugunt sanguinem* humanum. Tu interim dissimulas, o Deus, *et secundum altitudinem tuam*, seu judiciorum tuorum, id est, secundum alta, profunda, arcana judicia divinæ providentiæ tuæ, *multiplicasti* tum numero, tum potentia et opibus (hebraice *epulari fecisti*) non filios Dei, sed *filios hominum*, qui terrena sapiunt.

(1) " Vers. 4. *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Hebr. *Labium blanditiarum*, id est sermonem blandum, et ad adulationem compositum. Maldon. "

(2) Prov. 30, vers. 5.

PSALMUS XII.

Queritur de tarda Dei ope in tam diuturna Saulis persecutione.

1. In finem, Psalmus David.
[1] Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

(1) " Vers. 1. *Usquequo Domine oblivisceris*, legendum esse *oblivisceris* in futuro, non oblivisceris, licet ad sensum parum aut nihil intersit. Sic legendum patet ex Septuag. et Hebr. utrobique enim est futurum tempus. Estius. "

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

4. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte:

5. Nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero:

6. Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Dño qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Dñi altissimi.

℣. 2. *Ponam consilia in anima mea* — Id est, anxia mente versabo curas et consilia quibus evadam manus Saulis.

℣. 4. *Illumina oculos meos* — Id est, depelle mala, ob quæ hactenus mœrore ac fletu caligant oculi mei, ne, si pergant diutius me affligere, forte succumbam iis et immoriar: ita Theodoretus.

℣. 5. *Si motus fuero* — Id est, si dejectus fuero; hebraice, *si mutavero*: id est, si vel tantillum inclinavero ad lapsum, nempe de meo statu, constantia, virtute. S. August. hæc omnia mystice exponit de tenebris peccatorum, et de hostibus infernalibus, qui insultare solentiis quibus prævaluerint, maxime in mortis agonia.

PSALMUS XIII.

Atheorum multitudo, impietas et perversi fructus.

1. In finem, Psalmus David.

Dixit insipiens in corde suo: [1] Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

℣. 3. *Omnes*, nempe atbei, *declinaverunt* a Deo, et a via virtutum. *Simul inutiles facti sunt;* hebraice, *computruerunt, fœtuerunt*, scilicet in sua socordia, concupiscentia et nequitia; *non est qui faciat bonum*, seu bonis operibus studeat, et continenter insistat, hoc est absolute bonum facere, et fructus proferre, a quibus possit censeri vel dici bonus. *Non est usque ad unum* — Hebraice, *ne unus est*, seu nemo, scilicet ex omnibus atheis (nam de his solis agit hoc Psalmo). Non ergo negat, impios aliquando quædam bona opera facere: sed solum negat, esse inter atheos, qui absolute dici possint bene vivere, et boni esse. Multo minus hinc sequitur, quod Calvinus infert, omnia opera hominum, etiam justorum, esse peccata.

Sepulcrum patens. Hoc exposui Psalmo 5, v. 11: *Venenum aspidum sub labiis*, id est, pestifera loquuntur. *Contritio et infelicitas*, scilicet activa, *in viis eorum* — Id est, omnis actio et conatus eorum eo tendit, ut alios conterant, et infelices ac miseros reddant.

Nota. Hi tres versus non sunt in Hebræo, Chaldæo, vel LXX, Bibliorum Re-

(1) " Vers. 1. *Non est Deus*, Chal. *Non est potestas Dei in terra.* Sa. „

4. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?

5. Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

6. Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes ejus est.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

giorum, vel Complutensium: sunt tamen in LXX Romanis, et in Psalterio Romano, Arabico et Æthiopico. Sed videntur ex Rom. 3, v. 13, eo translati: et habent eos etiam Justinus, August. et alii.

℣. 4. *Nonne cognoscent*, seu sentient suo tempore; supple, manum meam vindicem et ultricem: maxime, crudeles isti et impii magnates, *qui devorant plebem meam* — id est, qui commendatum mihi populum spoliant ea aviditate, qua a famelico frustum panis devoratur? Et vero quid ni sentiant vindicem Deum, cum etiam

℣. 5. *trepident timore, ubi non* est *timor*, seu timoris causa vel periculum? q. d. Ex eo quod impii isti non nituntur Deo, fit ut nusquam tuti vel securi consistant, sed etiam ad levissimum arborum, avium, ventorum strepitum trepident: quod maxime usuvenire solet in tenebris, in morbis, in bellis. Idque quia *Dominus* non *est* apud eos, sed

℣. 6. *in generatione justa*, seu in congregatione justorum. Id est, favore, ope, protectione singulari adest justis, non vero impiis: quare mirum non est quod hi trepident; illi securi maneant.

℣. 7. *Quis dabit salutare* (hebraice, *salutem*; græce, *salvatorem*, Messiam seu Christum) *ex Sion?* — id est, ex domo et familia Davidis, cujus palatium erat in arce Sion. Origenes, Theodoretus et Euthymius adaptant hunc Psalmum regi Assyriorum *Sennacherib*, ejusque legato *Rabsaci* 4, Regum 18, et optime quadrant in ipsum omnia.

PSALMUS XIV.

Via in cælum innocentia vitæ, et charitas in proximum.

1. Psalmus David.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2. [1] Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam:

3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

℣. 1. *In tabernaculo tuo* — puta cælesti, ut constat ex vers. ultimo. Tabernaculum enim Moysis typus fuit cæli; et cælum instar tentorii expansum est, Psalm. 60, v. 5, et Apoc. 21, v. 3. In Hebræo est, ut notat S. Hieronymus, *quis peregrinabitur in tentorio tuo?* quia nos omnes respectu cæli non cives nati sumus, sed peregrini per adoptionem adscripti: hinc cælo quasi peregrini excipimur, inquit S. Jo. Chrysostomus et Euthymius.

℣. 3. *Opprobrium non accepit*, id est non audivit, *adversus proximos* — Hebraice et chaldaice, *non sustinuit proximo fieri opprobrium*, sed quantum in se est, præpedivit et avertit. Ubi Nota, quadruplicem hoc versu veritatem requiri, primo, cordis; secundo, oris; tertio, actionum propriarum; Quarto, actionum alienarum, quas malas impediet, bonas promovebit.

(1) " Vers. 2. *Qui ingreditur sine macula*, idest conversatur sine peccato. Chald. *Qui ambulat in perfectione*. Sa. „

4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit:

5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

℣. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus* — Id est, pro nihilo ducit justus malignos, quantumvis opibus, potentia, gloria florentes; nempe ubi agitur de gloria Dei et salute proximi, seu tuenda, seu promovenda, unde non veretur, peccantes redarguere et impedire, ubi res et occasio postularint.

℣. 5. *Munera super*, seu contra, *innocentem non accepit* — nempe ut injustam sententiam vel testimonium ferat, vel ferri sinat contra innocentem.

PSALMUS XV.

Christo appropriatur ad litteram (patet Actor. 2, v. 25, et Act. 13, v. 35) ex omnium Doctorum sententia, et etiam a plerisque Rabbinis: qui orat Patrem ut se a malis præservet et protegat: gratias dein agit de sua resurrectione et glorificatione.

1. Tituli inscriptio ipsi David.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.

2. Dixi Dño: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

3. Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5. Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

℣. 1. *Tituli inscriptio* — Græce est stylographia, id est inscriptio columnæ, q. d. Psalmus hic est quasi trophæum, et quasi columna seu titulus victoriæ, erectus et inscriptus Christo filio David, post devictum peccatum, diabolum et mortem: ita Eusebius, Theodoretus et Didymus.

℣. 2. *Bonorum meorum*, seu opum, munerum, meritorum, *non eges* — Nam licet his oblecteris, honoreris, et præmia dones; nullo tamen modo indiges, supple, sed ego valde egeo bonis tuis.

℣. 3. *Mirificavit omnes voluntates meas in eis*, id est, charitatem et benevolentiam meam valde inclinavit, et affectas reddidit erga homines *qui in terra sunt* — nempe, ut, relictis ss. angelis, ex ipsis hominibus terrenum corpus assumerem, pro ipsis in præsepe, in crucem, in mortem me darem: ita S. Augustinus. Licet enim

℣. 4. *eorum*, qui prius hostes, jam sancti mei sunt, *infirmitates* ad bene agendum, et peccatis resistendum, *multiplicatæ sunt*, id est valde auctæ: tamen *postea* hac occasione *acceleraverunt* ad me tamquam ad sacram anchoram, ut robur fidei, gratiæ, et opis cælestis impetrent: ita Eusebius. Quorum *conventicula*, græce synagogas, seu sacros conventus, mihi gratissimos, *non congregabo de sanguinibus* — id est, non jubebo celebrari sanguinolentis boum et ovium victimis mactandis, ut olim jussi, supple, sed sanguine solius Agni immaculati incruente immolando, inquit Didymus.

Nec memor ero nominum eorum — nempe pristinorum: puta, an Judæi fuerint, an Gentiles, quia novo nomine omnes vocabo Christianos, sanctos, et filios Dei: ita S. Augustinus et Eusebius.

℣. 5. *Dominus pars hereditatis meæ*. Id est, tu Deus mihi es optatissima hereditas, nempe omne bonum quod optare

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi.

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

8. [1] Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, [2] et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe.

10. [3] Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

et desiderare possum. Idem mox exprimit metaphora *calicis*, de qua dixi Psal. 10, v. 7. Porro præter hanc primariam hereditatem meam, quæ *tu*, Deus, *es*, insuper *mihi restitues* aliam *hereditatem meam* secundariam, de qua Psalmo 2, v. 8, quæ est tota Ecclesia Catholica, jam pridem per peccatum perdita, sed jam meo sanguine redempta: ita fere Theodoretus et Eusebius.

℣. 6. *Funes*, id est hereditas, quæ olim funibus dimensa dividebatur, *mihi cecidit*, id est obvenit, *in præclaris*, seu præclarissima, et omnium quas optare possim nobilissima: nobilissimus enim animarum thesaurus est. Unde Deum v. 7 in æternum *benedicam, qui tribuit mihi intellectum*, ut hanc tam nobilem hereditatem præ omnibus aliis thesauris mihi diligerem. Quin *et usque ad noctem*, id est, et die et nocte, *increpuerunt*, seu excitarunt, *me renes*, id est mens et affectus, *mei* — scilicet, ut hanc hereditatem totis viribus quærerem, nullisque laboribus parcerem, quibus perditam redimerem ac recuperarem. Hinc

℣. 8. *Providebam Dominum*, id est, perpetuo satagebam, Deo opt. max. mihi ob oculos continuo versanti deservire, obsequi, et per omnia placere: *quoniam* ipse solus *a dextris est mihi*, id est opitulari mihi hac in re potest et vult, *ne commovear*, seu dimovear, et excidam a spe et voto meo.

(1) Act. 2, vers. 25.

℣. 9. *Et caro mea*, id est, etiam corpus meum exanime, *requiescet in spe* — non solum resurrectionis et glorificationis, sed etiam hereditatis jam dictæ certissimo consequendæ.

℣. 10. *Quoniam non derelinques animam meam* diu versari *in inferno*, ad quem mox a morte victrix descendet *ad solvendos inferni*, seu patrum qui in limbo sunt, *dolores*, Actor. 2, vers. 24, non vero passura dolores seu tormenta inferni, ut impie blasphemat Calvinus et alii sectarii. Ridicule vero Beza, hic per *animam* intelligit *cadaver:* per *infernum, sepulcrum*. Nam de cadavere et sepulcro exponenda sunt quæ sequuntur, *Nec dabis sanctum tuum* (τὸν ὅσιον, puta, me Christum) *videre corruptionem:* id est, non patieris me, ne quidem secundum corpus, corrumpi aut putrescere in sepulcro. Sed statim *notas mihi fecisti vias vitæ*, id est, revocasti me ad vitam. Et jam redivivum *adimplebis me lætitia* omnis generis, etiam in corpus redundante, idque *cum vultu tuo*, id est, per præsentiam et contemplationem amœnissimi vultus tui. Et hæ *delectationes* mihi a te communicandæ *in dextera tua*, id est, in primo et summo loco gloriæ perennabunt mecum *usque in finem* seu in æternum.

(2) " Vers. 9. *Et exultavit lingua mea.* Hebr. כבודי *gloria mea*, idest anima mea, Hebræorum more. Maldonatus. "

(3) Act. 2, vers. 31, et 13, vers. 35.

PSALMUS XVI.

Oratio Davidis a Saule (allegorice, Christi a Judæis graviter afflicti.

1. Oratio David.

Exaudi, Domine, justitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

2. De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

3. Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

4. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.

5. Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

6. Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

7. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

8. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me;

9. A facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt.

10. Adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

11. Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

12. [1] Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.

℣. 1. *Justitiam*, id est innocentiam, *meam* — maxime de qua sequitur v. 4. *Orationem, non in labiis dolosis* — supple, effusam a me: sed serio, et ex intimo ardentissimoque desiderio depromptam: ita Theodoretus.

℣. 2. *De vultu tuo*, id est a te, *judicium meum prodeat:* id est, causa mea agatur te judice. Tu enim plene

℣. 3. *probasti*, ut in ignibus aurum, et intime perspectum habes *cor meum*, seu affectus omnes cordis mei: *et visitasti nocte* — quando, corpore quiescente, magis se produnt intima cordis et affectus animi: ita Hesychius.

Igne me examinasti — id est, examine tuo acri et rigido. Secundo igne tribulationis et tentationis: ita S. Augustinus et Theodoretus.

Non tamen *inventa est in me iniquitas* — quam vel in Saulem, vel in alios hostes meos molitus sim. Adeo

℣. 4. *ut ne* quidem *loquatur os meum opera hominum* — Id est, ut nec locutus umquam sim de vindicta, aut malo pro malo reddendo: quæ sunt tamen consueta opera hominum, maxime nobilium: ita Theodoretus.

℣. 10. *Adipem suum concluserunt* — Chaldæus, *adipe suo operti sunt*, id est, tam laute se habent, ut toti pingues et obesi, adipem ubique inclusum habeant, q. d. Dum *animam meam*, id est me, undique *circumdant* mille malis et miseriis, adeo ut pene contabescam; ipsi interea splendidissime epulantur, toto corpore distenduntur et pinguescunt.

℣. 11. *Projicientes me*, id est, contemnentes et confringere me volentes; obfirmato animo *statuerunt oculos suos declinare in terram* — scilicet, ne videant, aut animo sentiant, miseriam et afflictionem meam, et sic ad misericordiam moveantur.

(1) * Vers. 12. *Susceperunt me sicut leo.* Exceperunt me quasi leones. *Habitans in abditis*, in insidiis. Sic Psalm. IX, 28, *Sicut leo in spelunca sua.* Menoch. „

13. Exurge, Dñe, præveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam

14. Ab inimicis manus tuæ.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

15. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

℣. 13. *Eripe frameam*, seu gladium tuum, id est potentiam lædendi et affligendi me, quam hostibus meis hucusque concessisti, aufer e manu eorum qui *inimici* sunt *manus tuæ* — id est, qui adversantur intentioni et conatibus tuis: neque enim utuntur gladio tuo ut tibi obsecundent, sed abutuntur eo in tui offensam, tuorumque perniciem: ita Didymus.

℣. 14. *A paucis de terra*, id est, a modica illa portione rerum terrenarum, qua ita turgent et inflantur, sibique videntur tam potentes, *divide eos*, id est, separa et divelle eos, etiam *in vita eorum*, seu dum adhuc vivunt. Nimis enim *repleti sunt de absconditis*, seu thesauris, *tuis* terrenis, opibus, dignitatibus, viribus, prolibus, etc. quibus adeo abundant; ut ex solis *reliquiis*, seu ex iis quæ gulæ et luxui suo reliqua fecerunt, ditent posteros suos: ita Eusebius.

℣. 15. *Ego autem* talibus escis saturari non desidero; sed studio *justitiæ*, seu innocentiæ et piorum operum in hac vita me totum impendam: *satietatem* vero præstolabor in altera vita, nec tamen aliunde quam *ex gloria tua*.

PSALMUS XVII.

Gratias agit, quod ex maxima rerum desperatione, quam poetice describit, victoriam et regnum sit consecutus. Multa de Christo conveniunt.

1. In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit: (II. *Reg.* XXII, 2)

2. Diligam te, Domine, fortitudo mea:

3. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

[1] Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

4. Laudans invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero.

5. Circumdederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi:

℣. 3. *Cornu*, id est potentia, robur, gloria (nam omne robur et gloria nobiliorum animalium est in cornibus), *salutis meæ* — scilicet operatrix, id est salutifera: ita Theophylactus et Euthymius.

℣. 5. *Dolores mortis* — Id est, extremi et lethales, quales patiuntur qui agonizant: ita Theodor.

Torrentes iniquitatis — Hebraice *Belial*, id est iniquorum, q. d. impii et scelerati quique quasi agmine facto, instar torrentis, inundarunt in me infinitam malorum copiam: adeo ut viderer mihi *circumdatus*

℣. 6. *doloribus*; hebraice, funibus, *inferni, et laqueis mortis* — id est, totus perditus, sine apparenti spe reviviscendi et ad pristinum statum remeandi. Tamen non destiti sperare in Domino, ejusque opem implorare. Et ecce

(1) Ad Hebr. 2, vers. 13.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

8. Commota est, et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus in ira ejus: et ignis a facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cælos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum.

12. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

13. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, et carbones ignis.

14. Et intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit [1] vocem suam: grando et carbones ignis.

15. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

16. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum:

Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

17. Misit de summo, et accepit me: et assumpsit me de aquis multis.

18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

19. Prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.

20. Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.

℣. 8. *commota est terra*, etc. — Id est, celerrime in opem mei advolavit Deus vectus Cherubinis, et ventis, quasi equis pernicissimis, armatus terræmotibus, nimbis, fulguribus, tonitruis, grandinibus, aliisque innumeris telis, quibus hostes meos conficiat. Hinc enim usque ad v. 20 poetica hypotyposi depingit iram Dei quasi pugnantis contra hostes suos. Non quod his omnibus pro Davide usus sit Deus, sed quia solet sæpius illis uti, v. g. olim pro Judæis contra Ægyptios, Chananæos, Philisthæos, et recentius pro Christianis Theodosio, Constantino, legione Fulminatrice sub Antonino Pio, apud Baronium [2]. Et quia saltem externa apparentia, hostibus nimio metu attonitis, hæc omnia vere ipsis immitti, totusque mundus sursum deorsum inverti videtur: ita Theodoretus. Sic in excidio Babylonis, hyperbolica hypallage dicit Isaias, *stellas de cælo cecidisse*, cap. 13, v. 10. Allegorice, significantur prodigia in cælo et in terra partim in morte Christi, partim in occasu mundi, ut notat S. Athanasius.

℣. 9. *Ascendit fumus*, etc. — q. d. Deus præ nimia ira contra hostes spirabat fumum et ignem e naribus, et quidem tam vehementem, ut carbones ante extincti, facile eo accendi possent.

℣. 12. *Tenebras*, id est, ut sequitur, *tenebrosam aquam*, seu obscuras et densas nubes, habuit quasi *latibulum* et *tabernaculum*, quo, *in circuitu*, seu undique, velabat invisibilem majestatem ac potentiam suam.

℣. 13. *Præ fulgore*, etc. q. d. Non tamen potuit illis latibulis ita concludi fulgor divinæ majestatis, quin per stupendos effectus ubique transpareat, v. g. dum nubes a Deo concussæ transeunt quasi volantes, mox etiam dissipantur, et decidunt ex iis imbres, *grandines, et carbones ignis* — seu jam igniti et accensi, puta fulmina, et variæ meteora ignita: ita Theodoretus.

℣. 16. *Apparuerunt fontes*, id est, vi harum tempestatum fontes in cavernis terræ latentes, eruperunt, *et fundamenta orbis terrarum*, id est viscera et interiora terræ, *revelata sunt*, disrupta et hiantia patuerunt: *ab increpatione tua, Domine*, id est, sic jubente ira tua, et *inspiratione spiritus*, id est, flatu vehementissimi venti a te immissi omnia

(1) [a] Vers. 14. *Vocem suam*, scilicet tonitrua. Sa. „

(2) Tom. 2.

21. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi:

22. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

23. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: et justitias ejus non repuli a me.

24. Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.

25. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

26. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris:

27. Et cum electo electus eris: et cum perverso perverteris.

28. Quoniam tu populum humilem salvum facies: et oculos superborum humiliabis.

29. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas.

30. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.

31. Deus meus impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

33. Deus qui præcinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam.

34. [1] Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.

35. [2] Qui docet manus meas ad prælium: et posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.

36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: et dextera tua suscepit me:

Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit.

37. Dilatasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata vestigia mea.

38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar donec deficiant.

39. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

40. Et præcinxisti me virtute ad bellum: et supplantasti insurgentes in me subtus me.

41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

conculiente et denudante. Sic *eduxit me*, v. 20, ex meis angustiis *in latitudinem* — de qua Psalmo 4, v. 2.

℣. 22. *Nec impie gessi a Deo meo* — supple deficiens, inquit Jansenius; Genebrardus, *contra Deum*; Chaldæus, *coram Deo*.

℣. 26. *Cum sancto sanctus eris*, id est, cum bono, justo et *electo*, seu valde probato et puro, ages vicissim bene, benigne, liberaliter. *Cum perverso* vero ages quoque *perverse*, id est, male et severe, morem tibi proprium, qui est misereri et benefacere, invertens, quia ipse ab eo qui esse deberet, inversus est: ita Chald., Hieron., Theod. Alludit ad Levitici 26, v. 27. Sic dici solet, *Cum vulpe vulpinandum: cum crete cretizandum.*

(1) 2 Reg. 22, vers. 34.

℣. 29. *Tu illuminas lucernam meam.* Id est, restauras mihi pristinum prosperitatis ac gloriæ splendorem. Perge ergo *illuminare tenebras meas* — et dispellere quæ hactenus me obscurant infelicia et adversa: ita Theodor.

℣. 30. *Transgrediar*; hebraice, transiliam, *murum* urbium hostilium. Tropologice, tenebræ sunt peccata: murus longa peccandi consuetudo. Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Augustinus.

℣. 31. *Eloquia Domini igne examinata* — Vide Psalm. 11, v. 7.

℣. 34. *Super excelsa statuens me* — Id est, arces quantumcumque altas, præruptas et munitas superare me fecit. Tropologice, excelsa virtutum et perfectionis: ita iidem.

(2) 2 Reg. 22, vers. 35.

42. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.

43. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.

44. Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.

45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.

46. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.

48. Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus [1] de inimicis meis iracundis.

49. [2] Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.

50. [3] Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine: et nomini tuo psalmum dicam.

51. Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus usque in seculum.

℣. 44. *Eripies me de contradictionibus* — id est, obloquiis, obmurmurationibus, seditionibus et rebellionibus subditorum.

℣. 45. *In auditu auris* — Id est, simul atque audiit rumorem nominis, famæ et nutus mei.

℣. 46. *Filii alieni*, id est alienigenæ, *mentiti sunt mihi* — id est, subjecti sunt mihi tamquam servi. Solent enim qui coacte et serviliter subsunt, sæpius ex timore mentiri dominis suis. Est ergo catachresis.

Inveterati sunt, supple , in servitio meo, ætatem in eo omnem transigentes.

Et claudicaverunt a semitis suis — Chaldæus, *migrabunt de prætoriis suis*. Id est, propria omnia, etiam amœnissima, deserunt, ut mihi famulentur, non quidem amore, sed timore mei; neque ultro aut lubentes, sed inviti et quasi claudicantes.

℣. 51. *Magnificans salutes regis ejus* — Id est magnam salutem et multiplicem prosperitatem afferens mihi, quem fecisti regem Israel, et *christum*, id est unctum. Allegorice tamen hæc omnia accommodanda sunt vero Christo Messiæ, qui Gentes suæ fidei et Ecclesiæ subjecit: ita Theodoretus, Didymus et Hesychius.

(1) " Vers. 48. *De inimicis meis iracundis.* Deest Hebr. „

(2) 2 Reg. 22, vers. 49.

(3) 2 Reg. 22, vers. 50; ad Rom. 15, vers. 9.

PSALMUS XVIII.

Sol et cœli, tum materiales, tum allegorici (nempe Apostoli) prædicant gloriam Dei contra atheos: uti et lex Dei sanctissima contra impios.

1. In finem, Psalmus David.

2. Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

3. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

4. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

5. [1] In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum.

℣. 3. *Dies diei eructat verbum* — Id est, dies unus diebus aliis sequentibus perenniter fundit et transmittit verbum de Deo, et scientiam seu cognitionem Dei, q. d. De die in diem, de nocte in noctem, id est continuo, cæli (suo aspectu, motu et successione tam ordinata, tamque mirandis effectibus) loquuntur et annuntiant hominibus gloriam, potentiam et sapientiam Dei: ita Theodoretus.

℣. 4. *Non sunt* in orbe toto *loquelæ*,

(1) Ad Rom. 10, vers. 18.

6. In sole posuit tabernaculum suum: [1] et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:

Exultavit ut gigas ad currendam viam,

7. A summo cælo egressio ejus;

Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat a calore ejus.

8. Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi: judicia Dñi vera, justificata in semetipsa.

11. Desiderabilia super aurum et [2] lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum.

12. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:

14. Et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo.

15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, et redemptor meus.

neque sermones, quorum, seu quibus, *non audiantur voces eorum* — cælorum. Id est, nulla est natio tam barbara, tam rudis, quæ non intelligat vocem cælorum. Rom. 10, v. 18. Allegorice, Apostoli omnium gentium linguis loquebantur magnalia Dei.

℣. 6. *In sole posuit tabernaculum suum.* Est hypallage, pro, posuit solem in tabernaculo suo, nempe in cælo. Hebraice enim, chaldaice, et apud S. Hier. est, *Soli posuit in tabernaculum in eis*, et sic etiam verterunt Aquila, Symmachus et Theodotion. Porro tria hic notantur solis encomia, primum, *pulcritudo* ejus: nam ex *thalamo suo*, seu inferiori hemisphærio, ubi noctu quasi dormit, mane exoriens instar splendidissimi sponsi, omnes exhilarat jubare suo. Secundum, *velocitas* cursus, qua *ut gigas* exsiliens, *a summo*, seu extremo *cæli*, currit *ad summum* — id est, ad alterum extremum cæli, id est, ab oriente usque ad occidentem, conficiens spatio 12 horarum, ut minimum 14 milliones leucarum, ut Mathematici demonstrant, Tertium, *vis calefaciendi* et consequenter vegetandi, animandi et fovendi omnia sublunaria. Allegorice hæc applica Christo incarnato, ejusque Ecclesiæ, et tropologice, gratiæ divinæ.

℣. 8. *Testimonium Domini fidele* — Id est lex Dei verax, non promittens vana vel falsa. Vide Prolegomena de Idiotismis Hebraicis num. 14.

℣. 13. *Delicta quis intelligit?* — q. d. Cum tanta bona nobis afferat lex divina, quis tamen nosse potest omnia, etiam occulta peccata, quæ sæpe per infirmitatem, vel non plenam advertentiam contra eam admittimus; si non per nos ipsos, saltem per alios nostræ curæ commissos? Unde supplico tibi, Deus, ista seu occulta, seu aliena, mihi ignoscas, et me ab illis deinceps præserves. *Si* enim hi nævi *non fuerint* mihi *dominati*,

℣. 14. *emundabor a delicto maximo* — Hebraice, *a peccato multo*, id est, a magna portione ordinariorum peccatorum.

℣. 15. *Et erunt ut complaceant* tibi primo, *eloquia oris mei;* secundo, *meditatio cordis mei* — tum mentalis, quæ est interna cogitatio et affectus: tum realis, quæ est operatio et executio.

(1) Luc. 24, vers. 46.

(2) " Vers. 11. *Lapidem pretiosum. Paz* Hebr. quæ vox redditur *topazion*. Bossuet. "

PSALMUS XIX.

Pia populi vota pro salute et victoria regis sui Davidis ad bellum proficiscentis. Allegorice, pro victoria Christi et Christianorum contra Satanam: ita Athanasius et Nicephorus.

1. In finem, Psalmus David.
2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.
3. Mittat tibi auxilium de sancto; et de Sion tueatur te.
4. Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.
5. Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.
6. Lætabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.
7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus CHRISTUM suum.

Exaudiet illum de cælo sáncto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

8. Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.
9. Ipsi [1] obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus.
10. Domine, salvum fac regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

℣. 2. *Nomen Dei Jacob*, id est, Deus nominatus et invocatus a Jacob, q. d. Deus, qui olim patriarcham Jacob exaudivit, et a tot periculis liberavit, etiam te nunc liberet: ita Didymus et Genebrardus.

℣. 3. *De sancto* — Id est, de sanctuario et propitiatorio, quod est in *Sion*, ubi Deus terrenum thronum suum habet.

℣. 4. *Holocaustum tuum pingue fiat* — Id est, habeatur pro pingui sacrificio: id est, sit gratum et acceptum Deo, et consequenter sit efficax, quo placetur Deus: ita Origenes et Hieron.

℣. 6. *Lætabimur in salutari tuo*, seu in salute tua, tum passiva, qua salvus redibis: tum activa, qua nos salvabis ab hostibus. Sic *magnificabimur* (hebraice et chaldaice, *vexillum erigemus*, nempe triumphale, id est, triumphabimus) sanctus Hieronymus vertit *choros ducemus*.

℣. 7. *In potentatibus salus dexteræ ejus* — Id est, potentia et robore divino firmetur salus regis.

℣. 9. *Ipsi* hostes *obligati sunt*, id est, ligati compedibus, vincti catenis, quia *ceciderunt* — seu cæsi et prostrati sunt.

(1) " Vers. 9. *Obligati sunt.* Hebr. *Incurvati sunt*, id est succubuerunt hostes. Marian. "

PSALMUS XX.

Davidi jam reduci populus gratulatur de parta victoria et salute. Allegorice, Ecclesia Christo: anagogice, animæ victrici cælum subeunti, Sapientiæ 5, v. 17, ita Athanasius, Hieronymus, Augustinus.

1. In finem, Psalmus David.
2. Domine, in virtute tua lætabitur rex: et super salutare tuum exultabit vehementer.
3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: [1] et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
4. Quoniam prævenisti eum in

(1) " Vers. 3. *Et voluntate labiorum ejus.* Hebr. רצון, *declarationem labiorum ejus non negasti ei*, idest quidquam quod abs te peteret. Maldon. "

℣. 2. *Super salutare tuum* — Vide Psalmum 19, v. 6.

℣. 4. *Prævenisti eum*, id est, ultro,

benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

5. Vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, et in seculum seculi.

6. Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.

7. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8. Quoniam rex sperat in Domino: et in misericordia Altissimi non commovebitur.

9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

11. Fructum eorum de terra perdes: et semen eorum a filiis hominum.

12. Quoniam declinaverunt in te mala; cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

13. Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

14. Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.

gratuito, ante et supra omne meritum, liberalissime ornasti eum, *benedictionibus dulcedinis*, id est, beneficiis copiosissimis simul et lautissimis, puta bonorum omnium affluentia.

Coronam — supple regalem, id est, creasti eum regem ditissimum ac potentissimum.

℣. 5. *Longitudinem dierum* — Id est, vitam longissimam, non modo in præsenti seculo, sed etiam in æternitate.

℣. 7. *Dabis eum in benedictionem* — Hebraice et chaldaice, *pones eum benedictiones:* id est, reddes eum omni benedictione benedictum, scilicet, ut per ipsum etiam alii benedicantur. Videtur enim alludere ad illud Genes. 22: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Cum vultu tuo — supple, sereno: id est, præsentia, contemplatione et fruitione benigni, sereni et gloriosi vultus tui.

℣. 10. *Pones* inimicos tuos *ut clibanum ignis,* id est, succendes, et ardere illos facies instar fornacis, *in tempore vultus tui* — supple irati. Chaldæus, *in tempore iræ tuæ,* quæ vultu torvo proditur: ita Eusebius.

℣. 12. *Declinaverunt in te mala* — Id est, imposuerunt tibi tuisque malas et falsas calumnias.

℣. 13. *Pones eos dorsum* — Id est, fugabis eos, ac terga dare coges.

In reliquiis tuis, id est, reliquis adhuc tibi sagittis, pœnis ac suppliciis, *præparabis vultum eorum* — Id est, prævertes infestare et exagitare faciem fugientium. Hebraice enim est, *in nervo tuo diriges* (nempe sagittas) *contra faciem eorum,* quasi dicat: Ita vertes hostes in fugam, ut tamen ne sic quidem salvi evadant, nam tu ex adverso fugientibus occurres tenso arcu: atque ita tam a fronte quam a tergo telis tuis conficientur.

PSALMUS XXI.

Totus Christo accommodatur (ut patet ex ipsis verbis: et ante bis mille annos fassi sunt Hebræi): Patrem in cruce oranti pro susceptione matutina, *id est, pro festino auxilio, quod consecutus est ipso resurrectionis mane: ita Athanasius, Eusebius, Theodoretus.*

1. In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.

℣. 1. *Pro susceptione matutina* — S. Hieronymus vertit, *pro cerva matutina,* nempe, quam Judæi, quasi canes et unicornes exagitarunt. Nisi malis cum Mariana dicere, initium hoc esse notæ cantilenæ, ad cujus modos jubet hunc Psalmum decantari.

2. Deus Deus meus respice in me: [1] quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

3. Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.

4. Tu autem in [2] sancto habitas, laus Israel.

5. In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos.

6. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.

7. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis.

8. [3] Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

9. [4] Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

10. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.

11. In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu,

12. Ne discesseris a me: Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

13. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

15. Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam

℣. 2. *Quare me dereliquisti?* Hebraice, *lamah hazabthani* [5]. Sed Christus in cruce Syriace dixit, *Lamma sabacthani*, quod significat, *ut quid dereliquisti me?* id est, destituisti omni auxilio et solatio in his maximis tormentis? Nam in Christo, tempore passionis nulla defluebat consolatio (qua sancti solent in afflictionibus abundare) seu a Deo in tristem animam, seu a superiori parte animæ, quæ fruebatur visione Dei, in partem inferiorem. Idque, quia *verba delictorum*, id est, delicta et peccata, *meorum* seu subditorum, quæ ego mea feci, et in me expianda suscepi, *longe a salute mea* — supple, me faciunt: id est, impediunt ne gaudeam optato solatio et salute, seu ne salver et eripiar ex his doloribus et tormentis: ita Athanasius, Eusebius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambrosius. In Hebræo est, *verba rugitus mei*; et sic vertunt Aquila et S. Hieron., Symmachus, *luctum meorum*; Chaldæus et Theodotion, *clamoris mei*, q. d. Etsi cum rugitu inclamem salutem (ut sequitur) non tamen exaudior.

℣. 3. *Et non ad insipientiam mihi* — supple reputabitur, quod, licet non statim exaudiar (et hoc certo præsciam) clamem tamen, et opem et solatium inclamem. Nempe, quia certus sum, quod opportuniori tempore succurres mihi, et alia longe nobiliori via exaudies me, scilicet resuscitando me, et per crucem ac mortem meam mundum salvando: ita S. Hieron. et Theod.

℣. 7. *Sum vermis*, id est, instar vilissimi vermiculi despectus, abjectus, proculcatus. *Et non homo* — Hebraismus est, pro, potius quam homo, ut dixi in Prolegomenis [6]. Et tamen hic vermiculus fortissimas ac celsissimas quercus terebravit et dejecit, 2 Reg. 23, v. 8.

℣. 13. *Vituli multi* — Sic ob petulantiam vocat *Judæos* et *milites Romanos:* sicut eosdem ob impudentiam et lasciva convitia vocat *canes:* ob feritatem *tauros, leones, unicornes.*

℣. 15. *Sicut aqua effusus sum*, id est, omnes meæ vires, sanguis, spiritus vitales et animales, quasi aqua humi profusa, diffluxerunt: *et omnia ossa mea dispersa*, id est dissoluta et divulsa *sunt* ab invicem, præ violenta extensione in cruce.

Cor tamquam cera liquescens — Id est, instar liquescentis ceræ, deficit vi et æstu tormentorum, id est moritur.

(1) Matth. 27, vers. 46; Marc. 15, vers. 34.
(2) * Vers. 4. *Sancto*, id est Sanctuario. *Laus*, id est laudi materia, seu gloria. Sa.
(3) Matth. 27, vers. 39; Marc. 15, vers. 29.
(4) Matth. 27, vers. 43.
(5) למה עזבתני.
(6) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 6.

cera liquescens in medio ventris mei.

16. Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.

17. Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos:

18. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.

19. [1] Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

20. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

21. Erue a framea Deus animam meam: et de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam.

23. [2] Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

24. Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum:

25. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum exaudivit me.

26. Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

27. Edent [3] pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in seculum seculi.

28. Reminiscentur et convertentur ad Dñum universi fines terræ:

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

29. Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.

30. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

℣. 18. *Dinumeraverunt omnia ossa mea* — Id est, tanta crudelitate dilacerarunt flagellis suis pellem et carnem meam, et in cruce tanta violentia distenderunt omnia membra mea, ut possint jam ossa quasi carne nudata facile dinumerare: ita Basilius et Nicephorus in Catena.

℣℣. 26, 27. *Apud te,* seu coram te, et de te, et (ut in Hebræo, Chaldæo et Græco est) a te, erit *laus mea,* id est, laudabo te, non in parva Judæorum synagoga, sed *in magna Ecclesia* Catholica, omnium et nationum et locorum: quia nempe me salvasti, resuscitasti, glorificasti, et tot filiis donasti: nam usque ad finem Psalmi de his agit et laudat Deum. Unde sequitur, *Vota mea reddam,* q. d. Non ero tibi ingratus, sed sacrificium laudis, quod ab initio vovi, reddam tibi æternum, ac præ omnibus sacrificium corporis ac sanguinis mei in Eucharistia, inquit Eusebius, Hieron., Aug. Ex quo *edent pauperes et saturabuntur:* et *vivent corda,* seu animæ, *eorum in seculum seculi* — Juxta illud Joannis 6: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

℣. 28. *Reminiscentur* — nempe Judæi et Christiani meæ passionis, et amoris, et beneficiorum: et, ut Chaldæus, miraculorum. Est enim Eucharistia *memoria* seu memoriale *mirabilium* Dei [4].

℣. 30. *Omnes pingues terræ:* Aquila et Symmachus vertunt, *omnes opimi, et divites,* q. d. Non soli *pauperes,* de quibus v. 27, subdentur Christo, et fruentur ejus beneficiis, sed etiam principes et potentes: immo *omnes qui descendunt in terram* (id est, omnes mortales), *in conspectu ejus cadent* — id est, supplices fient Deo et Christo: nam ipsi *flectetur omne genu* [5].

(1) Matth. 27, vers. 35. Joan. 19, vers. 23, 24.
(2) Ad Hebr. vers. 2, 12.
(3) " Vers. 27, *Pauperes.* Hier. et Chald. *Mites. Requirunt* pro quærunt. Sa. "

(4) Psalm. 110, vers. 4.
(5) Ad Philipp. 2, vers. 10.

31. Et anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi.

32. Annuntiabitur Domino generatio ventura: et annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

℣. 32. *Generatio ventura,* nempe Christianorum, *annuntiabitur Domino* ; hebraice, adnumerabitur, adcensebitur, et, ut Symmachus vertit, adscribetur Domino, ut sit gens et populus Domini. *Et* ipsi quoque *cæli,* totusque mundus *annuntiabunt justitiam* Dei: tam qua ipse in se justus est, quam qua erga homines usus est, juste eos, uti promiserat, redimendo, gratis justificando, et in omnibus adjuvando, ob merita passi pro omnibus Christi.

PSALMUS XXII.

David (allegorice Ecclesia) gratulatur sibi de insigni erga se benevolentia Dei et Christi, quasi solliciti pastoris erga oviculas suas.

1. Psalmus David.

Dominus regit me, [1] et nihil mihi deerit :

2. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me :

3. Animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4. Nam, et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

5. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est !

℣. 1. *Dominus regit* — Hebraice et græce, *pascit me,* vel *est pastor meus.*

℣. 2. *In loco pascuæ;* hebraice, *in loco virente,* nempe in Ecclesia sua, quæ optima semperque virentia habet pascua Scripturarum et Sacramentorum. *Super aquam refectionis* — Hebraice et chaldaice, *aquam quietis;* id est quæ lassum ac sitibundum reficit et recreat, et quiescere facit. Hæc est cælestis gratia et consolatio Spiritus sancti Joan. 4 et 7 [2].

℣. 3. *Animam meam convertit* — seu quasi erraticam ovem ex inviis reduxit ad caulas.

℣. 4. *In medio umbræ mortis* — Id est, in mediis periculis, in maximis angustiis. Hebræum *tsal maveth* [3], quod latine vertitur *umbra mortis,* proprie est color ille luridus, quem mors proxime instans obducit oculis ac faciei hominis morientis, et est quasi umbra jam jam adventantis mortis. Hinc omnia extrema pericula, quæ præsentem mortem intentant, sive corporalem (ut captivitas, carcer, gravis morbus) : sive spiritualem (ut ignorantia et oblivio Dei, suæque salutis, et graviora peccata) metaphorice *umbra mortis* appellantur.

Virga et baculus tuus — Id est, pastoralis tua cura et sustentatio: quin subinde etiam castigatio, qua me errantem mones et in viam revocas: ita Origenes, Hieronymus, Augustinus.

℣. 5. *Parasti mensam,* SS. Scripturarum, inquit S. Hieronymus; gloriæ et deliciarum cælestium, Didymus; alii, beneficiorum omne genus, corporalium, spiritualium: maxime vero corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, inquit S. Jo. Chrysostomus, *adversus eos qui ritbulant me* — puta dæmones, tyrannos, perturbationes animi, libidines et vanitates seculi.

Oleo — Id est unguento, quo olim in conviviis, non spisso vel pingui, sed fluido ac subtili (fere ut nunc aqua ro-

(1) Isa. 40, v. 11; Jerem. 23, v. 4; Ezech. 34, vv. 11, 23; 1 Petr. 2, vers. 25, et 5, vers. 4.

(2) Joan. 4, vers. 14, et cap. 7, vers. 38.

(3) צלמות.

6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:

1 Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

sacea vel lavendulæ) ad suaveolentiam, refrigerium ac voluptatem utebantur. Oleum hoc animæ est gratia, consolatio et lætitia spiritualis, inquit S. Augustinus: S. Jo. Chrysostomus et Theodoretus cum Chaldæo putant hic alludi ad oleum chrismatis in Confirmatione, Ordine et Extrema unctione: sicut v. 2 ad aquam baptismi.

Calix meus inebrians, id est, exhilarans, et oblivionem inducens rerum mundanarum, seu adversarum, seu prosperarum. Hic calix est affluentia et copia bonorum, maxime spiritualium, quæ Deus suis electis propinat, maxime vero S. Eucharistiæ. Quin et passionis calix, quo subinde dignatur electos suos, *quam præclarus est!* — nempe perjucundus et maxime gloriosus est non minus imperatori Deo spectanti, quam Martyri et militi triumphanti.

(1) " Vers. 6. *Et ut inhabitem*, scilicet etiam præstabis. Hieron. *Et habitabo.* Domo Domini, scilicet Ecclesia vel cælo. Sa. „

PSALMUS XXIII.

Scriptus est occasione translationis arcæ Domini in montem Sion: magis tamen convenit antitypo, id est translationi humanæ naturæ Christi in cœlum die ascensionis; ita Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, Eusebius et Bernardus.

1. Prima sabbati, Psalmus David. Domini est terra, et plenitudo ejus: [1] orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.

6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium [2] faciem Dei Jacob.

7. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ.

℣. 2. *Fundavit* orbem *super maria* — id est, supereminentem mari et fluminibus: contra naturæ quidem ordinem (qui postulat ut aqua superfundatur terræ, eamque cingat), sed necessario ad conservationem, habitationem et usum animalium ac plantarum.

℣. 3. *In montem Domini* — Id est, in arcem Sion, ubi præ toto orbe palatium sibi et templum delegit Deus. Secundo, et melius, in cælum. De quo vide S. Bernardum [3].

℣. 4. *Accepit in vanum animam* — Id est, abusus est ad vanitates, negligens finem ad quem creata est, neque occupans eam iis rebus quarum causa vitam accepit a Deo: ita fere S. Hieronymus, Didymus, Augustinus.

℣. 6. *Generatio*, id est gens, *quærentium faciem Dei* — seu sollicite curans per omnia placere Deo, in cujus conspectu continuo versatur.

℣. 7. *Attollite*, id est, reserate, o principes Jerosolymitani: vel potius, vos, o angeli, *portas æternales*, id est, ab æterno hactenus clausas hominibus: duraturas item æternum, et per quas intratur in vitam æternam, id est cælestes: ita S. Dionysius, Hieronymus, Didymus, Eusebius. Describit vero hæc Psalmista humano et dialogistico more: neque enim Christus aperuit, sed penetravit cæ-

(1) Psalm. 49, vers. 12; 1 ad Cor. 10, 26.

(2) " Vers. 6. *Faciem Dei Jacob.* Hebr. *Faciem tuam Jacob,* סלה. „

(3) Serm. *Quis ascendet in montem Domini?*

8. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens: Dominus potens in prælio.

9. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ.

10. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

los, neque ignorabant angeli, *quis* esset *iste rex gloriæ*, seu gloriosus, nempe Christus, *potens in prælio* — utpote qui summam in difficillimo bello potentiam exeruit, devincendo mundum, peccatum, dæmones.

v. 10. *Dominus virtutum — tsebaoth* [1], id est, exercituum, non solum terrestrium omnium, sed et cælestium, nempe siderum [2] et angelorum.

(1) צבאות.
(2) 2 Paral. 33, vers. 3.

PSALMUS XXIV.

Implorat divinam misericordiam et opem, ut peccatis exsolutus, a periculis quoque liberetur.

1. In finem, Psalmus David.

Ad te, Domine, levavi animam meam:

2. Deus meus, in te confido, non erubescam:

3. Neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.

7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine.

8. Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9. Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

℣. 4. *Iniqua agentes* — supple, in me: id est, injuste me persequentes et affligentes, vel etiam quosvis alios Sanctos. *Supervacue* — id est, temere, et sine causa.

℣. 5. *Dirige me in veritate tua* — Id est, in vera tua doctrina ac lege recta, q. d. Ne sinas me sine freno currere post vanas et fallaces concupiscentias meas, inquit S. Jo. Chrysost.

℣. 6. *Quæ a seculo sunt* — Id est, quas ab initio mundi semper patribus nostris exhibuisti.

℣. 8. *Legem dabit delinquentibus*, id est, docebit et corriget delinquentes, *in via* — id est, ostendens eis viam, seu rationem recte vivendi.

℣. 9. *Diriget mansuetos in judicio* — Id est, secundum prudens judicium et rectam rationem, ut scilicet cum maturo judicio et ratione omnia sua peragant.

℣. 10. *Viæ Domini*, id est ratio et modus agendi quem servat Deus, erga homines, est *misericordia*, seu benevolentia et beneficentia. *Et veritas* — id est, fidelitas in præstandis promissis suis, et petitionibus nostris: his enim quasi viis graditur Deus ad homines. Homo vero ad Deum duabus aliis viis accedit, puta *judicio et justitia;* de quibus Psalmo 88, v. 15.

Requirentibus, id est erga eos qui amant et quærunt, *testamentum et testimonia ejus* — id est, mandata Dei complere, ut alibi dixi [1].

(1) In Prolegomenis de Idiotismis Hebr., n. 14.

11. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.

12. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

13. Anima ejus in bonis demorabitur: et semen ejus hereditabit terram.

14. Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

15. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

16. Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.

17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

18. Vide humilitatem meam, et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.

19. Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et [1] odio iniquo oderunt me.

20. Custodi animam meam, et erue me: non erubescam [2] quoniam speravi in te.

21. [3] Innocentes et recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.

22. Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

℣. 11. *Propter nomen tuum* — Id est, propter temetipsum, tuamque inexhaustam bonitatem.

℣. 12. *In via*, id est, in ratione et modo vivendi, seu in statu quem quisque *elegit*, ut in eo serviat Deo, *statuit ei legem*, id est, docet et dirigit eum, suggerendo apta consilia quibus secundum exigentiam sui status possit proficere continuo in virtutibus. Et hic est primus fructus *timoris Domini*. Alios quaternos fructus enumerat duobus versibus seqq.

℣. 14. *Et testamentum*, id est pactum seu lex Dei, cum omnibus præmiis et emolumentis annexis, supple, faciet Deus, *ut manifestetur* timentibus Deum: nempe ut hac ratione magis eos accendat et roboret in sui amore ac servitio.

℣. 16. *Unicus sum ego* — Id est, solitarius, desertus ab omnibus.

(1) Joan. 15, vers. 25.

(2) " Vers. 20. *Quoniam speravi in te:* Quidam: *Quia recipio me ad te*, fretus promissionibus tuis, quas fide integerrima apprehendo. Malven. „

(3) " Vers. 21. *Innocentes*, etc., *Simplicitas et æquitas servabunt me.* Hieron. „

PSALMUS XXV.

Exul orat liberari a persecutione Saulis, et patriæ ac templo restitui. Anagogice, cælo.

1. In finem, Psalmus David.
Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.

2. Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum.

3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua.

℣. 1. *Judica me*, id est judex esto tu in causa mea. Quid enim timeam? semper *in innocentia mea*, id est innocenter et inculpate, *ingressus*, seu conversatus, *sum*.

℣. 2. *Ure;* Chaldæus, *perpurga;* Hieronymus *confla*, q. d. Sicut aurifex igne explorat aurum sic tu, Domine *eor*, id est mentem, *et renes*, id est intimos affectus meos conflando et perpurgando explora, si tibi visum fuerit, etiam per ignem tentationis et tribulationis: ita Eusebius et Didymus.

℣. 3. *Misericordia tua ante oculos meos est* — Id est, menti meæ perpetuo obversantur *misericordia et veritas tua*,

4. Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.

5. Odivi ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.

6. Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine:

7. Ut [1] audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

8. Dñe, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

10. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

11. Ego autem in [2] innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

12. Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

de quibus Psal. 24, v. 10, maxime quas erga innocentes afflictos exerces, q. d. Ille me jubent sperare favorabilem sententiam te judice.

℣. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas,* id est, perpetuo conversabor cum probis et innocentibus, et iis me similem præstare conabor. Maxime vero jungar illis in pia oblatione hostiarum, in qua frequens usus est lotionis manuum. Unde, *circumdabo* cum iis *altare tuum,* id est, ipsorum imitatione, et in ipsorum consortio, frequentes tibi offeram hostias. *Et audiam vocis laudis* — Id est, symphoniam Levitarum, laudes Dei canentium.

(1) " Vers 7. *Audiam... et enarrem,* choris canentium immixtus. Menoch. „

℣. 8. *Dilexi decorem,* id est pulcritudinem et splendorem, *domus tuæ* — id est tabernaculi, in quo tamquam in proprio palatio habitas, et ostendis gloriam tuam. Tropologice, domus Dei est anima nostra, ut S. Hieronymus; allegorice, Ecclesia, ut Eusebius; anagogice, est cælum, ut S. August. exponit.

℣. 10. *Muneribus* — Id est, munerum corruptelis ad judices vel testes pervertendos, inquit S. Athanasius.

℣. 12. *Pes meus stetit in directo* — Hebraice, græce, chaldaice, *in rectitudine,* id est, in recta via justitiæ.

(2) " Vers. 11. *Innocentia.* Hieron. *Simplicitate.* Chald. *Integritate. Ingressus sum.* Hieron. *Gradiar.* Chald. *Ambulabo,* id est conversabor. Sa. „

PSALMUS XXVI.

Docet in maximis periculis maxime fidendum Deo, et anhelandum ad vitam æternam.

1. Psalmus David priusquam liniretur.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?

2. [1] Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

4. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo

℣. 1. *Priusquam liniretur* — Id est, ungeretur solemniter in regem: nam ante illam unctionem Psalmus hic est decantatus.

℣. 3. *In hoc* — Græce, *in hac re,* quod *Deus* sit *illuminatio,* seu lux *mea, et salus,* id est salvator meus.

℣. 4. *Unam* petitionem *petii, ut inhabitem in domo Domini* — id est, Jerosolymis, ubi est domus Domini; allegorice, in Ecclesia; anagogice, in cælo.

Notat Theodoretus ardorem religionis in Davide, cui tristius accidit exilium a

(1) " Vers. 2. *Dum appropiant.* Junge cum superioribus, scilicet *Dominus illuminatio mea.* Marian. *Super me,* idest contra me nocentes. Idem. „

Domini omnibus diebus vitæ meæ: Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

5. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

6. In petra exaltavit me: et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et psalmum dicam Domino.

7. Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me.

8. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.

9. Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

10. Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

11. Legem pone mihi, Domine, in via tua: et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

12. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

13. Credo videre bona Domini in terra viventium.

14. Expecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

domo Domini, quam a propria domo sua. *Ut videam*, id est, percipiam *voluptatem Domini* — Chaldæus vertit, *dulcedinem*; Hieronymus, *pulcritudinem*; Augustinus, *delectationem*, nempe qua Deus declaratione divinæ suæ præsentiæ afficit suos in loco sancto: ita Theodoretus.

℣. 5. *Abscondit me* sæpe alias, immo semper, *in tabernaculo suo* — Hieronymus et Chaldæus, *in umbra* seu *umbraculo suo*. Id est, cælesti providentia, protectione et ope submissa mihi e tabernaculo suo, *protexit me* perpetuo, et quasi in sinu abscondito maximeque tuto ab hostium insidiis, et insultibus, occultavit me. Quin et ut

℣. 6. *In petra* (chaldaice, in *arce forti*, vel *in rupe excelsa et inaccessa*) *exaltavit me*. Ideo *circuivi*, et ut Chaldæus, *circuibo*, iterum et sæpius, et immolabo *hostiam vociferationis* — Chaldæus et Hieronymus, *hostiam jubili*, seu *cum jubilatione* et musica solemni, q. d. Magnifico apparatu et concentu psallam et gratias agam tibi.

℣. 8. *Faciem tuam requiram* — Vide Psal. 23, v. 6. Sic v. 11, *Legem pone mihi in via*. Vide Psal. 24, v. 12.

℣. 12. *Mentita est iniquitas sibi* — Id est, iniqui confinxerunt sibi mendacia et calumnias adversum me: ita fere Chaldæus et Hieronymus. Nisi malis dicere, *sibi*, id est in suam perniciem.

℣. 13. *In terra viventium* — Id est, in hac terra in qua vivunt homines. Sic enim distinguitur *mundus* a loco *inferorum*, qui est terra mortuorum. Patet ex Psal. 51, *Emigrabit de terra viventium*. Isaiæ 53, *Abscissus est de terra viventium*, q. d. Etsi hic in tristitia, exilio, et regione mortis versari videar; tamen credo, me regnum et reliqua bona, quæ mihi Deus promisit, certo consecuturum etiam in hac præsenti vita: ita Nicephorus. Anagogice, in futura vita et regione cælesti, de qua 2 Petri 3, v. 13. Hæc est enim verissime *terra viventium*, mundus morientium, infernus mortuorum: ita Chaldæus, et Origenes, Athanasius, Eusebius et Didymus.

PSALMUS XXVII.

Orat ne innocens cum nocentibus perdatur. Et exauditus gratias agit.

1. Psalmus ipsi David.
Ad te, Domine, clamabo, Deus meus ne sileas a me: ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

2. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad [1] templum sanctum tuum.

3. Ne simul [2] trahas me cum peccatoribus: et cum operantibus iniquitatem ne perdas me:
Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

4. Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum:
Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

5. Quoniam non intellexerunt opera Dñi, et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos.

6. Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

7. Dominus adjutor meus, et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adjutus sum:
Et refloruit caro mea: et ex voluntate mea confitebor ei.

8. Dominus fortitudo plebis suæ: et protector salvationum christi sui est.

9. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuæ: et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

℣. 1. *Ne quando taceas a me,* id est, ne, si quando mihi supplicanti sileas, non respondens votis meis, neque me exaudiens, *assimiler descendentibus in lacum* sepulcri, id est, ne destitutus ope tua, moriar et peream.

℣. 5. *In opera.* Hebraismo, *in* redundat. Ergo, *opera manuum ejus,* repete, *non intellexerunt* impii, nempe non expenderunt mira *opera* divinæ potentiæ, quæ pro justis tutandis operari solent. Hinc *destrues illos, et non ædificabis* — Id est, sine ulla restaurationis spe perdes eos in æternum.

℣. 7. *Ex voluntate mea* — Chaldæus et Hieronymus, *in cantico et hymno meo,* id est jucunde, alacriter, prompte; ita Didymus et Eusebius.

℣. 8. *Protector salvationum,* id est salutum *Christi,* seu uncti, *sui est,* q. d. Non principes, non milites, non arma, sed solus Deus mille salutes dedit, et hucusque conservavit Davidi, a se in regem inuncto.

(1) " Vers. 2. *Templum.* Hieron. *Oraculum,* scilicet Sancta Sanctorum, ubi arca. Sa. "
(2) " Vers. 3. *Trahas:* sic Hieron., Chald. et Græc. itemque emendatiores codices: scilicet ad mortem. Sa. "

PSALMUS XXVIII.

Excitat omnes ad victimas et laudes Deo offerendas, qui vel sola voce sua, seu tonitru, maximam ostendit potentiam et majestatem: ita Basilius.

1. Psalmus David,
In consummatione tabernaculi.
Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

2. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

℣. 1. *In consummatione tabernaculi* — Tunc enim decantatus est hic Psalmus, cum perfectum esset tabernaculum, quod David rex in monte Sion constru-

3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

4. [1] Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

5. Vox Dñi confringentis cedros: et confringet Dñus cedros Libani:

6. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.

7. Vox Domini intercidentis flammam ignis:

8. Vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

9. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo ejus omnes dicent gloriam:

10. Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in æternum.

11. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

xerat, ut in eo arcam reponeret, 2 Regum 6.

℣. 3. *Vox Domini,* id est tonitru, ut dixit Psal. 17, v. 14, *super aquas multas* — id est, super maria. Quia maria tonitru maxime concutiuntur, et fulmine quasi findi videntur usque ad abyssum. Allegorice, vox Domini est prædicatio Evangelii, quæ instar tonitrui et fulminis totum orbem terrarum conturbavit, collustravit, et inflammavit.

℣. 6. *Comminuet cedros;* hebraice et chaldaice, exilire faciet e loco suo: puta, per terræmotum vel turbinem, qui sæpe comitantur tonitrua. *Tamquam vitulum Libani* — Id est, tanta facilitate ac si essent molles et tenelli vituli in Libano pascentes.

Et dilectus — Ita LXX et subaudiendum, *tunc apparebit,* q. d. Evulsis et comminutis cedris, exilient undique et apparebunt dilecti hinnuli, capreæ, et alii pulli, gratiosi instar pullorum monocerotis seu unicornis. Sic enim infra v. 9 dicit, revelatum iri condensa silvarum. Allegorice, post confracta idola et fastum seculi per vim tonitru Evangelici, Christus toti mundo innotuit, deliciæ Patris et orbis, instar monocerotis (ut alibi [2] dixi) sinu virginis exceptus, cornu suo fortissimo ac medicinali (puta cruce) venena omnia scelerum et pravorum dogmatum dispellens. Vide Athanasium et Theodoretum.

Nota, in Hebræo esse *Sirion* [3], quod est nomen montis Hermon Deuteron. 3, v. 9, et subauditur, *exiliet* instar pulli unicornium. Sed LXX per metathesin legerunt *jescuron* [4], quod significat *dilectum*, ut allegorice innuerent *Christum* Deo et hominibus dilectissimum.

℣. 7. *Intercidentis* (Hieronymus, *dividentis*; Chaldæus, *scindentis* seu dissecantis) *flammam ignis,* id est fulmen. Nam tonitru ejaculatur fulmina quasi dissecta, unum post aliud.

℣. 8. *Cades* vasta est et horrida solitudo Saracenorum in Arabia, in cujus parte una *Pharan* et *Sin* peregrinati fuerunt Israelitæ cum Moyse, Numer. 13, vv. 22 et 27.

℣. 9. *Præparantis* — nempe ad pariendum. Unde Chaldæus, *parturire facit;* Hieronymus, *obstetricans.* Nam cervæ, ut et capreæ, vulvam habent admodum angustam: unde et difficillime pariunt: sed pavore tonitrui dilatata vulva, partus facilior redditur. Tropologice, terror et minæ pœnarum, maxime æternarum, parturire faciunt peccatores pœnitentiam.

Et revelabit condensa, partim aperiendo et rarefaciendo condensas silvas, nempe plurimis arboribus evulsis ac dejectis: partim latentes in antris hinnulos in apertum producendo, ut dixi v. 6. Unde sancti et justi *omnes dicent gloriam* — id est, glorificabunt Deum, ob hæc et alia mira quæ facit in mundo.

℣. 10. *Diluvium inhabitare facit,* seu inundare terram: non solum tempore Noe, sed adhuc quotidie, saltem partiale, cum post tonitrua pluvias et imbres magna copia profundit. Nam a vers. 5, hucusque recenset varios effectus tonitrui et fulminis.

Et sedebit Dominus rex — Id est, his omnibus portentosis effectibus præsidet Deus quasi rex omnia imperans et præscribens.

(1) " Vers. 4. *Vox Domini in virtute,* idest in fortitudine. Fortis est et vox et magnifica. Marian. "

(2) Num. 23, vers. 22.

(3) שריון. (4) ישורון.

PSALMUS XXIX.

Gratias agit Deo, quod ejus ope ereptus gravi morbo et multis malis, novum palatium regium quod sibi, et novum tabernaculum quod Deo in arce Sion construxerat, dedicare et frui potuerit, 2 Regum 6, ita Chaldæus insinuat. Allegorice convenit Christo resurgenti.

1. Psalmus Cantici,
In dedicatione domus David.
2. Exaltabo te, Domine, quoniam susceptisti me: nec delectasti inimicos meos super me.
3. Domine Deus meus, clamavi ad te, et [1] sanasti me.
4. Domine, eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.
5. Psallite Domino sancti ejus: et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.
6. Quoniam ira in indignatione ejus: et vita in voluntate ejus.
Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.
7. Ego autem dixi [2] in abundantia mea: Non movebor in æternum.
8. Domine, in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.
Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.
9. Ad te, Domine, clamabo: et ad Deum meum deprecabor.
10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?
Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?
11. Audivit Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus.
12. Convertisti planctum meum

℣. 1. *In dedicatione domus* — Tunc enim hunc eucharisticum Psalmum Deo cecinit.

℣. 4. *Eduxisti ab inferno animam meam*, id est præpedivisti ne descenderem in infernum seu limbum; neque *in lacum* — Chaldæus, *in locum sepulcri*, q. d. Impedivisti ne morerer.

℣. 5. *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus* — Id est, laudibus celebrate memoriam ejus sacrosanctam, qua nostri vilissimorum homuncionum memor esse dignatur, nec malis obrutos spernit aut negligit.

℣. 6. *Ira in indignatione ejus*, id est cum indignatur Deus, infligit iram et pœnam. *Et vita in voluntate ejus* — Id est, cum bene vult alicui et amat, largitur ei vitam et salutem: ita Basilius.

Ad vesperum demorabitur fletus, id est, tam facile, tam cito ex parte sua desinit irasci Deus, ut, si quis vespere, ob nimia quibus premitur mala, fletu liquescat, subito *ad matutinum*, id est primo mane, affluat *lætitia*, et sic mutata fortuna lætissimus felicissimusque strato exsurgat. Allegorice, Apostoli vespere flebant Christum mortuum: mane lætati sunt, cum resurrexisse cognoverunt. Basilius, Hieronymus, Augustinus. Anagogice, qui ad vesperam hujus vitæ flent, in mane futuræ vitæ consolabuntur.

℣. 8. *In voluntate tua*, id est pro solo libito et beneplacito tuo, sine meis meritis, *præstitisti decori meo*, seu gloriæ meæ, *virtutem* — id est fortitudinem, robur, stabilitatem.

℣. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo?* Id est, ad quid, et cui proderit effusio sanguinis mei, seu mors mea? Ita sanctus Augustinus. An *pulvis*, id est homo in pulverem redactus, *annuntiabit*, id est publice prædicabit (ut ego soleo) viventibus in hoc mundo, *veritatem*, id est legem et promissa *tua* divina?

℣. 12. *Conscidisti saccum meum;* he-

(1) " Vers. 3. *Sanasti*, scilicet resurrectione. August. "

(2) " Vers. 7. *In abundantia*, in prosperitate et felicitate. Menoch. *Non movebor:* non decidam de felicitate mea. Idem. "

in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia:

13. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar; Dñe Deus meus, in æternum confitebor tibi.

braice, *cilicium* seu vestem lugubrem: metonymice luctum meum, qui sacco declaratur, et loco luctus cinxisti *me lætitia.*

℣. 13. *Ut cantet tibi* laudem *gloria mea,* id est gloriosum aut felix regnum meum: *et non* amplius *compungar* — id est, dolore aut tristitia præpediar a laude tua. Unde in Hebræo, Chaldæo, et apud sanct. Hieronymum est, *non taceat* aut cesset, supple, gloria mea laudare te. S. Augustinus, non compungar peccati conscientia. Anagogice, saccus animæ est corpus: conciditur in morte, sed rursum circumdatur lætitia in resurrectione.

PSALMUS XXX.

Implorat et impetrat opem Dei.

1. In finem, Psalmus David, pro extasi.

2. In te, Domine, speravi: non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

3. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem: et in domum refugii, ut salvum me facias.

4. [1] Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

6. [2] In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis.

7. Odisti observantes vanitates supervacue.

Ego autem in Domino speravi:

8. Exultabo, et lætabor in misericordia tua.

[3] Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

9. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

10. Miserere mei, Dñe, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus:

℣. 1. *Pro extasi* — Id est, dum versaretur in vehementi angustia et pavore ab hostibus incusso. Tunc enim cantatus hic Psalmus.

℣. 6. *Spiritum meum,* id est flatum, vitam, animam meam quam mihi hostes mei eripere conantur, *in manus* divinæ benevolentiæ et potentiæ tuæ *commendo;* hebraice *depono* quasi depositum, ut eam mihi quasi depositarius custodias, et suo tempore restituas: ita S. Hieronymus. Nam sæpe hactenus *redemisti me, Deus veritatis* — id est, verax, nempe in omnibus promissis tuis, quibus promisisti te justis afflictis semper affuturum.

(1) " Vers. 4. *Quoniam fortitudo mea.* Hebr. *Petra mea et munitio mea.* "

℣. 7. *Odisti observantes vanitates,* id est eos qui vanis rebus (puta idolis, infidis hominibus, aliisve creaturis) confidunt *supervacue* — id est frustra, sine successu et fructu.

℣. 9. *In loco spatioso* — Idem est quod, *in latitudine,* Psal. 4, v. 2. Id est, in magna libertate et ampla potestate evadendi e periculis quibus undique vallabar.

℣. 10. *In ira,* id est, præ et propter iram, qua tu mihi iratus permittis obvenire mihi hæc mala: *conturbatus* est etiam *venter meus* — id est, omnia interiora corporis.

(2) Luc. 23, vers. 46.

(3) " Vers. 8. *Quoniam respexisti humilitatem meam:* Hier. *Cognovisti tribulationes.* "

11. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus:

Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde, et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me.

13. Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.

Factus sum tamquam vas perditum:

14. Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu:

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

15. Ego autem in te speravi, Domine: dixi: Deus meus es tu:

16. In manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.

17. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua:

18. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum.

19. Muta fiant labia dolosa,

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.

20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

22. Benedictus Dñus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

℣. 12. *Timor notis meis* — Id est, amici et noti mei mihi adesse timent, ne propter me periclitentur. Metonymia actus pro objecto actus.

℣. 13. *A corde*, junge, cum *oblivioni datus sum*, id est, omnes in corde suo obliti sunt mei, ac si jam *mortuus* essem.

℣. 14. *Consiliati sunt*, id est, unanimi consilio statuerunt, *accipere animam meam* — id est vitam mihi eripere.

℣. 16. *Sortes meæ*, id est fortunæ, casus, eventus omnes; hebraice et chaldaice, *tempora mea*, id est, dies seu prosperitatis seu adversitatis, vitæ et mortis, valetudinis et ægritudinis, pacis et belli; non sunt in manu hominum, sed *in manibus tuis* — id est, in tua potestate, providentia et beneplacito: ita Theodoretus. S. Augustinus, anagogice, refert hæc ad varios status gratiæ in hac vita, et gloriæ in futuro, juxta illud Ephes. 1, v. 11, *In quo et nos sorte vocati sumus.*

℣. 17. *Illustra faciem tuam* — Vide Psal. 4, v. 7.

℣. 19. *In abusione* — Id est, fastu, quo abutuntur patientia justorum, eosque contemnunt et opprimunt.

℣. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis*, etc. Id est, quam multæ et magnæ sunt deliciæ, quas repositas habes timentibus te! et quas *perfecisti*, id est, perfectas dedisti seu exhibuisti eis, etiam *in conspectu filiorum hominum* — Id est palam, publice et in oculis totius mundi: maxime vero in die extremi judicii: Nam licet portiunculam subinde aliquam in hac vita Sanctis prælibandam concedat Deus, plenam tamen mensuram in illud tempus reservat: ita Hieronymus. Addit S. Augustinus, has delicias gustare non posse, qui palatum febre iniquitatum et voluptatum carnalium infectum habent.

℣. 21. *In abscondito*, id est, in intimo cubiculo seu conclavi, *faciei — tuæ* id est personæ tuæ, vel tuo. Nam Hebræi quando viros honoratos alloquuntur, vel eorum meminerunt, utuntur vocabulo *Faciei tuæ, Vultus tui, Animæ tuæ*, sicut nos *Excellentiæ, Celsitudinis, Majestatis, reverentiæ tuæ.*

℣. 22. *Mirificavit mihi*, id est, miris modis erga me exhibuit, *in civitate munita* — scilicet Jerusalem quæ, Deo favente, rerum omnium abundantia, et præ omnibus divino præsidio munita est contra omnes hostes.

23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

24. Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

25. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

℣. 23. *In excessu;* Hieronymus, *in stupore,* hebraice, *in trepidatione,* seu consternatione animi mei tot malis obruti et quasi extra se positi.

Ideo — Id est, quia me tam anxium videbas.

℣. 24. *Veritatem,* scilicet vitæ, id est justitiam et opera sancta, *requiret Dominus* — puta ad remunerandum: sicut mala requiret ad ulciscendum, Genes. 9, *Requiram animam hominis de manu hominis.* S. Hieronymus hæc applicat extremo judicio.

PSALMUS XXXI.

David admonitus peccati sui a propheta Nathan, agnoscit se peccatorem, et veniam non suis viribus, sed Dei gratiæ adscribendam.

Ipsi David intellectus.

1. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: [1] et quorum tecta sunt peccata.

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4. Quoniam die ac nocte gravata

℣. 1. *Ipsi David intellectus* — Hebraice, *eruditio,* seu quo singulariter erudiebatur intellectus et mens, agnoscens primo, se esse peccatorem; secundo, veniam, gratiam, bona opera non suis viribus, sed Dei gratiæ ascribenda: ita sanctus Augustinus.

Tecta sunt peccata — ita scilicet ut non amplius appareant oculis Dei, id est, non amplius insint animæ, sed plene remissa sint. Quæcumque enim adhuc sunt in rerum natura, non possunt dici tecta oculis Dei. Idem ergo est, esse sic tectum, quod, esse remissum. Sic dicimus, tegi colorem album, cum superinducto nigro, periit albus: ita S. Augustinus et Theodoretus.

℣. 2. *Non imputavit peccatum* — scilicet neque ad pœnam, neque ad culpam, nempe quia totum remisit et delevit, ut vers. præced. dictum est. Illa vero non imputatio ab hæreticis conficta, qua volunt, peccata nostra vere permanere in nobis, sed a Deo non imputari, prorsus impossibilis est; nam Deus non potest res aliter æstimare et imputare, quam uti revera in seipsis sunt: si ergo peccatum vere maneret in anima, quamvis tectum aut velatum justitia imputativa Christi, numquam posset non imputari a Deo: ita iidem Patres cum Eusebio et aliis.

℣. 3. *Quoniam tacui,* scilicet a confessione peccatorum meorum et veniæ imploratione. Novem enim mensibus (nempe quot intercesserunt inter adulterium et partum uxoris Uriæ) immersus hæserat David in peccatis suis priusquam ea agnosceret. Cum interim *clamarem tota die* — Chaldæus, Aquila et Hieronymus, *rugirem,* scilicet præ dolore ex morbo mihi in pœnam scelerum immisso: ita Hieronymus, Augustinus et alii.

Inveteraverunt ossa mea — Id est, omne robur meum elanguit.

℣. 4. *Conversus sum,* scilicet tandem aliquando ad te, o Deus, *dum ærumna,* id est, multiplici miseria, quasi *spina configor:* accedente præsertim spinosa et aculeata monitione Nathan prophetæ. Græce, *dum spina mihi,* seu in me, *configitur;* hebraice et chaldaice, *versus est succus* seu *viror meus* (id est, humor vitalis) *in siccitate æstatis.*

(1) Ad Rom. 4, vers. 7.

est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

[1] Dixi: [2] Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

8. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

9. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11. Lætamini in Domino et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

℣. 6. *Pro hac*, id est, propter hoc. Hebræi enim, quia genere neutro carent, utuntur feminino, ubi nos neutro, q. d. Quia tu mihi mox, ut dixi, *peccavi*, peccatum meum tam facile, tam cito remisisti; propter hoc *omnis sanctus*, id est quilibet de populo tuo sancto, *orabit te* veniam peccatorum suorum, non post novem demum menses, sed *in tempore opportuno;* Chaldæus, *acceptabili;* Aquila, Symmachus et Hieronymus, *ad te tempus inveniens*, seu mox ut commodum orandi tempus invenerit.

Verumtamen in diluvio, seu inundatione, *aquarum* afflictionis, etc. q. d. Sic fiet, ut, quantumvis ob admissa scelera inundent mox innumeræ calamitates, tamen ad ejusmodi Sanctum, qui statim studet reconciliari Deo, *non approximent* [3] hostiliter, ita scilicet ut ei noceant, aut damnum inferant. Nam quantumcumque attingant, purgabunt tantum, et mundiorem reddent, et majoris meriti ac gloriæ messem advehent; ita Theodoretus.

℣. 8. *Intellectum*, id est, eruditionem, doctrinam, *tibi dabo* — Id est, docebo te quomodo tibi consules: nempe *nolite* vivere ut bruta, quæ solo sensu et cupiditate ducuntur, non vero ratione et judicio: Sunt verba Dei, inquit Eusebius, Hieronymus, Theodoretus. Possent tamen etiam dici esse verba ipsiusmet Davidis prophetæ.

℣. 9. *Maxillas eorum*, qui ut bruta vivunt, *constringe camo et freno* — Id est, tracta eos ut bruta, multis flagellis et afflictionibus invitos et reluctantes compelle ad te redire et sequi te. Sanctus Athanasius, Didymus, Theodoretus.

(1) Isa. 65, vers. 24.

(2) " Vers. 5. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Arguunt hinc hæretici non esse necessarium confiteri Sacerdoti, quandoquidem Deus propter contritionem remisit peccatum, etiam propter solum votum confitendi Deo. Sed respondetur, hic nihil aliud significari quam Deum non alligare virtutem suam Sacramentis; sed vehementem illam contritionem Davidis in paucissimis reperiri. Potest etiam esse sensus: *Dixi: Confitebor;* quod postquam feci, ecce *tu remisisti:* quem sensum quoque indicat D. August. q. CLIV super Exod. quamvis in hujus Psal. enarratione, priori modo verba ista exponat, respiciens ad singularem Davidis contritionem. Estius. "

(3) Simile Psalm. 94, vers. 10.

PSALMUS XXXII.

Excitat omnes ad laudandum Deum ob varia ejus in nos beneficia.

Psalmus David.

1. Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.

2. Confitemini Domino in cithara: [1] in psalterio decem chordarum psallite illi.

3. Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.

4. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.

5. Diligit misericordiam et judicium: misericordia Domini plena est terra.

6. Verbo Domini cæli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7. Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

8. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. [2] Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

10. Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

12. Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus: populus, quem elegit in hereditatem sibi.

13. De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

15. Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

℣. 3. *Canticum novum* — Id est, de novo compositum, ob nova semper in nos beneficia.

Bene in vociferatione [3] — Hieronym., *diligenter in jubilo*; Chaldæus, *pulcre in jubilo*.

℣℣. 4, 5. *Rectum*, id est, æquum et justum, *est verbum*, seu promissum et factum, *Domini: et omnia opera ejus in fide*, seu fidelitate, id est, fideliter completa, vera, et conformia promissis suis. *Diligit* enim *judicium*, seu id quod justum est.

℣. 6. *Spiritu oris ejus* — Id est, jussu Dei. Basilius tamen et Theodoretus de Spiritu sancto id accipiunt.

Virtus cælorum, id est energia; Hieronymus, *ornatus*; Chaldæus et Aquila, *exercitus*, id est, stellæ et angeli. Allegorice, Hieronymus et Augustinus, cæli, id est, Apostoli et quivis fideles omni gratia firmantur a Spiritu sancto.

℣. 7. *Ponens in thesauris*, id est, in occultis aeris et terræ locis, quasi in gazophylaciis recondens, *abyssos* — id est, aquarum vastissimas et altissimas voragines, scilicet, ut ex iis suo tempore et loco educat pluvias, fontes, flumina: ita Theodoretus et Didymus.

℣. 8. *Commoveantur* — Hieronymus, *formident*; Chaldæus, *contremiscant*.

℣. 10. *Reprobat* — Hieronymus et Chaldæus, *irrita facit*.

℣. 14. *De præparato habitaculo suo* — Id est, de cælo, quod Deus sibi, angelis, et hominibus piis æternum palatium præparavit ab initio mundi.

℣. 15. *Finxit* (chaldaice, *creavit*) *corda*, id est animas, eorum *sigillatim*, id est, seorsim singulis. Hieron., Aquila, Symmachus et Chaldæus vertunt, *pariter simul*. Id est, nulla excepta omnes animas creavit Deus. Hinc *intelligit omnia opera eorum* — q. d. Non possunt

(1) [a] Vers. 2. *In psalterio decem chordarum*. Hinc collegere quidam *Psalterium* decem chordarum esse Hebr. i. *nablo decachordo*; pro, *decachordo*. Aliud instrumentum id erat, præsertim si *nablus* est *Gayta*, ut doctis videtur. *Nebel* enim est uter quo id instrumentum inflatur. Marian.

(2) Judith 16, vers. 17.

(3) Psalm. 26, vers. 6.

16. Non salvatur rex per multam virtutem: et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

17. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis qui sperant super misericordia ejus.

19. Ut eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame.

20. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor et protector noster est.

21. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto ejus speravimus.

22. Fiat misericordia tua, Domine, super nos; quemadmodum speravimus in te.

ulla via Deum latere doli, subtilitates et intentiones cordium mortalium, quia ipse singula creavit. Unumquodque vero subditur providentiæ ejus, a quo habet essentiam suam, inquit S. Basilius, Origenes, Eusebius, Theodoretus.

PSALMUS XXXIII.

Laudat Deum, et alios ut una secum laudent hortatur. Estque in Hebræo acrostichis litterarum ordine alphabetico conscriptus.

1. David, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit (I. *Reg.* XXI).

2. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

3. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur.

4. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in idipsum.

5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.

7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

8. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.

9. Gustate, et videte quoniam

℣. 1. *David, cum immutavit vultum*, etc. — Nam Psalmum hunc fecit occasione periculi, quod evasit apud *Achimelech* — id est, Achis regem, 1 Regum 21, *cum vultum suum*, stultitiam simulando, *commutaret*.

℣. 4. *In idipsum* — Hieronymus et Chaldæus: *pariter, simul omnes*.

℣. 6. *Illuminamini* — Pro illuminabimini: id est, in adversitatum tenebris, benigno aspectu et ope Dei, quasi jucundissima luce recreabimini: sicut olim Moyses in monte Sinai: ita Theodoretus, Hieronymus, Illuminabimini vera et copiosa sapientia.

Facies vestræ — Id est vos, ut dixi Psal. 30, v. 21.

℣. 7. *Iste pauper* — scilicet David. Loquitur enim de se in tertia persona.

℣. 8. *Immittet angelus* — nempe se suumque præsidium. Nam in Hebræo et LXX est, *castrametabitur;* apud Hieronymum, *circumdat;* in Chaldæo *immoratur*. Alludit vero ad castra angelorum tutelarium Jacobi patriarchæ, Gen. 32, 2, et Ezechiæ contra Sennacherib, 4 Reg. 19.

Notat porro S. Basilius et Didymus, etiam unum angelum ob fortitudinem comparari validissimis mœnibus et vallis; ob magnitudinem, integro exercitui.

℣. 9. *Gustate*, id est, experimento discite, nempe ex mei, meique similium mira liberatione, quia *suavis;* hebraice et græce, *benignus, est Dominus*.

suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.

10. Timete Dominum, omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.

11. [1] Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12. Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

13. [2] Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

14. Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum.

15. Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam.

16. Oculi Domini [3] super justos: et aures ejus in preces eorum.

17. [4] Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

18. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

20. Multæ tribulationes justorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus.

21. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

22. Mors peccatorum pessima: et qui oderunt justum delinquent.

23. Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes qui sperant in eo.

℣. 11. *Divites* hujus seculi *eguerunt.* Hieronymus et Chaldæus, *filii leonum,* seu *leones, depauperati sunt.* At vero pii *non minuentur omni bono* — Hebraismus est, pro, nullo bono carebunt.

℣. 12. *Venite, filii, audite me* — q. d. Multi negligunt instruere filios suos: ego non negligam.

Timorem Domini docebo vos — Docebunt eos alii, et diligenter, sed artes vanas, quibus huic mundo placeant, opes et honores coacervent, cæteris præcellant: ego, quod his omnibus nobilius, utilius, magisque necessarium est, docebo vos, *timere Deum,* eique placere ac deservire. Vide Plutarchum, Origenem [5] et alios.

℣. 21. *Ossa* — Synecdochice, id est, omnia membra, ut habet Chaldæus.

Unum non conteretur — Id est, nullum ita confringetur, ut confractum maneat et pereat: nam, Deo advigilante, singula custodientur, et in resurrectione singulis sua reddentur jam gloriosa: ita S. Hieronymus. Simile Matth. 10, *Capillus de capite vestro non peribit.*

(1) Luc. 1, vers. 53. (2) 1 Petr. 3, vers. 10. (3) Eccli. 15, vers. 20; ad Hebr. 4, vers. 13. (4) " Vers. 17. *Vultus Domini;* idest ira. Bossuet, aliique quamplurimi Interpretes. "

(5) Plutarch. lib. de Instit.; Orig. apud S. Hieron. in Daniel. 13.

PSALMUS XXXIV.

David hostibus suis, allegorice, Christus Judæis, excidium prædicit, sibi salutem precatur.

1. Ipsi David.

Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma et scutum: et exurge in adjutorium mihi.

3. Effunde frameam et conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego sum.

4. [1] Confundantur et revereantur, quærentes animam meam.

℣. 1. *Ipsi David* — quia sibi bene precatur hoc Psalmo.

℣. 3. *Effunde frameam,* seu gladium, e vagina. *Et conclude* — supple viam, ne possint effugere.

℣. 4. *Revereantur* — passive, id est, pudefiant, erubescant, ut vertit Chald.

(1) Infra 39, vers. 15.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: et angelus Domini coarctans eos.

6. Fiat via illorum tenebræ, et lubricum: et angelus Domini persequens eos.

7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

8. Veniat illi laqueus, quem ignorat: et captio, quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.

9.[1] Anima autem mea exultabit in Domino; et delectabitur super salutari suo.

10. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum et pauperem a diripientibus eum.

11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

12. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

13. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

14. Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar.

15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

16. Dissipati sunt, nec compuncti,

℣. 6. *Via illorum,* per quam effugere tentabunt, *fiat tenebræ et lubricum* — Id est, tenebrosa, lutosa et lubricosa: nempe, ut passim offendant, impingant et cadant, nec possint evadere.

℣. 7. *Gratis* et *supervacue* (Hieronymus, *frustra;* Symmachus et Chaldæus, *sine causa,* sine ullo meo demerito) *absconderunt mihi interitum laquei sui,* id est, occulte tetenderunt mihi laqueum interimentem, seu lethalem, et *exprobraverunt* — id est, probris et contumeliis me affecerunt.

℣. 10. *Omnia ossa mea.* Synecdochice id est, omnia membra mea, vel intima omnia mea, omnes vires meæ, q. d. Eximis medullis, totisque viribus exclamo admirabundus, *Domine, quis similis tibi,* in sapientia, fortitudine, beneficentia? *eripiens inopem,* id est, afflictum, etc. ita Cyrillus.

℣. 11. *Quæ ignorabam interrogabant me* — Id est, quorum minime mihi conscius eram, objiciebant mihi in judicio.

℣. 12. *Retribuebant animæ meæ sterilitatem* — Hebraice et chaldaice, *orbitatem,* græce, ἀτεκνίαν, id est, *filiorum orbitatem,* q. d. Orbarunt me filiis, amicis, famulis, omni denique præsidio ac solatio.

℣. 13. *In sinu meo* — Id est, secreto inter Deum et me frequentissime orabam pro eis, et porro pergam orare. Nisi malis cum Hieronymo et Chaldæo legere, *in sinum meum,* q. d. Oratio mea pro eis toties fusa, quia ob illorum malitiam nihil illis profuit in meam cædet utilitatem et fructum. Sic Matth. 10: *Pax vestra revertetur ad vos.*

℣. 14. *Quasi proximum,* etc. — In Chaldæo, ac si socius et frater meus fuisset, sic me placide gessi erga inimicum meum.

Humiliabar coram te: nempe ut hac via averterem ab eis seu impendentia, seu jam in eo sævientia mala; propter quæ ex animo contristabar, compatiebar et lugebam.

℣. 15. *Et ignoravi* — scilicet cur me flagellarent, torquerent, aut persequerentur: nempe nullius mihi conscius causæ ad id datæ.

℣. 16. *Dissipati sunt,* id est, dispersi sunt, ut varias vias quærerent me perdendi: *nec compuncti* sunt corde, id est, non doluerunt, non cessarunt, non quieverunt, ut est in Hebræo, donec perversi voti sui compotes fierent.

(1) [a] Vers. 9. *Anima autem mea exultabit in Domino,* confirmabitur, fortitudinem recipiet. Hebr. *in Domino laudabitur anima mea,* quod idem est; *laudari* enim pro *roborari* ponitur, uti laus pro virtute etiam apud profanos scriptores. Virg. Æn. 1: *En Priamus: sunt hic sua præmia laudi,* idest *virtuti,* ut explicat Servius. Vide Roam *Singul.,* lib. 1, cap. 13. [a]

tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

17. Dñe, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

18. Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique: [1] qui oderunt me gratis et annuunt oculis.

20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

21. Et dilataverunt super me os suum: dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.

22. Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me.

23. Exurge et intende judicio meo: Deus meus, et Dñus meus in causam meam.

24. Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi.

25. Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant: Devoravimus eum.

26. Erubescant et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.

27. Exultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

28. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

℣. 17. *Unicam;* Hieronymus, *solitariam,* q. d. Desertam ab omnibus, et auxilio destitutam, *animam,* seu vitam, *meam.*

℣. 19. *Annuunt oculis* — Id est, mutuis oculorum nutibus derident me et subsannant.

℣. 20. *In iracundia terræ* — Id est, quando terra est in ira. Metonymia, continens pro contento, id est, quando homines sunt in jurgiis, in tumultibus, in bellis. Hebraice enim est, *in commotionibus,* seu seditionibus.

℣. 21. *Viderunt oculi nostri* — scilicet quod tantopere optabamus: puta exitium Davidis; allegorice, Christi.

℣. 26. *Induantur reverentia* — id est, pudore, ut supra v. 4.

(1) Joan. 15, vers. 25.

PSALMUS XXXV.

Malitiæ impiorum opponit bonitatem et beneficentiam Dei.

1. [1] In finem, servo Domini ipsi David.

2. Dixit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.

3. [2] Quoniam dolose egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

4. Verba oris ejus iniquitas, et dolus: noluit intelligere ut bene ageret.

5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit.

6. Domine in cælo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.

℣. 2. *Dixit in semetipso* — Id est, apud se statuit.

℣. 3. *Ut inveniatur,* seu palam deprehendatur, *iniquitas ejus ad odium* — id est, odiosa et execranda.

℣. 6. *In cælo,* id est, usque ad cæ-

(1) " *In finem, servo Domini ipsi David.* Dativus pro genitivo, more linguæ Hebraicæ, idest servi Domini Davidis, scilicet Psalmus. Miratur in impio nullum esse Dei metum. Contra impios Deum provocat. Tandem precatione Psalmum claudit. Mariana. „

(2) Sup. 13, vers. 3.

7. Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa.

Homines, et jumenta salvabis, Domine:

8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10. Quoniam apud te est fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.

11. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non veniat mihi pes superbiæ: et manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

lum, per omnia elementa, cælos, et creaturas diffusa, q. d. immensa est, *et veritas*, id est fidelitas, *tua* in promissis, *usque ad nubes*, se protendit, diffusa per omnia spatia, maxime vero in homines tam impios, tam ingratos, tam tibi rebelles. In quos tamen e nubibus depluis, ut olim manna in Israelitas, inquit Eusebius et Cyrillus.

℣. 7. *Montes Dei* — Id est, montes altissimi, q. d. Justitia tua est supra omnium captum, et instar *abyssi* imperscrutabilis: ita iidem et Theodoretus.

Et jumenta salvabis — salute corporali, dans escam omni carni, Psal. 135, vestitum quoque, sanitatem, proles, etc. ita iidem et S. Augustinus. Allegorice, ex belluinis hominibus facies angelos, inquit Hieronymus et Didymus.

℣. 8. *Quemadmodum* — pro quantopere. Nam Hieron. et Chaldæus vertunt, *quam pretiosa est misericordia tua!*

℣. 9. *Inebriabuntur*, id est, saturabuntur et toti hilarescent, ex *ubertate*, id est, affluentia bonorum, *domus tuæ* cælestis. Hieronymus et Chaldæus vertunt, *a pinguedine*, id est, ex deliciis: quæ hic quidem per spem et prægustum quemdam præcipiuntur (ut subinde Martyribus et aliis quibusdam Sanctis accidit), sed in cælo per rem et plenam fruitionem possidebuntur. Unde et *torrens* vocatur, inquit S. Augustinus, ob copiam, impetum et perpetuitatem.

℣. 10. *Fons vitæ* — scilicet spiritualis, continuo dimanans in nos, hic per gratiam, in cælo per gloriam, inquit idem Augustinus.

In lumine tuo; Chaldæus, *propter lucem gloriæ tuæ*, q. d. Non per lumen *solare*, aut lumen *naturale* intellectus nostri vel scientiæ humanæ (ut olim volebant *Begardi* et *Beguinæ*), sed per lumen tuum *supernaturale* videbimus *lumen* — id est, lucidam faciem tuam. Nam ut creatura possit clare videre Deum, infinite excellentem, omnino necessarium est ut intellectus ejus per lumen gloriæ elevetur. Ita Concilium Viennense sub Clemente V contra Begardos, et S. Thomas [1], ceterique Doctores.

℣. 11. *Prætende*, id est, extende, porrige, *justitiam* (id est gratiam) *tuam* — quæ facit justos.

℣. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ* — Chaldæus, *ne occurrat in me pes superbi*, id est, non invadat me.

Et manus, id est potentia seu violentia, *peccatoris non moveat me* — scilicet de loco, statu vel quiete mea.

℣. 13. *Ibi*, id est, in eo seculo, ubi pii inebriabuntur nectare divino, de quo vv. 9 et 10 *expulsi sunt* — pro expellentur impii, et in æterna supplicia detrudentur: ita Genebrardus.

(1) In 1 p.

PSALMUS XXXVI.

Solatur pios, ne offendantur prosperitate impiorum, utpote brevi peritura, cum pii solida et stabili beatitudine sint donandi.

1. Psalmus ipsi David.
Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tamquam [1] fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.

3. Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

4. Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet.

6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem:

7. Subditus esto Domino, et ora eum.
Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias.

8. Desine ab ira, et derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.

9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dñum, ipsi hereditabunt terram.

10. Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quæres locum ejus, et non invenies.

11. [2] Mansueti autem hereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

12. Observabit peccator justum: et stridebit super eum dentibus suis.

13. Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

14. Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum,
Ut dejiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.

15. Gladius eorum intret in corda

℣. 1. *Æmulari* et *zelare* tria significare possunt: Primum, *studiose imitari*, et, ut hic vertit Symmachus, Aquila et S. Hieronymus, certare, contendere. Secundum, *invidere:* ita fere Cyrillus et Hesychius. Tertium, *indignari* et *irasci*, ut est in Hæbreo, et vertit Theodotion.

In malignantibus — Id est, ob malignorum prosperitatem.

℣. 3. *Inhabita terram* — scilicet pacifice et mansuete: Hieronymus, *peregrinare in terra, et pascere fide*, q. d. Contentus esto tuis.

℣. 5. *Revela Domino viam tuam* — Id est, ardenti prece et secura fiducia expone et committe Deo statum rerum tuarum, sive prosperum, sive adversum, nec te minis anxia sollicitudine crucia. Hebraice enim est, *volve*, scilicet a te et a corde tuo, *super Dominum viam tuam*, id est, negotia, curas, necessitates tuas; Aquila vertit, *sile Domino;* Symmachus, *quietus esto Domino:* quod Noster v. 7 vertit, *subditus esto Domino.*

Et ipse faciet, seu perficiet, confecta dabit omnia negotia tua.

℣. 6. *Justitiam*, id est innocentiam, *tuam*, quæ nunc impiorum criminationibus obscuratur, *educet quasi lumen*, id est, palam in apertum proferet. *Et judicium*, id est, justam causam tuam, sensim magis ac magis inclarescere faciet sicut *meridiem* — ita August., Theodoretus, Didymus.

℣. 11. *Terram* — tum cælestem, de qua v. 29; ita Hieronymus, Cyrillus et Nyssenus: tum mundanam, ut Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius. Sæpe enim et hoc usuvenit.

℣. 13. *Dies ejus* — nempe fatalis. Unde Chaldæus vertit, *dies contritionis ejus.*

(1) [a] Vers. 2. *Fœnum.* Hieronym. et Chald. *Herba. Decident.* Hieronym. *marcescent.*

(2) Matth. 5, vers. 4.

ipsorum: et arcus eorum confringatur.

16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

17. Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.

18. Novit Dominus dies immaculatorum: et hereditas eorum in æternum erit.

19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.

20. Quia peccatores peribunt:

Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.

21. Mutuabitur peccator, et non solvet: justus autem miseretur et tribuet.

22. Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur: et viam ejus volet.

24. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.

25. Junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26. Tota die miseretur et commodat: et semen illius in benedictione erit.

27. Declina a malo, et fac bonum: et inhabita in seculum seculi.

28. Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.

Injusti punientur: et semen impiorum peribit.

29. Justi autem hereditabunt terram: et inhabitabunt in seculum seculi super eam.

30. [1] Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

31. [2] Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus.

32. [3] Considerat peccator justum: et quærit mortificare eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum cum judicabitur illi.

34. Expecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te ut here-

℣. 18. *Novit Dominus* — nempe scientia approbationis, ut dixi Psal. 1, v. 6.

℣. 20. *Mox ut honorificati fuerint*, etc. — Hieronymus, *gloriantes ut monocerotes*; Chaldæus, *sicut gloria veruecum impinguatorum, qui tandem jugulantur, sic gloria impiorum in fumo gehennæ consumetur.*

℣. 21. *Mutuabitur*, id est, mutuum *accipiet, et non* restituet, seu propter inopiam, seu propter avaritiam, inquit Cyrillus.

Justus autem, sæpe adeo abundat et liberalis est, ut ultro et gratis multa tribuat egenis.

℣. 23. *Apud Dominum* (hebraice, græce, chaldaice, *a Domino*) *gressus*, id est, actiones et conatus omnes, *hominis*, supple justi, ut est in Hebræo, *dirigentur*, nempe prospere: *et viam ejus volet* — Id est, diliget, fortunabit, *valde* inquiunt LXX.

℣. 25. *Non vidi*, scilicet ego David: licet alii subinde viderint (nempe rarum est, etiam nunc: et adhuc rarius in veteri testamento). *Justum*, eleemosynarium, ut patet ex vers. seq. *nec semen ejus*, id est filios. *Quærere panem*, quem tandem non reperirent, id est, fame perire. Subinde tamen id contigit, v. g. Lazaro, et Martyribus in carcere. Sed tunc pro pane corporali dat Deus panem spiritualem, nempe copiam solatiorum, coronam martyrii et cælestis gloriæ.

℣. 27. *Et inhabita* — perseverando in bono et virtutum studio.

℣. 33. *Cum judicabitur illi* — id est, ab illo impio; Chaldæus, *cum judicium de eo aget*, q. d. Non sinet Deus justum injuste condemnari ab impio; supple, nisi aliter expediat justo.

(1) Prov. 31, vers. 26.
(2) Isa. 51, vers. 7.
(3) " Vers. 32. *Considerat.* Chald. *insidiatur. Mortificare*, Hieron. et Chald. *occidere.* "

ditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.

35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.

36. Et transivi, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

38. Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

39. Salus autem justorum a Domino: et protector eorum in tempore tribulationis.

40. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos: quia speraverunt in eo.

℣. 37. *Reliquiæ* — Id est, posteritas et opes. Secundo, memoria et monimentum, inquit Nicephorus. Tertio, felix exitus: Hieronymus enim et Chaldæus, *ad extremum*, seu *finis ejus pax*. Quarto, salus æterna, et gloria resurrectionis. Et hoc est, quod ajebat Abraham Epuloni, *Nunc Lazarus consolatur, tu vero cruciaris:* ita S. Hieronymus, Augustinus, Esychius.

PSALMUS XXXVII.

Describit hoc Psalmo pœnas adulterii sui, morbos et hostium vexationes: quas humillime deprecatur.

1. Psalmus David, in rememorationem de sabbato.

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, [1] neque in ira tua corripias me.

3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

6. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

℣. 1. *In rememorationem* — Compositus est enim Psalmus a Davide *in rememorationem* peccati a se admissi.

De sabbato, seu in sabbato canendus.

℣. 3. *Sagittæ tuæ* — Id est, morbi, dolores, ærumnæ, quibus quasi sagittis me continuo configis.

Et confirmasti, id est roborasti, *manum* et brachium tuum, q. d. Maximo robore et viribus tetendisti arcum tuum, ut summa vi torqueres in me tela tua. Hinc usque ad v. 16 poetica hypotyposi graphice depingit miserias hominis ob peccatum a Deo afflicti.

℣. 4. *A facie iræ tuæ*, id est, propter iram tuam, ut vertit Chaldæus. Sic, *a facie peccatorum meorum* — Id est, propter peccata mea. Simile vers. 6 et alibi.

Non est pax ossibus. — Id est, nulla est quies membris [2] meis.

℣. 5. *Supergressæ sunt*, scilicet more aquæ operientis *caput meum*, id est, submergor multitudine peccatorum, *et sicut onus grave*, nimio pondere suo, *gravatæ sunt super me* — id est, plane obruunt me.

℣. 6. *Cicatrices*, id est, ulcera et vulnera tum animæ, tum corporis, quibus dudum cicatrices obductæ esse deberent, jam ob vetustatem et neglectum *computruerunt et corruptæ sunt;* Hieronymus et Chaldæus, *tabuerunt*, id est, tabo et sanie diffluunt, *a facie insipientiæ meæ* — Id est, propter meam stultitiam, qua et peccavi, et tam sero distuli pœnitere.

(1) Supra 6, vers. 2.
(2) Psalm. 34, vers 10.

7. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

10. Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

12. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt:

13. Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

15. Et factus sum [1] sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

16. Quoniam in te, Dñe, speravi: tu exaudies me, Dñe Deus meus.

17. Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18. Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

20. Inimici autem mei vivunt, [2] et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

℣. 7. *Curvatus sum*, pondere peccatorum et plagarum, juxta dicta v. 5, *usque in finem* — id est, continuo: Chaldæus, *majorem in modum*.

℣. 8. *Illusionibus* — Aquila et Hieronymus, *ignominia*, id est morbis, ob quos hostes mihi ignominiose illudunt: ita Cyrillus. Chaldæus vertit, *combustione*, id est, inflammatione, puta febrili. Tropologice, ardore concupiscentiæ, inquit S. Hieronymus, Origenes et Gregorius, et malis phantasmatibus quæ menti etiam invitæ illudunt, inquit sanctus Augustinus.

℣. 9. *A gemitu cordis* — id est, propter nimios dolores et afflictiones quæ cor meum gemere faciunt.

℣. 11. *Lumen oculorum non est mecum* — Id est, præ fletu et ægritudine continua pene amisi visum. Nimia enim tristitia facit opticos spiritus ut turbidiores et crassiores, ita et languidiores, ut oculi plane caligent, etiam in alta luce. Tropologice, peccator privatur lumine prudentiæ spiritualis, inquit S. Hieronymus et Augustinus.

℣. 17. *Quia dixi*, id est, ideo te rogavi, ne patereris inimicos meos mihi insultare. *Et*, pro etenim, *dum commoventur pedes mei*, id est, dum vacillant, et ruinam minantur res meæ, mox hostes mei *loquuntur magna*, id est, superba dicteria, *super*, seu contra, *me*, mihi illudentes et insultantes.

℣. 18. *Dolor meus in conspectu meo semper* — Id est, numquam non occurrit quod me excruciet: una calamitas aliam excipit, e qua perpetuum maximumque dolorem capio.

℣. 19. *Iniquitatem meam annuntiabo*; id est, libenter confitebor coram Deo et hominibus: *et cogitabo* (Hieronymus et Chaldæus, *sollicitus ero*) *pro peccato meo* — supple expiando, et in me vindicando.

(1) " Vers. 15. *Sicut homo... non habens in ore suo redargutiones*; idest, quod illis responderem non habebam. Estii. "

(2) " Vers. 20. *Et confirmati sunt super me*; idest contra me, vel plusquam ego: sunt me robustiores hostes mei. Estii et Menochii. "

PSALMUS XXXVIII.

David ad maledicta Semei conticescens, Deo illa queritur, oratque ut sui ob peccata merito afflicti misereatur, et in hac vitæ brevitate et miseria consoletur: ita Cyrillus et Theodoretus.

1. In finem, ipsi Idithun,
Canticum David.
2. Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.
Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.
3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis: et dolor meus renovatus est.
4. Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.
5. Locutus sum in lingua mea:
Notum fac mihi, Dñe, finem meum,
Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.
6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tamquam nihilum ante te.
Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.
7. Verumtamen in imagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur.
Thesaurizat: et ignorat cui congregabit ea.

℣. 1. *Ipsi Idithun*, cantorum præfecto, 1 Paralip. 16, v. 41, et c. 25, v. 1 datus ad canendum a Davide.

℣. 2. *Dixi* — Id est, firmiter statui, nempe cum mihi malediceret Semei, 2 Reg. 16, v. 7.

℣. 3. *Silui a bonis*, id est, a bona et justa mei defensione, vel, adeo silui, ut ne bona quidem verba proloquerer, ne forte verbum aliquod querulum et impatiens incauto excideret. Unde factum, ut *dolor* internus animi diu compressus, ipsa taciturnitate recrudesceret.

℣. 4. *Et in meditatione mea*, id est, seria occupatione animi, *exardescet ignis* — Id est, zelus et fervor iræ ac indignationis contra peccata et peccatores. Zelus enim est quasi quidam ignis interiora hominis inflammans, inquit Cyrillus.

℣. 5. *Notum fac mihi finem meum*, nempe tot malorum: puta tempus mortis: *Ut sciam quid desit mihi* — id est, quantum adhuc seu vitæ, seu malorum, supersit transigendum.

℣. 6. *Mensurabiles* — nempe brevi et facili mensura, puta palmi unius, seu quatuor digitorum. Hebraice enim est, *palmares:* quod Hieronymus vertit, *breves;* Chaldæus, *leves*, q. d. Valde breves et momentanei sunt dies vitæ meæ: ita Hieronymus, Hesychius, Theodoretus.

Et substantia mea: ὑπόστασις, id est, subsistentia seu firmitas vitæ meæ, id est, duratio qua in hac vita subsisto, est *tamquam* momentum, immo *nihilum ante te* — Id est, æstimatione tua, qua *mille anni* sunt *tamquam dies* una, vel respectu æternitatis tuæ.

Verumtamen hic et v. seq. et alias sæpe non sumitur adversative, sed assertive, ut idem sit quod *certe*, sane, revera.

Universa vanitas — Id est, vanissimus, Græce, *quoad omnia homo est vanitas*, seu omni ex parte: ita ut vanitas et miseria, quæ per alias creaturas frustratim spargitur, in uno homine aggregata videatur: ut, sicut homo essentiæ omnium creaturarum, ita et vanitatis earumdem compendium sit. Quia cum inanimis subjacet mutationi locorum, temporum, accidentium, et corruptioni: cum animatis, subest alterationi, accretioni, decretioni, morti: cum sentientibus, lætitiæ, mœrori, timori, iræ: cum angelis, volubilitati cogitationum et volitionum: itemque inconstantiæ, qua in varias peccatorum species delabitur. Subnectitur hic *sela* in Hebræo, de quo Psal. 3, v. 3.

℣. 7. *Pertransit*, supple hanc vitam, *homo betselem* [1], id est, *in imagine* —

(1) בצלם.

8. Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.

10. [1] Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti:

11. Amove a me plagas tuas.

12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

13. Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.

14. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

non solida, sed umbratili, qualis est umbra respectu corporis, vel qualis homini in speculo, aut somno repræsentantur, q. d. Vita hominum potius est umbra vitæ, quam vera vel solida vita.

Sed et frustra conturbatur — Id est, accedit ad humanæ vitæ vanitatem, quod homo sæpe sine notabili causa, sine fructu tumultuetur, tum intus in animo, tum foris in opere: nempe propter res nihili, meras umbras, et spes incertas.

Thesaurizat, et multas opes parat, *et ignorat cui congregabit eas* — ut mihi Davidi accidit, qui tot centena talentorum millia, tam amplum et florens regnum, tanto labore partum, jam cedere cogor filio proditori et decoctori Absalom; inquit Cyrillus et Theodoretus.

℣. 8. *Substantia*, id est, ut supra v. 6 subsistentia, firmitas, *mea*, id est, fiducia mea omnis qua in tantis malis subsisto *apud*, id est in, *te est*.

℣. 12. *A fortitudine manus tuæ*, id est, propter fortem percussionem tuam, ut habet Chaldæus: et *in increpationibus*, id est, propter continuas castigationes, totus *defeci* — Hieronymus et Chaldæus, *consumptus sum*.

Sicut araneam — nempe, quæ dum sua retia texit, humorem vitalem exhaurit, seque eviscerat, atque ita subinde sicca contabescit: ita et hominis vita continuo et frustraneo labore, dolore, tristitia exhausto vigore tabescit, inquit S. Hieronymus et Ambrosius.

℣. 13. *Ne sileas* — Id est, ne diutius cesses, scilicet opem ferre misero mihi *advenæ* et *peregrino*.

℣. 14. *Remitte mihi* manum tuam, id est, relaxa pœnas, q. d. Cum tam brevis sit hæc vita et ærumnis plena, rogo ut mihi relaxes nonnihil flagella, *ut* aliquantum respirem, et *refrigerer*, seu recreer, *priusquam hinc abeam, et* inter viventes *amplius non ero*.

(1) " Vers. 10. *Obmutui*, etc. id est, cum affligeres me, nihil querebar, quia tu eras, qui me flagellabas. Maldonatus. „

PSALMUS XXXIX.

David, vel potius Christus, gratias agit Patri de impensa sibi ope et liberatione: et loco sacrificiorum legalium promptam perpetuamque ei offert obedientiam, et seipsum holocaustum in cruce: ita Athanasius, Didymus, Theodoretus.

1. In finem, Psalmus ipsi David.

2. Expectans expectavi Dñum, et intendit mihi.

3. Et exaudivit preces meas: et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos: et direxit gressus meos.

℣. 3. *Lacu miseriæ*, id est, calamitatibus et periculis, in quibus quasi in lacu, *et luto fæcis*, id est, fœtido et sordido, altissime immersus jacebam: ita Eusebius et Theod. *Super petram*; id est, in rupe, loco tuto et hostibus inaccesso.

4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.
Videbunt multi et timebunt: et sperabunt in Domino.

5. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: et non respexit in vanitates et insanias falsas.

6. Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Annuntiavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

7. [1] Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.
Holocaustum et pro peccato non postulasti:

8. Tunc dixi: Ecce venio.
In capite libri scriptum est de me.

9. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

10. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.

11. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.
Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.

12. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus:

℣. 4. *Canticum novum*, id est, novam materiam novæ laudis, *immisit in os meum* — Id est, suppeditavit mihi, scilicet, quæ sequuntur.

℣. 6. *Annuntiavi* — scilicet hominibus illa mira ac stupenda opera, et cogitationes et providentias tuas, maxime circa tempus novæ legis.
Et ecce mox ut *locutus sum, multiplicati sunt* qui mihi auscultarent et crederent, id est, Christiani, *super numerum* — Chaldæus, plures quam ut enumerari possint.

℣. 7. *Sacrificium* legis veteris, *noluisti* — id est, minus [2] carum et gratum habuisti, quia scilicet ex se et per se non erat nisi umbra et figura veritatis.
Aures autem, Synecdoche pro toto *corpore*, quod tibi in longe gratius sacrificium pro totius mundi salute offerrem, ut habent LXX et explicat Apostolus ad Hebræos 10, v. 5, *perfecisti* — Id est, *aptasti mihi*, inquit Apostolus. In Syriaco est, *induisti me*, nempe in incarnatione. Meminit porro *aurium*, potius quam aliorum membrorum, quia agit de *obedientia* Christi, cujus symbolum sunt *aures*. Unde et Hieronymus hic vertit, *perfodisti*; Chaldæus, *perforasti* mihi aures, q. d. Fecisti me, o Pater, tibi servum docilem, obedientem et perpetuum (tales enim servi, Exodi, 21, solebant aurium perfossione notari): fecisti vero hoc in ipsa incarnatione, quando humanam naturam meam gratia unionis hypostaticæ, et variis donis habitualibus decorasti: ita Cyrillus, Hieron., Euseb.

℣. 8. *Ecce venio*, junge cum sequentibus, *ut faciam voluntatem tuam*, nempe, *ut* loco veterum victimarum, quæ tibi minus placuerunt, corpus meum tibi offeram in *holocaustum et* sacrificium *pro peccato*. Hanc prompti animi oblationem fecit Christus a primo incarnationis suæ instanti, inquit S. Thomas [3]: totaque reliqua vita. Idque ut impleret, quod *in capite libri* — Hebraice et chaldaice, *in volumine libri regis*, id est, tota S. Scriptura, scriptum est, puta de ejus incarnatione, passione, morte, et expiatione peccatorum: ita Theoph., Photius, et Genebrardus.

℣. 10. *Annuntiavi* (græce evangelizavi) *justitiam tuam*, tam qua tu infinite justus es, quam qua nos justificas, nempe legem [4] et mandata tua justa, *et veritatem tuam*, id est, fidelitatem in complendis promissis, maxime qua mundo exhibuisti *salutare tuum* — id est, Salvatorem Christum olim mundo promissum et jam missum: ita S. Hieron.

℣. 13. *Iniquitates meæ* — Id est, quas

(1) Ad Hebr. 10, vers. 5.
(2) In prolegom. de Idiotism. Hebr., n. 6.
(3) 3 p., q. 34, a. 3.
(4) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 14.

comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.

14. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: [1] Domine, ad adjuvandum me respice.

15. [2] Confundantur et [3] revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur qui volunt mihi mala

16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: [4] Euge, euge.

17. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te: et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

18. Ego autem mendicus sum, et pauper: Dominus solicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

meas feci, dum peccata omnium hominum in me expianda suscepi.

Non potui ut viderem, scilicet earum multitudinem, magnitudinem, fœditatem: adeo multæ, et enormes, et abominabiles sunt. Unde et *cor meum*, id est, vigor cordis, *dereliquit me* — q. d. Ex illarum consideratione evanui et defeci animo: ut patuit in horto *Gethsemani*. Finem hujus Psalmi vide expositum infra in Psalmo 69.

(1) Infra 69, vers. 2. (2) Supra 34, vers. 4. (3) ᵃ Vers. 15. *Revereantur*, id est erubescant. Repetitio *simul*; quasi dicat omnes Sa. ₪

(4) ᵃ Vers. 16. *Euge, euge.* Hoc adverbium est irritantis, pluribus in locis; testatur Euthymius Zigabonus. ₪

PSALMUS XL.

Orat pro iis qui afflictis benefaciunt: queritur inde de fictis et fradulentis amicis Allegorice, Christus de Juda et Judæis.

1. In finem,
Psalmus ipsi David.

2. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

5. Ego dixi: Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

6. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus?

7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

℣. 2. *Intelligit super egenum* — Chaldæus, cogitat de rebus pauperis, quo misereatur ejus.

℣. 4. *Stratum ejus versasti* — Apostrophe ex abrupto, q. d. Tu ipse, o Deus, instar officiosæ ancillæ, versas et molliter componis lectum eleemosynarii ægrotantis: ut nempe commodius et levius ferat morbum. Id est, sedulo curas, foves, solaris eum, qui alios fovit et solatus fuit: ita Eusebius, Hieronymus, Augustinus.

℣. 7. *Si ingrediebatur* hostis meus, *ut* officii causa me ægrum *videret*, seu inviseret, non *loquebatur* nisi *vana*; chaldaice, *mendacium*, quia verbis fingebat se mihi condolere, cum *cor ejus* contra me *congregaret iniquas* machinationes *sibi*, id est, in animo suo. Hinc mox ut *egrediebatur foras, loquebatur*

Egrediebatur foras, et loquebatur 8. In idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

9. Verbum iniquum constituerunt adversum me: Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?

10. [1] Etenim homo pacis meæ, in quo speravit: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

11. Tu autem, Domine, miserere mei, et [2] resuscita me: et retribuam eis.

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, et usque in seculum: [3] fiat, fiat.

in idipsum — Hebræus et Hieronymus, *detrahebat simul cum aliis.* Allegorice, Judas e cœna egressus, et cum Judæis locutus, prodidit Christum: ita Didymus et Hesychius.

℣. 9. *Verbum iniquum:* quod subditur, nempe, Putasne quod David *qui dormit;* hebraice, *qui jacet in lecto ægritudinis;* chaldaice, *qui infirmatur;* inde *resurget?* — Optamus certe non surgat, sed moriatur: timemus tamen ne surgat. Allegorice, optant Judæi ne Christus mortuus resurgat.

℣. 10. *Homo pacis meæ;* Hieronymus, *pacificus meus,* id est, is cum quo vivebam pacifice et familiariter, seu, ut Chaldæus habet, *qui deberet quærere pacem meam; Magnificavit super me supplantationem* — Hieronymus, *levavit contra me plantam,* id est conatus est me supplantare, prodere, et perdere. Christus hoc applicat Judæ, Joan. 13, 18.

(1) Act. 1, vers. 16.
(2) [a] Vers. 11. *Resuscita.* Vox Christi, Hieron. *Leva.* Chald. *Suscita ab infirmitate.* Sa. „
(3) [a] Vers. 14. *Fiat fiat.* Hebr. *Amen amen.* „

PSALMUS XLI.

Incipit hic secundum Hebræos liber II Psalmorum, editus fere totus a filiis Core, qui, patre terra absorpto, cum tota domo sua miraculose penduli in aere, quia pii et innocentes, servati sunt, Num. 16, v. 32, et cap. 26, v. 10. Hi fere læta canunt de Christo, de salute æterna, de cœli desiderio: ut ex hoc Psalmo imprimis patet. Ita Origenes, Eusebius, Hieronymus et Hebræi.

1. In finem, Intellectus filiis Core.

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima me ad te, Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

℣. 1. *Intellectus filiis Core* — Vide initio Psal. 31.

℣. 2. *Desiderat* — Hebræum *arag,* id est, mugit, rugit; est vox cervorum propria, cum scilicet vel fatigati a venatoribus, vel infecti esu serpentum, anheli et hiantes præ siti ad aquam festinant: ita Eusebius, Hieronymus, Theodoretus.

℣. 3. *Ante faciem Dei* — Id est, in tabernaculo ante arcam, in qua se Deus per oracula præsentem exhibet. Anagogice, ad claram visionem Dei.

℣. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes,* — id est, loco ciborum, q. d. Relicto cibo, nihil aliud lubet quam flere, *dum dicitur mihi* ab inimicis mihi insultantibus, *Ubi est Deus tuus,* a quo omne auxilium et solatium sperabas?

5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:

In voce exultationis, et confessionis: sonus epulantis.

6. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei,

7. Et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

9. In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ,

10. [1] Dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

12. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

℣. 5. *Hæc recordatus sum*, id est, harum et similium insultationum hostilium dum memini, mox *effudi in me animam meam*, id est, laxavi menti habenas, ut pro libito indulgeat dolori et lacrymis. Sed effusis lacrymis, infusa sunt gaudia, quia scio quod brevi rursum *transibo in domum Dei, in*, seu cum, *voce exultationis et confessionis:* quæ vox *sonus* est *epulantis* turbæ: græce et chaldaice, *populi festa celebrantis*. Anagogice, est angelorum et sanctorum *Alleluja:* ita S. Hieronymus et Augustinus.

℣. 6. *Adhuc confitebor illi*, id est, rursus laudabo eum, qui est *salutare vultus mei* — Id est, salvator meus, vel qui salvavit vultum meum a confusione, lacrymis et dolore.

℣. 7. *Ad meipsum* — Id est, in me ipso, ut vertit Hieronymus.

Memor ero tui tuorumque mirabilium operum *de terra Jordanis*, id est, quæ fecisti circa terram Jordani adjacentem, et circa *Hermon* vel *Hermoniim a monte modico* — Id est, parvum illum montem, in extremis finibus terræ sanctæ inter orientalem et septentrionalem plagam: ubi Israelitis mirabili potentia adfuisti, ut superarent *Og* et *Sehon* reges Amorrhæorum. Horum, inquam, mirabilium memor, in spem veni similis auxilii a te obtinendi.

℣. 8. *Abyssus abyssum invocat*, id est, fluctus unus marinus alterum fluctum trahit, et quasi manu advocat ut sequatur. Id est, calamitas una mox aliam secum trahit, ut me sua mole opprimant. *In voce cataractarum tuarum* — Id est, jubente te pandi calamitatum cataractas, e quibus continuo una super alias in me prorumpant: ita fere Vatablus, Jansenius et Hieronymus Pradus [2].

Excelsa tua — Id est, undæ excelsæ, seu altæ; Hieronymus et Chaldæus, *gurgites;* Aquila, *illisiones;* LXX, *sublevationes*, id est, fluctus altissimi, nempe afflictionum et calamitatum.

℣. 9. *In die*, scilicet opportuno, a Deo præfixo, sed illi soli noto, *mandavit* ab æterno ut compareat suo tempore. Hebraice, græce et chaldaice, mandabit, id est, submittet mihi, *misericordiam suam*, ut etiam in *nocte* jam mihi tam tristi, tunc lætus canam *canticum ejus* — gaudii, gratiarum actionis et jubili: ita fere S. Hieronymus, q. d. Non ergo jam desperandum, nec dolori indulgendum, cum jam in proximo salus impendeat.

℣. 11. *Dum confringuntur ossa* — vel robur omne meum, nempe continuis calamitatibus, hostium insultibus et aliis molestiis. Hoc in Martyres quadrat.

(1) [a] Vers. 10. *Dicam Deo: Susceptor meus es.* Hebr. *Dicam Deo petræ meæ.* [a]

(2) In Ezech.

PSALMUS XLII.

Orat ne reliquorum impiorum pœnis involvatur, sed tabernaculo et altari Domini restituatur. Præmittitur hic Psalmus Missæ, quia excitat desiderium sacrificandi læte ac decenter Deo.

1. Psalmus David.
Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

2. Quia tu es, Deus, fortitudo mea: [1] quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

5. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

℣. 1. *Discerne causam meam de gente non sancta* — Id est, ne sinas me justum et innocentem injuste et immerito damnari et puniri cum impiis. Videtur filius Core alludere ad scelera et pœnas impii parentis sui et sociorum illius. Alii tamen malunt Psalmum hunc Davidi exulanti adaptare.

℣. 3. *Emitte lucem* — Id est, fervorem *tuum*, et opem cælestem. Vide Psalmum 4, v. 7.

Et veritatem, seu fidelitatem *tuam* — Id est, fac quod promisisti, nempe, te tuis semper affuturum.

Ipsa, scilicet, lux et veritas tua, *me* semper hactenus *deduxerunt et adduxerunt* salvum et intactum (Hieronymus et Chaldæus, *deducent* per viam, *et adducent* ad optatum terminum) *in montem sanctum tuum* — id est, in terram promissam, in qua tamquam in propriis *tabernaculis* habitare nobiscum decrevisti. Ita etiam Moyses loquebatur Exodi 15, vers. 17. Anagogice, fides et gratia deducunt nos in cælum: ita Eusebius.

℣. 4. *Introibo ad altare*, scilicet ad offerendum, vel saltem adjuvandum aut procurandum sacrificia *Deo, qui lætificat juventutem meam* — id est, florem ætatis meæ lætum et amœnum conservat, invitis omnibus qui illum lædere vellent aut decerpere. Hebraice est, *ad Deum gaudii et exultationis meæ*, supple, fontem.

Confitebor tibi in cithara — supple, et omnibus aliis instrumentis musicis. Reliqua vide Psal. præced. v. 6.

[1]) " Vers. 2. *Quare me repulisti;* ita mecum agis, ac si repulisses. Menoch. "

PSALMUS XLIII.

Pii Judæi (allegorice, Ecclesia et Martyres) queruntur se (contra quam patribus suis acciderat) libidini impiorum impune exponi causa religionis: ut accidit tempore Antiochi Epiphanis et Machabæorum. Deumque obsecrant ut tandem subveniat: ita Theodoretus.

1. In finem,

Filiis Core ad intellectum.

2. Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum; et in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos, et expulisti eos:

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos:

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus et Deus meus: qui mandas salutes Jacob.

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non salvabit me.

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos: et odientes nos confudisti.

9. In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in seculum.

10. Nunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tamquam oves escarum: et in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.

17. [1] A voce exprobrantis, et obloquentis: a facie inimici, et persequentis.

18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: et inique non egimus in testamento tuo.

℣. 3. *Plantasti eos* — scilicet patres nostros in terra Chanaan, olim promissa, pulsis indè Chananæis. Cyrillus, Theod.

℣. 4. *Illuminatio vultus tui* — Id est, tuus favor et auxilium, Psal. 4, v. 7.

℣. 6. *In nomine tuo*, id est, virtute et potestate a te accepta, *spernemus*; Chaldæus, *subjiciemus* pedibus nostris, *insurgentes in nobis* — Hebraismus est, pro, *in nos*, ut habet Chaldæus; Hieronymus vertit, *conculcabimus adversarios nostros*.

℣. 9. *Laudabimur* — Id est, gloriabimur; Hieronymus, *gaudebimus*; Chaldæus, *laudabimus*.

In nomine tuo confitebimur — Id est, nomen tuum laudabimus.

℣. 10. *In virtutibus*, id est, cum exercitibus et militibus, *nostris non egredieris* — scilicet ut soles in prælio, ad protegendum nos, et conterendum hostes nostros.

℣. 11. *Retrorsum post inimicos* — Chaldæus, *ut verteremus cervicem coram hoste*.

℣. 12. *Oves escarum* — Id est, oves destinatas ad escam. Sic vers. 22, *Oves occisionis*, id est, destinatæ occisioni seu mactationi.

℣. 13. *Sine pretio*, scilicet justo et debito, id est, vilissimo, instar sordidorum mancipiorum distrahimur in servitutem. *Et non fuit multitudo*, supple pretii, *in commutationibus eorum* — Id est, exiguo admodum, et quasi nullo pretio vendiderunt nos, et commutarunt libertatem nostram cum servitute.

℣. 15. *In similitudinem gentibus* — Id est, in parabolam, *in proverbium populis*, ut Chaldæus vertit, v. g. Ut, cum volunt hominem vilem et miserum designare, dicant: Sordidior est Hebræo, Infelicior est Judæo: ita Hesychius.

℣. 16. *Verecundia mea contra me* — id est, coram me, ante oculos meos, q. d. Totus perpetuo confundor.

℣. 18. *Iniquè non egimus in testamento* — seu pacto, id est, lege [2] tua, q. d. His omnibus non obstantibus, non sumus transgressi legem tuam.

(1) [a] Vers. 17. *A voce exprobrantis*, id est propter vocem: confusio scilicet cooperuit me. **Mariana.** *A facie inimici*, idest propter inimicum.

Vox *facie* in hebraica lingua sæpe redundat. Idem.

(2) Prolegom. de Idiotism. Hebr., n. 14.

19. Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a via tua:

20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.

21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum:

22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

[1] Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.

23. Exurge, quare obdormis, Dñe? exurge, et ne repellas in finem.

24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?

25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.

26. Exurge, Domine, adjuva nos: et redime nos propter nomen tuum.

℣. 19. *Declinasti.* Repete negativam, *et non declinasti*, id est, non permisisti nos declinare a lege tua. Ita est in Hebræo, et vertit Hieronymus, et explicant Chrysostomus, Genebrardus, Jansenius. Quod si cum Chaldæo malis affirmative legere, sic expone: *Declinasti semitas*, id est actiones et negotia *nostra, a via tua* — id est, a solito tibi modo agendi, nempe non protexisti, neque adjuvisti nos, sed permisisti ut omnia nobis infeliciter succederent. Nullo igitur modo colligi hinc potest, quod volunt hæretici, Deum causam esse nostrorum peccatorum.

℣. 20. *De umbra mortis*, vide Psal. 22, vers. 4.

℣. 22. *Mortificamur*, id est, occidimur, jugulamur. *Tota*, pro omni *die*, — Id est, quotidie, continuo.

℣. 25. *In pulvere humiliata*, id est, usque in terram dejecta, *est anima*, id est vita, *nostra*, adeo ut *conglutinatus* adhæreat terræ *venter noster* — q. d. Ad imum dejecti sumus, et pedibus conculcamur.

(1) Ad Rom. 8, vers. 36.

PSALMUS XLIV.

Recenset Christi sponsi et Ecclesiæ sponsæ pulcritudinem, majestatem, virtutes ac dotes: et primo quidem sponsi, deinde sponsæ: quam etiam monet, ut sponsum suum reverenter, obedienter et pie colat. Synagogam quoque Judaicam ad idem invitat.

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

2. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

℣. 1. *Pro iis qui commutabuntur* — scilicet ab infidelitate et judaismo ad christianismum: ita Eusebius, Athanasius, Cyrillus. Hebraice est, *pro sosannim* [1], quod Hieronymus, Aquila et Symmachus vertunt, *pro liliis*. Crediderim instrumenti nomen fuisse, vel certæ cantilenæ initium, ad cujus modos hic Psalmus decantari jubetur: ita Mariana.

Canticum pro dilecto — Hebraice, *canticum amorum* seu amatorium: est enim epithalamium seu carmen nuptiale, non Salomonis et filiæ Pharaonis, ut quidam Hebræi et Genevenses volunt; sed Christi et Ecclesiæ desponsatæ Christo in incarnatione. Patet ex epist. ad Hebræos cap. 1, v. 8.

℣. 2. *Eructavit*, id est, ex imo pectore effudit, *verbum bonum* — id est, insignem sermonem, puta laudes Christi et Ecclesiæ.

Dico hebraice, græce, chaldaice, *eloquor* — *opera*, id est, carmina hæc *mea* quæ confeci, *regi* Christo. Ita Basilius.

Calamus, pro, quasi calamus, *scribæ* — puta Spiritus sancti, qui mihi auctor

(1) שושנים.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

5. Specie tua et pulcritudine tua [1] intende, prospere procede, et regna,

Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.

6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

7. [2] Sedes tua, Deus, in seculum seculi: virga directionis virga regni tui.

8. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

est hujus carminis, et instar peritissimi scribæ movet et dirigit linguam meam, quasi calamum suum: ita Basilius, Eusebius, Theodoretus.

Nota. Captat hoc versu attentionem, primo, a magnitudine rei et personæ regiæ quam descripturus est: secundo, ab orationis celeritate et brevitate.

℣. 3. *Speciosus forma* — supple, es, o Rex Christe, non tantum secundum *divinitatem*, ut Athanasius et Basilius exponunt: sed etiam secundum *humanitatem*, tum quoad *animam*, ut Theodoretus et Hesychius: tum quoad *corpus*, ut Hieronymus et Gregorius [3]. Habuit enim Christus et *animam* et *corpus* omni ex parte pulcherrima, perfectissima et ornatissima. Vide apud Nicephorum epistolam Lentuli Proconsulis de *lineamentis Christi*.

Gratia — scilicet loquendi, id est, facundia. Joan. 7, *Numquam sic locutus est homo.*

Propterea — pro, propterea quod, vel in hunc finem.

℣. 4. *Accingere gladio tuo* — scilicet potentia, et verbo Dei, q. d. Arma et para te ad dæmones profligandos, et impios homines tuæ fidei et servitio subjugandos: ita Basilius et Cyrillus.

℣. 5. *Specie tua*, etc. — Est appositio, ut ex Hebræo patet. q. d. Accingere gladio, in quo est omnis species et pulcritudo tua, id est, erit tibi summo splendori et decori, parabitque tibi gloriam æternam. Et vero præcipua principum laus, et præcipuum decus est, hostes reipublicæ debellare; ad quod moventur excitanturque ludis illis equestribus, qui in nuptiis et inauguratione institui solent. Ad id ergo *intende*, scilicet arcum et vires tuas omnes, et *prospere procede* in bellum.

℣. 6. *Sagittæ tuæ*, spicula verborum Evangelii, et jacula gratiæ tuæ *acutissima*, infige *in corda inimicorum regis*, id est, inimicorum tuorum. Sic fiet ut vulnerati et devicti *populi sub te cadant* — id est, tibi sponte se subdant. Eusebius, Basilius, Theodoretus.

℣. 7. *Sedes tua* — seu thronus tuus regius debet æternum stabiliri.

Virga directionis — Id est, sceptrum rectissimum, seu justissimum: Cyrillus.

℣. 8. *Unxit te*, o *Deus* Fili, *Deus* Pater *tuus:* ita Hieronymus, Mariana, Sa et alii: *oleo lætitiæ* — id est, lætificante.

Petes, Quodnam hoc oleum? Respondeo, cum Basilio, Cyrillo, Augustino, esse gratiam unionis hypostaticæ, itemque habitualem omne genus, infusam Christo in incarnatione. Hæc enim *propterea*, id est, in eum finem, illi data sunt, ut in munere suo regis, sacerdotis et prophetæ, excellentissime diligeret et exequeretur justitiam. Potest nihilominus etiam intelligi de gloria dotibusque Christo in resurrectione collatis in præmium suæ justitiæ, ut sentit S. Hieronymus.

Præ consortibus — seu *participibus tuis*, id est, plusquam omnes socios tuos, puta reliquos Sanctos omnes, qui consortes et comparticipes sunt regni gloriæ Christi, inquit Theodoretus.

(1) " Vers. 5. *Intende, prospere procede, et regna.* Cave ne ita distinguas ut adverbium *prospere* jungatur verbo præcedenti *intende*, cum cohærere debeat verbo subsequenti *procede*. Brugensis. "

(2) Ad Hebr. 1, vers. 8.

(3) Hieron. ad Principiam; Greg. in 1 Reg. 1.

9. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te.

10. Filiæ regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

12. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis

15. Circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

16. Afferentur in lætitia et exul-

℣. 9. *Gutta,* id est, stacte, id est, lacryma seu liquor myrrhæ, *et casia,* seu cinnamomum; q. d. Omnium virtutum gratissimi odores spirant *a vestimentis tuis:* nempe ab humana natura tua, seu anima et corpore. Hic enim est ille *habitus servi,* quem Filius Dei induit, ad Philippenses 2. Quæ vestimenta tua deprompta sunt e *domibus;* Chaldæus, *e palatiis;* Symmachus et Aquila, *e templis,* id est, e sacris repositoriis, *eburneis;* Chaldæus, *stratis dente elephantino,* id est, pretiosissimis, candidissimis et mundissimis, puta e visceribus beatæ Virginis.

Ex quibus repositoriis deprompta hæc vestimenta mirifice *delectaverunt te* — Atque hactenus de sponso: jam de sponsa: ac primum de gynæceo.

℣. 10. *Filiæ regum,* supple, adsunt, *in honore tuo* — Hebraice, *in magnificentiis tuis,* id est, in magnifica aula tua, in gynæceo sponsæ tuæ; q. d. in Ecclesia tua multæ erunt reginæ quæ tibi servient, immo tamquam peculiari sponso suo suam tibi virginitatem vel cælibatum dicabunt, inquit Basilius, Eusebius, Athanasius. Hoc fecit *Cunegundis* Henrici, *Clotildis* Clodovæi, *Pulcheria* Marciani Imperatorum uxores et virgines, *Radegundis* item, Elisabetha, et nostro seculo sorores Rudolphi, Matthiæ, et Ferdinandi II Imperatorum: et tot aliæ principes.

Astitit regina, quasi primaria conjux tua, *a dextris tuis,* id est, loco honorificentissimo, inter omnes filias regias una præcellens, scilicet Ecclesia Gentium, vestita aurea chlamyde charitatis, et circumamicta *varietate* gemmarum, id est, omnis generis virtutum.

℣. 11. *Audi, filia* — S. Hieronymus, Augustinus et Theodoretus id referunt ad primariam reginam: sed Chaldæus ad Synagogam Judaicam, unde vertit, *audi, congregatio Israel;* q. d. Audite et videte, Israelitæ, quæ et quanta populo gentili obvenerint bona; si vobis eadem vultis, *inclinate* etiam *vos aurem* vestram legi et voluntati hujus regis *Messiæ,* id est, obedite, credite, servite illi, et *obliviscimini* ac dediscite veterem cultum ac cæremonias majorum vestrorum, id est, Synagogæ.

℣. 12. *Et adorabunt eum* — scilicet variæ, immo omnes nationes; Hieronymus vertit, *adora,* LXX et Chaldæus, *adorabis,* scilicet tu, o Synagoga.

℣. 13. *Filiæ Tyri;* q. d. Etiam Tyrii tam famosi idololatræ præeunt tibi, o Synagoga, exemplo suo, et subdunt se imperio Messiæ, munera ei deferentes in signum obedientiæ. Neque hi soli, sed etiam *omnes divites plebis* — Id est, ditissimi populorum, vel populi ditissimi.

℣. 14. *Omnis gloria ejus* reginæ, cujus jam memini, sponsæ Messiæ, puta Ecclesiæ e Gentibus conversæ, *ab intus* est, id est, latet præcipue intus in animo, nempe in interna fide, spe, charitate, ceterisque virtutibus: non vero in solis cæremoniis et ritibus externis, in quibus tu, o Synagoga, omnem gloriam et decorem tuum constituis: ita S. Hieronym.

In fimbriis aureis — q. d. Non tamen in solo animo stat decor illius, sed ab interna virtute promanat quoque magnus splendor exterius in *fimbrias,* id est, in opera ejus externa, nempe in varias et pulcherrimas cæremonias, quibus et ipsa utitur, et in alios actus externos quos elicit omnium virtutum: ita fere Basilius.

℣. 15. *Virgines post eam* — Id est, virgines pedissequæ illius.

Proximæ ejus, id est, sodales et ami-

tatione: adducentur [1] in templum regis.

17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: et in seculum seculi.

cæ, scilicet particulares particularium locorum Ecclesiæ, vel animæ ex singulis nationibus quæ sub sole sunt, conversæ, *afferentur tibi*, seu ad te, o rex et sponse Christe, ut a te tuaque gratia deducantur *in templum* tuum, puta Ecclesiam Catholicam, et exinde in cælum.

℣. 17. *Pro patribus tuis*, id est, loco Patriarcharum et Prophetarum (quibus adeo gloriatur Synagoga) *nati sunt tibi* ex hac nova sponsa tua *filii*, puta Apostoli, et omnes Apostolici viri, qui facile æquabunt, vel etiam superabunt Patrum Synagogæ præstantiam et virtutem: talesque se exhibebunt, ut merito *constituas eos principes* in Ecclesia tua, tuosque vicarios, et summam rerum ipsis committas per universum orbem terrarum: ita Origenes, Athanasius, Cyrillus, Basilius.

(1) « Vers. 16. *In templum:* quæ vox et palatium sonat. Bossuet. »

PSALMUS XLV.

Gratulantur sibi filii Core de stupenda sui liberatione, de qua initio Psalmi 41. Allegorice, Ecclesia de victoria et pace sibi concessa, v. g. tempore Constantini Imperatoris.

1. In finem,
Filiis Core pro arcanis, Psalmus.

2. Deus noster refugium, et virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.

4. Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

6. Deus, in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

7. Conturbatæ sunt gentes, et inclinatæ sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

℣. 1. *Pro arcanis* — séu occultis. Vide quæ dixi initio Psalmi 9. Chaldæus dicit, *laudem* esse *filiorum Core, quo tempore est absconditus* (absorptu terræ) *pater eorum ab eis, ipsi autem liberati sunt.*

℣. 3. *Dum turbabitur terra* — nempe terræmotu et hiatu; Chaldæus, *cum immutati* (et absorpti) *fuerint patres nostri a terra.*

℣. 5. *Fluminis* quantumcumque parvi, *impetus;* hebraice, decursus, *lætificat civitatem*, id est, irrigat et exhilarat Ecclesiam, *Dei* — Opponit enim vastis fluctibus maris, tribulationum et afflictionum, quibus absorbendi videmur, levem fluxum rivuli (ut facit etiam Isaias c. 8, v. 6) divinæ opis tutelæ, solatii et gratiæ Spiritus sancti: quæ etiam minima, minimeque ab hominibus æstimata, sufficit ad juvandum tutandumque, immo et ad exhilarandum totam Ecclesiam: ita S. Augustinus.

Sanctificavit, etc. q. d. Ideo tanta cura lætificat Deus impetu fluminis sui cælestis Ecclesiam suam, quia in ea *sanctificavit* et fixit *tabernaculum suum*, seu terrenum palatium suum. Unde semper *in medio ejus* est, tamquam sol in medio mundi. *Neque* illa umquam *commovebitur* a suo statu et felicitate: ita Basilius, Didymus, Theodoretus. Quantacumque enim ingruat aut vis, aut dolus hostilis, deteget illa oculus qui omnia cernit, et *adjuvabit eam Deus mane diluculo* — Id est, tempestive, citissime.

℣. 7. *Dedit* Deus *vocem suam* — Id est imperium et jussum suum, quo quasi to-

clinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

8. Dominus [1] virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

9. Venite, et videte opera Dñi, quæ posuit prodigia super terram:

10. Auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: et scuta comburet igni.

11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

12. Dominus virtutum nobiscum; susceptor noster Deus Jacob.

nitru percellit et prosternit omnes hostes. Allegorice, vox Dei est prædicatio Evangelii.

℣. 10. *Auferens bella*, scilicet infidelium et tyrannorum contra Ecclesiam, *usque ad finem terræ* — Id est, per totum orbem.

℣. 11. *Vacate* — Id est, attendite; Hieronymus, *cessate*, scilicet a bello adversus Ecclesiam movendo, ut inquit Chaldæus. Vel cessate a peccatis, et nimiis curis terrenis.

(1) " Vers. 8. *Virtutum.* Hieron. et Chald. *exercituum. Susceptor.* Hieron. *Protector.* Chald. *Fortitudo.* Sa. „

PSALMUS XLVI.

Invitantur omnes gentes ad laudandum Deum, dum arca ejus cum jubilo et triumpho defertur. Allegorice, dum Christus in cælum ascendit. Nam de Messia exponunt hunc Psalmum etiam doctissimi Hebræorum, inquit Mariana.

1. [1] In finem,

pro filiis Core, Psalmus.

2. Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

4. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.

5. Elegit nobis hereditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.

6. [2] Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.

7. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

8. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

9. Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

℣. 5. *Elegit nobis* — pro, in nobis, q. d. Ex omnibus nationibus selegit nos Deus ut simus ejus hereditas et quasi peculium.

Speciem Jacob — Hieronymus et Chaldæus, *gloriam*, q. d. Unde Israel seu Israelitæ habent quo egregie ornentur, et meritissimo glorientur.

℣. 6. *Deus est Dominus* — Id est, arca Dei et propitiatorium, quod erat quasi thronus Dei, e quo responsa dabat.

Ascendit; chaldaice, *exaltatur*, nempe cum de loco minus celebri in locum celebriorem migrat. *In*, id est cum, *jubilo* totius populi, et *voce*, seu clangore, *tubarum*. Allegorice, Christus cum jubilo angelorum ascendit in cælum. Athanasius, Cyrillus, Theodoretus.

℣. 8. *Psallite sapienter* — Hebraice, *maskil* [3], id est, *cum intelligentia*, ut vertit Chaldæus et LXX. Hieronymus, *erudite*, quasi dicat: Non sola lingua aut solis instrumentis, sed et corde et mente, ut etiam Apostolus monet 1 Corinth. 14.

℣. 9. *Deus sedet super sedem sanctam suam* — Chaldæus, *super thronum glo-*

(1) " Vers. 1. *In finem, pro filiis Core, Psalmus.* De hoc titulo sæpe est dictum. Hic Psalmus de victoria, et triumpho, et ascensione Christi agit. Hebræorum doctissimi de Messia etiam intelligunt. Mariana. „

(2) 2 Reg. 6, vers. 15. (3) משכיל.

10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.

riæ suæ, id est, super propitiatorio. Vel, ut alii, *in cælo*, ubi Christus ad dexteram Dei sedet rex, judex et gubernator universi.

℣. 10. *Principes populorum*, supple aliorum, ad hunc Dei triumphum *congregati sunt cum Deo Abraham* — ut eum colerent, eique subderentur et servirent.

Quoniam dii fortes terræ. Hebræum *elohim* [1] in plurali sæpe pro singulari

(1) אלהים.

Deo sumitur; q. d. Deus victoria totius orbis *vehementer* exaltatus est, ita Genebrardus ex versione Hieronymi et Chaldæi: Cyrillus vero, Theodoretus et Didymus per *deos fortes terræ*, vel, ut LXX et Chaldæus vertit, *Dei*, Θεου, *clypeos terræ*, intelligunt ipsos principes terrenos, qui potentia sua quasi clypeo tegunt et protegunt subditos: hi *vehementer elevati sunt* accessione ad cultum veri Dei, nam multo quam ante majores evaserunt potentia, opibus, gloria et majestate. Qui exempla vult, consulat Thomam Bozium de signis Ecclesiæ.

PSALMUS XLVII.

Canit verbis Jerosolymæ (allegorice, Ecclesiæ Christi) magnificentiam, felicitatem, nobilissimasque victorias.

1. Psalmus Cantici, filiis Core: secunda sabbati.
2. Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.
3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni.
4. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.
5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.
6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt:
7. Tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis,

℣. 1. *Secunda sabbati* — Id est, feria secunda, supple, cantandus in templo Domini.

℣. 3. *Mons Sion*, ubi erat templum Domini et palatium regis, *fundatur*: græce, fundatus est: *exultatione*, id est, maximo cum gaudio, *universæ terræ*. Nempe, quia *de Sion exibit lex, et verbum Domini*, seu Evangelium Christi, *de Jerusalem*. Idem mons vocatur hic *latera* [1] *aquilonis*, quia aquilonaris pars urbis, *et civitas Regis magni* — nempe totius populi Israel. Allegorice, Christi, et Dei. Nam

℣. 4. *Deus in domibus* (hebraice, in palatiis) Jerosolymæ *cognoscetur*; Hieronymus et Chaldæus, *cognitus est*; græce, *cognoscitur*, nempe ab iis, qui illa incolunt, id est, ab omnibus principibus et etiam civibus reliquis, *cum suscipiet eam* — Chaldæus, *potentia sua*; Hieronymus, *in auxiliando*, id est, ex potenti auxilio quo juvat illos perpetuo adversus vim et furorem hostilem, v. g. tempore regis Josaphat, Ezechiæ et aliorum.

℣. 5. *Ecce* enim varii *reges terræ* variis temporibus *congregati sunt* — ad eam expugnandam, v. g. sub Josaphat rex Syriæ, Edom, Amon, Moab, et alii, 2 Paralip. 20; sub Ezechia rex Assyriorum Sennacherib, 4 Reg. 19.

℣. 6. *Ipsi videntes*, supple, vim Numinis adversum se pro urbe Jerosolyma depugnantis, *sic* ea de causa *conturbati* sunt: addit Chaldæus: *propter signa et miracula*, nempe dum viderent mutuam suorum cædem et horrendam stragem miraculose inductam.

(1) Isa. 14, vers. 15.

8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

9. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

10. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui.

11. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

12. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.

13. Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus.

14. Ponite corda vestra in virtute ejus: et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in seculum seculi: [1] ipse reget nos in secula.

℣. 8. *In spiritu vehementi:* hebraice, *kedim* [2], id est, *vento orientali valido,* ut vertit Chaldæus, q. d. Uti soles valido ventorum impetu conterere *naves Tharsis,* id est, maris; ita contrivisti Syros et Assyrios impetu iræ tuæ. Theodoretus. Quamvis etiam dici possit contritas naves eorum qui adversus Josaphat trans mare advecti fuerant 2 Paralip. 20, v. 2.

℣. 9. *Sicut audivimus* ex Prophetis et antiquis patribus nostris, puta, Deum promisisse, perpetuum se Jerosolymæ tutorem et propugnatorem fore, *sic* jam reipsa *vidimus* et experti sumus, *in civitatem Domini virtutum,* hebraice, *sabaoth;* chaldaice, *exercituum.*

℣. 10. *Suscepimus misericordiam,* id est, misericordem opem tuam quam optabamus, sperabamus et orabamus, jam de facto accepimus, *in,* seu de, *medio templi* et sanctuarii *tui* — ubi eamdem postulaveramus a te, 4 Reg. 19, v. 1.

℣. 11. *Secundum nomen tuum, Deus,* — quo vocaris Optimus, Maximus, Justissimus, Potentissimus, *sic et laus tua* merito celebratur usque *in fines terræ,* — cum re ipsa præstes quod nomine præte fers.

℣. 13. *Circumdate Sion.* Videtur insultare hostibus, q. d. Cingite rursum copiis vestris Jerosolymam, et quasi retibus *complectimini eam;* et robur, quod *in turribus ejus* deprehenditis, audacter *narrate* vestratibus.

℣. 14. *Ponite corda vestra in virtute ejus,* id est, diligenter expedite robur et munitiones urbis, *et distribuite domos,* seu palatia *ejus* quasi jam captæ, inter vos distribuite. Solent enim jactabundi hostes spolia obsessarum urbium, quasi jam captarum, inter se præpropera sorte partiri.

(1) [1] Vers. 15. *Ipse reget nos in secula.* Hebr. *Ipse dux noster erit usque ad mortem.* Maldonatus. „

(2) קרים.

PSALMUS XLVIII.

Divitiarum vanitas, quia mors omnes rapit, et multi propter eas damnantur, inquit Basilius et Hesychius.

1. In finem, filiis Core, Psalmus.

2. Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, omnes qui habitatis orbem:

3. Quique terrigenæ, et filii hominum: simul in unum dives et pauper.

4. Os meum loquetur sapientiam: et meditatio cordis mei prudentiam.

5. [1] Inclinabo in parabolam aures meas: aperiam in psalterio propositiones meas.

℣. 5. *Parabolam — Masal* [2] seu *proverbium* Hebræi vocant omnem gravem et eruditam sententiam: unde liber Proverbiorum. *Ænigma* vero superaddit, quod obscurum sit et implicitum.

Inclinabo aurem meam — Id est, di-

(1) Psalm. 77, vers. 2; Matth. 13, vers. 35.

(2) משל.

rem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

6. Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me:

7. Qui confidunt in virtute sua: et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

8. Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.

9. Et pretium redemptionis animæ suæ: et laborabit in æternum,

10. [1] Et vivet adhuc in finem.

11. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, et stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas:

12. Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie, et progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis.

13. Et homo, cum in honore [2] esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

14. Hæc via illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacebunt.

ligenter auscultabo et attendam. ne quid inconcinne canam. Metaphora desumpta a musicis, qui ut explorent quam concinnus sit sonus, aurem admovent citharæ. q. d. Res erit gravis admodum, cui mérito attendere debeo.

Aperiam in psalterio propositionem meam — id est, rariorem et præclariorem sententiam; Hieron. et Chaldæus, *pandam ænigma meum in cithara*, seu adhibita cithara.

℣. 6. *Cur* ego *timebo in die mala?* id est, tempore calamitoso, maxime mortis et judicii. Respondet, *Calcanei mei*, id est, finis vitæ meæ, *iniquitas*, scilicet in qua moriar: vel *calcanei mei*, id est, *gressuum*, ut vertit Symmachus, seu operum meorum; vel, ut Chaldæus, *reatus peccati mei, circumdabit — me* id est, obsidebit, involvet, reum me faciet apud tribunal judicis: ita Basilius, Chrysostomus et Hieronymus.

℣. 7. *Qui confidunt*, etc. — supple, timeant illi ob sua scelera, in die illa mala: non ego, qui scelus omne detestor.

℣. 8. *Frater non redimit*, id est, fratrem frater ex angustiis illius diei eripere non poterit, quanto minus quivis alius homo cui non æque carus sis: ita Basilius, Eusebius, Theodoretus. Vel repetita negatione, lege cum Mariana et Sa, *Nec frater redimet, nec redimet ullus homo.* Nec *dabit Deo placationem suam* — Hieron. *propitiationem pro eo*, id est, rem qua Deus placari et propitiari possit, ne mortem scelesto immittat, et ad tribunal suum accersat.

℣. 9. *Et laborabit in æternum.* Hebraismo, pro, ut sinatur hic laborare perpetuo in terra, *et vivere in finem*, seu in æternum.

℣. 11. *Non videbit*, pro, nec videat, *interitum*, nec gustet mortem. Nullis enim thesauris vel hostiis Deo oblatis evadet moriendi necessitatem: ita Mariana. Maxime *cum viderit sapientes*, et justos et pios quosque, *morientes*, ad unum omnes, qui tamen, si ulli, videbantur digni vita immortali.

℣. 12. *Sepulcra eorum domus*, id est, pro palatiis habituri sunt deinceps fœtida sepulcra, ut hæc sint perpetua corporum ipsorum tam delicate nutritorum *tabernacula* — dum miseræ animæ ignibus gehennæ cruciantur.

Vocaverunt nomina sua in terris suis — Hypallage, pro, *terras suas appellaruni nominibus suis*, ut Hieronymus vertit; q. d. Hac saltem via voluerunt stulti perpetuare nomina et memoriam sui in hoc mundo. Sed frustra, et stulte ac stolide: cum vera fama et solidus honor, et æterna memoria quærenda sit apud Deum et in cælo.

℣. 14. *Hæc via illorum*, id est, illa ratio agendi impiorum divitum, *scandalum ipsis*, id est, cedit et ducit miseros in ruinam et perditionem. Interim stulti *postea*, id est, post hæc sic facta et curata, *in ore suo complacent* sibi, gloriantes in iis, et mirifice hoc se nomine jactantes: ita S. Jo. Chrysostomus.

(1) [a] Vers. 10. *Et vivet adhuc in finem.* Non omittas proverbium *adhuc*. Brugensis. [a]

(2) [a] Vers. 13. *Esset*, scilicet a Deo positus in paradiso. *Non intellexit*, scilicet suam dignitatem seu Dei beneficium. Sa. [a]

15. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino: et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.

19. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.

20. Introibit usque in progenies patrum suorum: et usque in æternum non videbit lumen.

21. Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

℣. 15. *Sicut oves* stolidæ et brutæ, ad macellum ultro et gregatim cursitantes, in infernale stabulum coguntur impii maximo numero. Ibi *mors depascet eos* — Id est, pabulum erunt morti et gehennæ æternum; ita sanctus Basilius, Athanasius, Eusebius, Chrysostomus et Augustinus, qui legit, *mors pastor erit eis*, quia scilicet Christi veri pastoris oves esse noluerunt.

Et dominabuntur eorum, id est, superiores eis erunt et palam apparebunt *justi*, quos ante afflixerunt impii: et quidem *in matutino* — id est, cito. Anagogice, in aurora et luce futuri seculi, ubi numquam est vesper, sed perpetuum mane.

Et auxilium, id est, adjutorium; hebraice, *robur*, quod *a gloria eorum* pristina et opibus promanabat, jam *in inferno veterascet* — id est, deficiet, peribit, nullum erit: ita Athan. et Cyrillus.

℣. 16. *Cum acceperit me* ex hac vita *in* gloriam et *partem suam*, inquit Chaldæus. Hebraice est, *quia suscepit me.*

℣. 18. *Non sumet omnia* — Hebraismo, pro, nihil secum hinc auferet.

℣. 19. *Benedicetur*, id est, beata prædicabitur, sed a solis insipientibus, *in vita ipsius* — non vero in morte.

Confitebitur tibi cum benefeceris ei — Est apostrophe non ad Deum, sed ad homines. q. d. Laudabit te in os et palam, cum ei aliquid lucri attuleris. Hieronymus ex Hebræo vertit, *laudabunt te cum benefeceris tibi*, id est, cum cuticulam probe curaris, cum usus fueris deliciis et voluptatibus: nam summum bonum ponunt in sola felicitate præsentis vitæ.

℣. 20. *Introibit usque in progenies patrum suorum*, id est, ibit impius ad progenitores patres suos, quos in sceleribus imitatus est, id est, ibit in infernum, ubi nullum *lumen*, nulla lætitia, nulla felicitas: sed densissimæ tenebræ, perpetuus dolor, continuus cruciatus.

PSALMUS XLIX.

Asaph canit Christum judicem in extremo judicio salvaturum electos suos, non ob victimas pecudum, sed ob animi innocentiam, justitiam et pietatem.

1. Psalmus Asaph.

Deus deorum Dominus locutus est: et vocavit terram,

A solis ortu usque ad occasum:

2. Ex Sion species decoris ejus.

℣. 1. *Psalmus Asaph* — Hic Asaph fuit sanctus propheta, et nobilis musicus. Vide 1 Paral. 16, et alibi.

Deus deorum, id est, judicum et principum omnium, *Dominus* — nam tales vulgo *dii* habentur, quia vicarii Dei.

Locutus est, id est, statuit, et decrevit, jussit, supple, ultimum et universale judicium instituit, *et* ad id *vocavit* universam *terram*, id est, incolas terræ, *a solis ortu usque ad occasum* — ita Theodoretus.

℣. 2. *Species decoris* (Hieronymus et Chaldæus, *perfectus decor*, seu plena

3. Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet; et in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cælum desursum: et terram discernere populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus: qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cæli justitiam ejus: quoniam Deus judex est.

7. Audi, populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.

11. Cognovi omnia volatilia cæli: et pulcritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

14. Immola Deo sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua.

15. Et invoca me in die tribulationis: [1] eruam te, et honorificabis me.

gloria et majestas ejus) supple, prodibit, *ex Sion* — cælesti, ait Cyrillus: vel potius e terrestri, quæ est Jerosolymis, nam judicium fiet in valle Josaphat, quæ est prope Sion et Jerosolymam. Allegorice, S. Augustinus, Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus; ex Sion cœpit prædicatio Christi et Evangelii.

℣. 3. *Non silebit*, id est, non veniet in silentio vel occulte, ut fecit in primo suo adventu, sed toti mundo conspicuus, cum validissimo clangore tubarum. *Ignis*, nempe conflagrationis totum mundum absumpturus. *Et tempestas valida*, scilicet ex commotione omnium elementorum, 2 Petri 3, v. 10; ita Hieronymus et Chaldæus, et Augustinus.

℣. 4. *Advocabit cælum et terram*, scilicet ut utrumque reddat incolas et mortuos suos, *discernere* — Id est, ut discernat bonos a malis, et hos inferno, illos cælo æternum addicat: ita Hieronymus et Augustinus. Secundo, Cyrillus et Rupertus proprie hæc accipiunt, ut sit prosopopœja ad inanimas creaturas, quas Propheta invocat quasi testes, judices et vindices illatæ Creatori injuriæ. Simile habes Deuter. 32, v. 1, et Isaiæ 1, v. 2.

℣. 5. *Congregate*, o angeli, *illi* judici *sanctos*, seu electos, *ejus: Qui ordinant*, vel ordinaverunt, id est, exacte observarunt, prout ordinarat, Deus, *testamentum*, id est legem Dei, *super sacrificia* — id est, de sacrificiis rite Deo deferendis, nempe legalibus, tempore legis Mosaicæ: spiritalibus, tempore legis Christi, id est, operibus omnium virtutum, et præsertim misericordiæ ac religionis.

℣. 6. *Annuntiabunt cæli;* Chaldæus, angeli excelsi, *justitiam ejus* — q. d. Ministerio angelorum manifestabitur et executioni mandabitur justa judicis sententia. Quamquam etiam possit de cælis materialibus intelligi: nam *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum; et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur.*

℣. 8. *Non in sacrificiis tuis arguam te*, id est, non præcise ob sacrificia legalia quasi a te neglecta judicabo te; nam hæc sat multa mihi offers, nec tamen propterea mihi fecisti satis: unde *non accipiam* ea, id est, non requiro illa a te, scilicet præcipue et primario: neque illis indigeo, nam *meus est* universus *orbis*.

℣. 11. *Cognovi omnia volatilia* — Id est, tamquam nutritius avium optime novi ubi nidulentur et lateant, si eis uti velim.

Et pulcritudo agri, id est, quidquid in agris pulcrum aut delicatum est, *mecum*, id est, in mea potestate, *est*.

℣. 14. *Immola Deo sacrificium laudis* — Id est, potius sollicitus sis ut sinceram laudem et gratiarum actionem offeras Deo pro acceptis ab eo beneficiis: ita

(1) « Vers. 15. *Eruam te, et honorificabis me.* Non præponas verbo *eruam* alterum etc. Brugensis. »

16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?

17. Tu vero odisti disciplinam: et projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, [1] currebas cum eo: et cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.

21. Hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

23. Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Chrysostomus et Eusebius. Allegorice, Eucharistiam, inquit Hesychius.

Redde vota tua — Id est, fidelitatem et cultum Deo promissum in Sinai, Exodi 24, inquit Chaldæus. Item in baptismo. Et generaliter, quidquid alias Deo vovisti, inquit Chrysostomus.

℣. 16. *Quare tu enarras*, etc. — q. d. Quid tu garris de legibus, de præceptis meis, de fœdere meo vobiscum?

℣. 20. *Sedens* in publico Judicum, vel privato congerronum consessu.

℣. 21. *Statuam* — supple, *peccata tua*, ut habent LXX. Chaldæus, *arguam te in hoc seculo, et ordinabo judicium gehennæ in futuro coram te.*

℣. 23. *Illic*, id est, in vero laudis sacrificio Deo ferendo, est rectum *iter*, seu via et modus eo perveniendi, ubi *ostendam salutare Dei* — puta in cælum, ubi plenam salvationem et salutem omnibus exhibebo.

(1) " Vers. 18. *Currebas* scilicet ad furtum. *Portionem.* Hieron. et Chald. *partem*, quasi dicat: socius eras, seu particeps. Sa. „

PSALMUS L.

Pœnitens rex David, adulterium et homicidium sibi remitti obsecrat.

1. In finem, Psalmus David,

2. Cum venit ad Deum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee (II. *Reg.* XII).

3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam:

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

4. Amplius lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me.

5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

6. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: [1] ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

℣. 4. *Amplius lava me* — Hebraice, *multiplica abluere me*, q. d. Abluisti me a culpa et a pœna mortis, 2 Regum 12; sed restant adhuc aliæ peccati pœnæ, aliique effectus ac reliquiæ, ab his etiam libera me. Chrysost. et Theodoretus.

℣. 5. *Peccatum meum*, et peccati fœditas, *contra me*, id est, coram me, *est semper* — id est, perpetuo mihi ob oculos versatur.

℣. 6. *Tibi soli peccavi* — quasi judici et vindici, quia tu solus me punire potes, non homines, cum rex sim: ita Cyrillus, Didymus, Gregorius, q. d. De te offenso valde doleo: de Bethsabee, de Uria, deque aliis hominibus offensis, præ te offenso, non ita me angit: Theodoretus et

(1) Ad Rom. 3, vers. 4.

7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

8. Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

9. [1] Asperges [2] me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: et exultabunt ossa humiliata.

11. Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

12. Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

13. Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

14. Redde mihi lætitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Hesychius. Vide quæ dixi 2 Reg. 12, v. 13 ad illud, *Peccavi Domino.*

Ut justificeris. Refer ad supradicta, *Miserere mei, et amplius lava me,* q. d. Etsi gravissime (ut ingenue fateor) in te peccarim, rogo tamen parcere mihi digneris, et quæ olim promisisti, reipsa complere ne graveris: sic enim fiet, *ut justificeris in sermonibus tuis* — Id est, ut declareris palam justus et verax esse in promissis tuis, quibus tum generatim omni pœnitenti veniam, tum speciatim mihi Davidi regnum perpetuum in posteris et Messia ex me procreando (nam hæc cura valde me coquit) ultro promisisti, *et* sic simul *vincas,* id est, re ipsa evertas *judicia* æmulorum meorum, qui temere et audacter jactant, te ob tanta mea scelera numquam mihi parciturum, nec promissa exsoluturum; ita S. Thomas, Pererius, Toletus et Genebrardus [3].

℣. 7. *In iniquitatibus et peccatis.* Hebraice, *in iniquitate et peccato,* scilicet originali, quod aliorum deinceps actualium origo est et causa: ita Athanasius, Hieron., August., Theodor., Gregorius.

℣. 8. *Veritatem* — nempe confessionis et agnitionis culpæ, quam fateor me gravissimam admisisse.

Incerta et occulta (hebraice, absconditum et arcanum) *sapientiæ,* seu providentiæ tuæ divinæ (puta ortum Messiæ redemptoris mundi ex semine meo, aliaque maxima mysteria) *manifestasti mihi* — quasi speciali amico tuo, nempe per spiritum propheticum. Ita Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus.

℣. 9. *Asperges me hyssopo* — scilicet, ut fieri solet a sacerdotibus, q. d. Plene et perfecte juxta præscriptum legis mundabis et purificabis me. Nam Levit. 14 et Num. 19 præscribitur, ut aspersione hyssopi sanguine tincti eluatur immunditia legalis. Allegorice, aspersione sanguinis Christi remittuntur peccata, inquit Eusebius et Theodoretus.

℣. 10. *Auditui meo dabis gaudium* — Hieronymus et Chaldæus, *facies me audire gaudium et lætitiam,* id est, gaudiosum et lætum nuntium: puta, peccata mea plane mihi remissa esse: ita Hieronymus et Theodoretus.

Et exultabunt ossa mea *humiliata* — id est, ego, totus jam afflictus morbo, mœrore, dolore,

℣. 12. *In visceribus meis,* id est, intra me, *innova spiritum rectum* — quem ego peccando curvavi et distorsi, inquit sanctus Athanasius: vel, ut Hieronymus vertit, *stabilem,* seu firmum in bono, et contra omnes tentationes fortem.

℣. 13. *Spiritum sanctum tuum* — quem mihi reddidisti confitenti peccata mea coram Nathan 2 Reg. 12. Alii, cum Chaldæo, id accipiunt de *spiritu prophetico.*

℣. 14. *Lætitiam salutaris tui* — Id est, lætitiam, quam concipere soleo ex salute et benedictione mihi olim a te præstita, maxime vero ex Salvatore mundi Messia ex me nascituro. Unde S. Hieronymus vertit, *lætitiam Jesu tui.*

Spiritu principali — id est, primario et principe omnium spirituum. Hieronymus vertit, *potenti;* Chaldæus, *munificentiæ.* Hebræum *nedibath* [4], et Græcum ἡγεμονικῷ verti potest, regali, imperatorio, seu spiritu qui principem, regem, imperatorem decet.

(1) Lev. 14; Num. 19.
(2) " Vers. 9. *Asperges me hyssopo* etc. Non interponas *Domine.* Brugens. "
(3) In cap. 3 ad Roman.
(4) נְדִיבֹת.

15. Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

16. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

17. Dñe, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

18. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

20 Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

21. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

℣. 16. *De sanguinibus* — occasione adulterii profusis in Uria et sociis ejus; Chaldæus, *de judicio interfectionis.* Sanctus Augustinus et Greg. id de *peccatis* accipiunt, quæ sunt infelicia germina carnis et sanguinis concupiscentia corrupti. Vide Isaiæ 1, v. 15.

℣. 17. *Aperies* — scilicet occasionaliter, suppeditando mihi de novo materiam laudandi te.

℣. 19. *Sacrificium Deo,* supple, gratum, *spiritus contribulatus* — Chaldæus, *anima contrita* per pœnitentiam.

℣. 20. *Benigne fac Sion* — Id est, urbi Jerosolymæ, quæ nondum plene extructa est, immo præcipua pars ei deest, nempe templum. q. d. Ne propter mea scelera patiatur quidquam adversi urbs sancta Jerusalem. Allegorice, Ecclesia.

℣. 21. *Tunc,* cum perfecta fuerint ædificia Jerosolymitana, et præsertim templum Domini, *acceptabis,* seu magno numero accipies *sacrificium justitiæ* — Id est, quod ex animo justo et pio proficiscetur. Moraliter, justa piorum opera. Vide in hunc Psalmum pœnitentialem pulcherrime commentantem S. Greg.

PSALMUS LI.

David increpat Doeg Idumæum proditorem, præsagiens illi exitium, sibi salutem, 1 Reg. 22. Allegorice, David, est Christus; Doeg, Judas: tropologice, quivis persecutor.

1. In finem, Intellectus David.

2. Cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech. (I. *Reg.* XXII, 9)

3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

4. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.

5. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.

7. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo; et radicem tuam de terra viventium.

8. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent:

℣. 2. *Cum venit Doeg Idumæus* — Occasione enim illius proditionis scriptus est hic Psalmus.

℣. 4. *Sicut novacula acuta* — quæ dum rite adhibetur, abradit superflua et noxia corpori; dum vero *facit dolum,* seu aberrat, gravissime vulnerat et exitium affert: sic tu, o proditor, lingua tua sacerdotibus Domini exitium attulisti: ita Theod.

℣. 6. *Verba præcipitationis* — Hieronymus et Chaldæus, *verba voracitatis,* seu *ad devorandum,* id est, concinnasti nuntia perniciosa, quibus totam familiam pontificiam præcipites in exitium; græce, *in submersionem.*

℣. 7. *Destruet te Deus in finem* — Hieron. et Chaldæus, *in sempiternum.*

Emigrabit te — Hebraismo, pro emigrare te faciet, ut vertit Chaldæus.

Radicem tuam — id est, progeniem,

9. Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum:

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et prævaluit in vanitate sua.

10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in seculum seculi.

11. Confitebor tibi in seculum, quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

familiam, opes et potentiam tuam, q. d. Funditus exscinderis tu. Ego autem, quem excisum putas,

℣. 10. *sicut oliva fructifera*, plantabor *in domo Domini* — Id est, in Ecclesia, et loco tabernaculi fœderis, a quo nunc exulo; q. d. Ego instar vivæ olivæ, fixus spe quasi radice in Deo, quamvis jam tuis et aliorum hostium calumniis obrutus et extinctus videar, tamen, ubi tempus advenerit, iterum frondebo, florebo, fructificabo, idque *in æternum* [1].

℣. 11. *Quia fecisti*, id est, tua providentia, sapientia et potentia curasti ut suo tempore fieret in me, quod jam dixi. Unde patienter *expectabo nomen tuum*, id est, te, tuam clementiam et misericordiam: quia apud Sanctos, qui te recta fide norunt, habes celebre nomen, et *bonum* — græce Χρηστὸν, id est, jucundum, utile, amabile.

(1) Confer Roæ singularia lib. 4, cap. 5.

PSALMUS LII.

Hic Psalmus est chorea, ut ait Theodoretus, quam tripudiarunt Deo Judæi qui tempore Ezechiæ regis a Rabsace et Sennacherib salvati sunt: estque plane idem cum Psalmo 13 supra explicato, excepto vers. 1 et 6.

1. In finem,

Pro Maeleth intelligentiæ David.

Dixit [1] insipiens in corde suo: Non est Deus.

2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.

3. [2] Deus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

4. [3] Omnes [4] declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

℣. 1. *Pro Maeleth* — Id est, pro parturiente seu dolente, nempe Ecclesia in persecutione, inquit S. Augustinus. Hebraice, *super machalath* [5], quod Symmachus, Hieronymus et Chaldæus vertunt, *super choros*; Theodotion, *pro chorea*; Aquila, *pro tripudiis*. Mariana putat nomen esse instrumenti musici, vel initium cantilenæ vulgo notæ, ad cujus modos hic Psalmus decantari jubetur.

℣. 6. *Deus dissipavit ossa*, id est, vires omnes et robur, *eorum qui hominibus placent* — Hebraice est, *chonach* [6], id est, *obsidentium*, vel, ut vertit Chaldæus, *exercituum flagitiosorum*; LXX *hypocritarum*, seu qui turpi adulatione solis hominibus, maxime potentioribus et principibus, non item Deo, placere student, ut faciunt athei et politici: ita Hilarius. Videntur ergo LXX non legisse *chonach*, sed *coneph*.

(1) Psalm. 13, vers. 1. (2) Psalm. 13, vers. 2. (3) Ad Rom. 3, vers. 12.
(4) Vers. 4. *Omnes declinaverunt*, et Hebr. *Omnis ille* (filius nominis) *deflexit* (a recta) *simul computruerunt*, aut corrupti sunt. Maldonatus.

(5) מחלת. (6) חנך.

PSALMUS LIII.

David Dei opem implorat adversus Ziphæos proditores.

1. In finem,
In carminibus intellectus David,
2. [1] Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos? (I. *Reg.* XXIII, 19, *et* XXVI, 1)
3. Deus, in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua judica me.
4. Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.
6. Ecce enim Deus adjuvat me: et Dñus susceptor est animæ meæ.
7. Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.
8. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine: quoniam bonum est.
9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

℣. 3. *In nomine tuo,* id est, teipso, tuaque clementia et misericordia. *Et virtute tua,* id est robore ac potentia, *judica,* vindica et *ulciscere me,* ut Hieronymus vertit.

℣. 7. *Averte* — scilicet a me in hostes meos proditores, mala quæ mihi machinantur.

In veritate tua — Id est, sicut promisisti te facturum. Sic enim ordinarie contingit impiis, dum piis insidias struunt, inquit Hilarius et August.

℣. 8. *Voluntarie* — Id est, non coactus, sed sponte mea et perlibenter.

℣. 9. *Despexit* — Hebraice et chaldaice, *vidit ex alto,* supple, ultionem infligi a Deo: ita Augustinus et Theodoretus.

(1) " Vers. 2. *Cum venissent Ziphæi,* etc. Historiam habes 1 Reg. 23, n. 19. Menoch. „

PSALMUS LIV.

Orat Deum David, ut se liberet a fallacibus amicis, ac præ ceteris ab Achitophel 2 Reg. 15, inquit Chaldæus hic v. 14. Allegorice Christus a Juda et Judæis.

1. In finem,
In carminibus intellectus David.
2. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam:
3. Intende mihi, et exaudi me.
Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum
4. A voce inimici, et a tribulatione peccatoris.
Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.
5. Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.

℣. 3. *In exercitatione mea* — Id est, in afflictione, qua vehementer exerceor per impios, inquit S. Augustinus: qui et addit, omnem malum ideo vivere, ut aut corrigatur, aut per illum bonus exerceatur. Hieronymus vertit, *in meditatione mea* (quæ est exercitatio mentis), id est, in seria cogitatione, nempe periculorum et malorum impendentium. Theod.

6. Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ:

7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?

8. Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

9. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.

10. Præcipita, Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.

11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: et labor in medio ejus,

12. Et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.

13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

14. Tu vero, homo, unanimis, dux meus, et notus meus:

15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

16. Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes: Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

℣. 6. *Tenebræ* — Id est, calamitates et afflictiones, quarum symbolum sunt *tenebræ*, sicut *lux* prosperitatum. Ex Hebræo Chaldæus vertit, *formido* seu pavor, horror, tremor, nempe qualis solet esse in tenebris loco periculis infesto. Allegorice, convenit Christo agonizanti in horto.

℣. 7. *Pennas sicut columbæ* — quæ pernicissimo volatu fugit accipitrem q. d. Alas celerrimas.

Et volabo; Hieronymus, *ut volem* in locum, ubi tutus ab Absalomo *requiescam.*

℣. 8. *Ecce elongavi* — Hieronymus, *ut procul abeam et commorer in deserto.* Tropologice, *pennæ columbæ* sunt auxilia Spiritus sancti, quibus ab amore creaturarum avellimur, *in solitudinem* — Id est, locum quietum, securum, carentem insidiis, latebris opportunum, inquit S. Augustinus, et S. Bernardus [1].

℣. 10. *Præcipita;* Chaldæus, *dissipa;* et *divide linguas* hostium meorum, ut olim fecisti construentibus turrim Babel, Genes. 11; q. d. Fac ut hostes mei vel præceps et temerarium ineant consilium, vel inter se dissideant, autque ita impediantur pravæ machinationes illorum: ita S. Augustinus et Theodoretus.

Quoniam vidi iniquitatem, id est, omnia scelera, *et contradictionem*, seu discordiam, dominari *in civitate* Jerosolyma; q. d. Ex nunc sentio me voti compotem factum: nam et *iniquitas*, et injustus *labor*, nempe activus, id est, oppressio miserorum qua eos laborare cogunt,

℣. 11. *die ac nocte*, id est, continuo, *circumdabit*, seu cingit et obsidet, *muros ejus — et medium*, id est, extima et intima urbis.

℣. 12. *Plateis* — Id est, foris publicis, id est, palam et aperte. Allegorice, hæc conveniunt dissidiis civilibus et violentæ tyrannidi, ceterisque miseriis, quæ oppressérunt Judæos post occisum Christum usque ad excidium urbis per Titum.

℣. 14. *Tu vero* — o Achitophel, inquit Chaldæus, supple, insurgis quoque in me.

Homo unanimis, id est, unius mecum animi, seu dilectissimus mihi. *Dux meus*, id est, primarius consiliarius; Chaldæus, *præceptor* meus: *et notus meus* — id est, intimus socius et familiaris. In Hebræo est allusio ad nomen *Judæ, mejudai* [2], id est, socius meus. Nam *Judæ*, hæc et sequentia allegorice conveniunt: ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

℣. 15. *Mecum dulces capiebas cibos* — maxime vero Eucharistiæ.

In domo Dei ambulavimus cum consensu — id est, simul ad templum itabamus, simul in eo Deum colebamus, q. d. Intimus eras mihi socius non in politicis modo, sed et in sacris. Theodoretus.

℣. 16. *Descendant in infernum viventes* — sicut Core, Dathan et Abiron, Num. 16.

(1) Serm. 52 in Cant.

(2) מידעי.

17. [1] Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me.

18. Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam.

19. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.

20. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante secula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum:

21. Extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus.

22. Divisi sunt ab ira vultus ejus: et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum: et ipsi sunt jacula.

23. [2] Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo.

24. Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te, Domine.

℣. 18. *Vespere, et mane, et meridie*, id est, continuo, *narrabo*; Chaldæus, *orabo, et annuntiabo*, scilicet laudes tuas, et miserias meas.

℣. 19. *Redimet in pace* — Id est, restituet in statum pacificum et tranquillum.

Quoniam inter multos hostes *erant mecum* multi adjutores, scilicet angeli, ut et cum Eliseo 4 Regum 6, inquit R. David Kimchi: et fere Chaldæus. Sed Hieronymus vertit, *multi enim fuerunt adversum me*, et ita ex Symmacho quoque Theodoretus.

℣. 20. *Non est illis commutatio* — id est, conversio morum in melius; Chaldæus, *peccatores non mutant viam suam pessimam*. Ideo

℣. 21. *Extendit Deus manum suam in retribuendo*, id est, ut illis retribuat merita supplicia, quia *contaminaverunt*, id est, violarunt, *testamentum ejus* seu pactum, id est, legem seu præcepta Dei.

℣. 22. *Divisi*, seu elongati, *sunt vultus* impii et perfidi amici, *ab ira*, id est, non apparent irati, immo blandi et amici: *et* tamen *appropinquavit* hostiliter *cor illius* — adversum me, ad malum continuo inferendum. Hieronymus vertit, *nitidius butyro os ejus, pugnat autem cor illius*. Et in eumdem sensum Aquila, Symmachus et Chaldæus. Et patet ex sequentibus. Sic Judas blando osculo, et molli salutatione, *Ave Rabbi*, prodidit Christum, inquit Theodoretus.

℣. 23. *Jacta curam tuam* — Hebraice, *onus* seu pondus quo gravaris, id est, negotia, sollicitudines, molestias omnes: ita Vatablus et Genebrardus; Chaldæus *spem* vertit. Hunc versiculum sanctus Franciscus dabat fratribus suis pro viatico [3].

℣. 24. *Viri sanguinum*, id est, crudeles et homicidæ (Chaldæus, *auctores interfectionis*) *non dimidiabunt dies suos* — id est, non pertingent ad dimidium vitæ quam naturaliter possent vivere, sed immatura, improvisa, et imparata morte morientur. Exemplo sit tempore Davidis Saul, Absalom, Achitophel, ut tot alios taceam priorum et posteriorum seculorum: ita Theodoretus.

(1) " Vers. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.* In aliis est præteritum *salvavit*. Lection. varietas. "

(2) Matth. 6, vers. 25; Luc. 12, v. 22; 1 Petr 5, vers. 7.

(3) Bonaventura in vita S. Francisci.

PSALMUS LV.

David fugiens Saulem, cum esset apud Allophylos, id est, alienigenas, in Geth, 1 Reg. 21, orat liberari a persecutione Saulis.

In finem,

1. Pro populo, qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth (I. *Reg.* XXI, 12).

2. Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.

3. Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.

4. Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.

5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.

6. Tota die [1] verba mea execrabantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

7. Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam,

8. Pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes.

Deus,

9. Vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,

Sicut et in promissione tua.

10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum:

In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

℣. 1. *Pro populo*, scilicet qui cum Davide fugerat, *et longe factus*, id est, elongatus erat, *a sanctis*, id est, a sanctuario, vel a sancto populo Dei:

In tituli inscriptionem — Id est, ut titulo seu columnæ in perpetuum monimentum inscribatur.

℣. 4. *Ab altitudine diei* — Id est, ab alto die, se ab ortu et ascensu diei in altum. q. d. Timeo et horreo ipsum solis ascensum supra orizontem, eo quod metuam ne quid novi mali secum trahat.

℣. 5. *In Deo*, id est, Dei ope, favore, gratia adjutus, *laudabo*, et deprædicabo, *sermones meos* — Hebræus, Hieronymus et Chaldæus, *verbum ejus*, id est promissiones mihi factas, seu res olim mihi a Deo promissas, et jam reipsa præstitas: ita sanctus Augustinus. Idem repetit v. 11.

℣. 7. *Inhabitabunt* — Hebraice, *in unum*, seu simul *habitabunt*; Hieronymus et Chaldæus, *congregabuntur*, seu conspirabunt in me,

Et abscondent suas insidias et perfida consilia.

Calcaneum meum — Hieronymus et Chaldæus, *plantas meas;* Symmachus, vestigia et *gressus meos* omnes explorant, scilicet ut me decipiant et capiant.

Sicut hactenus continuo *sustinuerunt*, Chaldæus et Hieronymus, *exspectarunt* et sperarunt, *animam*, id est, vitam, *meam* mihi eripere.

℣. 8. *Pro nihilo*, id est, pro nulla re mundi: nulla prece aut pretio sinas te induci ut salves illos, sed *confringe* et perde illos, *in ira* furoris tui.

℣. 9. *Vitam meam;* seu vitæ præsentis statum miserum et ærumnosum: Chaldæus vertit, *dies vagationis meæ*, id est, exilii, fugæ, erroris mei; Hieronymus, *secretiora mea*. Et tu *posuisti* continuo *lacrymas meas in conspectu tuo*, id est, attendere et providere cœpisti. *Sicut et in promissione tua* est, id est, sicut promisisti te facturum, nempe, te semper tuis affuturum. Theodoretus.

(1) « Vers. 6. *Verba mea execrabantur.* Sermonibus me affligebant. Hieron. »

12. In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.

13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.

℣. 12. *In me*, id est, in mente et memoria mea, vel apud me, in manu et in promptu *sunt;* Chaldæus in me recepi, *vota tua* — seu tibi a me facta, tibique debita, nempe laudes, gratiarum actiones et sacrificia: ita Hieronymus, Chaldæus et LXX.

℣. 13. *In lumine viventium* — Id est, in hac vita, quamdiu luce solis inter viventes utar. Allegorice, in lumine fidei; anagogice, in lumine gloriæ: ita sanctus Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

PSALMUS LVI.

In spelunca obsessus a Saule implorat opem Dei, eaque obtenta gratia agit.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam (II. *Reg.* XXII, 1, *et* XXIV, 4).

2. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

3. Clamabo ad Deum altissimum: [1] Deum qui benefecit mihi.

4. Misit de cælo, et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam,

5. Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus.

6. Exaltare super cælos, Deus: et in omnem terram gloria tua.

7. Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: et inciderunt in eam.

8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam.

9. Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.

℣. 1. *Ne disperdas* — Id est, ne sinas me perire et disperdi.

In tituli inscriptionem — Vide Psalmum 55 nec hoc in posterum repetemus.

℣. 2. *Donec transeat iniquitas* — Id est, iniqui homines qui sunt ante speluncam; Hieronymuss, *insidiæ;* Chaldæus, *tumultus.*

℣. 4. *Misit Deus veritatem* — Id est, reipsa ostendit quam verax et fidus sit in complendis promissis suis, de ope submittenda justis in necessitate: ita Theodoretus. Addit Chaldæus modum, quo tunc Deus tutatus est suum Davidem in spelunca: *Accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me*, scilicet, ut putaret Saul, neminem illuc ingressum esse. Simile factum S. Felici Nolano [2] et quibusdam aliis Sanctis.

℣. 5. *Dentes* — Id est, verba eorum dentata et aculeata lædunt quasi spicula et gladii, et alia arma.

℣. 7. *Incurvaverunt* — Vide Psal. 37, vv. 5 et 7.

℣. 8. *Paratum* ad omnia excipienda, quæ mihi immiseris, sive bona, sive mala.

℣. 9. *Exurge gloria mea* — Id est, gloriosa laus, gloriosum canticum meum:

(1) " Vers. 3. *Ad Deum qui benefecit mihi.* Hebr. *Ad Deum retribuentem mihi;* id est, qui solet mihi tribuere quidquid peto. Maldon. "

(2) Martyrol. 14 Januarii.

10. Confitebor tibi in populis, Domine: et psalmum dicam tibi in gentibus:

11. Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

12. Exaltare super cælos, Deus: et super omnem terram gloria tua.

est prosopopœja. Allegorice, exurge Christe post tristem crucem et mortem: ita. S. Augustinus.

℣. 11. *Usque ad cælos, et usque ad nubes* — Vide Psal. 35, v. 6.

PSALMUS LVII.

Prædicit Saulem ejusque adulatores, qui Davidem calumniabantur, (et in genere, omnes detractores) perdendos a Deo.

In finem,

1. Ne disperdas; David, in tituli inscriptionem.

2. Si vere utique justitiam loquimini: recta judicate, filii hominum.

3. Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant.

4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis: [1] sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas,

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.

7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

8. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.

9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.

10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

℣. 1. *Ne disperdas* — Vide Psal. 56.

℣. 2. *Si vere,* id est, si sincere et ex animi sententia, ut videri vultis, *loquimini* et amatis *justitiam, recta judicate* — id est, reipsa id ostendite in judiciis juste ferendis. Nam justitia non tam in verbis, quam in opere consistit.

℣. 4. *Alienati sunt,* scilicet a Deo, a justitia, ab omni virtute. Idque *a vulva* et *ab utero* — id est, a prima infantia, cum primum nati sunt. Nempe habituaLiter, per peccatum originale, et etiam actualiter, a primis rationis elucescentis annis. Ut sit hyperbole.

℣. 5. *Furor*, id est, ira et nocendi cupido, inest *illis* obstinatissima, implacabilis et pestilentissima, qualis est *aspidis* — maxime ejus quæ *palamnis* vocatur, quam Augustinus, Theodoretus et Euthymius dicunt, alteram *aurem* terræ affigere, alteram cauda *obturare, ne audiat* carmen *incantatoris magi,* et sic mansuescat ac virus ponat. Tales erant principes sacerdotum obturantes aures suas ad vocem S. Stephani, Act. 7, et quotquot nolunt audire verbum Dei, vel instinctus bonos Spiritus sancti.

℣. 7. *Molas leonum* — Id est, dentes molares, id est, dentatas minas, vel robur et potentiam leoninam.

℣. 9. *Supercecidit,* id est, super impios quasi super ceram cecidit, *ignis* ultionis divinæ: et ecce subito *non viderunt solem* — id est, privati sunt sole, luce, vita: ita sanctus Hilarius et Hieronymus. Idque

℣. 10. *priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum,* id est, antequam spinæ intelligant, seu sentiant se adolevisse in rhamnum. Seu, ut Hieronymus cum Symmacho vertit, *antequam* parvæ *spinæ eo excreverint,* ut rahmnum exæquent alti-

(1) " Vers. 5. *Sicut aspidis surdæ.* Hieron. vertit, *reguli surdi obturantis aurem.* „

11. Lætabitur justus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

12. Et dicet homo: Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.

tudine, duritie, acumine. Est proverbium, q. d. Cum adhuc immatura sunt ætate, et de morte non cogitant. *Sicut viventes;* id est, plane vegeti, virentes et valentes, Deus *in ira sua absorbet eos* — id est, violenta morte exscindit eos, nempe antequam concepta animis malitia crescat, roboretur, et in opus deducatur. Exemplo sunt Antiochus, Herodes, Diocletianus, Maximinus, Licinius, et tot alii nostro quoque seculo tyranni, mediis machinationibus suis immortui. Vatablus et quidam alii recentiores vertunt, et eodem sensu, *antequam lebetes,* seu *ollæ vestræ sentiant ignem rhamni, Deus tollet impium,* id est, quam celeriter avolat flamma, quæ ex spina in ignem conjecta excitatur (nempe quæ citius evanescit quam caro in lebete concalescat) tam celeriter perdet impios Deus.

℣. 11. *Lætabitur justus* — non cupidine vindictæ, aut perditione hostium, sed amore et zelo justitiæ.

Manus suas lavabit — Id est, tam copiosam referet de prostratis victoriam, ut, si lubeat, manus suas lavare possit in sanguine occisorum.

℣. 12. *Si utique est fructus justo* — q. d. Si sic agitur cum impiis, et contrario modo cum piis, *utique fructus est justo;* Chaldæus, *præmium profecto bonum est justo;* et utile est, atque operæ pretium juste vivere; ita Theod.

PSALMUS LVIII.

David obsessus domi a servis Saulis, orat liberari, 1 Reg. 19. Allegorice, convenit Christo capto a Judæis.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret (I. *Reg.* XIX, 11).

2. Eripe me de inimicis meis, Deus meus: et ab insurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.

6. Exurge in occursum meum, et vide: et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel,

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur ad vesperam: et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

8. Ecce loquentur in ore suo, et

℣. 3. *De viris sanguinum* — Id est, e manibus omicidarum.

℣. 4. *Animam meam,* id est me, *ceperunt* — Id est, captivum detinent obsidentes domum meam. Hieronymus et Chaldæus, *insidiati sunt;* Græcus, *venati sunt.*

℣. 5. *Direxi* — supple, pedes meos, vel viam meam, q. d. Nulla prorsus culpa est in me.

℣. 6. *Intende* (Hieronymus et Chaldæus, evigila, expergiscere) *ad visitandas,* scilicet tua vindicta, id est ad puniendas, *gentes.*

℣. 7. *Convertentur,* seu revertentur, ut vertit Hieronymus, *ad vesperam* — id est, tota die. q. d. Eunt et redeunt continuo hi satellites, quasi canes famelici, ut me devorent; et juxta præceptum Saulis circumeunt, cingunt, et obsident omnia urbis loca, ne manibus ipsorum elabar: ita fere Symmachus. S. Augustinus id exponit de conversione Judæorum ad fidem in fine mundi: sanctus Hieronymus, Hilarius, Theodoretus de dispersione Judæorum post excidium Jerosolymæ per Titum.

℣. 8. *Gladius in labiis eorum* — Id

gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?

9. Et tu, Domine, deridebis eos: [1] ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es:

11. Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

12. Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: et depone eos, protector meus Domine.

13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione et mendacio annuntiabuntur

14. In consummatione: in ira consummationis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob: et finium terræ.

15. [2] Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, et refugium meum, in die tribulationis meæ.

18. Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.

est, perpetuo loquuntur et mussitant de me occidendo.

Quoniam, inquiunt, *quis audivit?* — q. d. Nemo est qui nos audiat, qui insidias Davidi aperiat, aut nos impediat: ita Symmachus et Theodoretus; Hieronymus, *quasi nemo audiat.*

℣. 10. *Ad te custodiam* — Chaldæus, apud te, id est, tibi reponam, tibi acceptam feram. q. d. Quantæcumque vires vel industriæ mihi necessariæ sunt ad vim et insidias Saulis evadendas, omnes mihi a te sunt sperandæ et expectandæ: ita S. Augustinus et Theodoretus et Genebrardus.

℣. 12. *Deus ostendet mihi* — supple, ultionem, inquit Chaldæus.

Ne occidas eos — supple, subito, ut idem Chaldæus supplet, sed fac diu illos languere, et lento supplicio paulatim confici.

Ne quando populi mei, mihi subjecti vel subjiciendi, *obliviscantur* justitiæ tuæ et vindictæ divinæ qua punis impios. Ultionis enim subitaneæ memoria cito perit.

Disperge ergo *illos*, ut vagentur de urbe in urbem: *et depone eos*, de suo gradu ac fastu, Chaldæus, *expelle eos a domibus eorum, et ad paupertatem redigas eos a facultatibus ipsorum.* Sic jam depositi et toto orbe dispersi sunt Judæi, inquit S. Augustinus.

℣. 13. *Delictum*, id est, propter delictum (ut habet Chaldæus), *oris eorum* — quo mihi mortem minati sunt. Allegorice, propter voces, *Crucifige, crucifige*, et horrenda maledicta in Christum.

Et de execratione — id est, ob suam execrationem; Hieronymus, *maledictionem;* Chaldæus, *perjurium*, calumniam et blasphemiam in me.

Annuntiabuntur, id est, toto orbe traducentur, et erunt fabula vulgo, *in consummatione*, id est, in sui destructione et internecione, qua ab *irato* Deo penitus destruentur, *et non erunt* amplius: ita Theodoretus.

(1) [a] Vers. 9. *Ad nihilum deduces.* Hebr. *Subsannabis omnes gentes.* „

(2) [a] Vers. 15. *Convertentur ad vesperam.* Quidam reddunt, *cum revertuntur vespere, gannient ut canis et circumdent civitatem.* Summa repetitio imprecationis posito versu amæbæo, qui idem est cum versu septimo. Malven. „

PSALMUS LIX.

David, victis Philisthæis, Moabitis et Syris, cum expeditionem in Idumæam pararet, opem Dei implorat, 2 Regum 8, et 1 Paral. 18. Allegorice, Christus orat sibi subdi totum mundum. Sic fere S. Hieron., Augustinus, Hilarius, Theodoretus.

In finem,

1. Pro his, qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam,

2. Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia (II. *Reg.* VIII, 1, *et* X, 7, *et* I. *Par.* XVIII, 1).

3. Deus, repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.

4. Commovisti terram, et conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est.

5. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis:

6. Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus:

[1] Ut liberentur dilecti tui:

7. Salvum fac dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo: Lætabor, et partibor Sichimam: et convallem tabernaculorum metibor.

9. Meus est Galaad, et meus est

℣. 1. *Pro his qui immutabuntur* — Vide Psal. 44.

℣. 2. *Sobal.* In Hebræo et Chaldæo est *Soba* [2], estque pars Syriæ, ut ajunt LXX. et Josephus, et constat ex 2 Reg. 8, *et convertit* se *Joab* e *Syria* in *Idumæam*, ad hanc quoque expugnandam.

℣. 3. *Repulisti nos* — Hieronymus, *projecisti;* Chaldæus, *dereliquisti*, nempe, olim cum Philisthæi et aliæ gentes dominarentur Israeli.

℣. 4. *Commovisti terram* — Judæam, ut vertit Chaldæus, nempe incursione et vastatione hostili.

℣. 5. *Ostendisti* — Id est, experiri nos fecisti.

Potasti nos vino compunctionis — id est, intime pungente et viscera cruciante. Hebræum *jajn tharelah* [3] vertit R. Salomon, *vino stuporis;* Hieronymus, *consopiente;* Symmachus, *conturbationis;* Chaldæus, *calice maledictionis*, R. David, *veneni mortiferi;* Aquila, *torporis;* proprie R. Abraham, *tremoris:* quia *rahal* [4] tremere significat, q. d. Vehementi afflictione et dolore, quasi potenti ac venenato vino, ita nos potasti, ut ex eo toti tremuli et stupefacti, nesciremus quid agere, vel quo nos vertere deberemus: ita Theodoretus.

℣. 6. *Significationem;* Hieronymus, *signum;* Chaldæus, *vexillum*, q. d. Semper hactenus populum tuum certo signo tempestive præmonuisti, et velut erecto vexillo simul opportune juvisti, *ut fugiant a facie arcus*, id est, ut manus hostiles effugerent. Simili modo jam quoque *salvum fac* eumdem populum tuum eadem potenti *dextera tua.*

℣. 8. *Deus in sancto*, id est, e sanctuario, ut Hieronymus et Chaldæus vertunt, seu e propitiatorio, *locutus est* olim, id est, promisit mihi, quod *lætabor*, cum velut rex *partibor*, id est, tamquam propriam hereditatem dimetiar, et distribuam subditis meis terras illas, quas occupavit Isboseth filius Saul, scilicet *Sichimam*, seu terram Samariæ, in qua erat Sichem: *et vallem tabernaculorum* — Hebraice, *succoth* [5], quod retinet Hieronymus, utpote nomen proprium loci in quo Jacob olim sua tabernacula fixerat, Genes. 33, v. 17 in tribu *Gad.*

℣. 9. *Meus est Manasses*, id est, mihi data est regio quæ cessit mediæ tribui Manasse, totaque *Galaaditis* trans Jor-

(1) " Vers. 7. *Ut liberentur dilecti tui.* Hinc usque ad finem Psalmi omnia sunt eadem cum Ps. 107 a v. 7 usque ad finem Psalmi. Malven. "

(2) צובה. (3) יין תרעלה.
(4) רעל. (5) סכות.

Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda rex meus:

10. Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione; quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

danem. *Ephraim*, id est, reliqua regio cis Jordanem attributa tribui Ephraim, est *fortitudo capitis mei* — Symmachus, *imperii mei*, id est, firmamentum et robur regni mei, cui facile fidam protectionem capitis mei; nam tribus Ephraim abundabat strenuis militibus.

Juda rex meus — Hieronymus, *legifer*, id est, ex tribu Juda rex deinceps perpetuo desumendus, qui leges dictet ceteris.

℣. 10. *Moab*, id est, regio Moabitica, est, *olla spei meæ* — Id est, quam spero mihi subjectum et pedibus substratum iri, quasi *ollam lavacri* (ut vertit Aquila, Hieronymus et Chaldæus), id est, ollam in qua pedes abluere possim, q. d. Moabitæ mihi in omnibus, etiam abjectissimis rebus, inservient tamquam vilia mancipia, ut contigit 2 Reg. 8; ita Theod.

In Idumæam quoque *extendam calceamentum meum* — in signum aditæ possessionis, et devictæ terræ illius, quam calceis et pedibus meis calcabo, quasi mihi subjectam, ut explicat Chaldæus.

℣. 11. *Quis deducet me in civitatem munitam?* — id est, civitates munitas Idumæorum: q. d. Quis ergo jam me compotem faciet promissorum mihi a te factorum, nisi tu ipse qui promisisti?

℣. 12. *Non egredieris*, etc. — Vide Psal. 43, v. 10.

PSALMUS LX.

A molesto exilio sub Absalomo liberatus, longam vitam et felix regnum a Deo deposcit.

In finem,

1. In hymnis David.

2. Exaudi, Deus, deprecationem meam: intende orationi meæ.

3. A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me,

4. [1] Quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.

5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tuarum.

6. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam; dedisti he-

℣. 3. *A finibus terræ* Israeliticæ, q. d. Longe remotus a patria, a throno meo, a sanctuario tuo.

In petra exaltasti me — Vide Psal. 26, vers. 6.

℣. 5. *In tabernaculo tuo* — Id est, in loco tabernaculi tui, id est, in urbe Jerosolyma; allegorice, in Ecclesia; anagogice, in cælo.

℣. 6. *Dedisti hereditatem* — Id est, totam Chanaanitidem, a qua nunc exulo, dedisti mihi meisque quasi hereditariam possessionem. Cælum quoque *in seculo venturo*, inquit Chaldæus et Theod.

(1) " Vers. 4. *Quia factus es spes mea.* Hebr. Quia fuisti protectio, receptio, receptus, asylum, mihi. Notant esse etiologiam petitionis ab antecedente experientia. Malven. "

reditatem timentibus nomen tuum.

7. Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis et generationis.

8. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

9. Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: ut reddam vota mea de die in diem.

℣. 7. *Annos* Davidis *usque in diem generationis* — Id est, facies ut David rex in hac vita tum per se, tum per posteros suos vivat et regnet in omnes generationes: in altera vero vita in æternum, ut ait Chaldæus. Sic

℣. 8. *Permanet* David rex *in conspectu Dei in æternum* — id est, in continuo favore ac benedictione Dei in hac vita, et postea in clara ejusdem visione in altera vita. Sed hæc longe aptius allegorice, quadrant in Christum, ut Hilarius et Hieronymus exponunt.

Misericordiam et veritatem ejus, scilicet Dei, *quis requiret*, seu implorabit, supple frustra, ita ut non obtineat? q. d. Nemo: quia semper præsto sunt egenti et petenti. Hieronymus et Chaldæus, *servabunt eum*, nempe regem.

℣. 9. *De die in diem* — Id est, singulis diebus, seu perpetuo.

PSALMUS LXI.

In uno Deo sperandum non in hominibus vel opibus terrenis.

In finem,

1. Pro Idithun, Psalmus David.

2. Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam et ipse [1] Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

4. Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subjecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus, et salvator meus: adjutor meus, non emigrabo.

8. In Deo salutare meum, et glo-

℣. 1. *Pro Idithun* — Præfectus erat cantorum unus, et psaltes egregius, 1 Paral. 25. Vide Psal. 38, v. 1.

℣. 2. *Deo subjecta erit* — scilicet, per firmam spem, resignationem, et obedientiam usque ad mortem, inquit Theodoretus. Unde Hieronymus et Chaldæus vertunt, *silebit Deo*, se totam permittens nutui providentiæ divinæ.

℣. 4. *Interficitis* animo, et reipsa conamini interficere, *hominem* miserum, me scilicet.

Tamquam parieti inclinato ad ruinam, *et maceriæ depulsæ* e loco suo et libella, et jam proclivi ad casum: sic vos mihi, seu in me, *irruitis* — Tropologice, S. Hilarius, quousque hominem natura sua proclivem ad vitia, vestris monitis ad ea propellitis, o mali socii?

℣. 5. *Pretium meum* (S. Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Basilius et Theodoretus legunt, *honorem meum*, id est, decus, et dignitatem meam regiam) conati sunt *repellere*, id est, a me auferre, pro qua *cucurri in siti* — Id est, tam anxie laboravi et sudavi.

℣. 6. *Ab ipso patientia* (Hieronymus, spes) *mea* — Id est, salus mea, quam spero et patienter exspecto.

℣. 7. *Non emigrabo* e loco, statu,

(1) " Vers. 3. *Deus meus.* Hebr. *Rupis mea. Et salutaris meus.* Hebr. *salus mea, susceptor meus,* idest adjutor, Hebr. *Præsidium meum. Non movebor,* non nutabo. „ — " *Amplius.* Hebr. *Valde,* idest lapsu gravi. Mariana. „

ria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est,

13. Et tibi, Domine, misericordia: [1] quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

regno meo; Hieronymus et Chaldæus, *non movebor*, a vera religione et obsequio Dei, inquit Theodoretus.

℣. 10. *Mendaces in stateris*, id est, fraudulenter agunt et fallunt alii alios venditione suarum mercium: et *de vanitate*, id est, vana et mendaci statera se mutuo *decipiunt, in idipsum* — id est, simul omnes, ut Hieronymus vertit, q. d. Se suaque falso jactant tamquam magna et mira, cum revera non sint nisi mera vanitas, immo *ipsa vanitate vaniores et leviores*, ut vertunt Chaldæus, Vatablus, Genebrardus et Jansenius: adeo ut, si in una lance ponas omnes homines, in altera vanitatem, lanx vanitatis sit ponderosior futura. Est hyperbolica miosis, ad quorumlibet fastum deprimendum.

℣. 12. *Semel*, id est, firmiter, et inconcusse, *locutus est Deus*, id est, statuit et significavit nobis. Ex eo statuto, seu *lege*, ut vertit Chaldæus, collegi *hæc duo*. Primum, Deo inesse omnipotentiam, qua facit quidquid vult. Secundum, inesse etiam misericordiam infinitam, qua *reddet unicuique juxta opera sua* — seu bona, seu mala, et non secundum solam fidem, ut fingunt hæretici: ita S. Hieronymus, Hilarius et Theodoretus.

(1) Matth. 16, vers. 27; ad Rom. 2, vers. 6; 1 ad Cor. 3, vers. 8; ad Gal. 6, vers. 5.

PSALMUS LXII.

Solatur seipsum contemplatione divinæ bonitatis: prædicens hostibus suis interitum, sibi salutem. Anagogice, congruit animæ suspiranti in cœlum: ita S. Hilarius.

Psalmus David,

1. Cum esset in deserto Idumææ (I. *Reg.* XXII, 5).

2. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea!

3. In terra deserta, et invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

℣. 1. *Cum esset in deserto Idumææ* — Id est, occasio hunc Psalmum scribendi fuit fuga Davidis ob metum Saulis, et latebræ in deserto *Idumææ*. In Hebræo, Græco et Chaldæos, est *Judææ*, 1 Reg. 22, v. 5.

℣. 2. *Quam multipliciter*, id est, quamplurimis modis, magnopere, valde ardenter, *sitit tibi*, seu ad te, *caro mea* — id est, corpus meum, q. d. Totus et ex toto te desidero, inquit Symmachus, ut nempe in patria mea et templo tuo cum universo populo Dei laudem te et fruar te. Licet etiam modo

℣. 3. *sic in sancto*, id est, perinde ac si essem in sanctuario tuo, sic in loco exilii mei *apparea tibi*, id est, te mihi ob oculos præsentem statuo, te laudo, te oro, *ut videam*, seu contempler, majestatem tuam, et obtineam *virtutem*, seu opem *tuam* — ita Theodoretus.

℣. 4. *Misericordia tua*, et consolatio

5. Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo levabo manus meas.

6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exultationis laudabit os meum.

7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te:

8. Quia fuisti adjutor meus.

[1] Et in velamento alarum tuarum exultabo.

9. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ:

11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

12. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

spiritualis, quam in hac solitudine exul superior, *melior*, mihique suavior *est super vitas* — id est, plus quam vita quævis corporalis, quantumcumque longa, deliciosa, felix: ita Theodoretus. Quia enim Hebræum nomen *chaiim* [2], id est, vitæ, caret numero singulari (ut apud Latinos *tenebræ*) ideo noster interpres vertit non *vitam*, sed *vitas*.

℣. 5. *In nomine tuo*, id est, te, tuamque majestatem et misericordiam invocando, *levabo manus meas* in oratione. Ut

℣. 6. *replcatur anima mea* cælesti tua gratia et consolatione, *sicut adipe* pingui et delicata, inquit S. Hieronymus.

℣. 7. *Si memor fui tui*. Ita etiam LXX et Chaldæus, Hieronymus, *recordans tui*, seu quandocumque recordor tui, in *strato*, seu lecto *meo*: quod maxime fit *in matutinis*, seu tempore matutino, tunc *meditor in te* — id est, attente et presse cogito de te: ita Jansenius.

℣. 9. *Adhæsit* — ἐκολλήθη; id est, agglutinata est tibi, scilicet glutino charitatis, quo quasi philtro vel amatorio poculo me tibi totum rapuisti et agglutinasti: ita S. August. et Theodor.

℣. 10. *Introibunt in inferiora terræ* loca, id est, in infernum.

℣. 11. *Partes*, id est portio, sors, hereditas, *vulpium* — quibus maxime abundat Judæa, ut patet ex 300 vulpibus Samsonis, q. d. Nulla sepultura fruentur, sed erunt esca bestiis terræ. Puta quando cæsi sunt *in montibus Gelboe*, 1 Reg. ult. Allegorice, *vulpibus*, id est, dæmonibus tradendi sunt impii.

℣. 12. *Rex* — scilicet ego David. *In eo* — supple, colendo et solo adorando: vel *in eo*, pro *per eum*, id est, per Deum, quia scilicet eum solum ut verum Deum norunt et colunt, ideoque cum opus est, jurant per illum; non vero per idola: ita S. Hilarius et Augustinus.

(1) " Vers. 8. *Et in velamento*. Hebr. *umbra alarum tuarum. Exultabo* pro exulto, id est Lætor. Mar. „

(2) חיים.

PSALMUS LXIII.

Contra hostiles insidias et calumnias opem divinam implorat, prædicitque earum auctores magna justorum voluptate oppressum iri.

1. In finem, Psalmus David.

2. [1] Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

3. Protexisti me a conventu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem.

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram,

℣. 4. *Arcum rem amaram* — Appositio, id est, arcum qui est res amara, quia ejaculatur sagittas mortiferas, nempe *untas veneno mortifero*, inquit Chaldæus. Talis est lingua calumniatorum, quæ *verba* vibrat *amarissima* et lethifera.

(1) " Vers. 2. *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor*. Hebr. *vocem meam in oratione mea*. Mald. „

5. Ut sagittent in occultis, immaculatum.

6. Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?

7. Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum:

8. Et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum;

9. Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum:

Conturbati sunt omnes qui videbant eos:

10. Et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: et facta ejus intellexerunt.

11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.

℣. 6. *Firmaverunt sibi sermonem nequam* — Id est, statuerunt rem pessimam exequi, puta, Davidem opprimere. Allegorice, Christum occidere.

Narraverunt — Id est inter se tractarunt.

℣. 7. *Scrutati sunt.* Id est, studiose excogitarunt, *iniquitates,* id est, iniquas nocendi vias et modos: sed *defecerunt scrutantes scrutinio* — Hieronymus, *scrutinium,* id est, lassati sunt in suo scrutinio, et frustra scrutati sunt: nam congruam rationem perdendi me reperire nequiverunt: ita S. Augustinus. Tropologice aptatur hæreticis qui perperam interpretantur Scripturas.

Accedet homo ad cor altum, id est, profundum, q. d. Homo nequam profundo corde et consilio varios et miros modos excogitabit perdendi me, et postea etiam Christum. Sed *exaltabitur Deus* — Id est, semper Deus longe illo altior et profundior erit, patefaciendo et dissipando omnia illius diabolica consilia, atque in illiusmet perniciem retorquendo. Unde Symmachus, Aquila et Theodotion vertunt, *mentem et cor profundum hominis Deus configet.* Hieronymus et Chaldæus adnectunt præcedentibus, hoc modo: *Defecerunt scrutantes machinationem* intra se et *corde profundo:* defecerunt, inquam, quia *illo* profundo *altior est Deus.*

℣. 8. *Sagittæ eorum,* id est, calumniæ impiorum, *factæ sunt* imbecilles, sicut *parvulorum plagæ,* id est, sicut plagæ quas imbelles infantuli obtusa sagittæ cuspide inferre conantur, nec possunt. Et potius *contra eos,* id est, in ipsosmet auctores reflexæ sunt et reciderunt *linguæ,* id est calumniæ, *eorum,* eosque *infirmarunt* et debilitarunt. Ita vertunt iidem Symmachus, Aquila, Theodotion, et probat Theodoretus. Hieronymus et Chaldæus ad Deum id referunt, hoc modo, *Excutiet in eos Deus sagittam repente, et plagas iis inferet.* Nempe diversis punctis pro *pethaim* [1], id est, parvulorum, legerunt *pitheom* [2], id est, subito, repente.

(1) פתים. (2) פתאום.

PSALMUS LXIV.

Docet Deum laudandum ob datam Ecclesiæ pacem et bonorum omnium copiam.

In finem, Psalmus David,

1. Canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

℣. 1. *Canticum Jeremiæ et Ezechielis,* datum *populo transmigrationis,* seu qui in Babylonem transmigrarat, ut illud festivo cantu canerent, *cum inciperent exire* e captivitate, et in patriam regredi. Hoc in Hebræo non habetur, neque in Chaldæo, neque in plerisque Græcis.

2. Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddetur votum in Jerusalem.

3. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.

5. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum,

6. Mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia:

8. [1] Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes,

9. Et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini et vespere delectabis.

10. Visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio ejus.

11 Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

℣. 3. *Ad te* laudandum *in Sion,* id est, in Ecclesia, *veniet omnis caro* — id est, omnis homo, omne genus hominum, supple, si viderint me a te in necessitate exaudiri et juvari, ut præcessit: ita S. Augustinus.

℣. 4. *Verba,* id est, facta et machinationes, *iniquorum* hostium nostrorum, v. g. Babyloniorum, *prævaluerunt super nos,* nam captivos abduxerunt nos. *Sed tu* Deus *propitiaberis* aliquando peccatis *nostris* — propter quæ nobis hæc mala obvenerunt.

℣. 5. *Beatus, quem elegisti* — Hieronymus, *beatus, quem elegeris et susceperis,* supple, ut ex hac infami et crudeli captivitate redux fiat in patriam, et rursus *inhabitet atria* templi tui.

Replebimur, id est, quotquot ita reduces erimus, plene fruemur *bonis* omnibus quæ in *domo tua,* seu templo tuo, solent a te obtineri. Præ omnibus vero gaudebimus sanctitate templi tui, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, quia *sanctum est* tum in se, utpote tibi dedicatum, et a te inhabitatum: tum in alios, seu inhabitantes, seu frequentantes, quia sanctificat ipsos sancta doctrina, sanctis sacrificiis, precationibus, laudibus divinis, etc. Sed simul est *mirabile in æquitate:* hebraice, *stupendum;* Hieronymus, *terribile;* Chaldæus, *timendum in justitia,* supple, exercenda in delinquentes: ut re ipsa docuit tum alias, tum in recenti excidio Jerosolymitano. Allegorice, hæc conveniunt omnia Ecclesiæ Christi.

℣. 6. *Spes omnium finium,* id est, a quo bona omnia sperant qui habitant in finibus *terræ, et in mari longe,* id est, in remotissimis insulis.

℣. 7. *Præparans montes* in usum hominum et bestiarum, dum scilicet vestis montes herbis, arboribus, metallis, etc.

℣. 9. *Qui habitant terminos,* seu fines terræ, *timebunt a signis tuis* — id est, prodigiis et miraculis variis quæ soles patrare. Subinde tamen etiam recreabuntur donis et beneficiis tuis tum cælestibus, tum terrestribus, quibus soles oblectare

Exitus, id est, extrema loca, *matutini et vespere* — id est, orientis et occidentis solis, id est, mundum universum.

℣. 10. *Inebriasti* terram, scilicet fœcundis pluviis, et ita *multiplici* frugum ac fructuum proventu *locupletasti eam.*

Flumen Dei, id est, flumina magna, ut vertit Symmachus et Vatablus, abundant *aquis,* per quas, dum terram irrigant, *paras cibum illorum,* scilicet hominum: *quoniam ita* irrigando terram, fit *præparatio ejus* ad fructus proferendos.

℣. 11. *Rivos ejus,* id est, sulcos terræ, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, *inebria* — id est, frequenti et copioso imbre repleas.

In stillicidiis enim *ejus,* id est, guttis

(1) " Vers. 8. *Qui conturbas.* Hebr. *sedans.* Hieron. et Chald. *compescens. Profundum maris.* Hebr. *fremitum maris.* "

" *Turbabuntur gentes.* Hebr. et tumultum gentium, scilicet sedas. Jungitur Hebr cum superioribus Septuag. *jahumun* pro *vehamon* legerunt. Mariana. "

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: et campi tui replebuntur ubertate.

13. Pinguescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur.

14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

frequentioribus pluviæ et roris quibus terra irrigatur, *lætabitur germinans* terra, seu id quod germinat in terra. Allegorice, donis Spiritus sancti fœcundantur animi: ita S. Hilarius, Hieronymus, Theodoretus.

℣. 12. *Benedices coronæ anni*, id est, toti circulo seu evolutioni anni, *benignitatis tuæ* — id est, quem tua benignitate felicem et fertilem facis. Allegorice, est tempus gratiæ sub Christo, et annus *Domini acceptus*, Lucæ 4, v. 19.

℣. 13. *Pinguescent speciosa deserti* (Hieronymus, *pascua*. Chaldæus, *laudabilia dulcescent*) *et colles accingentur*, id est, circumdabuntur, *exultatione* — id est, læto gramine, pomis et uvis, quæ cor hominis exultare faciunt.

℣. 14. *Arietes induti sunt*, supple densis et pulcris velleribus, ex pinguedine pascuorum. Unde summo gaudio *clamabunt* passim homines, ob tam lætos frumenti et arietum proventus. Allegorice, ob ingentia Ecclesiæ bona, inquit Jansenius ex Euthymio.

PSALMUS LXV.

Jubilat Israel, allegorice Ecclesia Christi, se liberatam a tyrannis; anagogice, a morte corporis.

1. In finem,
Canticum Psalmi resurrectionis.
Jubilate Deo omnis terra,

2. Psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

3. Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua, Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

4. [1] Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

5. Venite, et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.

6. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

8. Benedicite, gentes, Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis ejus.

9. Qui posuit animam meam ad

℣. 1. *Canticum Psalmi resurrectionis* — ita S. Augustinus. Licet ea vox in Hebræo aut Chaldæo non habeatur.

℣. 3. *Mentientur*, pro subjicientur, *tibi* — juxta dicta Psal. 17, v. 46.

℣. 6. *Convertit mare* rubrum *in aridam* — seu in aridum alveum, Exodi 14.

In fulmine Jordane *pertransibunt*; Chaldæus, *transierunt*, sicco *pede*.

Ibi, id est, in eo transitu, valde lætati sumus; semperque *lætabimur in ipso* Deo et ope divina: ita Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus.

℣. 7. *Qui exasperant* Deum sceleribus suis; Chaldæus, *rebelles*; Hieron., *increduli* Deo; *non exaltentur* — id est, ne superbiant, quia scilicet Dei scientiam et potentiam evadere non possunt.

℣. 9. *Posuit ad vitam* — id est, ad vivendum, et non ad cito moriendum, ut optant et conantur hostes mei.

(1) " Vers. 4. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi.* Clarius, atque apertius hic traditur Gentium vocatio: Adoret autem primo; hoc est tibi subjiciantur, et deinde psallant: summa autem fiducia hæc fieri mandavit propheta, veluti qui certus erat futuri judicii. Euthymius. "

vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos, Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro:

12. Imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea.

14. Quæ distinxerunt labia mea, Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

℣. 10. *Igne* tribulationis. V. Ps. 16, v. 3.

℣. 11. *In laqueum* — Hieronymus, *in obsidionem*, qua tamquam laqueo circumdamur et strangulamur. Tropologice, in angustias quibus quasi laqueis constringimur et suffocamur.

℣. 12. *Imposuisti homines* tyrannos; Chaldæus, *auctores exactionis*, qui nobis quasi jumentis suis *inequitent*.

℣. 14. *Distinxerunt* — Id est, distincte pronuntiarunt et promiserunt tibi.

℣. 15. *Holocausta medullata*, id est, medullis plena, id est, pinguia, ut Chaldæus vertit. *Cum incenso arietum* — LXX et Chaldæus, *cum suffitu aromatico et sacrificio arietum*. Tropologice, dicuntur hæc in persona Martyrum, inquit S. Hilarius, Hieronymus et Euthymius.

℣. 17. *Sub lingua mea* — Hieronymus, *in lingua*, et ita legit Euthymius.

PSALMUS LXVI.

Deum orat ut per adventum Messiæ omnes gentes sentiant divinam misericordiam et salutem.

1. In finem, in hymnis, Psalmus Cantici David.

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

3. Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus [1] salutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

5. Lætentur et exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

6. Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes:

7. Terra dedit fructum suum.

℣. 2. *Illuminet vultum suum super nos* — Id est, hilarem, propitium, liberalem se nobis exhibeat, ut dixi Psal. 4, vers. 7.

(1) [a] Vers. 3. *Salutare*, id est salutem. Chald. *Redemptionem.* [a]

℣. 4. *Confiteantur tibi* — Id est, laudent te.

℣. 7. *Terra dedit fructum suum* — scilicet nobilissimum quem umquam edidit, nempe Christum, ex Maria terra virgine prognatum, inquit S. Hieronymus

Benedicat nos Deus, Deus noster,

et Euthymius, et cum Christo, ac per Christum, immensam sanctorum hominum messem.

℣. 8. *Deus* ter nominatur, ad innuendum mysterium Ss. Trinitatis, quæ operata est incarnationem Filii Dei. Secundo

8. Benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

autem loco non dicitur simpliciter *Deus*, ut primo et tertio loco, sed cum addito, *Deus noster*, id est, Emmanuel, propter personam Filii, qui per incarnationem singulari modo *noster* effectus est, inquit S. Hieron. et Genebr.

PSALMUS LXVII.

Carmen est triumphale de victoriis Hebræorum: allegorice et magis ex mente Spiritus sancti, de victoriis et triumphis Ecclesiæ Christi, quos orat continuari a Deo: ita S. Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius, Theodoretus, et potet ex vers. 19, quem Apostolus accommodat Christo, ad Ephesios 4, vers. 8.

1. In finem,
Psalmus Cantici ipsi David.

2. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

3. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

4. Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia.

5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus,

6. Patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo:

7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo:

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8. Deus cum egredereris in con-

℣. 5. *Iter facite ei*, id est, parate viam Deo (ut Hieronymus vertit), nempe sublatis omnibus offendiculis. q. d. Omni reverentia excipite adventantem ad vos Deum, *qui ascendit* instar novi splendidissimi solis. Hebraice, *invehitur*; Vatablus, *inequitat cælos*.

Super occasum — Id est, versus occidentales orbis regiones, ad quas transtulit Christus Ecclesiam suam. Allegorice, ad Gentilem populum; Hieronymus, *per deserta*; tropologice, ad peccatores.

Turbabuntur, supple, hostes omnes, *a facie ejus*, qui est *pater orphanorum*, et *judex* seu vindex *viduarum* — id est, injuriæ ipsis illatæ.

℣. 6. *In loco sancto suo* — nempe Sion et templo, maxime resplendet. Allegorice, in Ecclesia: ita Euthymius.

℣. 7. *Unius moris*; id est, unanimes, concordes in eadem religione et iisdem

ritibus, *in domo* Dei — id est, in Ecclesia: Hilarius, Hieronymus, Augustinus.

Eduxit vinctos — scilicet ex Ægyptiaco et Babylonico carcere.

Qui exasperant, supple, Deum frequenti sua obmurmuratione et rebellione. Quales sane utroque tempore erant Hebræi. *Qui habitant in sepulcris* — Hieronymus et Chaldæus, *in siccitate*, seu in locis aridis, id est, carentibus omni humano solatio ac voluptate, et sepulcro persimillimis. Talis erat terra Ægypti et Babylonis Israelitis. Allegorice, Christus patres eduxit e limbo.

℣. 8. *Cum egredereris*, scilicet per angelum tuum in columna nubis et ignis, tunc *terra mota est* in Sinai, cum illic lex daretur, et *cæli distillaverunt* pluvias, grandines, fulmina, manna, coturnices: ita S. Hilarius.

spectu populi tui, cum pertransires in deserto:

9. Terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

10. Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

12. Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.

13. Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

15. Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon:

℣. 10. *Pluviam voluntariam*; hebraice, *liberalitatum*; Chaldæus, *vivificationis*, seu vivificantem, scilicet manna, in deserto, postea in ingressu terræ sanctæ segregasti pluvias aquarum liberalium fœcundantes terram: adeo *ut infirmata* ante; Hieronymus et Chaldæus, laborans multis malis: jam *perfecta*; Chaldæus, *erecta*; Hieronymus, *confortata* sit. Et *animalia tua*, id est, oviculæ tuæ, seu populus tuus jam secure eam inhabitet; quia tu per *dulcedinem* bonitatis tuæ *parasti*, supple, alimenta, et alia necessaria, *pauperi* alioquin populo tuo, inquit Hieronymus et Theodoretus.

℣. 12. *Dominus dabit verbum*, id est, suggeret sermonem efficacem, *evangelizantibus*, id est, læta nuntia per orbem deferentibus, de soluta captivitate, de præclaris victoriis per Moysen, per Davidem, per alios. Allegorice, per Christum obtentis. *Dabit*, inquam, *virtute multa* — Id est, faciet ut id præstent magno conatu, studio, robore, felicique successu, inquit S. Hieronymus.

℣. 13. *Rex virtutum* — Hieronymus et Chaldæus, *reges exercituum*, vel *cum exercitibus*, id est, fortissimi et potentissimi principes, erunt ἀγαπητοι, id est, dilecti, id est, cedent et subdentur ditioni ejus qui est *dilectus dilectus*, id est, admodum seu per excellentiam dilectus, id est, dilectissimus Deo et hominibus, puta Moysis, Josue, Davidis et Christi.

Et speciei domus, id est, speciosæ domui Dei, puta Ecclesiæ fidelium, dabitur *dividere spolia* — nempe Ægyptiorum, Chananæorum, aliorumque populorum devictorum: ita S. Hieronymus, Symmachus, Vatablus et alii. Idque

℣. 14. *si dormiatis*; hebr., si jaceatis, *inter medios cleros* — Vatablus, *ollas* sordidas et fuliginosas; Genebrardus et Pineda [1], *sortes* seu sortitiones ex urna, ita ut victores de vobis jam prostratis sorte inquirant, vivendumne vobis an occumbendum sit. Sed propriissime vertit S. Hieronymus, *terminos*, nempe hostiles, q. d. Hæc ipsa quam dixi, felicitas vobis, o filii Ecclesiæ, obvenit, etsi jam forsan altissimis malis immersi jaceatis; v. g. Etsi captivi hæreatis (sine apparentia liberationis) inter medios cleros, id est, sortes seu terminos Chaldæorum. *pennæ columbæ*, id est, subditi Babyloniorum, conclusi in medio provinciarum Chaldaicarum, quarum insigne est *columba* (uti aquila erat insigne Romanorum). Columba, inquam, habens *pennas* seu alas *deargentatas*, *et posteriora dorsi*, id est, caudam nitentem *auro*. Sic Jerem. c. 25, 46, 50 monet omnes ut fugiant *a facie gladii columbæ*, id est, Chaldæorum. Hoc porro insigne assumpserant Chaldæi in gratam memoriam primæ *Semiramidis* reginæ suæ, quæ, ut poetæ et historici fabulantur, a columbis enutrita fuerat, et a morte in columbam conversa. Vide Diodorum Siculum, Eusebium, Lucianum, Athenagoram, Justinum Martyr. [2], Pintum et Lorinum.

℣. 15. *Dum discernit cælestis reges super eam*, id est, usque dum placuerit Deo reges Chaldæorum judicare, damnare, punire, profligare. Quod fecit mittendo adversus Balthasarem Chaldæum reges Persarum et Medorum Cyrum, et Darium, qui Babylonem expugnarunt, et monarchiam Chaldæorum ad se transtulerunt. Daniel. 5 in fine. Tunc *nive dealbabuntur* — supple, Israelitæ eousque captivi, et variis miseriis denigrati, mox instar

(1) In cap. 5 Job.
(2) Diodor. l. 3, c. 8; Euseb. l. 8 de Præpar., c. 5; Lucian. l. de Syria Dea; Athenag. orat. pro Christianis; Justin. Apolog. 1.

16. Mons Dei, mons pinguis.
Mons coagulatus, mons pinguis:
17. Ut quid suspicamini montes coagulatos?
Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.
19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: [1] accepisti dona in hominibus:
Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.
20. Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
21. Deus noster, Deus [2] salvos faciendi: et Dñi Dñi exitus mortis.
22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum:

nivis albescent, id est, induentur undique lætitia et felicitate, cujus symbolum est nix. Nam primo anno imperii Cyri soluta est captivitas Judæorum Babylonica, ut dixi 1 Esdræ 1 et in Chronico c. 35.

Nota proverbium, *Dealbari nive in Selmon*, est exhilarari in locis tristibus: nam *Selmon* mons erat in tribu Ephraim vicinus Jordani; asper, cavernosus et caliginosus, tamen nive perpetua pulcher et amœnus.

℣. 16. *Mons Dei*, Sinai, inquit ex Chaldæo Joannes Mariana: sed melius alii, mons *Sion*; allegorice, Ecclesia Dei, est *pinguis*, id est, fertilis, *et coagulatus* — seu caseosus, id est, abundans lacte, caseo, butyro, seu omni alimonia, bonisque tum temporalibus, tum spiritualibus. Licet enim pascuis et herbis careret, utpote ædificiis insessus, tamen propter arcæ quæ istic in templo asservabatur, præsentiam, omnia ibidem bona impetrabantur a Deo, et inde in universum orbem derivabantur.

℣. 17. *Ut quid* ergo, o homines carnales, alio suspicitis, et *suspicamini*, an forte præter hunc alibi sint alii *montes* magis *coagulati* et pingues, puta Synagogæ hæreticorum, philosophorum Gentilium, etc. ita Theodoretus.

℣. 18. *Currus Dei*, quibus Deus ad pugnam et triumphum vehitur, *decem millibus multiplex*, id est, multiplicati sunt in infinitum: quia hi currus sunt innumera *millia lætantium* — angelorum, inquit Chaldæus; Hieronymus et LXX *abundantium* robore, gloria, splendore.

Dominus in eis vehi et inequitare visus est olim *in* monte *Sina*, et nunc etiam insidet *in sancto* templo suo, ubi quatuor Cherubinis, quasi currui suo triumphali insidet: ita S. Hieronymus. Porro his curribus

℣. 19. *ascendisti* triumphabundus, o Rex Christe, *in altum* cælum, devictis omnibus hostibus tuis, peccato, morte, inferno, diabolo; ita S. Paulus Ephes. 4, vers. 8. Alludit ad triumphantes, qui solebant alto curru in altum locum evehi, v. g. Romæ in Capitolium.

Cepisti captivitatem — Id est, captivos Satanæ, qui ab eo vel in limbo, vel in hoc mundo in carcere peccati detinebantur, velut prædam de manu ejus rapuisti, et tecum in christianam libertatem, et in cælum abduxisti.

Accepisti dona, nempe charismata Spiritus sancti omne genus, dispergenda *hominibus* — ut solent triumphantes spargere missilia et munuscula in obvios.

Etenim, id est, certe hinc factum, *ut non credentes*, id est, Gentiles; Chaldæus, *rebelles proselyti*, passim crediderint, cum oculis quasi viderent et manibus palparent, *Deus inhabitare* Sionem et Ecclesiam suam. Unde

℣. 20. *benedicatur Dominus die quotidie*, id est, per singulos dies: *faciatque nobis iter prosperum*, scilicet ad Gentes convertendas. Nam *Deus noster* non quærit mortem et ruinam hominum, sed est *Deus salvos faciendi*, id est, salvationi omnium studens, inhians, illaborans, et ejusdem *Domini Dei* (ut est in Hebræo) sunt *exitus mortis* — id est, eductio et liberatio a morte: quia ipse claves habet vitæ et mortis, Apocalypsis 1, v. 18; ita Euthymius.

℣. 22. *Verticem capilli*, id est, cristas, id est, superbiam, *perambulantium*, seu perseverantium *in delictis suis* — confringet Deus. Sicut olim

(1) Ad Ephes. 4, vers. 8.
(2) " Vers. 21. *Salvos faciendi*, id est salvat quos vult. Hieron. "

" *Exitus morti*, quasi dicat: ipse quos vult a morte eripit. Sa. "

verticem capilli perambulantium in delictis suis.

23. Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris:

24. Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

25. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei: regis mei qui est in sancto.

26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

27. In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

28. Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

29. Manda, Deus, virtuti tuæ: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

30. [1] A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

31. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis popu-

℣. 23. *dixit*, et fecit Deus: *Ex Basan*, seu Basanitide, regno gigantis Og Amorrhæi, hostis Hebræorum sævissimi, *convertam*, id est, expellam, incolas hostes tuos, et præcipitabo omnes in abyssum exitii, quasi *in profundum maris* — ut olim feci Pharaoni: ita S. Hilarius.

℣. 24. *Ut intingatur pes tuus*, q. d. Tantam illorum stragem edam, ut tu, o Israel, sanguine occisorum laves et operias pedes tuos: et etiam *lingua canum tuorum ab ipso* sanguine intingatur *ex inimicis* jugulatis profluente. Idem Jezabeli contigit.

℣. 25. *Viderunt* omnes populi terræ *tuos, o Deus, ingressus;* Chaldæus, *incessum majestatis tuæ;* Hieronymus, *itinera*, quibus populum suum deduxit ex Ægypto per mare Rubrum, per sterile desertum, per Jordanem in terram promissam, et per tot victorias ex tantis calamitatibus ad tantos triumphos, opes, potentiam, gloriam; ita Hieron. et Theodoretus. Unde

℣. 26. *Prævenerunt* (Hieron. *præcesserunt*, nempe currum tuum triumphalem) *principes* omnium tribuum, et ceteris exemplo suo præiverunt in decantandis tibi laudibus et hymnis, *in medio juvencularum tympanistriarum* — id est, intes choros puellarum, tympana et alia instrumenta musica, ex veteri more, pulsantium, ut fecit *Maria* Exodi 15, et *filia Jephte*, Judicum 11, v. et 34, aliæ sub David 1 Reg. 18, 6, et Esdra l. 2, 12, 27.

℣. 27. *De fontibus* (Chaldæus, *de semine*) *Israel* — prognati: ita S. Hilarius, Theodor., Euthymius et Vatablus.

℣. 28. *Ibi*, id est, in illis triumphis, *Benjamin adolescentulus:* id est, tribus Benjamin, omnium fratrum minimi, et omnium tribuum minima (utpote pene stirpitus excisa ob stuprum Gabaonitarum, Judicum 20) facta est *in mentis excessu* — seu stupore, id est, sibi et aliis omnibus ad stuporem admiranda, ob incredibile robur et peritiam bellicam, et insignes victorias sæpius partas, maxime sub Saule Benjaminita, ut Chaldæus explicat. Allegorice, S. Paulus et ipse e tribu *Benjamin*, raptus est per mentis excessum in Deum, 2 Cor. 12.

Principes Juda, duces sunt *eorum* omnium, id est, eminent inter omnes triumphatores Israelis: tum ab ipsa statim morte Josue, Judicum 1, v. 2; tum maxime a David usque ad natum Christum. Accessores tamen fuerunt etiam *Principes Zabulon et Nephthali* — quia etiam hi tempore Judicum, maxime vero contra *Jabin* et *Sisaram*, gloriosos egerunt triumphos. Allegorice, S. Hilarius, Hieronymus, Theodoretus, intelligunt Apostolos, qui fere omnes ex aliqua istarum 4 tribuum fuerunt. Paulus ex *Benjamin*; Jacobus, Joannes et reliqui cognati Christi, ex tribu *Juda;* ceteri erant *Galilæi:* Galilæa autem fere complectebatur, *Zabulon* et *Nephthalim*.

℣. 29. *Manda virtuti tuæ*, id est, decerne ut divina potentia tua sic semper nobis adesse pergat: atque ita cœptas confirma victorias et triumphos Israelis. Idque *a templo* — Id est, propter templum tuum, id est, propter te qui in templo coleris: ita Genebrardus.

℣. 31. *Increpa*, cohibe, perde, *feras*

(1) " Vers. 30. *A templo tuo in Jerusalem:* scilicet prodeunt hæc opera. *Tibi offerent*, scilicet propterea offerent reges munera. Mariana. "

lorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt:

32. Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

33. Regna terræ, cantate Deo: psallite Domino: psallite Deo,

34. Qui ascendit super cælum cæli, ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis:

35. Date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

36. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

arundinis, id est, agrestes et barbaros Israelis hostes, qui similes sunt feris in arundineto latentibus, et strepitum cientibus: et sunt velut *congregatio taurorum*, id est, ferociunt quasi tauri congregati, *in vaccis populorum*, id est, cum populis qui instar vaccarum, hebraice, vitularum, lasciviunt, salaces et dissoluti sunt. Metaphora sumpta a tauris, qui tum feruciores sunt, cum generationi inter armenta dant operam. *Ut excludant*, id est, vita vel hereditate sua depellant, *eos qui* tibi *probati sunt argento*, seu instar argenti. Simile est v. 15 *nive*, pro instar nivis; ita Theodoretus, Euthymius, Genebr., Hieronymus *hæreticos* intelligit, Hilarius *dæmones*, sed allegorice.

℣. 32. *Venient legati ex Ægypto* — tractaturi cum Ecclesia Christi de pace, et sui suorumque deditione. Patuit in Alexandria Ægypti, ubi celeberrima fuit Ecclesia Christianorum sub S. Marco Evangelista primo ejus loci Episcopo, teste Abdia, Eusebio et Hieronymo [1].

Sed *Æthiopia præveniet*, et prior protendet *manus* suas *Deo*, ut fecit *eunuchus Candacis reginæ Æthiopum*, Actorum 8, et alii principes Æthiopes in vita S. Matthæi apud eosdem, et Hilarium ac Theodor. Quin et reliqua omnia *regna terræ* subdent se Christo Deo.

℣. 34. *Qui ascendit*, perfunctus omni sua legatione, *super cælum cæli*, id est, ad supremum cælum, *ad orientem* — quia mons Oliveti, ex quo Christus ascendit, erat ad orientem Jerosolymæ: ita S. Hilarius et Hieronymus. Sed is sensus est allegoricus, nam ad litteram designat Deum residentem et triumphantem in cælis. Unde hebraice est, *qui vehitur* vel *inequitat* in summo *cælo, ad orientem*, quia inde solis sui lumen nobis primum ostentat. Genebrardus hæc applicat Ecclesiæ Christi, quæ primo cœpit in Oriente, sed mox demigravit in Occidentem, ut dixi v. 5, et in fine mundi revertetur ad Orientem, ut jam incipit in Sinis et aliis Indiarum locis, et insinuatur Apoc. 16.

Ecce voci suæ, id est, tonitruo; allegorice, prædicationi Evangelii, *dabit vocem virtutis* — id est, faciet ut sit potens, efficax, et impleat orbem universum, inquit Hieronymus et Theodoretus, qui cum S. Augustino id anagogice applicant voci tubali in die resurrectionis, *Surgite mortui: Ite maledicti: Venite benedicti.*

(1) Abdias in Vit. Apostolor.; Euseb. l. 2 hist., c. 16; Hier. de Vir. illustr., etc.

PSALMUS LXVIII.

David in persona Christi (ut patet ex vv. 10, 22, 26, 27) ob zelum religionis multa patiens, auxilium de cælo deposcit.

1. In finem: pro iis, qui commutabuntur, David.

2. Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

℣. 2. *Aquæ* — Id est, tribulationes: quas mox aliis metaphoris designat, *limo profundi, alto mari* et *tempestate*, v. 3 *profundo* seu abysso, et *puteo* v. 16, ita Theodoretus.

3. Infixus sum in limo profundi: et non est substantia.

Veni in altitudinem maris: et tempestas demersit me.

4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.

6. Deus, tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita.

7. Non erubescant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutum.

Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

8. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.

9. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

10. [1] Quoniam zelus domus tuæ comedit me; et [2] opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

11. Et operui in jejunio animam meam: et factum est in opprobrium mihi.

12. Et posui vestimentum meum cilicium; et factus sum illis [3] in parabolam.

13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: et in me psallebant qui bibebant vinum.

14. Ego vero orationem meam ad te, Dñe: tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

℣. 3. *Non est substantia*, ὑπόστασις, id est, subsistentia, id est; solidus fundus in quo possim firmus subsistere: ita Hieronymus et Chaldæus.

℣. 5. *Quæ non rapui tunc exsolvebam* — Proverbium est, q. d. Alieni criminis pœnas dedi. Potest tamen proprie etiam de Christo sic exponi: rapinam pomi vetiti, vel honoris divini, quem Adam ejusque posteri injuste sibi rapere voluerunt, ego Christus exsolvi: ita sanctus Hieronymus, Hilarius, et pulcre Augustinus.

℣. 6. *Tu scis insipientiam* — Hieronymus et Chaldæus, *stultitiam meam*, q. d. Si quid stulte et perperam deliqui, ut hostes mei mentiuntur, tu optime nosti: testem te invoco, et judicem, ut, si deliqui, patefacias: sin autem, innocentiam meam manifestes. Idque ut

℣. 7. *non erubescant in me*, id est, occasione mei, mearumque calamitatum, alii *qui expectant* a *te* salutem: scilicet dum vident me innocentem et te invocantem, a te tamen deseri: ita S. Hieronymus et Theodoretus.

℣. 9. *Factus sum peregrinus filiis matris meæ* — Synagogæ, id est, Judæi non agnoverunt me pro fratre suo, sed pro infideli, et Samaritano.

℣. 10. *Zelus*, id est, fervor et studium procurandæ gloriæ *domus tuæ*, id est, templi et Ecclesiæ tuæ, et indignatio ex ejusdem neglectu et profanatione, *comedit me* — id est, exedit, absorbuit, et, ut Symmachus et Chaldæus vertit, *consumpsit me*.

Et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me, id est, tam sensi, tam ægre tuli, quam si recta in me contorta fuissent. Hinc eodem zelo, ut tuum tibi redderem honorem, suscepi illa in me expianda *jejunio*, aliisque pœnis ultro susceptis: ita Apostolus ad Rom. 15, v. 3. Sed et hoc ipsum

℣. 11. *factum est in opprobrium mihi* — Chaldæus, *pietas* hæc *mea* versa mihi fuit in probrum, scilicet ex malevolentia et maledicentia hostium: Theod.

℣. 13. *In porta* — Id est, in publico loco judiciorum, q. d. Judices et principes urbis.

In me psallebant, id est, cantilenas famosas de me concinnabant, *qui bibebant vinum* — id est, qui in symposiis et tabernis compotitabant.

℣. 14. *Orationem ad te* — supple, dirigo.

Tempus beneplaciti — Hieronymus et

(1) Joan. 2, vers. 17. (2) Ad Rom 15, v. 3.
(3) * Vers. 12. *In parabolam*, in proverbium, in fabulam. Bossuet. *

15. Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

16. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.

17. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

19. Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me.

20. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.

21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

22. [1] Et dederunt in escam meam fel; et in siti mea potaverunt me aceto.

23. [2] Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.

24. Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.

25. Effunde super eos iram tuam: et furor iræ tuæ comprehendat eos.

26. [3] Fiat habitatio eorum deserta: et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

27. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: et non intrent in justitiam tuam.

Symmachus, *reconciliationis*, supple, nunc tandem sit.

In veritate salutis tuæ — Id est, ex fidelitate, qua salutem tuis promisisti.

℣. 20. *Reverentiam meam* — Hieronymus et Augustinus, *confusionem*; Chaldæus, *ignominiam*.

℣. 22. *Fel* — Id est, vinum felle et myrrha mixtum, Matth. 27, v. 48. Chaldæus addit, *fel capitum basiliscorum*. Licet enim Hebræum *ros* [4] omne genus veneni significet, fere tamen usurpatur pro veneno ex capite aspidis vel basilisci. Nihilominus ordinarie etiam *fel* designat. Proverbialiter innuit, loco consolationis augeri laborem, dolorem, probra, inquit Mariana.

℣. 23. *Mensa* hæc *eorum*, instructa felle et aceto, quam mihi Messiæ suo apparaverunt Judæi, *fiat* vicissim *coram ipsis*, id est, etiam ipsis sternatur, et quidem *in laqueum*, id est, in exitium ipsis, *et in retributiones* eorum quæ sua impietate et crudelitate juste promeriti sunt: *et in scandalum*, seu in offendiculum et ruinam, *ad corruendum*, inquit Hieronymus et Genebrardus.

Nota, verba hæc non esse optantis, sed prophetantis, inquit sanctus Augustinus.

℣. 24. *Dorsum semper incurva* — scilicet onerando illos novis continuo et gravioribus calamitatibus, ut his oneribus depressi quasi scilicernia, in terram curvati incedant: ita Theodoretus et Euthymius, Chaldæus, *fac lumbos eorum continuo nutare*.

℣. 26. *Habitatio eorum*, nempe Judæa sacrilega, ac præ omnibus Jerosolyma, *fiat deserta* — per Nabuchodonosorem et Titum: Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

℣. 27. *Quem tu percussisti* — id est, afflixisti, subjiciendo morti crucis; Hieronymus, *vulnerasti*. Isaiæ 73.

Nota. *Percutere*, ad disciplinam spectat, et est superioris: *Persequi*, hostium est, et involvit odium, crudelitatem, irrisionem vel exprobrationem.

℣. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem* — Quod non de pœnis tantum, sed et de culpis exponi potest. Nam solet subinde Deus peccata punire novis peccatis, ac tandem etiam excæcatione,

(1) Matth. 27, vers. 48. (2) Ad Rom. 11, v. 9. (3) Act. 1, vers. 20. (4) ראש.

29. Deleantur de libro viventium; et cum justis non scribantur.

30. Ego sum pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me.

31. Laudabo nomen Dei cum cantico: et magnificabo eum in laude:

32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.

33. Videant pauperes et lætentur: quærite Deum et vivet anima vestra:

34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus: et vinctos suos non despexit.

35. Laudent illum cæli et terra, mare, et omnia reptilia in eis.

36. Quoniam Deus salvam faciet Sion: et ædificabuntur civitates Juda:

Et inhabitabunt ibi, et hereditate acquirent eam.

37. Et semen servorum ejus possidebit eam; et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

non causando malitiam, sed subtrahendo copiosiorem gratiam, et permittendo diabolo majores vires et tentandi facultatem: ita S. August., Thomas D. et DD.

℣. 29. *Deleantur de libro virentium* — Id est, ne sint de numero justorum; ut mox sequitur. Porro *liber vitæ* est ipsa Dei præscientia et quasi memoria, et prædestinatio ab æterno. Et sicut duplex est prædestinatio, una inchoata, altera completa et perfecta: ita duplex quoque est liber vitæ, unus inchoatus et mutabilis, in quo descripti sunt omnes et soli justi; alter completus et immutabilis, in quo scripti sunt omnes et soli qui de facto salvabuntur. Et ex hoc libro nemo deleri potest: de priori potest, et de facto deletur quicumque e justo fit reprobus. Et sic Christus, et S. Paulus, et Moyses, et hic David usurpant nomen *libri vitæ*. Et orat Ecclesia, ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.

℣. 32. *Et placebit*, supple, laus mea et canticum meum, *Deo super vitulum*, id est, præ holocausto vituli *cornua* recens *producentis et ungulas* — id est, juvenci teneri et delicati: ita Theodor.

PSALMUS LXIX.

Sibi et piis omnibus implorat opem Dei, hostibus vero confusionem. Porro hic Psalmus idem prorsus est cum fine Psalmi 39.

1. In finem, Psalmus David,[1] in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

2. Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.

3. Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam:

4. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala:

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

5. Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

6. Ego vero egenus, et pauper sum: Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

℣. 3. *Revereantur* — Id est, erubescant, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, et dixi Psal. 68, v. 20.

Animam — Id est, vitam.

℣. 4. *Avertantur* a te, et per te, a felicitate ac prosperitate ad miserias et exitium: *qui dicunt mihi* afflicto, *Euge, euge* — Hieronymus, *Vah, vah;* Chaldæus, *Gavisi sumus, gavisi sumus*, supple, de tua afflictione et miseria.

℣. 5. *Dicant, magnificetur Dominus* — Id est, magni fiat Dei misericordia, qua suis opportune fert opem, id est, dicant, Deo gratias.

(1) " Vers. 1 *In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.* Retinendus est casus quartus *rememorationem*, nec facile mutandum prononem tertiæ personæ *eum* cum prima *me* quamquam hoc græce legatur. Rom. Corr. „

PSALMUS LXX.

David jam senex opem Dei implorat contra impios Achitophelem, Absalomum, ceterosque conjuratos. In gratiarum actionem pollicetur, se Dei potentiam, justitiam, bonitatem ubique deprædicaturum. Convenit senescenti Ecclesiæ.

Psalmus David,

1. Filiorum Jonadab, et priorum captivorum.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum:

2. In justitia tua libera me; et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, et salva me.

3. [1] Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum: ut salvum me facias,

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.

4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui;

5. Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea a juventute mea.

6. In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper:

7. Tamquam prodigium factus sum multis: et tu adjutor fortis.

8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

9. Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixerunt inimici mei mihi: et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,

11. Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum: quia non est qui eripiat.

12. Deus, ne elongeris a me: Deus meus, in auxilium meum respice.

13. Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione, et pudore, qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperabo: et adjiciam super omnem laudem tuam.

15. Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam,

℣. 1. *Filiorum Jonadab,* id est, Rechabitarum, Jerem. 35, *et priorum captivorum* — Id est, usurpatus est hic Psalmus a Rechabitis, et qui in prima captivitate e sua terra migrarunt Babylonem. Vide Chronicon c. 35. Hic tamen titulus non est in Hebræo, neque in Græco.

℣. 5. *Tu es patientia mea* — Id est, a quo patienter opem expecto: Hieronymus, *expectatio;* Chaldæus, *spes mea,* ut mox sequitur.

℣. 6. *In te cantatio mea semper* — supple, versabitur, id est, de te, tuaque misericordia et singulari providentia, erunt omnia mea cantica et hymni.

℣. 7. *Tamquam prodigium* (Hieronymus, *quasi portentum*) *factus sum* — id est, apparui hominibus, ob tot ærumnas quibus affligor, et tamen salvus semper emergo. Allegorice, *Christus;* tropologice, quivis *justus* est impiis prodigium, quia sequitur vitam arctam et carni invisam.

℣. 10. *Dixerunt mihi* — Chaldæus, *malum contra me.*

℣. 15. *Non cognovi litteraturam* — Hebræum *sephorot* [2] proprie etiam nu-

(1) " Vers. 3. *Esto mihi in Deum protectorem,* Hebr. *Esto mihi in petram.* "

(2) ספרות.

16. Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.

17. Deus, docuisti me a juventute mea: et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

18. Et usque in senectam et senium: Deus, ne derelinquas me,

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est;

Potentiam tuam,

19. Et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus, quis similis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas: et conversus vivificasti me: et de abyssis terræ iterum reduxisti me:

21. Multiplicasti magnificentiam tuam: et conversus consolatus es me.

22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israel.

23. Exultabunt labia mea cum cantavero tibi: et anima mea, quam redemisti.

24. Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

merationem et computum significat. Unde Chaldæus, Symmachus et Vatablus vertunt, *numerum*, scilicet beneficiorum divinorum; sanctus Augustinus cum Arnobio, Cassiodoro, et auctore operis imperfecti [1] in Matthæum, cum Psalterio veteri Romano et Sixtini, legentes πραγματείας pro γραμματείας, ut habent LXX. verterunt, *negotiationem*, nempe fraudulentam et dolosam. Sed optime Noster, *non cognovi litteraturam*, id est, non sum versatus in humana sapientia et eloquentia: nam semper vel pastor ovium fui, vel miles. Tamen

℣. 16. *introibo in potentias Domini*, id est, ingrediar (ut Hieronymus et Chaldæus vertunt) ad opera divinæ omnipotentiæ contemplanda. Hæc mihi pro libris et magistris erunt, et satis superque me docebunt nosse, laudare et colere Deum. Et hæc scientia mihi abunde sufficit, quam *docuisti me a juventute mea* — immo a puero, nempe vel internam inspirationem, vel per pios parentes meos.

℣. 20. *Conversus*, id est, rursus. *De abyssis terræ* — Id est, ex ærumnarum profundo, quasi ex inferno. Allegorice, Christus e limbo.

℣. 24. *Reveriti* — Id est, pudore et verecundia affecti. Hieronymus, *dehonestati*: Chaldæus, opprobrio affecti, ut supra Psal. 69, v. 3.

(1) Auct. imperf., hom. 38.

PSALMUS LXXI.

Christi regnum, in figura Salomonici regni, pacificum, amplum, felix, æternum fore prædicitur.

Psalmus

1. In Salomonem.

2. Deus, judicium tuum regi da: et justitiam tuam filio regis:

Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

3. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.

℣. 1. *In Salomonem* — nempe, qui et quatenus erat figura Christi. Nam omnes, etiam Rabbini veteres et recentiores, applicant hunc Psalmum Christo: et patet ex vv. 5, 8 et 11, qui Salomoni competere non possunt. Chaldæus vertit, *per manum Salomonis dictus prophetice*, et forsan a Salomone compositus fuit.

℣. 2. *Judicium et justitiam* — Id est, juris tui et justitiæ scientiam, zelum, praxin.

Judicare — Id est, ut judicet.

℣. 3. *Montes*, qui solent esse speluncæ

4. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: et humiliabit calumniatorem.

5. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.

6. Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram.

7. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: donec auferatur luna.

8. Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9. Coram illo procident Æthiopes: et inimici ejus terram lingent.

10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent:

11. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei:

12. Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem, cui non erat adjutor.

13. Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.

15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.

16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: et

latronum, et latibula ferarum, vel delubra dæmonum, *suscipiant pacem* — id est, tranquillitatem, et felicitatem, q. d. Invehat Christus ubique plenam pacem et prosperitatem. Theodoretus hæc refert ad Monachos et Eremitas, qui in montibus angelicam vitam duxerunt.

℣. 5. *Permanebit cum sole*, id est, quamdiu erit sol; *et ante*, seu coram, *lunam*, id est, quamdiu erit luna: ita Hieronymus et Chaldæus, q. d. In æternum stabit regnum Christi. Aliter sanctus Augustinus. Ante lunam fuit Christus, quia secundum divinitatem est ab æterno.

℣. 6. *Descendet* Christus in terram, vel in uterum Virginis, *sicut pluvia*, seu ros, *in vellus* Gedeonis, Judic. 6, v. 37, *et sicut stillicidia* — id est, quiete, insensibiliter, sine corruptione virginitatis, per operationem Spiritus sancti, cum fœcundatione et influxu omnium bonorum: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

℣. 7. *Orietur justitia* — Hieronymus, *germinabit justus*; Chaldæus, *multiplicabuntur*, seu multipliciter crescent, *justi*.

℣. 8. *A mari usque ad mare* — Chaldæus, *ab angulo*, seu extremo, *maris magni* Mediterranei, *usque ad* extremum *angulum* maris Oceani.

Et a flumine Euphrate, qui in Scripturis ponitur terminus terræ sanctæ et regni Salomonici, *usque ad* fines *terræ*.

℣. 9. *Terram lingent* — id est, osculabuntur, nempe in signum reverentiæ et subjectionis.

℣. 10. *Reges Tharsis*, id est, maris. Vide 2 Paralip. 9, v. 21. *Arabum et Saba* — Vide 3 Reg. 10, v. 1. Id cœperunt facere tres Magi, Matth. 2, quoreges fuisse, ut hic indicatur, ibi pros babo.

℣. 14. *Ex iniquitate* — Id est, iniqua oppressione, fraude et violentia tyrannorum, maximeque diaboli, qui summus est fœnerator, pro vilissima peccati voluptate animam sibi obstringens ad fœnus æternæ pœnæ, inquit sanctus Augustinus.

℣. 15. *Adorabunt de ipso* — id est, ipsum Christum, inquit Joannes Mariana et Emmanuel Sa.

℣. 16. *Erit firmamentum* — Ita Romana et Græca, et subauditur *panis*, qui quia cor hominis firmat, vocari solet *firmamentum*, Psal. 103 et 104, v. 16, etc. Hebraice est, *pissat bar* [1], quod Hieronymus vertit, *memorabile triticum*; Chaldæus, *substantificus panis*; Paulus Burgensis, *placentula frumenti*; R. Emmanuel, *rola* seu manus *plena* frumento; Vatablus et Genebrardus, *pugillus frumenti*, q. d. Tanta rerum omnium, maxime spiritualium, fertilitas erit tempore Messiæ, ut pauca grana frumenti *in terram* conjecta, etiam *in*

(1) פִּסַּת בַּר.

florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in secula: ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

19. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat fiat.

20. [1] Defecerunt laudes David filii Jesse.

montibus silvosis et aridis, tantam latura sint segetem, ut fertilissimi *Libani* messem multis modis excedant. R. Jonathan Chaldæus vertit, *erit placenta tritici in vertice sacerdotum.* Et multi veteres Rabini id interpretantur de sacrificio panis delicatissimi tempore Messiæ offerendo.

Florebunt de civitate, id est, cives qui sunt de civitate Dei, id est Ecclesia Christi, *sicut fœnum terræ* multiplicabuntur numero et gratiis omne genus.

(1) " Vers. 20. *Defecerunt laudes*, etc. Hic enim Psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis ultimo loco collocatus non sit: scriptus est enim eo tempore, quo David morti vicinus, Salomonem filium suum in regni possessionem immisit. Menoch. „

PSALMUS LXXII.

Incipit hic secundum Hebræos liber III Psalmorum, quorum fere auctor Asaph nobilis musicus tempore Davidis 1 Paral. 6, v. 39, et c. 25, v. 1, cujus nomine extant 12 sequentes Psalmi de tristioribus casibus Ecclesiæ.
Hoc Psalmo quærit, cur pii hic miseri sint, impii felices? Respondet, quia Deus æternam his miseriam, illis felicitatem præparavit.

1. Psalmus Asaph.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!

2. Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum: et firmamentum in plaga eorum.

5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur:

6. [1] Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.

7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.

8. Cogitaverunt, et locuti sunt

℣. 2. *Pene effusi sunt gressus mei* — Id est, effuso per lubrica gressu pene collapsus sum a firma spe in Deum et a studio virtutum.

℣. 4. *Non est respectus morti eorum*, id est, non anxie respiciunt, non cogitant, non curant mortem suam, ut Hieronymus et Chaldæus insinuant. Quia nempe mors impiis obvenire fere solet facilis, commoda, honorata, sera, et subita. Et hæc est εὐθανασία, quam Julius Cæsar sibi optabat, et obtinuit. Item non est *firmamentum*; hebraice, firmitas, *in plaga eorum* id est, si plagis aut morbis aliquando vexantur, non diu nec firmiter adhærent, cito inde convalescunt, et pristina firmitas ac robur ipsis integra manent: ita Theodoretus et Euthymius.

℣. 7. *Prodit quasi ex adipe* — Id est, valde copiose et abundanter, sicut effluit adeps ex pinguissimo animali.

Transierunt in affectum cordis — Id est, totos se tradunt explendis animi affectibus, ut non legi Dei, vel rectæ rationi, sed suis concupiscentiis obsequantur: ita S. Hier. et Emmanuel Sa.

℣. 8. *In excelso* — Hebraice, de ex-

(1) " Vers 6. *Ideo tenuit eos superbia*, etc. Hebr. *Ideo quasi torques circumdedit eos superbia et vestis iniquitatis operuit* eos; idest pleni sunt superbia et iniquitate eo magis quo magis videret omnia sibi prospere succedere. Maldonatus. „

nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.

9. Posuerunt in cælum os suum: et lingua eorum transivit in terra.

10. Ideo convertetur populus meus hic: et dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?

12. Ecce ipsi peccatores, et abundantes in seculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas:

14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

15. Si dicebam: Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me:

17. Donec intrem in sanctuarium Dei: et intelligam in novissimis eorum.

18. Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum allevarentur.

19. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.

20. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21. Quia inflammatum est cor

celso seu sublimi loco, id est, palam, publice, inverecunde.

℣. 9. *Posuerunt os suum* blasphemum *in cælum*, id est, contra Deum et *Sanctos cælorum*, ut habet Chaldæus. Inde *lingua eorum transivit*; Hieronymus, deambulavit, *in terra*; Chaldæus, *ardet in justos terræ*, q. d. Nemini parcunt.

℣. 10. *Ideo convertetur populus meus*, q. d. Hæc impiorum impunita prosperitas causa est cur homines pii subinde convertant se ad conquerendum: dum vident *dies plenos in eis* — id est, impios diutissime vivere et felicissime. Unde mirantes dicunt, Scitne et curat hæc Deus?

℣. 13. *Et dixi*, id est, ego ipse nutabundus aliquando hæsi, dicens, Si scelerati tanta fruuntur prosperitate, *ergo* ego *sine causa*, id est, frustra, abstinui a sceleribus et studui justitiæ, *et lavi inter innocentes manus*, id est, laboravi ut inter innocentes innocens essem. Interim *fui flagellatus tota die*, id est, continuo afflictus, *et castigatio mea in matutinis* — Id est, statim, ut mane surgo, surgit mecum crux et afflictio.

℣. 15. *Si narrabo sic* — Id est, si sic judicem, tunc improbo vitam et studia justorum, qui quantumvis afflicti, tamen Deo constanter serviunt.

℣. 17. *Donec intrem in sanctuarium*, q. d. Numquam mihi plene satisfecero quoad jam dictam difficultatem, *donec* mente et consideratione *intrem in sanctum* et secretum thronum judicialem *Dei*, *et* inde *intelligam*, seu investigem, *in novissimis eorum* — supple, maximam utrorumque differentiam: nam ex perspecto fine piorum et impiorum pendet supradictæ quæstionis solutio. Anagogice, in extremo judicio omnibus palam fiet, quid prosit virtus, quid obsit peccatum, inquit sanctus Augustinus et Euthymius.

℣. 18. *Propter dolos*, id est, ut dolose et callide deciperentur, *posuisti eis* illam prosperitatem, id est, dedisti impiis omnia prospera, ut *dum allevati*, id est, in altum evecti essent, subito dejiceres et præcipitares eos, ut lapsu graviore ruant. Nota. *Propter* non designat hic finem Dei, sed eventum rei, quem Scriptura sæpius vocat *finem*.

℣. 20. *In civitate tua* cælesti; Chaldæus, *in die judicii*, quando ex tuguriolo hujus vitæ migrabunt in civitatem amplissimam alterius vitæ, *ad nihilum rediges*, quam ipsi tanto labore concinnarunt, *imaginem ipsorum* — id est, imaginariam et somnio similem felicitatem impiorum: ita Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Sic Misillus apud Lucianum cum expergisceretur, sensit omnem felicitatem, quam somniando conceperat, evanuisse. Et Plato: Quid sunt voluptates mortalium, nisi somnia vigilantium? Et sic quidem agitur cum impiis: mecum vero et cum omnibus piis longe aliter. Nam. ut sequitur,

℣. 21. *quia inflammatum*, seu ustum et excruciatum, *est cor meum*, *et renes mei commutati sunt*, id est, omnia in-

meum, et renes mei commutati sunt:

22. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

23. Ut jumentum factus sum apud te: et ego semper tecum.

24. Tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

25. Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?

26. Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

27. Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam:

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

teriora mea turbata sunt præ doloribus et ærumnis, *et nescivi*, quo me verterem, vel cur ita cruciarer. Interim

℣. 23. *ut jumentum factus sum apud te*, id est, gessi me quasi pecus tibi obsequentissimum, ut scilicet quæ et quanta velles onera, labores et flagella mihi infligeres: *et ego semper tecum* mansi, et tibi constantissime adhæsi. Ideo non permisisti me ruere in perditionem, ut contigit impiis, sed *tenuisti manum meam*, etc. — ita Arnobius et Genebrardus. Allegorice, Christus quasi jumentum tulit injecta sibi omnia peccata nostra, inquit S. Hieronymus. Tropologice, per cæcam obedientiam Religiosus fit jumentum Dei.

℣. 25. *A te* alienum, vel præter aut extra te, *quid volui*? q. d. Nihil, sed tui unius desiderio (qui es *pars*, id est, portio hereditaria, *mea*), *defecit cor et caro* — id est, anima et corpus meum, id est, ego totus: ita S. Hieronymus et Euthymius.

℣. 27. *Fornicantur abs te* sponso suo, tuique amore et cultu deficientes, et creaturis quasi adulteris adhærentes.

PSALMUS LXXIII.

Prædicit urbis, templi et populi ruinam sub Nabuchodonosore, inquit Cajetanus et Lyranus, et patet ex vers. 7, et sub Antiocho Epiphane, de quo in libris Machabæorum, quem et reprimi orat. Allegorice, Ecclesia orat contra Antichristum, ejusque præcursores.

1. Intellectus Asaph.

Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hereditatis tuæ: mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!

4. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

℣. 2. *Redemisti*, ex Ægypto, inquit Chaldæus, *virgam hereditatis tuæ* — Hebraice, *sceptrum* tibi hereditarium, nempe populum Israeliticum, in quo tu sceptrum hereditario jure tenes.

Mons Sion — Id est, hæc hereditas tua est populus qui nunc incolit montem Sion, ubi et tu habitas, cum arca et templo tuo: ita fere Symmachus, Hieronymus, Theodoretus et Euthymius.

℣. 4. *In medio solemnitatis tuæ* — Id est, diei tibi festi, vel loci solemnis, scilicet templi.

Signa sua, id est, vexilla bellica, *posuerunt;* Chaldæi *signa*, id est, quasi trophæa victoriæ: *sicut in exitu*, scilicet urbium, id est, in portis, ubi solent erigi trophæa, sic *super summum* verticem templi posuerunt illa.

Posuerunt signa sua, signa:
5. Et non cognoverunt sicut in exitu super summum.
Quasi in silva lignorum securibus
6. Exciderunt januas ejus in idipsum: in securi et ascia dejecerunt eam.
7. [1] Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.
8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.
9. Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: et nos non cognoscet amplius.
10. Usquequo, Deus, improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?
11 Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?
12. [2] Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.
13. Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.
14. Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.
15. Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.

℣. 5. *Et non cognoverunt* — Id est, nesciverunt, neque curarunt Chaldæi, quantus honor deberetur templo tuo; utpote loco totius orbis sanctissimo: ita Hieronymus et Theodoretus.

℣. 6. *Exciderunt januas ejus*, scilicet templi, *in idipsum* — id est, simul, omnes, pariter, ut vertit Hieronymus et Chaldæus.

℣. 8. *Quiescere* et cessare *faciamus* — Id est, omnino aboleamus, scilicet exscindendo et exurendo templum omnesque synagogas illorum: nam, his excisis, exscinduntur pariter omnes solemnitates illorum. Unde Hieronymus et Chaldæus vertit, *incenderunt;* Aquila et Theodotion, *comburamus* omnes *solemnitates Dei.* Itaque jam *non* amplius

℣. 9. *vidimus signa nostra* — id est, vexilla et insignia religionis nobis usitata, nempe templum, altare, sacrificia, etc. ita Genebrardus.

Jam non est propheta, qui nobis opitulari possit, ut olim Moyses, Samuel et alii. Jeremias enim non est profectus cum Judæis in Babylonem, sed in Ægyptum, ut dicitur Jerem. 43.

Et nos non cognoscet amplius — supple, Deus, q. d. Videtur Deus nos quasi alienos nolle amplius agnoscere aut curare.

℣. 11. *De medio sinu tuo* — supple, non educens illam ad nos juvandos. Unde Chaldæus, *educ eam, et dele afflictionem.*

℣. 12. *Operatus est salutem*, id est, sæpius liberavit et salvavit populum suum, *in medio terræ* — id est, palam, et ubique in omni terra, inquit Theodoretus et Euthymius: vel, ut S. Hieronymus, *in Jerusalem*, vel generaliter *in Judæa*, quæ est medium terræ habitatæ. Unde et illam pro sua Ecclesia delegisse videtur Deus, et Christus pro passione sua, ut ipsa ex se quasi ex orbis corde salutem in totum mundum transmitteret, inquit Genebrardus. Allegorice, Hieronymus, *in medio terræ*, id est, in ventre virginali.

℣. 13. *Tu confirmasti*, id est, solidasti, *mare* rubrum, ut utrimque instar muri stans Hebræis in medio transitum daret. Unde Chaldæus vertit, *dicisisti aquas maris:* Hieronymus *dissipasti.* Uti et pro *contribulasti* vertunt, contrivisti *capita draconum* — id est, crocodilorum, qui dracones sunt aquatici, id est, Ægyptiorum, qui crudelissime necabant nos et infantes nostros, inquit Theodoretus et Euthymius.

℣. 14. *Capita draconis*, antonomastice, id est, Pharaonis: id est, primores et proceres, Ægypti, ut vertit Chaldæus, *dedisti eum escam populis Æthiopum* — id est, accolis maris rubri qui erant Æthiopes; vel corvis, inquit Jansenius; *cercopithecis*, Chaldæus, id est, similis. Aliquando enim *populus* in Scriptura dicitur etiam de belluis, ut Proverb. 30, *Formicæ populus infirmus.* Joel. 1 de locustis, *Gens ascendit super terram.*

℣. 15. *Dirupisti*, id est, *erumpere fecisti fontem e rupe* disrupta, *et fuit in*

(1) 4 Reg. 25, vers. 9. (2) Luc. 1, vers. 68.

16. Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem.

17. Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem et ver tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.

19. [1] Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20. Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.

22. Exurge, Deus, judica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

flumen (ita Chaldæus); Exodi 17 et Num. 20. *Siccasti fluvion Ethan* — id est, fortitudinis, fluvios fortes, vehementes et magnos, ut vertit Hieronymus, Aquila et Chaldæus, qui etiam nominat illos, nempe *Arnon*, *Joubecha* et *Jordanem*, Josue 3 et Eccli. 24.

℣. 18. *Memor esto hujus*, quod sequitur: *Populus incitavit* te blasphemiis et contumeliis; ita fere Hieronymus et Chaldæus.

℣. 20. *Respice in testamentum tuum* — Id est, memineris pacti quo pepigisti te semper fore adjutorem populo tuo.

Quia qui obscurati sunt, id est, qui ante obscuri, et ignobiles erant in terra, nempe Chaldæi, *repleti* et ditati sunt nostris agris, *domibus* et supellectilibus *iniquitatum* — id est, iniquæ nobis ereptis. Quadrat jam in Turcas et hæreticos: ita Genebrardus.

℣. 21. *Ne avertatur*, id est, ne repellatur a te *humilis* — Chaldæus, *miser*; Hieronymus, *confractus* populus tuus.

(1) " Vers. 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* Non mutes accusativum *confitentes* in genitivum *confitentium.* Romana Corr. "

PSALMUS LXXIV.

Dialogus est Dei et Prophetæ: docetque timendum impiis, gaudendum piis in extremo judicio.

1. In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.

2. Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua:

3. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

4. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.

5. [1] Dixi iniquis: Nolite inique a-

℣. 1. *Ne corrumpas* — Hieronymus, *ne disperdas.* Est initium cantilenæ alicujus, ad cujus tonum Psalmus hic cani jubetur: ita Genebr.

℣. 3. *Cum accepero;* Chaldæus, elegero; *tempus;* id est, cum aderit tempus judicandi, ab æterno præfinitum a Deo: ita Symmachus et Aquila: tunc *justitias* (Hieronymus et Chaldæus *justa,*) *judicabo* — id est, id quod justum et æquum est decernam: ita S. Hieronymus et Theodoretus. In illo judicii die

℣. 4. *liquefacta est terra* — Hieronymus, *dissolvetur*, instar cereæ ad præsentiam ignis, 2 Petri 3.

Ego confirmavi columnas ejus — Id est, ego solus sum qui nunc terram confirmo et stabilio quasi solidis columnis: sed tunc in die judicii, subtractis illis columnis, totam dissolvam. Allegorice, columnas Ecclesiæ, Apostolos eorumque successores confirmat Christus, inquit S. August.

(1) " Vers. 5. *Dixi iniquis*, etc., Hebr. *insanis ne insaniatis.* "

gere: et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

6. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus:

8. Quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat:

9. Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.

10. Ego autem annuntiabo in seculum: cantabo Deo Jacob.

11. Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua justi.

℣. 7. *Neque ab oriente*, etc. — supple, quisquam est, qui possit a Dei ira vel judicio se vel alium eripere, inquit Theodoretus.

℣. 9. *Calix* — Id est, portio et mensura pœnæ dimensa cuique a Deo, et necessario exhibenda. Dicitur *calix vini*, quia mentem hominis inebriat et a se alienat. Dicitur *vinum merum*, quia aqua misericordiæ non est dilutum, sed innato sibi fervori atque energiæ relictum. Interim *plenum* est alio *misto*, v. g. fæcium, myrrhæ, felis, veneni. Nam ultio divina, cum hominem serio deprehendit, plerumque non est unius generis, sed ex variis commista: ita S. Hieronymus, August. et Theod.

Inclinavit effundendo, vel *propinando*, ut vertit Hieron. *ex hoc in hoc*, nunc in hanc, nunc in aliam partem, nempe ut *omnes peccatores* seu vicissim ordine *bibant* — sed quantumcumque multi et multum bibant, numquam *exinanitur*, id est, exhauritur, *fæx* hujus calicis, q. d. Semper restabit sat multum quo mundum puniat Deus: immo extremas et amariores pœnas, quæ sunt quasi fæces infimæ, reservat in futuram vitam: ita iidem.

PSALMUS LXXV.

Laudat Deum pro victoria obtenta de Assyriis tempore Ezechiæ, cum ex castris blasphemi Sennacherib una nocte cæsi essent 185,000; 4 Reg. 19.

1. In finem,

in Laudibus, Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.

2. Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus.

3. Et factus est in pace locus ejus: et habitatio ejus in Sion.

4. Ibi confregit [1] potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.

5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis:

℣. 1. *Canticum ad Assyrios* — Sic Psalmus inscribitur, licet hic titulus in Hebræo, Chaldæo, in Octaplis, et plerisque Græcis non habeatur.

℣. 3. *In pace* — Appellativum pro nomine proprio. Hieronymus enim vertit, *in Salem*; Chaldæus, *in Jerusalem*, quod significat *visionem pacis*.

Factus est locus ejus — nempe tabernaculum et templum Dei, in quo quasi habitabat, ut mox sequitur. Allegorice, est Ecclesia; tropologice, anima sancta, cujus passiones omnes quietæ et rationi subjectæ; anagogice, cælum, inquit sanctus Hieronymus et Augustinus.

℣. 5. *Illuminans* tu, etc. Id est, tu, o Deus, nos in tenebris obsidionis Sennacherib mirabili ope et favore tuo, quasi nova luce ac sole exhilarasti, *a montibus æternis* — Id est, ex cælis, supple, nobis suppetias mittens: ita Euthymius. *Æternis*, id est, antiquis a mundi exordio, et in æternum duraturis. Nazianze-

(1) * Vers. 4. *Potentias*, id est vires. Chald *Sagittas. Bellum*, id est bellica instrumenta. Chald. *acies belli*. *

6. Turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

7. Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.

8. Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

9. De cælo auditum fecisti judicium: terra tremuit et quievit.

10. Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

12. Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili,

13. Et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

nus id de angelis exponit, quorum manu cæsi sunt Assyrii. Allegorice, S. Hieronymus et Augustinus de Apostolis.

℣. 6. *Insipientes;* Hieronymus, superbi, *corde,* id est, Assyrii, qui tam stulte et superbe se jactarant, Deumque blasphemarant, *dormierunt somnum suum,* id est, mortem ab angelo noctu immissam: *et nihil* speratæ ex Judæis prædæ, inquit Euthymius: vel potius, nihil armorum quibus se adversus mortem tuerentur, *invenerunt in manibus* — Ita fere Hieronymus et Chaldæus.

℣. 7. *Ab increpatione tua,* id est, te *Deus* increpante, id est, puniente, *dormitaverunt* somno mortis oppressi, *qui ascenderunt equos* — id est, equites Assyrii.

℣. 8. *Ex tunc,* id est, simulatque blasphemarunt te Assyrii, exarsit in eos *ira tua* — Theodoretus, Euthymius, Vatablus et Jansenius.

℣. 9. *De cælo auditum fecisti,* id est, pronuntiasti palam, audiente toto cælo, *judicium,* id est, sententiam contra hostes, quam mox executioni mandasti per angelum: ita iidem. Tunc *terra,* id est habitatores terræ *tremuerunt,* et *quieverunt;* id est, silentes obstupuerunt.

℣. 11. *Cogitatio hominis,* scilicet furibunda, irata: est enim hebraice, *furor, ira,* ut vertit Hieronymus, q. d. Irati et furibundi hostes, qui antea nil nisi malum nobis inferre cogitabant, jam mitescent, et *confitebuntur tibi,* id est laudabunt te, Domine. Et si quæ supersint in iis *reliquiæ* furibundæ *cogitationis,* hæ quoque visa hac tua ultione Sennacherib, mutabuntur, et *diem festum agent tibi* — Id est, omni cum lætitia laudabunt te. De morali sensu, vide S. Augustinum et Bernardum [1]. Anagogice, in die judicii omnis cogitatio se ipsam revelabit Deo judici.

℣. 12. *In circuitu ejus,* id est, circum altare Dei, *affertis,* id est, afferre soletis, *munera.*

℣. 13. *Spiritum* — Id est, vitam; Chaldæus, *tumorem spiritus.*

(1) Serm. 62 in Cant.

PSALMUS LXXVI.

Orat liberari malis, præsertim molestis et anxiis cogitationibus, quibus plurimis premebatur.

1. In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.

2. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.

3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea,

4. Memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus sum: et defecit spiritus meus.

℣. 1. *Pro Idithun* — Vide initio Psalmi 38. Et hoc hic repetitum sufficiat.

℣. 3. *Manibus meis,* supple, extensis in oratione *contra eum* — Græce, *coram eo.*

℣. 4. *Exercitatus sum* — Græce, exer-

5. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, et non sum locutus.

6. Cogitavi dies antiquos: et annos æternos in mente habui.

7. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

8. [1] Numquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

9. Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

10. Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

11. Et dixi: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.

12. Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum,

13. Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.

14. Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster?

15. Tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam:

16. Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, et Joseph.

17. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

18. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

cui meipsum, scilicet in precibus, vel in meditatione mearum æruminarum, et de modis evadendi; quos cum nullos reperio, deficit spiritus meus præ anxietate et mœrore: ita Theodoretus.

℣. 5. *Vigilias* — φυλακάς, id est, custodias, seu vigilias nocturnas, q. d. Ante ipsos vigiles evigilavi. Theodotion et Aquila, *ante lucem evigilavi*, eo quod præ mœrore et anxietate animi dormire non possem.

℣. 6. *Dies antiquos* — Id est, præterita tempora, quibus mirabili favore solebas juvare populum tuum, sub Noe, Movse, Josue, aliisque judicibus.

Et annos æternos — Hebraice, *annos seculorum*, nempe præteritorum ab Adam hucusque, inquit Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. S. August. et Genebrardus id exponunt de æternitate ipsiusmet Dei.

℣. 7. *Scopebam spiritum*, id est, variis cogitationibus ac discursibus quasi scopis verrebam et excutiebam animum *meum* — nempe ut scirem, num verum sit quod hostes mei jactant, scilicet *Deum* me æternum a se *projecisse*, nec umquam mihi fore *complacitiorem*, id est, placatiorem.

℣. 11. *Nunc cœpi* — q. d. Post longam anxietatem, et molestam meditationem, cœpi tandem respirare, recreari et meliora sperare.

Hæc mutatio, a pusillanimitate et anxietate mentis in spem, magnanimitatem et quietem, provenit a *dextera Excelsi*, per gratiam suam dispellente priorem nebulam et caliginem: ita S. August. Alii, *nunc cœpi* sapere, et in melius commutare vitam, nempe præventus novo lumine, novo robore cælesti. Unde S. Antonius hoc cuique propositum mane faciendum iterandumque docebat.

℣. 14. *Via*, id est actio, *tua*, omnis est *in sancto;* hebraice, *in sanctitate*, id est, sancta est; Chaldæus, *quam sanctæ sunt* viæ tuæ! q. d. Licet flagella tua nobis gravia et dura videantur, tamen sancta et justa sunt, et ad nos sanctificando tendunt. Allegorice, actiones et passiones omnes tuæ, o Christe, sunt sanctæ, licet Judæi, scandalum, Gentibus stultitia videantur, inquit Euthym.

℣. 16. *Filios Joseph* — Vide Psal. 79, vers. 2.

℣. 17. *Timuerunt aquæ*, id est, instar timentium recesserunt et fugerunt, *et turbatæ sunt abyssi* maris rubri.

℣. 18. *Multitudo sonitus aquarum*, id est, magnus et multus inde ortus est strepitus aquarum, maxime cum rursus conglobarentur et confluerent oppressuræ Ægyptios. Nam *et sagittæ tuæ*, id est, fulmina et fulgura, *transeunt;* Hieronymus et Chaldæus, *discurrebant et accen-*

(1) " Vers. 8. *Numquid*, scilicet dicebam apud me. *Complacitior*, idest placatior seu propitius. Quidam legunt *Complacatior*. Sa. "

Etenim sagittæ tuæ transeunt:
19. Vox tonitrui tui in rota.
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est et contremuit terra.

20. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.
21. [1] Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron.

debantur: et vox, id est sonus, *tonitrui tui in rota* — pro, in rotas (ut vertit Symmachus) curruum Ægyptiorum, qui omnes subversi et submersi sunt in mari. Theodoretus et Euthymius.

℣. 20. *In mari via tua*, q. d. Cum tibi lubet, etiam per medium mare patet tibi via, et quidem tam dextre, ut soli populo tuo pateat; hostibus vero insequentibus *vestigia tua non cognoscentur* — maxime cum reductis jam aquis orbitæ omnes et vestigia penitus opplerentur. Vide Exodi 14; ita S. Hieron. et Chaldæus.

(1) Exod. 14, vers. 29.

PSALMUS LXXVII.

Decantat beneficia Israeli præstita a peregrinatione in Ægypto usque ad sua tempora.

1. Intellectus Asaph.
Attendite, populе meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.
2. Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.
3. Quanta audivimus et cognovimus ea: et patres nostri narraverunt nobis.
4. Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.
Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.
5. Et suscitavit testimonium in Jacob: et legem posuit in Israel.
Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis:
6. Ut cognoscat generatio altera.
Filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis,
7. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata ejus [1] exquirant.
8. Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans:
Generatio, quæ non direxit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus ejus.
9. Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.
10. Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.
11. Et obliti sunt benefactorum

℣. 1. *Intellectus Asaph* — Vide initio Psalm. 31.

℣. 2. *Aperiam in parabolis os meum* — De parabolis et propositionibus vide initio Psalm. 48.

℣. 5. *Testimonium*, id est, legem divinam [2], *suscitavit in Jacob* — id est, de novo dedit Israeli, in Sinai.

℣. 8. *Non est creditus cum Deo*, id est, non adhæsit firma fide et fiducia Deo, *spiritus* Israelis, sed statim obmurmura-

vit: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. De 14 murmurationibus vide Chronicon cap. 19.

℣. 9. *Filii Ephrem*, id est, Israelitæ (pars seu tribus numerosior et bellicosior, pro toto populo) *mittentes arcum*, seu arcu sagittas, id est, eximii sagittarii, et bellicæ rei ut peritissimi, ita et addictissimi, sæpius tamen *conversi sunt* in fugam *die*, id est, tempore, *belli* — v. g. sub Jephte, sub Heli, sub aliis.

(1) " Vers. 7. *Exquirant.* Hebr. *Observent.* „

(2) Vide Idiotismos Hebr., num. 14.

ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

13. [1] Interrupit mare, et perduxit eos: et statuit aquas quasi in utre.

14. Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in illuminatione ignis.

15. [2] Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa.

16. Et eduxit aquam de petra: et deduxit tamquam flumina aquas.

17. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

19. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

20. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

21. [3] Ideo audivit Dominus, et distulit: et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel:

22. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus:

23. Et mandavit nubibus desuper, et januas cæli aperuit.

24. [4] Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli dedit eis.

25. [5] Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.

26. [6] Transtulit austrum de cælo: et induxit in virtute sua africum.

27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata.

28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

29. Et manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis:

30. Non sunt fraudati a desiderio suo.

[7] Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum:

31. Et ira Dei ascendit super eos.

℣. 12. *In campo Taneos* — id est, in regione vicina regiæ Pharaonis, Isaiæ 19 [8].

℣. 13. *Statuit aquas quasi in utre* — id est, in unum locum utrimque coactas et quasi tumido utri inclusas tenuit.

℣. 14. *In nube diei* — Id est, in columna nubis per diem, et ignis per noctem, Exodi 13.

℣. 17. *In inaquoso* — Hieronymus, *in invio*, Chaldæus, *in arido deserto*, ubi omni humana ope destituti debuissent omnes ad Deum recurrere, et toti ab illo pendere, ibi tamen *irritarunt* Deum.

℣. 21. *Ideo distulit Dominus* — scilicet, opitulari, vel explere promissum suum de introducendis illis in terram sanctam.

℣. 23. *Januas* [9] *cæli*, id est, nubes aeris rupit ut ex ejus quasi e cella sua penuaria plueret illis *panem cæli* — in cælo, id est aere, confectum. De *manna*, quid fuerit; cur *panis angelorum* dicatur; quid allegorice significet, dixi Exodi 16.

℣. 26. *Transtulit austrum de cælo* — id est, abstulit ex aere, seu fecit ne staret amplius *auster*, sed loco ejus *africus* oppositus *austro*, ut ita commodius ex partibus trans *mare rubrum* circa occidentem sitis deferrentur *coturnices* in castra Hebræorum, Num. 11.

℣. 31. *Pingues et electos*, id est, primarios, ditiores, nobiliores; *impedivit* — quo minus ingrederentur terram promissam: quia, ut Chaldæus vertit: *prostravit*; Hieronymus, *incurvavit*, id occidit eos in deserto, Num. 11.

(1) Exod. 14, vers. 22.
(2) Exod. 17, vers. 6; Psalm. 104, vers. 41.
(3) Num. 11, vers. 1.
(4) Exod. 16, vers. 4; Num. 11, vers. 7.
(5) Joan 6, vers. 31; 1 ad Cor. 10, vers. 3.
(6) Num. 11, vers. 31. (7) Num. 11, vers. 33.
(8) Vide Adrichom. de Terra sancta.
(9) Gen. 7, vers. 11.

Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.

32. In omnibus his peccaverunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus ejus.

33. Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.

34. Cum occideret eos, quærebant eum: et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.

35. Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum: et Deus excelsus redemptor eorum est.

36. Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei:

37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam: et non accendit omnem iram suam:

39. Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens, et non rediens.

40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?

41. Et conversi sunt, et tentaverunt Deum: et sanctum Israel exacerbaverunt.

42. Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis,

43. Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.

44. [1] Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.

45. [2] Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos; et ranam, et disperdidit eos.

46. [3] Et dedit ærugini fructus eorum; et labores eorum locustæ.

47. [4] Et occidit in grandine vineas eorum: et moros eorum in pruina.

48. Et tradidit grandini jumenta eorum: et possessionem eorum igni.

49. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, et iram, et tribulationem: immissiones per angelos malos.

℣. 33. *In vanitate* — Id est, vane et otiose, nullo edito præclaro facinore mortui sunt omnes qui murmurarant in deserto.

℣. 38. *Abundavit ut averteret* — Id est, *abunde;* Hieronymus, multum *avertit,* et quantum optare poterant. Verbum pro adverbio.

℣. 39. *Spiritus vadens, et non rediens* — Id est, sicut ventus qui vadit huc illuc ilans, postea evanescit, nec ad fontem suum revertitur: sic homo et vita hominis, quasi ventus et vapor in morte quasi evanescit, nec per se redire potest ad vitam, sed solo gratuito dono Dei in resurrectione.

℣. 44. *Imbres* — Hieronymus, *rivos,* scaturigines lacus, qui Ægyptiis sunt loco imbrium et pluviarum. Describit hic plagas Ægypti ex Exodi 7 et sequentibus.

℣. 45. *Cœnomyiam* — Id est, mixtam, seu omnis generis muscam, ut Hieronymus, Aquila et Chaldæus vertunt: alioqui LXX habent κυνομυίαν, id est, caninam muscam, quia impudens et mordax erat instar canis.

v. 46. *Ærugini* — Vitium est segetum, ut dixi Deut. 28, v. 17, quod alii *rubiginem,* vel robiginem vocant. Unde apud Gentiles *Robigus* Deus et *Robiga* colebatur, eique offerebantur sacrificia dicta *robigalia,* ut rubiginem averteret a segete [5]. Hieronymus hic et Chaldæus vertunt, *bruchum,* quia segetes perdit æque ac *rubigo,* seu erugo.

℣. 49. *Angelos malos* — non in se (ut putat Vatablus et Genebrardus), sed erga Ægyptios. Hebraice enim et chaldaice est *angelos malorum,* seu damnorum auctores: ita vertit etiam Symmachus, S. Augustinus, Euthymius et Theodoretus.

(1) Exod. 7, vers. 20.
(2) Exod. 8, vv. 6, 24.
(3) Exod. 10, vers. 15. (4) Exod. 9, vers. 25.
(5) Varro lib. 1 de Re rustica.

50. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum: et jumenta eorum in morte conclusit.

51. [1] Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

52. Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tamquam gregem in deserto.

53. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: [2] et inimicos eorum operuit mare.

54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ; montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum gentes: et [3] sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

56. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia ejus non custodierunt.

57. Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

58. In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

59. Audivit Deus, et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israel.

60. [4] Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus

61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulcritudinem eorum in manus inimici.

62. Et conclusit in gladio populum suum: [5] et hereditatem suam sprevit.

63. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.

64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduæ eorum non plorabantur.

65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.

66. Et percussit inimicos suos in

℣. 50. *Viam fecit semitæ iræ suæ* — Id est, progressus est Deus in ira sua et ultione.

℣. 51. *Cham* — Id est, Ægyptiorum, qui a *Cham* filio *Noe* per *Mesraim* (quo nomine tunc Ægyptus vocabatur) descenduut.

℣. 53. *In spe* — Hieronymus, *cum fiducia* seu confidenter: Chaldæus, *secure.*

℣. 54. *In montem sanctificationis suæ* — Id est, in terram sanctam. V. Exodi 15, vers. 17.

Quem acquisivit dextera — Dei nempe, per Josue ejectis inde Chananæis.

Et divisit Hebræis *funiculo distributionis* — id est, fune quali tunc temporis dividi solebant agri et distribui. Vide Josue 15.

℣. 57. *Conversi sunt in arcum pravum* — Id est, aliter et alio jacientem sagittas quam velles, q. d. Instar arcus obliqui et fallacis; Hieronymus, *incurvati,* qui sagittam non in scopum, sed potius in sagittantem retorquet: ita Judæi non in cultum pietatis, ad quem a Deo dirigebantur, sed contra Deum et Dei legem retorti et perversi sunt; ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius.

℣. 61. *Virtutem et pulcritudinem eorum* — Id est, quidquid in eis robustum et pulcrum erat, ac præ omnibus *arcam* quæ erat omne robur et gloria Israelis, inquit S. Augustinus. Vide 1 Regum 4.

℣. 63. *Ignis* — Id est, ira Dei, vel impetus et vis belli.

℣. 64. *Sacerdotes eorum* — Ophni et Phinees, filii Heli.

℣. 65. *Excitatus est* contra Philisthæos, quasi *potens crapulatus a vino* — Id est, tanta ira ac furore vindictæ insurrexit in eos, quanta solet robustissimus miles, dum vino æstuans afficitur ab aliquo gravi injuria. S. Augustinus et Theodoretus.

℣. 66. *Percussit posteriora* — nempe

(1) Exod. 12, vers. 20.
(2) Exod. 14, vers. 29.
(3) Jos. 13, vers. 7.
(4) 1 Reg. 4, vers. 4; Jerem. 7, vers. 12.
(5) * Vers. 62. *Et hereditatem suam sprevit.* Hebr. *In hereditatem suam iratus est.*

posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis.

67. Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit:

68. Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.

69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in secula.

70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum,

71. Pascere Jacob servum suum, et Israel hereditatem suam.

72. Et pavit eos in innocentia cordis sui : et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

hæmorrhoidibus, inquit Chaldæus. Vide 1 Reg. 5.

℣. 67. *Repulit* — Chaldæus, *reprobavit tabernaculum quod tetenderat in termino Joseph, et in tribu Ephraim*, id est, noluit ut reducta a Philisthæis arca iterum quiesceret in *Silo* urbe sita in tribu Ephraim filii Joseph: sed ad hoc elegit tribum Juda, et montem Sion. Ibi Deus

℣. 69. *ædificavit sanctificium*; Hieronymus et Chaldæus, *sanctuarium*, id est, templum, *suum*, sicut facere solent *unicornes*, qui præ ceteris animalibus magnificas sibi mansiones alto et prærupto loco easque stabiles struunt. Sic Deus templum sibi struxit in arce Sion excelsum, magnificum, non mobile, ut in Silo, sed stabile in æternum. Allegorice, est Ecclesia Christi.

℣. 70. *Elegit David*, scilicet in regem, q. d. Simili modo rejecta tribu Benjamin, a qua Saul, Davidem ejusque familiam elegit Deus ut æternum regnaret in Israel. *De post fœtantes* — Id est, a sequela fœtarum et prægnantium ovium, quas sequebatur. Ubi S. Basilius et Theodoretus notant humilitatem Davidis, qui non se vocet pastorem, hic enim oves præcedit; sed pastoris ministrum, qui prægnantes oves sequebatur. Philo vero notat, artem pastoralem, præludium esse ad regnum.

℣. 72. *In innocentia*, id est, justitia et integritate: *et in intellectibus manuum* — id est, peritis manibus, et prudenti usu pedi. Unde Hieron. et Chaldæus vertunt, *prudentia manuum*.

PSALMUS LXXVIII.

Deplorat urbis, templi et populi vastationem sub Nabuchodonosore, inquit S. Hieronymus; et etiam sub Antiocho Epiphane, ut vult Theodoretus et Euthymius. Allegorice, Ecclesiæ sub Antichristo, S. Augustinus.

1. Psalmus Asaph.

Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

2. Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum, bestiis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem: et non erat qui sepeliret.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

℣. 1. *In pomorum custodiam* — Id est, tugurium, in quo latere solent custodes hortorum dum poma et fructus colliguntur: quibus collectis, deserunt illud ac diruunt. Sic contigit magnæ et inclytæ Jerosolymæ, quæ, cæsis vel abductis civibus, diruta est ac deserta, inquit Theodoretus 4 Regum ult. Unde Hieron. vertit, *in acervos lapidum*; Chaldæus, *in desolationem*.

℣. 2. *Morticina*, id est, cadavera, *sanctorum tuorum* — id est, fidelium, qui vocatione et professione sancti sunt.

5. Usquequo, Domine, irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

6. [1] Effunde [2] iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

7. Quia comederunt Jacob: et locum ejus desolaverunt.

8. [3] Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

9. Adjuva nos, Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

10. Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris,

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.

11. Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.

12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

13. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi, in seculum.

In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.

℣. 5. *Zelus* — Id est, indignatio.

℣. 7. *Comederunt*, id est, ore gladii et ignis absumpserunt filios *Jacob, et locum ejus*, scilicet Judæam ac templum, desolatum fecerunt.

℣. 11. *Posside*, id est, reserva tibi quasi partem possessionis hereditariæ tibi propriæ, *filios* eorum qui *mortificati*, id est, occisi sunt: ut scilicet ex hac sobole novus populus tibi succrescat, qui Ecclesiam tuam roborent et augeant: ita Theodoretus.

(1) Jerem. 10, vers. 25.
(2) " Vers. 6. *Effunde iram tuam.* Hic et seq. versus a Jerem. repetiti x, 25. "
(3) Isa. 64, vers. 9.

PSALMUS LXXIX.

Deplorat vastationem vineæ Domini, id est, Synagogæ. Allegorice, Ecclesiæ; tropologice, animæ peccatricis, inquit S. Hieronymus.

1. In finem,
pro iis qui commutabuntur,
testimonium Asaph,
Psalmus.

2. Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super cherubim, manifestare

3. Coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.

℣. 1. *Pro iis qui commutabuntur.* Vide Psalm. 44.

Testimonium, id est, assertio, *Asaph*, de quo Psalm. 72.

℣. 2. *Joseph*, id est, Judæos, Josephi seu filios, seu cognatos. Nam ex quo in Ægypto sub Josepho peregrinati sunt filii Israel, ab ipso tamquam a capite familiæ (cui etiam cessit jus primogenituræ 1 Paral. 5, v. 1) sæpe vocari solebant *filii Joseph*, ut dixi [1] alibi.

Qui sedes super Cherubim — scilicet in sancto sanctorum, ut dixi Psalm. 67, vers. 18.

℣. 3. *Monifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse* — Tres istæ tri-

(1) In Prolegom. de Idiotismis Hebr., n. 21, et 2 Reg. 19, vers. 20.

4. Deus, converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

5. Domine Deus [1] virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?

6. Cibabis nos pane lacrymarum: et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?

7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos.

8. Deus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam: et salvi erimus.

9. Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam.

10. Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, et implevit terram.

11. Operuit montes umbra ejus: et arbusta ejus cedros Dei.

12. Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus.

13. Ut quid destruxisti maceriam ejus: et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

14. Exterminavit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam.

15. Deus virtutum, convertere: respice de cælo, et vide, et visita vineam istam.

16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: et super filium

bus, quæ ex Rachele prognatæ sunt, castrametabantur in deserto ad arcæ plagam occidentalem, id est, ad Sanctum sanctorum, Numer. 2, v. 18; ita ut arca, et consequenter Deus insidens arcæ semper versaretur immediate ante has tribus, quod speciali erga illas favoris judicium erat. Cui insistens hic Propheta rogat: Sicut olim, o Deus, singulari favore in deserto semper præsens fuisti tribus istis tribubus, ita nunc quoque te iisdem (et cum illis toti Israeli) singulari ope et auxilio tuo præsentem ostende; ita Theodoretus. Allegorice, tres Rachelis tribus sunt Ecclesia Gentium.

℣. 4. *Converte nos*, id est, reducito nos e captivitate nostra, inquit Chaldæus. *Et faciem* serenam *ostende* — Est versus intercalaris.

℣. 6. *Pane lacrymarum;* Chaldæus, *intincto lacrymis:* vel, pro pane et vino cibas et potas nos lacrymis: *in mensura* — scilicet maxima, id est, abunde et largiter, Hieronymus et Chaldæus, *tripliciter* seu multipliciter.

℣. 9. *Vineam* tuam, id est, Synagogam Hebræorum, *plantasti* — supple, in terra sancta, ejectis inde Chananæis. Ubi plantata

℣℣. 11, 12. *operuit montes umbra ejus*, id est, usque eo excrevit, ut instar altissimæ vitis, *montes* vicinos, et proceras *cedros* (id est, principes et reges vicinos)

ramis suis obumbrarit, ac *palmites et propagines* (id est, proselytos suos) extenderit *usque ad mare* Mediterraneum, *et flumen* Euphratem, quia isti sunt limites terræ sanctæ: ita Theod. et Euthymius. Allegorice, Ecclesia Catholica extendit se per universum orbem.

℣. 13. *Destruxisti maceriam;* Chaldæus, *sepem, ejus* — id est, tutelam et protectionem tuam subtraxisti ei, ut jam exposita omnium injuriis pateat *vindemiæ* et prædæ omnium gentium vicinarum, inquit Theodoretus.

℣. 14. *Singularis ferus* — Id est, aper, inquit S. Augustinus et Euthymius. Græcum μονὸς, et Latinum *singularis*, insinuat genus esse aprorum truculentius et solivagum, quod præ ferocitate nullum sibi socium patiatur. Tales enim apri (teste Cælio et Jansenio) præcipue vites suffodiunt et extirpant. Chaldæus vertit, *gallus sylvestris;* Hesychius et Suidas, *lupus sylvestris;* Cyrillus apud Genebrardum, *onager*. Porro hic *ferus* est Nabuchodonosor et quivis tyrannus. Allegorice, diabolus, inquit S. Hieronymus et Euthymius.

℣. 16. *Super filium.* Sic solum est in Hebræo. Sed LXX addiderunt, *hominis* — nempe tibi carissimi *Jacobi*, vel *Josephi*, quorum meminit v. 2 q. d. Respice super populum Israel, filium seu propaginem Jacobi vel Josephi, quem mox v. 18

(1) [a] Vers. 5. *Virtutum.* Hier. et Chald. exercituum.

[b] *Irasceris.* Chald. *non recipies. Servi.* Hier. et Chald. *Populi;* quasi dicat: Non exaudies orantem populum tuum. Sa.

hominis, quem confirmasti tibi.

17. Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.

18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

19. Et non discedimus a te, vivificabis nos; et nomen tuum invocabimus.

20. Domine Deus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

vocat *virum dexteræ*, alludens ad nomen *Jacobi*, quod est *Israel*, id est, dominans Deo; et ad *Benjamin*, id est, filius dexteræ, de quo v. 3. Chaldæus vertit, *propter regem Christum*. De quo etiam id intelligunt Arnobius, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

Quem confirmasti tibi — Id est, quem tibi in filium et heredem stabilivisti in æternum.

℣. 17. *Incensa* est hæc vinea: ita LXX et Chaldæus. *Et ab increpatione vultus tui*, seu tua, id est, perseverante te increpare et punire, prorsus *peribunt* quotquot sunt incolæ hujus vineæ, id est, omnes Judæi: ita Vatablus et Genebr.

PSALMUS LXXX.

Invitat omnes ad læte celebrandum festum Neomeniæ et Tubarum, institutum ad Dei beneficia recolenda.

1. In finem, pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

2. Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

3. Sumite psalmum, et [1] date tympanum: psalterium jucundum cum cithara.

4. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ:

5. Quia præceptum in Israel est: et judicium Deo Jacob.

6. [2] Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.

7. Divertit ab oneribus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt.

8. In tribulatione invocasti me, et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: [3] probavi te apud aquam contradictionis.

℣. 1. *Pro torcularibus* — Vide Psal. 8. Unde in posterum non fatigabo lectorem repetitione.

℣. 4. *In Neomenia* — Id est, in festo novilunii.

In insigni die solemnitatis vestræ — Id est, festo tubarum, quod incidebat in primum diem seu novilunium mensis *Tisri*. De quibus festis vide Exodi 23, et Num. 28, et Levit. 23.

℣. 5. *Judicium Deo*, id est, judicatum a Deo et decretum ut festum hoc perpetuo celebraretur, in *testimonium*, seu commemorationem educti *Joseph* (id est populi Israelitici, Psal. 79, v. 2) ex *Ægypto*, ubi cogebatur audire *linguam Ægyptiacam*, *quam non noverat* — eo quod barbara esset ac difficilis, et non permitterentur passim Israelitæ conversari cum Ægyptiis. Quæ nova erat molestia et afflictio.

℣. 7. *In cophino* — Id est, canistris et sportis, quibus cogebantur Israelitæ ferre lateres et paleas, Exodi 1 et 5.

℣. 8. *In abscondito tempestatis* — Id est, quando te abscondebas propter tempestatem, id est, persecutionem excitatam in te ab Ægyptiis: ita Genebrardus.

Probavi te, id est, exploravi tuam in me fidem, *apud aquas contradictionis* — de quibus Exodi 17. Notat S. Augustinus

(1) * Vers. 3. *Date*, i. e. pulsate seu proferte. Sa. — * *Psalterium*. Hinc apparet Psalterium esse musicum instrumentum. Idem.

(2) Gen. 41, vers. 29.
(3) Exod. 17, vers. 5.

9. Audi, populus meus, et contestabor te: Israel, si audieris me,

10. Non [1] erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, et implebo illud.

12. Et non audivit populus meus vocem meam: et Israel non intendit mihi.

13. [2] Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

14. [3] Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset:

15. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manum meam.

16. Inimici Domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in secula.

17. Et cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit eos.

omnes qui se subtrahunt servituti Pharaonis, id est, diaboli, mundi, carnis probari multiplici contradictione, irrisione, persecutione.

℣. 9. *Contestabor te* — Chaldæus, *testificabor in te*, id est, palam tibi edisseram, quid a te velim.

℣. 11. *Dilata os tuum* — Id est, lata et larga prece postula a me quidquid volueris, et dabo tibi: nempe si mihi obediens et fidelis permanseris. Hieronymus et Theodoretus.

℣. 13. *Secundum desideria.* Hieronymus et Aquila, *in pravitate;* Symmachus, *in fastu cordis*, id est, secundum pravas concupiscentias suas. *Ibunt*, id est, ut eant et agant secundum *adinventiones suas*, id est, consilia, nutus et vota sua, non vero secundum leges meas. Maxima hæc rebellium pœna est, cum Deus illos permittit facere quod lubet: perinde enim est, ac si navim sine clavo, equum sine freno sinas ruere in præceps, Rom. 2, vers. 24.

℣. 15. *Pro nihilo* — Id est, nullo negotio; Hieron. *quasi nihilum*; Chaldæus, *brevi.*

℣. 16. *Inimici Domini*, nempe Israelitæ rebelles Deo, *mentiti sunt ei*, id est, violarunt datam ei fidem. *Et erit tempus eorum* — Id est, tempus quo variis calamitatibus punientur, *æternum* durabit, inquit Chaldæus et Theodoretus.

℣. 17. *Et cibavit eos*, q. d. Cum tamen Deus ingratos cibasset *adipe*, id est, medulla *frumenti, et de petra melle* — Id est, aqua dulci instar mellis. Quod contigit primo in deserto, Exodi 17 et Numer. 20. Deinde etiam in ipsa terra sancta, quæ tam fertilis erat, ut passim etiam in petris apes mellificarent, 1 Regum 14: ita Theodoretus, Jansenius et Genebrardus. Allegorice, sancta Eucharistia.

(1) Exod. 20, vers. 3. (2) Act. 14, vers. 15. (3) Baruch 3, vers. 13.

PSALMUS LXXXI.

Injustis judicibus minatur Deus exitium.

1. Psalmus Asaph. Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

2. Usquequo judicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?

℣. 1. *Deorum* — Id est, judicum, ut vertit Chaldæus, quia participant de eminentia potestatis et judicii divini: unde et vulgo suspiciuntur quasi dii quidam terrestres. Sic Exodi 7, *Constitui te Deum Pharaonis*, et Exodi 22. *Diis non detrahes:* ita Theodoretus. Allegorice, S. Augustinus et Euthymius, Christus stetit in medio Scribarum et Pontificum, arguens eos, et *dijudicans*, utpote summus omnium judex.

℣. 2. *Facies sumitis* — Id est, personas accipitis, et in gratiam amicorum vel divitum male et inique judicatis.

3. Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate.

4. [1] Eripite pauperem: et egenum [2] de manu peccatoris liberate.

5. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

6. [3] Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.

8. Surge, Deus, judica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

℣. 3. *Judicate* — Id est, jus dicite. *Justificate* — Id est, innocentem declarate.

℣. 5. *Nescierunt* impii et avari judices, *neque intellexerunt* legem Dei, inquit Chaldæus: sed sponte *ambulant in tenebris* ignorantiæ et injustitiæ.

Movebuntur omnia fundamenta terræ — id est, inde fiet, ut evertantur urbes, regna, adeoque mundus universus. Nam deficiente justitia, confunditur universa ratio humanæ vitæ et convictus, inquit S. Hieronymus et Euthymius.

℣. 7. *Sicut homines* — Hebraice, et apud Hieronymum, *sicut Adam* [4], quod vilem et abjectum hominem significat, sicut *isch* fortem et strenuum; q. d. Mors vobis non magis parcet quam aliis vilissimis homuncionibus.

Et sicut unus de principibus, id est, tyrannis, *cadetis* e vestro statu, et e vita violente exturbabimini, ut fere tyrannis accidit, juxta illud:

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni (5).

S. Hieronymus et Augustinus. Exemplo sunt tot Imperatores Romani, tot Siculi, aliique tyranni.

℣. 8. *Judica* tu *terram* tuo arbitratu. *Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus* — id est, tu gentes omnes hereditario jure possides, et reipsa plene possidebis in die judicii. Theodoretus et Euthymius.

(1) Prov. 24, vers. 11.
(2) " Vers. 4. *De manu peccatoris*, de manu potentis injusti. Menochius. "
(3) Joan. 10, vers. 34.
(4) כאדם.
(5) Juvenal. sat. 10.

PSALMUS LXXXII.

Ismaelitis, Saracenis, ceterisque gentibus Jerosolymam tempore Josaphat 2 Paralip. 20, infestantibus exitium imprecatur. Allegorice, hostibus Ecclesiæ.

1. Canticum Psalmi Asaph.

2. Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus:

3. [1] Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: et qui oderunt te, extulerunt caput.

4. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

5. Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israel ultra.

6. Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversum te testamentum disposuerunt,

7. Tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ:

Moab, et Agareni,

℣. 2. *Ne taceas* — Chaldæus, *ne quiescas; ne cesses*, supple, juvare nos, et adversari hostibus nostris.

℣. 4. De *sanctis* vide Psal. 78, v. 2.

℣. 6. *Testamentum disposuerunt* — Id est, fœdus pepigerunt, ut vertit Hieronymus et Chaldæus.

℣. 7. *Agareni* — populi quidam in Arabia, ab *Agar* matre Ismaelis originem trahentes, Genes. 21, qui postmodum, ut gloriosius sibi nomen facerent, *Saracenos* se a *Sara* uxore primaria Abrahæ nominari voluerunt.

(1) " Vers. 3. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt.* Hebr. *Tumultuati sunt.* Chald. *tremunt.* "

8. Gebal, et Ammon, et Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

9. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adjutorium filii Lot.

10. Fac illi sicut [1] Madian, [2] et Sisaræ, sicut [3] Jabin in torrente Cisson.

11. Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.

12. [4] Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et [5] Zebee, et Salmana:

Omnes principes eorum:

13. Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei.

14. Deus meus pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti.

15. Sicut ignis, qui comburit silvam: et sicut flamma comburens montes:

16. Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos.

17. Imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum, Domine.

18. Erubescant et conturbentur in seculum seculi: et confundantur, et pereant.

19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.

℣. 8. *Gebal* — Populus est Idumææ ex posteris Esau, Genes. 36, v. 23: ita Jansenius. Genebrardus vult esse *Giblios* juxta Tyrum in Syria, de quibus 3 Reg. 5, v. 18.

Alienigenæ — Id est Philisthæi, ut Hieronymus et Chaldæus.

℣. 9. *Assur* — Id est, rex Assyriorum, *Sennacherib*, inquit Chaldæus.

Filii Lot sunt Moabitæ et Ammonitæ, Genes. 19, v. 37.

℣. 10. *Madian* — nempe *Oreb et Zeb*, etc. quos profligavit Gedeon, Judicum 7. *Sisaram et Jabin* cecidit Barac et Debbora, Judic. 4. Quorum cadavera insepulta computruerunt et calcata sunt ut stercora, inquit Theodoretus et Euthymius.

℣. 14. *Pone illos ut rotam* — Id est, fac instabiles sint, inquit S. Hieronymus, et volubiles ruant, ut rota in loco declivi, inquit S. August. LXX vertunt τροχόν, q. d. Torque illos continuis flagellis, ut solent pueri trochum torquere: ita Genebrardus.

℣. 16. *In tempestate tua* — id est, a te excitanda contra eos.

(1) Judic. 7, vers. 22. (2) Judic. 4, vers. 15.
(3) Judic. 4, vers. 24. (4) Judic. 7, vers. 25.
(5) Judic. 8, vers. 21.

PSALMUS LXXXIII.

David e loco exilii sub Absalomo suspirat ad templum Domini. Anagogice, justus ad cœlum.

In finem,

1. pro torcularibus filiis Core, Psalmus.

2. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

3. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

4. Etenim passer invenit sibi domum et altaria tua, quia juxta illa nidulantur. Tropologice, *passer* sunt contemplatores: *turtur*, casti: ita sanctus Hieronymus.

℣. 3. *Cor*, anima; *et caro*, corpus: id est, totus ego exultans gestio ad Deum pervenire, ejusque præsentia frui.

℣. 4. *Passer et turtur* — Hebraice, *hirundo*; Hieronymus, *avis*, in genere, q. d. Ego deteriore conditione sum quam aviculæ. His enim patet aditus ad templum et altaria tua, quia juxta illa nidulantur. Tropologice, *passer* sunt contemplatores: *turtur*, casti: ita sanctus Hieronymus.

Altaria tua — supple, et ego suspiro, ac pro domo et nidulo meo requiro.

mum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: rex meus, et Deus meus.

5. Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in secula seculorum laudabunt te.

6. Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit,

7. [1] In valle lacrymarum, in loco quem posuit.

8. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

9. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

10. Protector noster aspice, Deus: et respice in faciem christi tui:

11. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

12. Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: gratiam, et gloriam dabit Dominus.

13. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

℣. 6. *Ascensiones*, id est, vias vel semitas ad ascendendum. Alludit ad ascensum in templum, quod situm erat in monte, q. d. *Beatus*, qui *in corde suo* semitas variarum virtutum, compunctionis, humilitatis, fiduciæ, charitatis, *disponit*, quibus paullatim ascendat ad cælestem domum Dei, dum adhuc degit in hac *valle lacrymarum*, nempe *loco*, *quem* Deus ad id *posuit*, seu destinavit: ita S. Augustinus. E contra infelix, qui per varia scelera disponit discensiones ad infernum, inquit S. Hieronymus.

℣. 8. *Ibunt de virtute in virtutem*, Hebraice, *mechail el chail* [2], græce ἐκ δυνάμεως εἰς δυναμιν, id est, de fortitudine in fortitudinem, ut vertit S. Hieronymus, id est, fient quotidie spiritu et gratia Dei fortiores ac robustiores, ut commodius ascendant *in* cælestem *Sion*, ubi *Deus videbitur* facie ad faciem.

℣. 10. *Respice in faciem christi tui* — Id est, fave Davidi uncto a te in regem. Allegorice, fave nobis propter Messiam Filium tuum.

℣. 11. *Super millia* — scilicet dierum extra atria templi tui; allegorice, Ecclesiæ; anagogice cæli.

Elegi potius *abjectus esse* — Hebraice, *ad limen*, vel ad fores, *domus Dei*, desidere tamquam portarius, vel mendicus, et, sicut Alexius, in angulo, quam splendide vivere in amplis palatiis impiorum, etiam regum. Et ratio est,

℣. 12. *Quia* in domo Domini, *misericordiam et veritatem diligit Deus* — id est, gaudet exhibitione misericordiæ et veracitatis suæ, liberalissime profundendo omnis generis beneficia, sicut promisit se facturum piis et sanctis. Hieronymus vertit, *sol et scutum Dominus Deus:* Chaldæus, *sicut murus excelsus, et clypeus fortis.*

(1) " Vers. 7. *In valle lacrymarum*, etc. Hebr. *Transeuntes per vallem MORI, fontem facient eam etiam cisternas opplebit pluvia;* id est beati sunt qui tanta multitudine tamquam longis itineribus eunt ad templum Dei, ut transeuntes per vallem aridam ubi non sunt nisi mori fodiunt in ea fontes et cisternas, ut transeuntes bibant. *Ibunt de exercitu in exercitum*, id est turmatim, agminatim, *ut videtur* (ab eis) *Deus Deorum in Sion.* Maldon. "

(2) מחיל אל חיל.

PSALMUS LXXXIV.

Orat ut intuitu Christi plene reconcilietur Deus iis, quos e Babylonica captivitate liberarat: ita Theodoretus. Allegorice, peccatoribus pœnitentibus.

1. In finem filiis Core, Psalmus.
2. [1] Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.
3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.
4. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.
5. Converte nos, Deus salutaris noster; et averte iram tuam a nobis.
6. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?
7. Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.
8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; et salutare tuum da nobis.
9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.
10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.
11. Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatæ sunt.
12. Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit.
13. Etenim Dominus dabit beni-

℣. 3. *Operuisti omnia peccata.* Vide Psal. 31, v. 1.

℣. 5. *Converte nos* a reliquis adhuc malis, q. d. A multis et magnis ærumnis liberasti nos, favore Cyri monarchæ nos educens e Babylone: jam rogamus, ut a ceteris quoque malis quæ nos adhuc premunt (nempe a vexa et infestatione vicinorum hostium, 1 Esdræ 4, etc.) convertas et liberes nos; *Deus salutaris* (Hieronymus, *Jesus*, id est salvator) *noster.*

℣. 8. *Et salutare tuum* — Chaldæus; *salutem*, hebraice, *salvatorem*, puta regem Persarum: vel potius *Christum*, da nobis faventem.

℣. 9. *Convertuntur ad cor* — nempe *ne illud convertatur ad stultitiam*, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, sed *ad Deum*, ut habent LXX et Regia Latina, et S. Augustinus.

℣. 10. *Verumtamen*, id est, sane; Chaldæus, siquidem. *Ut*, pro, usque adeo, ut, *gloria*, id est, gloriosa majestas Dei, nimirum *Christus*, *inhabitet* corporaliter *in terra nostra* — Joan. 1, v. 14. Mariana id etiam intelligit de gloria ex subactis hostibus parta.

℣. 11. *Misericordia* Dei erga homines, et ejusdem veritas seu veracitas, in præstandis promissis suis, *obviaverunt sibi*, id est, simul convenerunt et conspirarunt, nempe ut hominibus benefaciant, et promissum redemptorem ac salutem ipsis mittant. Idem mutuo pacis *osculo* concluserunt *justitia* divina *et pax*, id est benevolentia seu amor divinus. Unde factum, ut mox *veritas*, seu veracitas Dei, *orta* sit; hebraice, græce, chaldaice, progerminarit fructum suum, *de terra*, scilicet promissum Messiam, et cum eo copiam omnium bonorum. *Et justitia* Dei, quæ diu irata latuerat, jam placato vultu *De cælo prospexit* in terram, dans illi *benignitatem*, id est, fecundans illam rore cælestis benedictionis. Inde fiet ut *terra nostra*, quæ prius cælo irato et clauso sterilis fuit, jam datura sit *fructum suum*, tot seculis ex ea desideratum, puta Salvatorem et salutem mundi. Simile Isaiæ 45, *Rorate cæli*, etc.: ita fere S. Augustinus, qui

(1) " Vers. 2. *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Hebr. *Dilexisti, Domine, terram tuam, reduxisti captivitatem Jacob.* Chald. *Benevolentia prosecutus es, convertisti.* „

gnitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

14. Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

per terram allegorice B. Virginem intelligit; tropologice, cor peccatoris : e quo veritas nascitur, cum contritio et confessio peccatorum inde promanat : tum justificatio de cælo delabitur, etc.

℣. 14. *Justitia ante eum ambulabit,* id est, Christus justitiam (id est promissam mundo salutem, et consequenter debitam illi ex justitia) semper ante oculos habebit, nempe ut eam mundo procuret, *et* ideo *gressus suos ponet in via,* id est, accinget se itineri, et hoc unum aget, ut quamprimum expleat promissum suum. De Tropologia vide S. Augustinum et Hieronymum.

PSALMUS LXXXV.

David, allegorice Christus, orat liberari ab hostibus, et prædicit conversionem gentium ad fidem.

Oratio ipsi David.

1. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops et pauper sum ego.

2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die :

4. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

5. [1] Quoniam tu, Domine, suavis et mitis : et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

6. Auribus percipe, Domine, orationem meam : et intende voci deprecationis meæ.

7. In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti me.

8. Non est similis tui in [2] diis, Domine : et non est secundum opera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.

10. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

11. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

12. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum :

13. Quia misericordia tua magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

℣. 2. *Sanctus sum* — Id est, studiosus sanctitatis, et membrum sanctæ Ecclesiæ tuæ, tuoque servitio et cultui dicatus per circumcisionem et cæremonias sanctas. Allegorice, per baptismum et alia Sacramenta.

℣. 11. *In veritate tua,* id est, in lege tua, quæ veritatem practicam, id est, justitiam et sanctitatem, docet. Vide Idiotismos Hebr. num. 14.

Ut timeat, pro, *in eo quod timeat,* q. d. Hæc unica sit lætitia cordi meo, quod timeat *nomen* tuum — id est quod revereatur, amet et colat te : ita fere Euthymius.

℣. 13. *Ex inferno inferiori* — Hebraice, *tachtiiab* [3], id est, infimo, id est, qui est in imo terræ, et juxta centrum mundi, scilicet limbo patrum, qui est pars inferni : et eo descendit tam Chri-

(1) Joel. 2, vers. 13.
(2) " Vers. 8. *Diis,* scilicet gentium. Chald. *Angelis cœlestibus.* "

" *Non est* scilicet opus, vel operans. Sa. "
(3) תחתיה.

14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

15. Et tu, Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax,

16. Respice in me, et miserere mei; da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Dñe, adjuvisti me, et consolatus es me.

stus, quam David. Moraliter designat extremas miserias et calamitates.

℣. 16. *Da puero*, seu servo tuo, *imperium* Israelis, quod mihi hostes violente præripere tentant. Hieronymus et Chaldæus, *da fortitudinem*, nempe qua imperium mihi stabiliam.

℣. 17. *Fac mecum* sit *signum in bonum* — id est, signum bonitatis et favoris tui erga me, q. d. Declara aliquo externo signo (v. g. insigni victoria, vel clade hostili) quod mihi sis favorabilis. Sanctus Hieronymus id Tropologice exponit de signo crucis, quod horret Satanas.

PSALMUS LXXXVI.

Sub allegoria terrenæ Jerosolymæ florentis, populosæ, munitæ depingit Ecclesiam Christi tum militantem, tum triumphantem.

1. Filiis Core, Psalmus Cantici. Fundamenta ejus in montibus sanctis:

2. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

4. Memor ero Rahab et Babylonis [1] scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

5. Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus?

℣. 1. *Fundamenta ejus*, ἄυτου, id est, templi Sion: vel populi Jerosolymitani, q. d. Fundatum est templum, et Ecclesia Dei, *in montibus sanctis* — scilicet Moria et Sion. Allegorice, super Apostolos: ita Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Et patet ex Apocal. 21, v. 19.

℣. 2. *Portas*, id est urbem, *Sion super omnia tabernacula Jacob* — id est, plusquam reliquas omnes civitates Israel. Allegorice, Ecclesiam Christi plus quam Synagogam.

℣. 3. *Dicta sunt* per Prophetas, de Ecclesia, maxime cælesti.

℣. 4. *Memor ero Rahab*, id est, Ægypti, ut vertit Chaldæus, quæ a suo rege *Rahab* [2], id est, superbo, sic vocari videtur. Hieronymus vertit, *superbiæ*, q. d. In hac Ecclesia etiam superbi Ægyptii et Babylonii *scient*, agnoscent et colent *me:* unde et ego vicissim eos agnoscam, et *memor ero* illorum. Porro meretrix *Rahab* [3] non potest dici hic nominari, ut vult Theodoretus, quia hæc scribitur per *ch*.

Alienigenæ, id est, Philisthæi, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, *fuerunt illic* cives et incolæ. Hebraice, *nati sunt ibi*, in Sione et Ecclesia, per baptismum.

℣. 5. *Sion dicet* (Hieronymus et Chaldæus, *Sioni dicetur*, congratulando illi): *Homo et homo* — id est, plurimi homines nati sunt in ea. Hebraice, *viri*, *isch* [4], nempe strenui, excellentes robore, opibus, sapientia, prodierunt ex Sion. Quos

(1) " Vers. 4. *Scientium*. In aliis libris est dativus *scientibus* conformiter græco. Brugen. „

(2) רהב.

(3) רהב.

(4) אי רש.

6. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum : horum qui fuerunt in ea.

7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

℣. 6. *Dominus narrabit*, seu recensebit, *in scripturis* — id est, ex catalogo suo seu libro divinæ scientiæ suæ, in quo singulos descriptos habet, q. d. Tantus est numerus, ut uni soli Deo constet, qui proinde etiam solus enarrare potest, quantus populus, et quot quantique principes Jerosolyma prodierint, et olim prodibunt. Allegorice, ex Ecclesia Christi.

℣. 7. *Sicut lætantium*, etc. Id est, quotquot in te habitant, verissime lætantur, tripudiant, triumphant. *Sicut* enim non est hic nota similitudinis, sed asseverationis. Hoc plenissime complebitur in cœlis, inquit S. Augustinus.

PSALMUS LXXXVII.

Querimonia est hominis extreme afflicti, v. g. Christi patientis, inquit S. Hieronymus et Augustinus.

Canticum Psalmi,

1. Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

2. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.

3. Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam :

4. Quia repleta est malis anima mea : et vita mea [1] inferno appropinquavit.

5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio,

6. Inter mortuos liber,

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.

℣. 1. *Pro Maheleth* [2] — Id est, *pro choro*, inquit Symmachus, Hieronymus et Augustinus; vel *pro chorea*, ut Aquila vertit, sed lugubri. Nam erat instrumentum musicum luctui serviens, ut olim in funeribus erat tibia et nunc lira Ibernica. *Macheleth* enim idem est quod infirmitas, luctus, dolor.

Ad respondendum — Hieronymus, *ad præcinendum*, seu ad succinendum præcinenti, ut ait Augustinus.

Intellectus — Vide Psal. 31.

Eman Ezrahitæ — Id est, filii *Ezrah* 3 Reg. 4, 31.

℣. 5. *In lacum* — Id est, in foveam seu sepulcrum; Chaldæus, *in domum vinctorum*, scilicet infernalem, id est, in limbum. S. Hieronymus.

Sicut homo sine adjutorio — Chaldæus, *sine viribus*, id est, reputatus sum ab impiis quasi homo prorsus invalidus et ab omnibus derelictus. Nam

℣. 6. *Inter mortuos* et sepultos jam computatus atque ita *liber* ab omnibus officiis et curis hujus vitæ : ita Theodoretus et Emmanuel Sa. Hebraice enim est, *inter mortuos absconditus*. Et sic cohæret cum sequentibus. S. Hieronymus, Augustinus, Arnobius, Euthymius, fuit, inquiunt, Christus in morte et in inferno liber a vinculis mortis et inferni : quin potius ipse illa disrupit, et alios vinctos liberavit.

Sicut vulnerati, scilicet ad mortem, Chaldæus et Hieronymus, *sicut interfecti* gladio, *quorum non es memor amplius*, scilicet ut eos vitæ restituas : nam *ipsi de manu tua repulsi sunt* — id est, omni tuo auxilio et cura, quam vivis impendere soles, destituti sunt.

(1) « Vers. 4. *Inferno*, idest sepulcro; quasi dicat morti. Sa. »

(2) מחלת.

7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis et in umbra mortis.

8. Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me.

9. Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar:

10. Oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas.

11. Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?

14. Et ego ad te, Domine, clamavi; et mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?

16. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

17. In me transierunt iræ tuæ: et terrores tui conturbaverunt me.

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

19. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.

℣. 7. *Posuerunt;* hebraice, posuisti; *me in lacu inferiori* — hebraice, in profunditatibus, id est, in profundissima miseria, cui quasi altissimo lacui immersus jaceo. De umbra mortis vide Job 3, v. 5.

℣. 9. *Traditus sum* in hanc miseriarum abyssum, *et non egrediebar,* id est, inde egredi, emergere, meque extricare non possum. Patet ex S. Hieronymo et Chaldæo. Hinc *oculi mei languerunt præ inopia,* seu carentia auxilii et solatii; Hieronymus et Chaldæus, *ob calamitatem.*

℣. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia?* Chaldæus, *miracula*: nempe suscitando eos, *aut medici* arte sua medica poterunt illos in vitam reducere? Hebraice, *rephaim* [1], id est, *mortui,* an resurgent? Quod quia etiam gigantes significat, hinc S. Hieronymus vertit, *an gigantes resurgent? et* iterum *confitebuntur tibi?* — Id est, apud et inter viventes laudabunt te, ut ante solebant?

℣. 12. An *aliquis in sepulcro* (supple, positus, id est, jam sepultus) *et in perditione* (hebraice, *in interitu,* id est, qui jam interiit; Chaldæus, *in domo perditionis*), *narrabit* apud et inter vivos, *veritatem,* seu fidelitatem, *tuam* — Simile Psalmo 6, v. 6.

℣. 13. *In tenebris,* id est, apud inferos, quæ est *regio tenebrarum,* et *terra oblivionis* — LXX et Hieronymus, *oblivioni tradita,* quia qui mortui sunt, videntur excidisse omnium memoria.

Cognoscentur mirabilia tua — quæ facis in hoc mundo.

℣. 16. *Exaltatus* — Id est, grandior jam factus ante, altior robore et dignitate, q. d. Crescentibus annis et donis tuis, pariter creverunt et calamitates: ita Genebrardus.

℣. 19. *A miseria* — Id est, præ vel propter miseriam, quæ me continuo circumdat.

(1) רְפָאִים.

PSALMUS LXXXVIII.

Canit promissum Davidi in Christo ejus filio regnum æternum. Unde miratur populum ejus tot jam malis ab hoste affligi.

1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.
2. Misericordias Domini in æternum cantabo.
In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.
3. Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.
4. Disposui testamentum electis meis [1], juravi David servo meo:
5. Usque in æternum præparabo semen tuum:
Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.
6. Confitebuntur cæli mirabilia tua, Dñe: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.
7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?
8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.
9. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.
10. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
11. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.
12. [2] Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti:
13. Aquilonem et mare tu creasti.
Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt:
14. Tuum brachium cum potentia.

℣. 1. *Ethan Ezrahitæ*, viri sapientissimi, 3 Regum 4, v. 31.

℣. 3. *Ædificabitur in cælis:* pro instar cælorum, seu instar ædificii cælestis, id est, firmissimi et splendidissimi, sic *misericordia* et beneficentia divina erga familiam Davidis fulgebit toto orbe et durabit in æternum. Et simili modo *præparabitur veritas tua*, seu veracitas in promissis præstandis.

℣. 4. *Disposui testamentum;* Hieronymus et Chaldæus, *fœdus pepigi cum electis meis*, Abraham, Isaac, Jacob, Moyse, *David*, cui et *juravi*, quod *præparabo*, id est, stabiliam, *in æternum semen tuum*, Salomonem ejusque posteros, sed præcipue Christum: *et sedem tuam* — id est, thronum regium, scilicet Ecclesiam Christi. Nam hæc magis de Christo, quam de Salomone intelligenda esse, patet ex vers. 30, 37, 38, et docent S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et alii Patres.

℣. 7. *In filiis Dei* — Chaldæus, *inter choros angelorum.*

℣. 9. *In circuitu tuo* — Chaldæus, *circumdat te*, q. d. Undequaque ostendis veracitatem et fidelitatem in complendis promissis tuis.

℣. 11. *Superbum*, Hebræum *rahab* [3] designare videtur Ægyptum, ut dixi Psal. 86, v. 4, seu regem Ægypti *superbum Pharaonem*, ut ait Chaldæus. Hunc *humiliasti sicut vulneratum* — Id est, tam facile prostravisti, atque sterni solet vulneratus lethaliter.

℣. 13. *Thabor* mons ad occidentalem partem Judææ: *et Hermon*, ad orientalem, inquit Chaldæus, id est, tota Judæa. Allegorice, tota Ecclesia Catholica: immo totus orbis, inquit Vatablus et Genebrardus. Vel *Thabor* in transfiguratione Christi: *Hermon* in multiplicatione quinque panum, idem Genebrardus. Vel denique quia in *Thabor* profligatus est *Sisara*, Judic. 4, v. 6; in *Hermon* per vicinum

(1) 2 Reg. 7, vers. 12. (2) Gen. 1, vers. 1. (3) רהב.

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua:

15. Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam:

16. Beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabant.

17. Et in nomine tuo exultabunt tota die: et in justitia tua exaltabuntur.

18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

19. Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.

20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adjutorium in potente: et exaltavi electum de plebe mea.

21. [1] Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

22. Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum.

23. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

24. Et concidam a facie ipsius inimicos ejus: et odientes eum in fugam convertam.

25. Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

26. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.

27. [2] Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.

28. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.

29. In æternum servabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi.

30. Et ponam in seculum seculi

Jordanem Israel sicco pede deductus, Josue 3. Inter accolas *Thabor* omne genus curationum fecit Christus. In Naim civitate *Hermon*, etiam mortuum suscitavit, inquit Euthymius, Lucæ 7, v. 11. *Exultabunt* (Hieronymus et Chaldæus, *laudabunt*) *tuum brachium cum potentia* — id est, potentem virtutem et robur tuum.

℣. 15. *Præparatio sedis*, id est, stabilitio throni. Hieronymus, *firmamentum basis* throni tui regii constat his columnis. Prima, *justitia*, qua suum cuique tribues, bonis præmia, malis supplicia. Secunda, *judicio*, quo maximo delectu secernes malum a bono. Sed et *præcedent faciem tuam*, id est; semper tibi ob oculos versabuntur. Tertia, *misericordia;* et quarta, *veritas* seu veracitas.

℣. 16. *Qui scit jubilationem*, scilicet laudum tuarum: id est, qui ob multiplicia beneficia a te accepta concinit cum jubilo, tum oris, tum cordis, laudes tuas; Chaldæus, *qui novit complacere creatori suo cum jubilo. In lumine vultus tui*, id est, favore et gratia tua.

Psal. 4, v. 7, *Et in justitia tua* — scilicet remuneratrice bonorum.

℣. 19. *Domini est assumptio nostra* — Hebraice, *clypeus;* Hieronymus et Chaldæus, *protectio*, q. d. In hoc gloriamur, quod te, Domine, regem supremum habeamus, qui nos regit et protegit; ita Theodoretus.

℣. 20. *Tunc*, cum inciperes nos assumere tibi in electum populum: nempe, olim, tempore Patriarcharum, *locutus es in visione*, id est, revelasti Prophetis tuis, et promisisti, quod *poneres adjutorium in potente*, id est, quod provideres ut fortis aliquis populo tuo opitularetur: *et exaltares electum* tuum, scilicet Davidem, sed multo magis filium Davidis Christum.

℣. 28. *Ego illum*, licet natura ultimogenitum, tamen *ponam primogenitum* — id est, faciam primum et principem inter omnes fratres suos, et filios ac servos meos; Chaldæus, *inter omnes reges Juda.*

℣. 30. *Dies cæli* — Id est, dies quibus cæli durabunt, inquit Chaldæus.

(1) 1 Reg. 16, vv. 1, 12; Act. 13, vers. 22.
(2) " Vers. 27. *Ipse invocabit me.* Non mutes futurum *invocabit* in præteritum *invocavit* Roman. Corr.„

semen ejus: et thronum ejus sicut dies cæli.

31. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: et in judiciis meis non ambulaverint:

32. Si justitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint:

33. Visitabo in virga iniquitates eorum: et in verberibus peccata eorum.

34. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea;

35. Neque profanabo testamentum meum: et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

36. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar:

37. Semen ejus in æternum manebit.

38. Et [1] thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum: et testis in cælo fidelis.

39. Tu vero repulisti et despexisti: distulisti Christum tuum.

40. Evertisti testamentum servi tui: profanasti in terra sanctuarium ejus.

41. Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus formidinem.

42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.

43. [2] Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos ejus.

44. Avertisti adjutorium gladii ejus: et non es auxiliatus ei in bello.

℣. 33. *In virga* — Id est, castigatione non tyrannica, non manu carnificis, sed paterna: non ad destructionem, sed ad correctionem.

℣. 34. *Neque nocebo in veritate mea* — Id est, nihil detraham de fideli promisso semel facto; Hieronymus et Chaldæus, *non mentiar* contra veritatem meam.

℣. 36. *In sancto meo* (Chaldæus addit, *nomine*, id est, per memetipsum, meamque sanctitatem,) *juravi*, quod *semen David*, nempe Christus, et Christiani, *æternum* durabit.

℣. 38. *Thronus ejus sicut sol*, æternum stabit et lucidus erit, inquit Chaldæus, *et luna perfecta* — seu plena lumine.

Et testis in cælo, id est, cælestis, stabilis, et *fidelis* harum mearum promissionum de regno Davidis et Christi perpetuando, erit *sol et luna:* quemadmodum Iris jam pridem testis est promissi mei de non inducendis iterum aquis diluvii in universam terram, Genes. 9; ita Jansenius.

Notat Rabbi David Kimki, sicut luna subinde obscura, subinde ex parte lucida, subinde ex toto, semper tamen durat; sic et regnum Christi, nempe Ecclesia, *fluctuat, ast numquam mergitur illa ratis.*

℣. 39. *Tu vero repulisti*, q. d. Videris jam, o Deus, horum promissorum plane oblitus, et omnino *repulisse* a te, seu *deseruisse*, ut habet Chaldæus, immo *despexisse, et distulisse*, seu procul a te elongasse *Christum* unctum tuum; Hieronymus et Chaldæus, *iratus esse Christo tuo:* dum finis eum undique ab hostibus premi, calcari, et ad infamem mortem rapi. Posset etiam exponi, distulisse adventum Messiæ in nimis longum tempus, juxta dicenda infra v. 52, adeo ut videaris jam *evertisse;* Chaldæus, irritum fecisse; *testamentum* seu pactum, quod cum *servo tuo* Davide pepigeras. Nam *profanasti*, id est, quasi rem profanam abjecisti, *in terra*; Chaldæus, *ad terram* usque, *sanctuarium*, id est, templum et religionem: vel, ut vertit Hieronymus et Chaldæus, *diadema* seu *coronam ejus*, id est, regiam ejus dignitatem.

℣. 41. *Sepes*, id est, munitiones. *Firmamentum ejus*, arces et oppida munita, *posuisti formidinem* nobis, non tutamen aut refugium, quia nempe jam occupant illa hostes nostri, unde formido nobis ob imminens exitium.

℣. 44. *Avertisti* (Chaldæus, *vertisti retrorsum*, seu in fugam) *adjutorium gladii ejus* — id est, eos qui in bello Ecclesiam juvare solebant.

(1) 2 Reg. 7, vers. 16.
(2) " Vers. 43. *Exaltasti dexteram deprimentium eum.* Non legas *inimicorum ejus* pro *deprimentium eum.* Rom. Corr. „

45. Destruxisti eum ab emundatione: et sedem ejus in terram collisisti.

46. Minorasti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.

47. Usquequo, Dñe, avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

48. Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

49. Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?

50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine,[1] sicut jurasti David in veritate tua?

51. Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

52. Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

53. Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

℣. 45. *Destruxisti eum ab emundatione* — Hieronymus, *cessare fecisti* omnem *ejus munditiam*, nitorem et splendorem; Chaldæus *abstulisti sacerdotes* et sacrificia et sacramenta *quibus emundabatur*.

℣. 46. *Minorasti dies temporis ejus* — Hieronymus et Chaldæus, *abbreviasti dies adolescentiæ* vel *juventutis* regni *ejus*, q. d. Regnum, quod æternum fore promiseras, extinguis dum primum adolescit. Designantur his et sequentibus variæ persecutiones, et afflictiones Ecclesiæ, sub typo regiæ familiæ Davidis, quæ nunc ab Assyriis, nunc a Babyloniis, nunc a Syris, nunc a Romanis, nunc ab aliis hostibus mire exagitabatur.

℣. 48. *Quæ mea substantia* — id est, subsistentia, et firmitas vitæ meæ, q. d. Memento, Domine, quam tenuis et brevis durationis sim, ut non sit opus tot calamitates ad me conterendum aggerere.

An *vane constituisti omnes filios hominum?* — Hieronymus et Chaldæus, *frustra omnes creasti?* Si enim deseris quos carissimos habes, nempe filios Ecclesiæ tuæ, multo potiori jure etiam reliquos deseres tibi inimicos: atque ita frustra videberis creasse genus humanum, nempe ad nudas et meras miserias, ac tandem ad *inferos* ut sequitur.

℣. 51. *Continui;* Hieronymus, *portavi;* Chaldæus, *sustinui, in sinu* seu corde *meo* — Id est, tacitus devoravi, et jam non commemoro, sed prætereo.

℣. 52. *Commutationem Christi tui* — Id est, te mutasse sententiam de Christo Messia, vel jam non mittendo nobis, vel non nisi tarde admodum mittendo. S. Hieronymus, *vestigia Christi;* Chaldæus, tarditatem vestigiorum Christi, q. d. Exprobrant nobis, Ubi manet promissus toties Christus vester? admodum tardi gradus est, vel certe loripes aut claudus: calces læsos, aut pedes fractos, aut plumbeos calceos habet: ita Vatablus et Genebrardus. Sed his blasphemiis hoc unum opponit Propheta:

℣. 53. *Benedictus Dominus*, cujus providentiæ omnia committo, et quem scio certissimo, non obstantibus his omnibus, conservaturum regnum Christi sui, ut promisit, *in æternum*.

(1) 2 Reg. 7, vers. 11.

PSALMUS LXXXIX.

A quo incipit liber IV Psalmorum, qui fere totus est de Messia. Hoc Psalmo deplorat Moyses vitæ humanæ brevitatem, et multiplices ærumnas ex peccato: oratque corrigi hæc per Christum.

1. Oratio Moysi hominis Dei. Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis: a seculo et usque in seculum tu es, Deus.

℣. 1. *Oratio Moysi hominis Dei* — Chaldæus, quam oravit Moyses quando

3. Ne avertas hominem in humilitatem: et dixisti: Convertimini, filii hominum.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit:

Et custodia in nocte,

5. Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat.

7. [1] Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.

8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur:

10. [2] Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum, labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo: et corripiemur.

11. Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam

12. Dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.

peccavit populus in deserto. Putat S. Hieronymus [3] et Genebrardus, Moysen etiam 10 sequentium Psalmorum, qui in Hebræo titulis carent, auctorem fuisse.

℣. 3. *Ne avertas hominem in humilitatem*, seu vilitatem et abjectionem: id est, ne sinas hominem cadere in extremam miseriam; Hieronymus, *in contritionem*; Chaldæus, *in mortem*.

Et (pro, quia), *dixisti Convertimini* ad me, q. d. Protestatus es, te nolle mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant. Aliter Jansenius et Mariana: *Dixisti*, id est, definivisti: Revertimini, o mortales, in pulverem ex quo creati estis.

℣. 4. *Et custodia in nocte* — Id est, et sicut vigilia una noctis, q. d. Sat per se depressi et humiliati sunt homines: nam ut viverent mille annis, non pluris id foret respectu æternitatis tuæ, quam si unicam vixissent particulam noctis: ita Theodoretus.

℣. 8. *Seculum nostrum*, id est, totum decursum vitæ nostræ, id est, omnes actiones nostras bonas et malas; Hieronymus, *negligentias*; Chaldæus, *iniquitates juventutis nostræ, posuisti in illuminatione vultus tui* — Id est, ante oculos tuos lucidissimos.

℣. 9. *Meditabuntur* — Passive, pro reputabuntur: vel inter meditandum et satagendum abrumpentur, q. d. Sicut aranea, dum totam se eviscerat, nihilque aliud meditatur quam ut telam texat qua muscas capiat, solet ab ancilla scopis subito cum sua tela et musca in humum detrahi et pede conteri, vel in ignem conjici: sic accidit hominibus, inquit sanctus Hieronymus et Theodoretus. Aliam quoque similitudinem suggerit S. Hieronymus, dum vertit, *quasi sermonem*, seu fabulam *loquens*; Chaldæus, *quasi vapor oris in hieme*.

℣. 10. *Supervenit mansuetudo* tua nobis, id est, mansuete et benigne nobiscum agis, dum corripis nos, et tempus miserrimæ vitæ hujus, quæ mors potius est quam vita, brevi termino circumscribis. Hebraice, *quoniam secatur cito* hæc vita, *et evolamus*; Chaldæus addit *in pulverem*. Eodem fere modo vertunt Hieronymus, Symmachus et alii.

℣. 11. *Quis novit potestatem* (Hieronymus et Chaldæus, *fortitudinem*) *iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam?* — Id est, quantum timeri debeat ira tua? q. d. Posses nobis merito longe acrius irasci, nosque punire amplius in immensum. Tantæ malitiæ sunt peccata nostra.

℣. 12. *Dexteram tuam*, vindicem scelerum nostrorum, *sic* (per flagella) *notam fac* hominibus, ut *erudiantur* corde, et *sapientes* evadant: scilicet horrorem inde concipiant peccati, quod causam dat illis flagellis: item ex levioribus hisce pœnis discant æstimare et fugere pœnas æternas.

(1) [a] Vers. 7. *Quia*; quasi dicat, sic. Sa. „ [b] *Defecimus*. Hieron. et Chald. *consumpti sumus*. *In ira*, id est per iram. Sa. „

(2) Eccli. 18, v. 8.

(3) In ep. ad Cypr.

13. Convertere, Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.

14. Repleti sumus mane misericordia tua: et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.

16. Respice in servos tuos, et in opera tua: et dirige filios eorum.

17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.

℣. 13. *Usquequo* affliges nos? inquit Chaldæus.

℣. 14. *Repleti sumus* (Hieronymus, Aquila et Chaldæus, *reple, satura nos*) *misericordia tua mane* — Id est, citissime. Sic

℣. 15. *Lætati sumus*, pro lætemur, vel *lætifica nos, pro diebus* — Id est, pro ratione durationis, multitudinis et magnitudinis dolorum quos toleravimus.

℣. 16. *In opera tua* — Id est, in nos qui sumus opus manuum tuarum, a te creati, conservati, ornati.

℣. 17. *Splendor* — Hieronymus, *decor*; Chaldæus, *dulcedo horti deliciarum*. Quæ omnia sunt favor seu gratia divina, ejusdemque protectio, solatium et auxilium, ut dixi Psal. 4, v. 7.

PSALMUS XC.

Fiducia in Deum, contra hostes et mala omnia tutissimum est asylum. Theodoretus scriptum putat de Ezechia contra Sennacherib, 4 Reg. 19. Servit tentatis et tribulatis, ut fuse et pulcre S. Bernardus [1].

1. Laus Cantici David.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

2. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.

4. Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

5. Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno,

6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, et dæmonio meridiano.

℣. 3. *A verbo aspero* — Hieronymus, *a morte insidiarum*; Chaldæus, *a morte et tumultu*; Hebræi, *a peste exitiali*, pro *dabar* [2], id est, verbum, legentes *deber* [3], id est, pestis. Potest vero intelligi in genere, a quavis re noxia. Sanctus Bernardus: Multi timent tamquam asperum verbum, *Agite pœnitentiam*: sed asperius erit, *Ite, maledicti, in ignem æternum*.

℣. 4. *Scapulis* — Id est, brachiis vel alis; hebraice, *pennis expansis*, sicut gallina protegit et fovet pullos suos: ita S. Augustinus.

℣. 5. Quasi *scuto circumdabit te veritas ejus* — id est, verax et fidelis cura Dei, ut timere non debeas terricula nocturna, nempe

℣. 6. *a sagitta volante* — Id est, a subitis et inopinatis casibus ac periculis, quæ instar sagittarum ex improviso involant et enecant hominem, ut sunt veneficia sagarum, venena hostium, gladii latronum, subitæ pestes, et alii morbi.

A negotio, id est, molestia, *perambulante*, seu occursante, *in tenebris* — id est, occulte, v. g. a lemuribus, manibus, dæmonibus, aliisque spectris et terriculis, quæ domos, et plerumque noctu, infestare solent. In Hebræo rursum pro *da-*

(1) In Psalm 90.

(2) דבר.

(3) דבר.

7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

8. Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

9. Quoniam tu es, Domine, spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

10. Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

11. [1] Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

12. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

13. Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

16. Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

bar [2], id est, negotio, ut legerunt LXX jam legitur *deber* [3], id est, pestis, quæ *in tenebris* occursare dicitur, quia ex causis occultis et incertis; eoque difficilior curatu.

Ab incursu et dæmonio meridiano — Hebraice, a *morbo repentino;* Hieronymus, a *morsu insanientis meridie;* Chaldæus, a *caterva dæmonum qui meridie grassantur:* vel a dæmone ejusque asseclis palam e media luce te oppugnantibus, v. g. ab adulteris senibus qui Susannam; ab uxore Putipharis quæ Josephum palam sollicitabat ad scelus: item a tyrannis, ab hostibus, a bellis, a belluis, etc. q. d. Deo protectore tutus eris, nec timebis ab ullo genere mali, quod seu die, seu nocte; seu palam, seu occulte; seu publice, seu privatim; seu dæmon, seu homo tibi, seu scienti, seu non advertenti machinari possit: ita fere S. Augustinus [4]. Quin potius

℣. 7. *a latere tuo,* scilicet sinistro, *mille* alii *cadent* peste, gladio, vel alio casu, et longe plures *a dextris tuis* — id est, circum et juxta te; te in medio telorum prorsus innoxio et intacto. Ita patuit in cæde Madianitarum tempore Gedeonis, Judic. 7, decies centorum millium Æthiopum sub Aza rege Juda, 2 Paralip. 14, tot millium Moabitarum sub Josaphat, 4 Regum 3, centum octoginta millium Assyriorum sub Ezechia, 4 Regum 19, etc.

℣. 13. *Super aspidem,* qui mordet alioqui calcaneum: super *basiliscum,* qui solo visu necat hominem, tutus incedes: et *leonem,* qui omnibus est horrori; et *draconem,* qui omnibus exitio, quasi vermiculos, *conculcabis* — q. d. Nulli serpentes, nullæ feræ, nullæ belluæ, nulli diaboli, nulli tyranni, nullæ insidiæ tibi nocebunt. Exemplo sit vipera Pauli, Act. ult., ursi et leones Davidis, Samsonis, Danielis, Noe in arca, et alii milleni. S. Bernardus per hæc quatuor animantia intelligit diversos dæmones diversorum ingeniorum, et ad diversa scelera sollicitantium, ut insinuatur Lucæ 10, et de aliquibus egi Tobiæ 3, v. 8, v. gr. *Aspis* est dæmon inspirans tristitiam, melancholiam, desperationem: *basiliscus* dæmon ingerens vanam gloriam, præsumptionem, affectum carnalem: *leo,* superbiam, iram, vindictam: *draco,* avaritiam, gulam, desidiam. Quos contrariis virtutibus supplantare et conculcare debemus.

(1) Matth. 4, vers. 6; Luc. 4, vers. 10.

(2) דבר. (3) דבר.

(4) Sed placet Mabillonii, cujus sententiam pluribus illustrat P. Martin t. 1 *Explic. locor. script. difficilior,* pag. 283 seqq., verba huc spectantia adferre ex Actis SS. Ord. S. Bened. sec. 2, col. 145, edit. Paris: *Dæmonium meridianum,* inquit ille, *seu incursus dæmonii meridiani antiquis dicebatur subita et aperta quævis morbi violenti incursio, qua quis sensuum mentisve facultate derepente privabatur; sic dicta tum quod a dæmone imprimi crederetur, tum quod summo die proveniet.*

PSALMUS XCI.

Laudandus Deus, eo quod omnia ejus opera sint magna et mirabilia: maxime quibus malos punit et perdit, bonos servat et præmiat.

1. Psalmus Cantici,
In die sabbati.
2. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime;
3. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem;
4. In decachordo, psalterio: [1] cum cantico, in cithara.
5. Quia delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo.
6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
7. Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget hæc.
8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem:
Ut intereant in seculum seculi:
9. Tu autem Altissimus in æternum, Domine.
10. Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.
11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: et senectus mea in misericordia uberi.
12. Et despexit oculus meus inimicos meos: et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
13. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

℣. 1. *In die sabbati* decantandus.

℣. 3. *Mane, et per noctem* — Id est, semper, continuo.

℣. 8. *Et apparuerint*; supple, in flore suo, id est, *floruerint*, triumpharint, ut vertit Hieronymus et Chaldæus. *Ut intereant;* Hieronymus, *conterantur*, Chaldæus, *destruantur* in æternum, q. d. Non diu florentes manebunt, sed cito exscindentur.

℣. 11. *Sicut unicornis*, nempe sic altissimum, durissimum et pulcherrimum erit *cornu*, id est, robur, decus et regnum, *meum*.

Et senectus mea exaltabitur *uberi misericordia*, id est, copiosa et larga munificentia Dei; hebraice, *oleo recenti*, pingui, fragranti, q. d. Tempus senectutis meæ non erit exsuccum, aridum aut sterile, destitutum solatiis et gaudiis seu corporalibus, seu spiritualibus, ut sæpe accidit impiis: sed erit succulentum, pingue et floridum.

(1) " Vers. 4. *Cum cantico: super hygghajon*, Hebr. Vide Psalm. 9, vers. 17. Hic autem patet musicum esse instrumentum. Bossuet. "

℣. 12. *Despexit*, id est, ex alto conspexit, *inimicos*, supple, *interire*, ut ait Chaldæus. *Et in insurgentibus*, etc. — id est, audiam quoque punitionem ceterorum omnium hostium meorum, qui maligne adversum me insurrexerunt; ita Symmachus et Theodotion.

℣. 13. *Ut palma* — Quæ primo, semper viret; secundo, firmissima arbor est; tertio, fructum dat suavissimum; quarto, diutissime vivit, unde symbolum est immortalitatis; quinto, quo magis deprimitur, eo altius assurgit; sexto, aspera est radice in terra, sed pulcra et alta coma sub cælo.

Et sicut cedrus — Quæ primo, altissima arbor est; secundo, incomputrescibilis; tertio, rectissima; quarto, semper foliis ornata; quinto, odore est suavissimo; sexto, undique copiose se multiplicat ramis et foliis; septimo, umbra ejus est gratissima. Sic justi conversatio est omnibus optatissima, etc. Opponit vero has insignes justorum proprietates fœno sterili et instabili impiorum, supra vers. 8.

14. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.
15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et bene patientes erunt,
16. Ut annuntient:
Quoniam rectus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo.

℣. 15. *Multiplicabuntur adhuc* (Hieronymus, *fructificabunt* et crescent amplius, tum fortunæ, tum naturæ, tum gratiæ donis; Chaldæus, *adhuc procreabunt filios*) *in senecta uberi* — id est, in senectute sua pingui, vegeta et fecunda, nempe, quando alii deficere et decrescere solent. Sic senectus justorum heroicis virtutum actibus scatet.

Et bene patientes, ἐυπαθῶντες, id est, bene dispositi, valentes, vegeti *erunt* — ἐυπαθεια enim est bona corporis dispositio et affectio. Unde Hieronymus et Chaldæus vertunt, *pingues et virentes*; Symmachus, vigentes, optimi, bene germinantes.

℣. 16. *Ut annuntient* — nempe quod sequitur, puta Dei justitiam et immensam bonitatem.

PSALMUS XCII.

Laudat Deum ob creatum mundum. Allegorice, ob fundatam Ecclesiam.

Laus Cantici ipsi David
in die ante sabbatum,
quando fundata est terra.
1. Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.
Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.
2. Parata sedes tua ex tunc: a seculo tu es.
3. [1] Elevaverunt flumina, Dñe, elevaverunt flumina vocem suam.
Elevaverunt flumina fluctus suos,
4. A vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

[1] *Die ante sabbatum*, id est, feria sexta cantandus: quo die *terra fundata est* — scilicet plene: vel, ut alii ex Græco vertunt, *inhabitata est:* nam die Veneris creati sunt primi terræ incolæ Adam et Eva. Sed hic titulus, ut et plurium sequentium Psalmorum, non est in Hebræo, neque in Hexaplis Origenis, neque in Eusebio, neque in correctioribus Græcis, inquit Euthymius et Theodoretus.

℣. 1. *Dominus regnavit* in mundo, jam inde ab initio, *indutus decorem*, id est, gloriam, majestatem, et *fortitudinem*, qua *præcinxit se* instar potentissimi regis, ut faciat quæcumque vult, creet ex nihilo qualem videmus mundum, adeo firmum et stabilem et splendide ornatum. Allegorice, Christus resurgens induto corpore glorioso, stipatus choro Sanctorum, fundavit Ecclesiam, inquit S. Hieronymus et Theodoretus.

℣. 2. *Sedes tua*, id est, thronus tuus regius, *parata* tibi est *ex tunc* — id est, ab initio mundi: vel ab æternitate, ut S. Augustinus.

℣. 4. *A vocibus*, id est, præ strepitu et sonitu *aquarum multarum* confluentium et mutuo collisarum.

Mirabilis, pro, mirabilior, est Deus *in altis* — Chaldæus, *in cælis superioribus*, nempe, unde has elationes maris et furores fluctuum (allegorice, impetus tyrannorum) coercet, frangit, compescit: ita S. Augustinus.

(1) " Vers. 3. *Elevaverunt flumina, Domine*, etc. Describit strepitum fluminum et maris fremitum: cum Dominus aquas, quæ prius totam terræ faciem operiebant, in suos alveos et receptacula conclusit. — Allegorice significantur motus et bella contra regnum Dei et Ecclesiam. Menoch. "

5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

℣. 5. *Testimonia,* id est, promissa tua, quibus testatus es et promisisti per Prophetas, te regnum tuum in terra nostra, id est, in Ecclesia, perpetuaturum, *sunt nimis credibilia;* Hieronymus, *fidelia;* Chaldæus, *vera,* q. d. Dignissima creditu: quia et hactenus te id præstitisse sensimus: et ea argumenta continuationis deinceps a te procurandæ habemus, ut nulla ex parte dubitare possimus. Unde maxime *decet, domum tuam,* quam inter nos elegisti, id est, templum et Ecclesiam tuam, perpetuo sanctam, et ab omni hostium profanatione liberam conserves: ita S. Hieronymus. Quæ tropologice etiam animæ nostræ conveniunt.

PSALMUS XCIII.

Orat ut Deus refrenet, comprimat et ulciscatur impios qui opprimunt innocentes.

Psalmus ipsi David,
Quarta sabbati.

1. Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

2. Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis.

3. Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur:

4. Effabuntur, et loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

5. Populum tuum, Domine, humiliaverunt: et hereditatem tuam vexaverunt.

6. Viduam et advenam interfecerunt: et pupillos occiderunt.

7. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.

8. Intelligite, insipientes in populo: et, stulti, aliquando sapite.

9. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

10. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?

11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

12. [1] Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: et de lege tua docueris eum:

13. Ut mitiges ei a diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea.

14. Quia non repellet Dominus plebem suam: et hereditatem suam non derelinquet.

15. Quoadusque justitia convertatur in judicium: et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversus

Quarta sabbati — Id est, feria quarta, seu die Mercurii: tunc enim solebat hic Psalmus recitari.

℣. 1. *Deus ultionum Dominus* (Chaldæus, *auctor ultionis;* nempe ad quem spectet ulcisci impios,) *libere egit* — id est, pro placito suo, quando et quomodo voluit semper ultus est impios, quantumvis multos, nobiles, potentes.

℣. 2. *Exaltare,* q. d. Ergo etiam nunc altiorem te ostende *superbis* hisce tyrannis.

℣. 10. *Qui corripit,* seu corripuit semper hucusque et punivit omnes *gentes,* parcetne vobis, *et non arguet* vestram nequitiam?

℣. 13. *Mitiges ei* ærumnas et calamitates quæ pio homini obveniunt *a diebus malis,* ne scilicet supra vires opprimatur: *donec fodiatur peccatori fovea* — i. e., donec ii intereant qui ipsum vexant.

℣. 15. *Quoadusque justitia convertatur in judicium,* id est, donec justitia exequatur justum judicium et exeat

(1) " Vers. 12. *Beatus homo quem tu erudieris, Domine,* etc. Hoc et sequenti versu describit eventum, qui bonos et malos consecutus est: bonis in bonum, malis in malum.

" *Quem tu erudieris,* Hebr. *quem castigabis,* vel castigas, idest affligis, et flagellas etiam impiorum opera; quam exposuit supra vers. 5 seq. Malvenda. „

malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

17. Nisi quia Dominus adjuvit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.

18. Si dicebam: Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?

21. Captabunt in animam justi: et sanguinem innocentem condemnabunt.

22. Et factus est mihi Dominus in refugium: et Deus meus in adjutorium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum: et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.

in vindictam, q. d. Quamdiu in republica florebit executio justitiæ, et vindicta malorum: et quamdiu *juxta illam* justitiam erunt, id est, justitiæ adhærebunt, et justæ pœnæ exequendæ invigilabunt, *omnes qui recto sunt corde.*

℣. 17. *Paulominus habitasset in inferno anima mea* — Id est, parum abfuisset quin hostes spoliassent me vita, et ad inferos misissent. Tropologice, quadrat in peccatores.

℣. 18. *Si dicebam* Deo in oratione: *Motus est pes meus* — Id est, vacillant res meæ, perii, actum est de me, ni succurras; q. d. Statim atque Deo exposui necessitatem et periculum meum, opem tulit mihi, inquit sanctus Hieronymus.

℣. 20. An *adhæret tibi sedes iniquitatis?* — Id est, an tibi est iniquum tribunal? aut aliquid tibi commune est cum iniquo tribunali?

Qui fingis laborem in præcepto — Id est, qui instar figuli plasmasti et condidisti nobis præcepta laboriosa et ardua, q. d. An forsan instar iniquorum judicum, non administrabis nobis justitiam, etiam postquam tam ardua præcepta quæ nobis dedisti servavimus?

℣. 21. *Captabunt in animam* — Hebraice, turmatim conveniunt et coacervantur impii judices, ut innocentem capiant et perdant.

PSALMUS XCIV.

Invitat omnes ad Dei cultum, laudem et obedientiam. Theodoretus appropriat Josiæ regi Juda, cum, sublatis idolis et idololatris, tamquam victor et triumphans de subacta idololatria, traducit omnes ad Deum, 4 Reg. 22 et 23.

Laus Cantici ipsi David.

1. Venite, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro:

2. Præoccupemus faciem ejus in confessione: et in psalmis jubilemus ei.

3. Quoniam Deus magnus Dominus: et rex magnus super omnes deos.

4. Quia in manu ejus sunt [1] omnes fines terræ: et altitudines montium ipsius sunt.

5. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: et siccam manus ejus formaverunt.

6. Venite adoremus, et procidamus: et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

℣. 2. *Præoccupemus faciem ejus* (Hieronymus et Chaldæus, *præveniamus*, scilicet antequam irascatur et nos puniat. Vel maturemus mane ante lucem venire ad Deum) *in confessione*, id est, laude et gratiarum actione, et, ut S. Augustinus tropologice, confessione peccatorum.

(1) " Vers. 4. *Omnes fines terræ.* Hebr. *Investigationes*, id est profunda terræ, quibus opponuntur altitudines montium. Maldonatus. „

7. Quia ipse est Dominus Deus noster: et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.

8. [1] Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;

9. Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.

10. [2] Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper hi errant corde.

11. Et isti non cognoverunt vias meas: [3] ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

℣. 10. *Offensus fui* — Ita Hebræa, Aquila et Symmachus; Hieronymus, *displicuit mihi*; Chaldæus, *aspernatus sum*. Quod ergo in Psalterio Romano legitur, *proximus fui*, hostiliter intelligendum est, ut idem sit quod, infensus vel infestus institi, appropinquavi, incubui Hebræis, tamquam exactor et ultor.

℣. 11. *Ut*, seu sicut, *juravi, Si introibunt*, subaudi, mendax sim, q. d. Non [4] introibunt *in requiem meam* — id est, in terram quietis quam promiseram. Anagogice, in cælum, ad Hebræos 3 et 4.

(1) Hebr. 3, vers. 7, et 4, vers. 7.
(2) Num. 14, vers. 34. (3) Ad Hebr. 4, vers. 3.
(4) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 13.

PSALMUS XCV.

Invitat omnes ad laudandum Deum in Sion. Allegorice, in Ecclesia Christi, ob redemptionem et salutem per Christum partam, et ob judicia Dei æquissima: ita S. Jo. Chrysostomus.

Canticum ipsi David,
1. Quando domus ædificabatur post captivitatem (I. *Par.* xv).

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

3. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

4. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii gentium [1] dæmonia: Dominus autem cælos fecit.

6. Confessio et pulcritudo in conspectu ejus: sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

7. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem:

8. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

℣. 1. *Quando domus ædificabatur post captivitatem.* Quamvis 1 Paralipom. 16 dicatur hic Psalmus cantatus fuisse in translatione arcæ in Sion; tamen videtur iterum decantatus, ut patet ex hoc titulo, cum *domus*, id est, templum Dei, *reædificabatur* a Zorobabele *post* Babylonicam *captivitatem*.

℣. 6. *Confessio et pulcritudo in conspectu ejus* — Chaldæus, *laus et gloria coram eo*, seu semper adsunt Deo. Item *sanctimonia et magnificentia* semper relucent *in sanctificatione ejus;* id est in sanctuario, ut vertunt Hieronymus et Chaldæus. Allegorice, in Ecclesia Christi; tropologice, in anima. Ubi S. Augustinus: *Turpis es peccator; vis esse pulcher? confitere peccata tua.* Anagogice, in cælo.

℣. 7. *Patriæ* — Id est, familiæ: græce enim πατριὰ familiam significat.

℣. 8. *Hostias* — Hebraice, *mincha* [2],

(1) " Vers. 5. *Dæmonia.* Hieron. *Sculptilia;* Chald. *Idola.* "

(2) מנחה.

Tollite hostias, et introite in atria ejus:

9. Adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra:

10. Dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

11. Lætentur cæli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus:

12. Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum

13. A facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.

erat sacrificium incruentum panis, de quo vide Genes. 14, vers. 18. Allegorice, Eucharistia.

℣. 9. *Commoveatur;* Hieronymus, *paveat*; Chaldæus, *contremiscat;* Aquila, *parturiat*, vel, ut hebraice est, *crucietur more parturientis*, nempe ad laudes Deo debitas religiose pariendas sollicita et anxia laboret *omnis terra*, id est, omnes habitatores terræ.

℣. 10. *Dominus regnavit* — scilicet, *a ligno*, et licet hoc non sit in Hebræo: tamen addiderunt LXX Spiritu prophetico plusquam 200 annis ante adventum Christi: et veteres Patres sic legerunt, Justinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Augustinus, Cassiodorus, et Psalterium vetus Romanum et Gothicum. Ex nostris LXX Interpretum exemplaribus id sustulerunt Judæi æmuli crucis Christi (inquit Justinus [1]), vel alii quidam scioli, cum id in Hebræo non reperirent. Sensus ergo est, quod Christus non vi et armis, non etiam sanguinis successione, aut publica universi electione consequetur regnum

(1) Contr. Tryphon.

suum, sed *a ligno*, id est, per et post lignum, seu merito mortis suæ in *ligno* crucis tolerata. Sic enim

Correxit orbem Christus, partim cælesti doctrina sua, partim supplicio crucis, fœdatum et lapsum orbem, ac per peccata valde tortuosum, debito nitori et formæ restituens, inquit S. Hieronym., idque tanta soliditate, ut in æternum non sit inde commovendus. Allegorice, quadrant in Ecclesiam Christi, quæ numquam a vera fide et religione deflectet.

℣. 11. *Cæli, terra, mare, campi* — Est prosopopœja, significans, adventu et regno Christi tantam fore ubique lætitiam spiritualem, ut omnes et singulæ creaturæ gaudio gestire et subsilire videantur. Maxime quando Christus secundo adventu suo, ut dicitur v. seq. ad judicium universale, innovabit totum mundum, *et omnis creatura liberabitur a servitute et corruptione*, ad Rom. 8, v. 21.

Nota. Hæc creaturarum lætitia non est ex appetitu rationali aut sensitivo, quia his carent, sed mere naturali, q. d. Tantum eis boni obveniet, ut, si nossent, gauderent, exultarent et plauderent.

PSALMUS XCVI.

Depingit extremum judicium, et majestatem judicis Christi: ita Genebrardus, et patet ex epistola ad Hebræos, cap. 1, vers. 6.

1. Huic David,
Quando terra ejus restituta est.
Dominus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

℣. 1. *Quando terra ejus restituta est;* hostibus erepta, et legitimo domino reddita, forte post cædem Absalomi. Allegorice, quando Ecclesia pristinæ paci redditur; anagogice, quando mundus innovabitur, et sancti cælo transcribentur.

2. Nubes, et caligo in circuitu ejus: justitia, et judicium correctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, et commota est terra.

5. Montes, sicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omnis terra.

6. Annuntiaverunt cæli justitiam ejus: et viderunt omnes populi gloriam ejus.

7. [1] Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis.

[2] Adorate eum omnes angeli ejus:

8. Audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine:

9. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: [3] nimis exaltatus es super omnes deos.

10. [4] Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

11. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

12. Lætamini justi in Domino: et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

℣. 2. *Nubes et caligo,* etc. — Id est, nube caliginosa et spissa, in modum throni adaptata, circumdatus Christus descendet peracturus judicium.

Justitia et judicium erunt *correctio sedis ejus* — id est, rectitudo seu columnæ throni ejus, ut dixi Psal. 88, v. 15.

℣. 3. *Ignis* (quo conflagrabit universus orbis, 2 Petri 3, vv. 7 et 10) *præcedet* immediate Christum antequam descendat ad judicium: ita Theodoretus et Theologi atque interpretes passim, contra Jansenium, qui id exponit de linguis igneis in Pentecoste, et totum hunc Psalmum accipit de primo Christi adventu.

℣. 6. *Annuntiaverunt cæli* — Pro, annuntiabunt toti orbi, cum pluent ignem, sulphur, grandinem, fulmina, et tot edent signa, justitiam venturi judicis, seu ipsum justum esse vindicem peccatorum. Item quando findi videbuntur maximo hiatu, ut descendenti Christo viam pandant, manifestabunt *omnibus populis gloriam* et majestatem *ejus.*

℣. 8. *Audivit Sion,* id est, Ecclesia, *et filiæ Judæ* — id est, animæ fideles, nempe summo jubilo senserunt adventantem judicem.

℣. 11. *Lux* — scilicet æternæ et cælestis gloriæ, vel in genere, felicitas omne genus obvenit justis. Unde

℣. 12. *lætamini justi et confitemini,* id est, laudibus celebrate, *memoriam sanctificationis* hujus judicis, qui impios severe punit, et pios tanta gloria et beatitudine præmiat.

(1) Exod. 20, vers. 4; Levit. 26, vers. 1; Deut. 5, vers. 8.
(2) Ad Hebr. 1, vers. 6.
(3) " Vers. 9. *Nimis exaltatus es super omnes deos,* id est vel reges, principes et magistratus, qui dii dicuntur, vel super omnes angelos, Eph. 1, v. 20 seq. Malvenda. "
(4) Amos 5, vers. 15; ad Rom. 12, vers. 9.

PSALMUS XCVII.

De regno Christi æterno, et renovatione mundi per Christum.

1. Psalmus ipsi David.

Cantate Dño canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

2. Notum fecit Dominus salutare

℣. 1. *Salvavit,* id est, salutem peperit, *sibi* sua omnipotentia: nempe propria virtute resurgendo a morte, et totum mundum sibi subjugando. Allegorice, suæ fidei subjiciendo.

suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

3. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.

[1] Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

4. Jubilate Deo, omnis terra: cantate, et exultate, et psallite.

5. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi:

6. In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu regis Domini:

7. Moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

8. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt

9. [2] A conspectu Domini: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

℣. 6. *Tubis ductilibus* — id est, e ducto fusoque metallo confectis.

℣. 8. *Flumina plaudent manu*, etc. — Id est, omnes creaturæ edent signa summæ lætitiæ, ut dixi Psal. 95, v. 11.

(1) Isa. 52, vers. 10; Luc. 3, vers. 6.

(2) " Vers. 9. *A conspectu Domini.* Chald. *Coram Domino venit:* præsens pro futuro. Sa. „

PSALMUS XCVIII.

Arca jam in novo tabernaculo pacifice reposita in monte Sion, 2 Reg. 6, v. 17, invitat omnes ad Deum inibi adorandum et sacrificiis honorandum exemplo Moysis, Aaronis et Samuelis. Allegorice, omni cultu honoranda S. Eucharistia. Item B. Virgo Deipara.

1. Psalmus ipsi David.

Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedet super cherubim, moveatur terra.

2. Dominus in Sion magnus: et excelsus super omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, et sanctum est:

4. Et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones: judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

5. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est.

6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus: et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus:

℣. 1. *Irascantur* licet *populi* hostes Israelis, *regnavit*, ab initio, regnabitque æternum *Dominus*, qui in propitiatorio *sedet super cherubim*, quasi in curru suo triumphali, ac manifestat se Israeli, dans responsa et dona ac beneficia omne genus. Hinc *moveatur terra* — Id est, paveant, contremiscant incolæ terræ, ut Psal. 95, v. 9.

℣. 4. *Honor;* hebraice, *fortitudo*, ut et Chaldæus; vel, ut Hieronymus *imperium, regis diligit judicium:* id est, regia potentia et majestas Dei gaudet uti non tyrannide, sed suavi imperio, et justo judicio: ita Theodoretus. Unde *parasti directiones* — id est, recta, æqua, justa præcepta et judicia nobis sanxisti, inquit S. Hieronymus. Porro tres rationes hic assignat cur laudandum sit nomen Domini. Prima, quia terribile et sanctum est, v. 3. Secunda, quia judicium diligit, v. 4. Tertia, quia parat directiones, ibid.

℣. 5. *Adorate scabellum pedum ejus* — id est, arcam, quæ erat parva cistula oblonga, sub propitiatorio posita quasi scabellum. Allegorice, Adorate sanctam Eucharistiam: nam corpus Christi nemo manducat, nisi prius adoraverit, inquit S. Augustinus.

Nota etiam contra hæreticos, eodem sensu et modo quo jubentur hic Hebræi adorare arcam, Christianos jam adorare, id est honorare, reliquias et imagines Dei ac Sanctorum.

℣. 6. *Moyses et Aaron in sacerdoti-*

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos:

7. [1] In columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.

8. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

9. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

bus ejus — id est, erant sacerdotes, et quidem summi, seu pontifices. Nam et Moyses passim sacrificasse legitur in Exodo, maxime quando Aaronem consecravit pontificem; cap. 29. Sed ex eo tempore jus omne ordinarii sacerdotii in fratrem ejusque posteros resignavit.

Et Samuel non postremus fuit *inter eos qui invocant nomen Domini* — frequenti et solemni sacrificatione et oratione, qua impetrabat a Deo salutem populo. Non tamen fuit Samuel sacerdos ordinarius, utpote non ex Aarone, sed ex Isaar patruo Aaronis prognatus, ut patet ex 1 Regum 1, v. 1 collato cum 1 Paralip. 6, vv. 2 et 34. Ergo purus Levita fuit: sed extra ordinem ex speciali dispensatione et indulto Dei facultatem habuit sacrificandi, ut dixi 1 Reg. 2 in fine cap.

Invocabant Dominum — coram hac arca sacrificantes et adorantes. Quam ob rem etiam vos Hebræi imitamini hanc pietatem vestrorum patrum et principum.

℣. 8. *Ulciscens in omnes adinventiones eorum* — passive, id est, *in omnes injurias* (ut Symmachus vertit) adversus Moysen, Aaronem vel Samuelem ab hostibus vel æmulis eorum adinventas. Hebraice, *in omnia opera*, studia, artes, molitiones contra eos adornatas. Respicit enim ad molestias et injurias ipsis illatas a Core, Dathan, Abiron, Saule, etc.: ita Genebrardus et Euthymius.

(1) " Vers. 7. *Columna*, scilicet quæ super tabernaculum. *Custodiebant*. Græce *quia custodiebat. Testimonia*, id est mandata, quibus Deus testatur quid vult. Sa. "

PSALMUS XCIX.

Hortatur omnes ad hilarem Dei confessionem, *id est, laudem, gratiarum actionem et cultum.*

1. Psalmus in confessione.

2. Jubilate Deo, omnis terra: servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos:

Populus ejus, et oves pascuæ ejus:

4. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus:

5. Quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem [1] veritas ejus.

℣. 2. *In exultatione* — Id est, cum lætitia. *Omnis servitus hominum*, inquit S. Augustinus, *amaritudine et murmure plena est, sed servitus Dei libertas est et lætitia: ubi non necessitas, sed charitas servit, quam dat veritas, id est, Christus.*

℣. 4. *Introite portas ejus*, scilicet templi, et per portas in *atria* — Neque enim licebat Hebræis ipsum templum, seu sanctuarium (quod constabat Sancto et Sancto sanctorum) ingredi: huc enim solis sacerdotibus patebat accessus: sed populus orabat in atriis quæ erant ante Sanctum, et ante septa sacerdotum, ut dixi 3 Reg. 6 et alibi.

(1) " Vers. 5. *Veritas*. Hieron. et Chald. *fides*, scilicet in promissis. Sa. "

PSALMUS C.

David in seipso (vel, ut Theodoretus vult, in Josia rege) officium pii et justi principis describit.

1. Psalmus ipsi David.

Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine:
Psallam,
2. Et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.
Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.
3. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi.
Non adhæsit mihi
4. Cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam.
5. Detrahentem secreto proximo suo, hunc [1] persequebar.
Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.
6. Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.
7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.
8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

℣. 1. *Misericordiam et judicium*, scilicet quæ semper adhibes in omni actione tua, *cantabo tibi* — id est, canticis celebrabo.

℣. 2. *Intelligam in via immaculata*, id est, dabo operam ut intelligam qua via pertingere possim ad vitam immaculatam et innocentem. Id vero intelligam, *quando venies ad me* — id est, illuminabis et docebis me. Theodoretus et Jansenius interrogative legunt, *quando venies?* quando cælesti sapientia illuminabis me?

℣. 4. *Declinantem a me*, id est, a mea pia vita et probis moribus, *non cognoscebam* — id est, non tolerabam inter meos officiales.

℣. 6. *Oculi mei;* supple, intenti erant, *ad fideles terræ*, id est, ad eos qui ex omni terra Israel fideliores probabantur Deo et principibus suis, *ut sederent mecum* — id est, meo lateri perpetuo jungerentur, meque adjuvarent in regno administrando.

℣. 7. *Non direxit* — scilicet vitam suam, id est, non prosperavit, nec perseveravit apud me. Hebraice, *non firmabitur apud me.*

℣. 8. *In matutino* — Id est, summo mane, id est, mature et tempestive antequam invalescerent, purgabam aulam, adeoque et regnum meum, ab impiis et sceleratis ministris. Id de Davide testatur liber 2 Regum: de Josia liber 4, c. 22 et 23.

(1) " Vers. 5. *Persequebar.* Hebr. *perdebam*, vel *perdidi.* Maldon. "

PSALMUS CI.

Extremis obrutus miseriis (quas usque ad v. 13 poetica hypotyposi pulcre describit) opem implorat divinam, simulque ut instauratur Jerusalem et templum a Chaldæis exustum. Allegorice, convenit Ecclesiæ Christi: tropologice animæ afflictæ, inquit Theodoretus.

1. Oratio pauperis
Cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.
2. Dñe, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.
3. Non avertas faciem tuam a

me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

6. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

7. Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

10. Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

11. A facie iræ et indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

12. Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut fœnum arui.

13. Tu autem, Domine, in æternum permanes: et memoriale tuum in generatione et generationem.

℣. 4. *Cremium* — Symmachus vertit, *incendium torris:* et Hieronymus [1] dicit, Columellæ *cremium* esse *torrem:* Scholiastes Bibliorum Romanorum, dicit esse id quod ex concremationè torridum remansit, puta titionem extinctum; ut *cremium* idem sit quod *crematum*. Vatablus vertit, *focus;* Hieronymus et Augustinus, *frixa,* Aquila, *ut cinis;* Chaldæus, *chytropodes,* id est, tripodes. Omnes eodem sensu, q. d. Tantus est dolor meus, ut succum corporis omnem et medullam ossium exhauserit, ita ut ossa mea ex eo plane arefacta, tosta, et quasi frixa contabuerint. Id Christus in cruce merito de se dicere potuit: possunt et Martyres, inquit S. Augustinus.

℣. 5. *Ut fœnum* nimio æstu solis arescit, sic ego *percussus* nimia afflictionum uredine contabui. Accessit et inedia, *quia* præ virium impotentia et mœrore, *oblitus sum comedere panem* — Id est, non potui reficì cibis.

℣. 6. *A voce gemitus mei* — seu propter continuos gemitus et suspiria, factus sum exsuccus totus et sine carne: adeo ut ossa adhæreant cuti meæ: ita S. Hieronymus.

℣. 7. *Pellicano solitudinis* — id est, solitario et lucifugo. De pellicano scribit S. Hieronymus [2], Augustinus, Isidorus, Albertus Magnus et alii apud Gesnerum [3]; *avem* esse *Ægyptiacam in Nili solitudinibus commorantem, quæ pullos a serpente occisos, lateribus rostro perforatis, suo sanguine excitat.* Quod in Christum crucifixum pulcherrime quadrat. Sed Gesnerus negat talem avem esse: *Nisi*, inquit, *accipias vulturem Ægyptiam, de qua Orus scribit, quod pullos in fame satiet sanguine suo, quem ex femore prolicit.* Fatetur tamen Gesnerus, *pellicanum,* quem alio nomine *plateam* nominat, avem esse solitariam et lucifugam. Et hoc servit proposito Davidis, q. d. Sicut *pellicanus,* et *nycticoraæ,* id est, *noctua,* ut Chaldæus vertit, vel, ut Hieronymus, *bubo,* qui in angulo domus per diem, quasi lucifugus latet, noctu vigilat, et non tam canit, quam gemit ac luget; ita et ego præ mœrore fugio lucem et homines, noctes insomnes ago, gemo, etc.

℣. 8. *Vigilavi* tota nocte, ut addit Chaldæus.

℣. 10. *Cinerem tamquam panem* — Id est, panem aspersum et commaculatum cinere: ut solent qui proni in terra vel in cinere lugent, et præ lacrymis non discernunt an panis pulvere fœdatus sit, nec ne. Idque

℣. 11. *a facie iræ tuæ;* Chaldæus, propter iram tuam, id est, quia sentiebam te mihi valde iratum. Sentiebam vero, quia *elevans me* in altum (puta ad regni, talentorum, donorum et virtutum fastigium) mox summa vi et impetu deturbasti me, et ad terram *allisisti me* — Dicant hoc Lucifer, Adamus, Salomon, et tot alii e summo præcipitati in imum, inquit S. Hieronymus.

℣. 13. *Memoriale tuum* — Id est, memoria tui, inquit Chaldæus, seu memorabilia facta tua, digna sunt æterna memoria.

(1) In Oseæ 10.

(2) In epist. ad Præsidium.

(3) Lib. de Avibus.

14. Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

15. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terræ ejus miserebuntur.

16. Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam.

17. Quia ædificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

18. Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

19. Scribantur hæc in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum:

20. Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit:

21. [1] Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum:

22. Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

23. In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Dño.

24. Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

26. Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cæli.

27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur:

28. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

29. Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in seculum dirigetur.

℣. 14. *Venit tempus* — scilicet quo constituisti et promisisti misereri *Sionis*, id est, Jerosolymæ: nempe completi sunt 70 anni captivitatis Babylonicæ. Theod.

℣. 15. *Servis tuis*, Cyro et Dario, inquit Jansenius. Vel, si malis, Zorobabeli, Esdræ, Nehemiæ, ceterisque e Babylonia in Judæam remigrantibus, magis *placuerunt* rudera et ruinæ Sionis, ut illa instaurent et inhabitent, et sic libere ac pure colant te; quam magnifica Babylonis palatia.

℣. 17. *Videbitur* (Hieronymus *apparebit* manifeste toti mundo) *in gloria sua* pristina, immo multo majori, urbs Sion: et Christus in Sion, cum splendore miraculorum, et doctrinæ suæ cælestis, Joan. 1, v. 14.

℣. 23. *In conveniendo* — Hieronymus et Chaldæus, *cum congregati fuerint.*

℣. 24. *Respondit ei*, nempe populus revertens ex captivitate dixit Deo, *in via virtutis suæ*, seu potentiæ divinæ, id est, cum esset in illa via in qua Deus ostendit insignem potentiam suam, nempe in reditu ex Babylone, quem Deus procurarat in forti brachio, occidens Balthasarem, et monarchiam Chaldaicam transferens ad Cyrum regem Persarum, etc. Dixit tum populus ille Deo, et pro se quisque rogavit, An pauci supersunt mihi dies vitæ; vivamne cum Jerosolyma, et templum, ut promisisti, restaurabuntur? fac, quæso, ne moriar in medio ætatis meæ.

℣. 25. *In generationem*, etc. id est, æterni, sunt *anni tui* — q. d. Tu Deus, cujus vita est æterna, compatere nobis, et saltem ad justum terminum proroga vitam nostram temporariam.

℣. 27. *Ipsi* cæli *peribunt*, non secundum substantiam; nam sunt incorruptibiles: sed secundum præsentem statum suum, et conditionem servitutis ac perpetuæ circumgyrationis. Secundum hæc enim *veterascent*, seu antiquabuntur, *et mutabuntur* instar vestimenti, quod cum nulli amplius est usui, deponitur et cum alio commutatur. Vide Valesium et Lud. Molinam [2].

℣. 29. *Habitabunt* — scilicet securi in terra Judææ, ad quam illos reducis e Babylone. Allegorice, in Ecclesia.

(1) Vers. 21. " *Ut audiret gemitus*, etc. Hebr. *Ut audiat gemitus vinctî; et solvat filios mortis*, id est liberet eos qui ad mortem destinati sunt. Mald. „

(2) Vales. sacr. Philosophiæ, cap. 89; Molina de opere sex dierum, disp. 3.

PSALMUS CII.

Seipsum, et angelos, et homines omnes excitat ad laudandum Deum ob tot accepta beneficia.

1. Ipsi David.
Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

2. Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de [1] interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

6. Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

8. [2] Miserator, et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors.

9. Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

10. Non secundum péccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:

14. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.
Recordatus est quoniam pulvis sumus:

15. Homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

16. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

℣. 1. *Omnia, quæ intra me sunt* — Hieronymus et Chaldæus, *omnia viscera mea;* q. d. Ex intimo corde lauda Deum.

℣. 2. *Omnes retributiones* — Symmachus, *omnia beneficia* quæ retribuit nobis. Hæc mox enumerat sex diversa. Primum est, remissio peccatorum; secundum, sanitas mentis et corporis; tertium, liberatio e periculis mortis et gehennæ; quartum, quod sua beneficentia quasi corona nos undique cinxerit; quintum, quod bonis tum corporalibus, tum spiritualibus repleat animum; et satiet appetitum alias insatiabilem; sextum, quod novis viribus et vigore corpus animumque instauret, atque instar aquilæ (quæ in senectute exutis pennis, et attrita rostri aduncitate rursum [3] juvenescit) totos innovet, hic per gratiam, in cælo per gloriam, inquit Chaldæus, Hieronymus, Augustinus, Euthymius. Simile habes Isaiæ 40, vers. ultimo.

℣. 11. *Secundum altitudinem cæli a terra* — q. d. Ea proportione excedit divina misericordia merita nostra, qua cælum superat terram, id est, qua circulus immensus superat punctum seu centrum, id est, infinite.

℣. 14. *Figmentum nostrum* — Hebraice, *opus figulinum:* Hieronymus, *plasmationem nostram,* scilicet, qua ex luto vili et fragili fragiles et viles nos plasmavit; Chaldæus, *concupiscentiam pravam,* seu pronitatem in malum.

℣. 16. *Spiritus,* id est ventus urens, *pertransibit* fœnum vel florem, et subito

(1) " Vers. 4. *Interitu.* Hieron. *Corruptione.* Chald. *Gehenna. Coronat,* idest cingit vel ornat velut corona. Sa. „

(2) Exod. 34, vers. 6; Num. 14, vers. 18.

(3) Ulyss. Aldrovandus lib. de Avibus; in aquila.

17. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum,

18. His qui servant testamentum ejus:

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

19. Dominus in cælo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino, omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

21. Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22. Benedicite Domino, omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.

arescit: sic homo quantumvis sanus, nobilis, dives, potens, cum spiritus indignationis Dei in ipsum flat, momento deficit.

℣. 20. *Ad audiendam vocem* — Id est, ad obediendum jusso et nutui Dei, supple, semper promptissimi.

℣. 21. *Virtutes ejus* — Hieronymus et Chaldæus, *exercitus* Dei nempe angelici. Mox causas subdit cur omnia debeant laudem Deo:

℣. 22. Quia primo, omnia sunt *opera Dei;* secundo, omnia *in loco dominationis,* id est, in regno ejus suut, tamquam ministri et famuli regis sui.

PSALMUS CIII.

Deum laudat super mundi constitutione *(ut est in Græco), id est, pro mundi creatione et gubernatione.*

1. Ipsi David.

Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem, et decorem induisti:

2. Amictus lumine sicut vestimento:

Extendens cælum sicut pellem:

3. Qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.

4. [1] Qui facis angelos tuos, spiritus; et ministros tuos, ignem urentem.

℣. 1. *Confessionem et decorem* (Chaldæus et Symmachus, *laudem et pulcritudinem*, scilicet omnium rerum creatarum) *induisti* — id est, tamquam polymitam vestem tibi circumdedisti; q. d. In omnibus creaturis apparet quam sis pulcher, gloriosus et laudabilis.

℣. 2. *Amictus lumine* — non solo increato divinæ tuæ perfectionis, qua *lucem habitas inaccessibilem,* 1 Timoth. 6, sed et creato, solis, stellarum et cælorum. Tropologice, lumine gratiæ, qua amictus cor nostrum inhabitas; anagogice, lumine gloriæ. Vide sanctum Dionysium [2].

Sicut pellem — Id est, tentorium, quod e pellibus consui solet; Chaldæus, *sicut cortinam,* intra quem latitas.

℣. 3. *Tegis aquis superiora ejus* — nempe cæli. De his aquis vide quæ dixi Gen. 1, v. 7, et fusius Psal. 148, v. 4.

Ponis nubem ascensum tuum — Hieronymus, *currum;* Chaldæus, *vehiculum tuum;* q. d. Inequitas nubibus et ventis tamquam celerrimis equis, et currui militari, inde jaciens fulmina, grandines, imbres. Allegorice, Christum ad cælos ascendentem nubes lucida quasi thronus et currus triumphalis excepit. Sanctus Hieronymus et Theodoretus.

℣. 4. *Angelos tuos facis spiritus,* seu ventos, id est, tam mobiles, celeres, agi-

(1) Ad Hebr. 1, vers. 7.

(2) De Div. nom., pag. 1, cap. 4.

5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.

6. Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus: super montes stabunt aquæ.

7. Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.

8. Ascendunt montes: et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.

9. Terminum posuisti, quem non transgredientur: neque convertentur operire terram.

10. Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.

11. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua.

12. Super ea volucres cæli habitabunt: [1] de medio petrarum dabunt voces.

13. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra:

14. Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum:

Ut educas panem de terra:

15. Et vinum lætificet cor hominis:

Ut exhilaret faciem in oleo: et panis cor hominis confirmet.

16. Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit:

les ad Dei jussa exequenda, ac si venti essent, *et* quasi *ignem urentem* — id est, tam subtiles, fervidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes et perrumpentes, ac si essent *flamma ignis*: ita S. Dionysius [2], Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

℣. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam* — id est, firmitatem, inquit S. Augustinus, Aquila et Symmachus, *super sedem suam;* Hieronymus et Chaldæus, *super basim suam,* id est, super centrum suum, inquit Molina [3]; q. d. Res mira et merito celebranda, quod terram quasi pilam in medio universi suspendas, nec aliud ei fundamentum seu basim substernas, quam unum punctum, id est, centrum.

℣. 6. *Abyssus* — Id est, aquarum vorago, instar *vestimenti* circumdabat totam terram, etiam montes, scilicet initio mundi, et rursus in diluvio: et etiamnum magna pars terræ circumdatur et amicitur aquis.

℣. 7. *Ab increpatione,* id est, imperio tuo severo, quod quasi increpans et tonans edidisti, dicens, *Congregentur aquæ,* etc. illæ quasi trepidæ fugerunt, et se in suos alveos receperunt. Mox subsidentibus aquis *ascenderunt,* id est, emanarunt, *montes et campi,* itemque *termini,* id est, littora et ripæ, iis locis quæ tu cuique *fundasti* — id est, præparasti: ita Theodoretus, qui hinc notat, mare, quantumvis furens et littori pene æquale, Dei tamen jussu quasi freno coerceri, ne inundet terram.

℣. 13. *Rigans* pluvia et rore etiam *montes de superioribus suis* — puta nubibus.

Fructu operum tuorum, id est, qui provenit ope et opera tua ex montibus, campis et agris, *satiatur* universa *terra* — Allegorice, Ecclesia pascitur doctrina cælesti Apostolorum et Doctorum.

℣. 14. *Servituti* — Id est, servitio et usui hominum. Possunt etiam animalia vocari *servitus* seu servitia hominum, quia in eum finem a Deo creata sunt. Allegorice, per panem intelligit S. Hieronymus S. Eucharistiam.

℣. 15. *Ut exhilaret* homo *faciem* suam, ungens illam et se totum *oleo* — more veterum. Symmachus vertit, *nitidam faciat;* Chaldæus, *illuminet.* Maxime vero serviebat oleum pro balneis: ad esum vix umquam. Unde illud Democriti axioma: *Mel aut vinum intus: oleum foris* [4]. Commendat vero Propheta divinæ providentiæ liberalitatem, ut quæ homini suppeditet non modo quæ necessitatis sunt, puta panem et herbam; sed et quæ voluptatis, recreationis et nitoris sunt, ut oleum et vinum, inquit Theodoretus.

(1) " Vers. 12. *De medio petrarum dabunt voces.* Notat Epanorthotes: *Hebræus et antiqui, et Græcus, et Hieronymus habent vocem in singulari:* quod et nos ita esse comperimus. Lectionum varietas. „

(2) Cæl. hierar., c. 15.

(3) Supra.

(4) Apud Plutarch. in Catone, et Plinium sub finem lib. 14.

17. Illic passeres nidificabunt.
Herodii domus dux est eorum:
18. Montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis.
19. Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.
20. Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.
21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.
22. Ortus est sol, et congregati sunt: [1] et in cubilibus suis collocabuntur.
23. Exibit homo ad opus suum: et ad operationem suam usque ad vesperum.
24. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.
25. Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.
Animalia pusilla cum magnis:
26. Illic naves pertransibunt.
Draco iste, quem formasti ad illudendum ei:
27. Omnia a te expectant ut des illis escam in tempore.
28. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.
29. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eo-

℣. 17. *Herodii. Chasidah* [2] proprie *ciconiam* [3] significat, quia pia in parentes, quos fovet et alit. Et ita vertunt Chaldæus, Suidas, Emmanuel Sa, et Hebræi passim, tum hic, tum Job 39, v. 13. Dicitur vero *herodius*, inquit Suidas, quasi helodius, id est, palustris, quia ciconiæ frequentes sunt in paludibus, ut ranas et anguillas venentur. Porro *domus*, id est nidus, ciconiæ merito dicitur esse *dux* passerum et reliquarum avium, quia omnes anteit, primo, tempore: nam prima omnium struit nidum; secundo, loco, utpote in vertice domorum et turrium, ut ab omnibus undique conspici possit; tertio, amplitudine; quarto, elegantia; quinto, quia aliæ aves minores in basi et lateribus nidi ciconiæ sibi nidificant

℣. 18. *Montes cervis*, supple, a Deo destinati sunt in *refugium* a venatoribus: sicut *petra*, id est, rupes et arcta rupium foramina *herinaciis*, quos alii *ericios*, alii *echinos* vocant: de quibus dixi Levitici 11, v. 5; q. d. Deus non soli homini, sed et omnibus avibus et feris, maxime timidioribus, providit de victu, nido, antris et asylis, inquit Theodoretus et Euthymius.

℣. 19. *Fecit lunam in tempora* — Id est, ad discrimina temporum, quæ sua gyratione et vario aspectu atque influxu causat in terris; v. g. Menses, annos et festa; secundo, humorem et siccitatem; tertio, tempus serendi, plantandi, metendi.

℣. 20. *In ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, scilicet ut tum secure oberrent et pabulum quærant: quæ rursus *orto sole* congregantur in sua lustra, quia lucem et homines fugiunt. Interim *homo exit* tunc *ad opus suum* — ita Theodoretus. Tropologice, S. Hieronymus et Gregorius [4], cum nobis per peccatum occidit Sol justitiæ, tunc transit in nos leo rugiens, et bestiæ, id est, dæmones: donec per pœnitentiam sol rursus emergat.

℣. 25. *Mare spatiosum manibus* — id est, sinibus, nam sinus passim vocantur brachia vel manus maris.

℣. 26. *Draco iste* (hebraice, *leviathan* [5], id est, balena seu cetus. De hoc dixi Job 40, v. 20) *quem fecisti ad illudendum ei* — scilicet mari: hebraice et chaldaice, *ut ludant in mari*, nempe ut natatu suo, et circumgyratione ac tyrannica venatione, ludum bellicum exerceat in mari: Hieronymus vertit, *ut illuderes ei*. Posset quoque exponi passive, ut illudatur ei, scilicet ceto jam victo et capto ab homuncionibus. Tropologice diabolo, totique inferno et mundo.

℣. 28. *Omnia implebuntur bonitate* — id est, bonis scilicet alimentis.

(1) " Vers. 22. *Et in cubilibus ejus.* Hebr. *Habitaculis suis*, id est lustris orto sole. Mariana. "

(2) חסידה.

(3) In Prolegom. de Idiotism. Hebr., n. 11.

(4) Lib. 27 Moral., cap. 19.

(5) לויתן.

rum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

30. Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terræ.

31. Sit gloria Domini in seculum: lætabitur Dominus in operibus suis:

32. Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant.

33. [1] Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quandiu sum.

34. Jucundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Dño.

35. Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint: benedic, anima mea, Domino.

℣. 30. *Emittes spiritum,* id est, halitum, *tuum* vivificantem, et quotannis *creabuntur* nova individua: et sic in vere *renovas* ac reviviscere facis terram. Allegorice, animam nostram per *Spiritum sanctum,* inquit Chaldæus.

℣. 32. *Tangit montes* fulmine suo, vel terræmotu, et *fumant,* et flammas vomunt, ut olim mons Sinai, Exodi 19, Ætna, Vesuvius, et alii de quibus historici.

(1) Infra 145, 2.

PSALMUS CIV.

Invitat ad laudandum Deum ob beneficia liberationis ex Ægypto, et inductionis in terram sanctam. Porro cecinit hunc Psalmum David, cum primum transtulisset arcam in montem Sion, 1 Paralip. 16.

Allelujà. (I. *Par.* XVI, 8).

1. Confitemini Domino [1], et invocate nomen ejus: annuntiate inter gentes opera ejus.

2. Cantate ei, et psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.

3. Laudamini in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

4. Quærite Dñum, et confirmamini: quærite faciem ejus semper.

5. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit: prodigia ejus, et judicia oris ejus.

6. Semen Abraham, servi ejus: filii Jacob electi ejus.

7. Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

8. Memor fuit in seculum testamenti sui; verbi, quod mandavit in mille generationes:

9. [2] Quod disposuit ad Abraham: et juramenti sui ad Isaac:

10. Et statuit illud Jacob in præceptum: et Israel in testamentum æternum:

11. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.

12. Cum essent numero brevi, paucissimi et incolæ ejus:

13. Et pertransierunt de gente in

Inscribitur, ut et multi sequentes, titulo *Alleluja,* id est, laudate cum jubilo Deum: ita Justinus Martyr. Continent enim res lætas et jubilo dignas: ac fere respiciunt Christum vel Ecclesiam Christi.

℣. 3. *Laudamini* (scilicet a toto orbe; Chaldæus, *laudate*; Hieronymus, *exultate;* Aquila, *gloriamini*) *in nomine sancto ejus* — id est, quod Deus sanctus sit vester Deus.

(1) 1 Par. 16, vers. 8; Isa. 12, vers. 4.

℣. 4. *Confirmamini,* id est, estote fortes et constantes in *quærendo faciem,* id est, præsentiam, *ejus,* inquit S. Augustinus, puta in templo, et aliis locis sanctis. *Semper* — id est omni tempore, omni occasione, sine fine, sine mensura.

℣. 5. *Judicia oris ejus* — Id est, præcepta data per legislatorem Moysen.

℣. 12. *Cum essent numero brevi,* id est, exiguo, puta, nonnisi 70 animæ He-

(2) Gen. 22, vers. 16.

gentem, et de regno ad populum alterum:

14. Non reliquit hominem nocere eis: et corripuit pro eis reges.

15. [1] Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari.

16. Et vocavit famem super terram: et omne firmamentum panis contrivit.

17. [2] Misit ante eos virum: in servum venundatus est Joseph.

18. [3] Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus,

19. Donec veniret verbum ejus. Eloquium Domini inflammavit eum:

20. [4] Misit rex, et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum.

21. Constituit eum dominum domus suæ: et principem omnis possessionis suæ.

22. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum: et senes ejus prudentiam doceret.

23. [5] Et intravit Israel in Ægyptum: et Jacob accola fuit in terra Cham.

24. [6] Et auxit populum suum vehementer: et firmavit eum super inimicos ejus.

25. Convertit cor eorum ut odirent populum ejus: et dolum facerent in servos ejus.

26. [7] Misit Moysen servum suum: Aaron, quem elegit ipsum.

27. [8] Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.

28. [9] Misit tenebras, et obscuravit: et non exacerbavit sermones suos.

29. [10] Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum.

30. [11] Edidit [12] terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

---

brææ, *incolæ* terræ Chanaan, in qua pertransibant peregrinantes de loco in locum. Cumque propter hoc, et propter paucitatem paterent injuriæ omnium, Deus tamen *non permisit nocere eis:* immo propter illos *corripuit reges* Ægypti et Palæstinæ, Pharaonem et Abimelech, Genes. 12 et 20, dicens tum verbis, tum flagris:

℣. 15. *Nolite tangere christos meos* — id est, Prophetas et principes gentis meæ a me constitutos, puta Patriarchas: ita S. Hieronymus, August., Theodoretus.

℣. 16. *Firmamentum*, id est, robur, *panis* — Id est, panem qui roborat et confirmat hominem, sustulit Deus per famem septennem tempore exaltati Josephi in Ægypto, Gen. 41.

℣. 18. *Ferrum* — pro catena ferrea. Unde Chaldæus, *in catenam ferream intravit anima ejus*, id est, ipse Josephus, Gen. 39.

℣. 19. *Donec veniret verbum ejus* — Id est, donec impleretur somnium Josephi quod olim patri et fratribus narraverat, Gen. 37.

Eloquium Domini, id est, observatio legis divinæ, *inflammavit*, seu excoxit *eum* — id est, causa fuit cur flamma tribulationis purgaretur, ut vertit Chaldæus; vel probaretur, ut Hieronymus, nempe a fratribus suis, ab hera et hero in Ægypto; vel efflatis sordibus purus redderetur.

℣. 23. *Terra Cham* — Id est, Ægypto: quia Ægyptii ex Mesraim primogenito Cham prognati sunt, Gen. 10.

℣. 25. *Convertit* — non per se vel directe, ut vult Calvinus; sed tantum per accidens et occasionaliter: nempe *firmando*, id est, roborando et multiplicando Hebræos tam prolibus, quam opibus: ita S. Augustinus.

℣. 28. *Non exacerbavit sermones suos* — Id est; non irritavit, non irrita fecit, non immutavit promissa sua facta Moysi de plagis Pharaoni et Ægypto inferendis: quas vide supra Psal. 77 et Exodi 7 et seqq.

(1) 2 Reg. 1, vers. 14; 1 Paral. 16, vers. 22.
(2) Gen. 37, vers. 36. (3) Gen. 39, vers. 20.
(4) Gen. 41, vers. 14. (5) Gen. 46, vers. 6.
(6) Exod. 1, vers. 7; Act. 7, vers. 17.
(7) Exod. 3, vers. 10, et 4, vers. 29.
(8) Exod. 7, vers. 10. (9) Exod. 10, vers. 21.
(10) Exod. 7, vers. 20. (11) Exod. 8, vers. 6.
(12) " Vers. 30. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.* Unam vocem *edidit*, quæ est produxit, non distrahas in duas *et dedit*, multoque minus legas *terram* quarto casu. Romana Corr. "

31. [1] Dixit, [2] et venit cœnomyia: et ciniphes in omnibus finibus eorum.

32. Posuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.

33. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum: et contrivit lignum finium eorum.

34. [3] Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus:

35. Et comedit omne fœnum in terra eorum: et comedit omnem fructum terræ eorum.

36. [4] Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

37. [5] Et eduxit eos cum argento et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus.

38. Lætata est Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.

39. [6] Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.

40. [7] Petierunt, et venit coturnix: et pane cæli saturavit eos.

41. [8] Dirupit petram, et fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina:

42. [9] Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

43. Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia.

44. Et dedit illis regiones gentium: et labores populorum possederunt:

45. Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.

(1) Exod. 8, vv. 16, 24.
(2) " Vers. 31. *Dixit et venit cœnomyia.* Romani Patres ex D. Hieronymo, correxerunt *cœnomya* quemadmodum et supra Psalm. LXXVII, 45. Brug. "
(3) Exod. 10, vers. 12. (4) Exod. 12, vers. 29.
(5) Exod. 12, vers. 35.
(6) Exod. 13, vers. 21; Psalm. 77, vers. 14; 1 ad Cor. 10, vers. 1.
(7) Exod. 16, vers. 13. (8) Num. 20, vers. 11.
(9) Gen. 17, vers. 7.

PSALMUS CV.

Celebrat Dei misericordiam Judæis toties peccantibus exhibitam, oratque ut Deus eam continuet; et dispersos per orbem Judæos exules in patriam reducat: allegorice, fiat unum ovile ex Gentibus et Judæis, inquit S. Augustinus. Hoc Psalmo usi sunt Judæi, Judith 13 ut et sequenti, parta victoria de Holoferne.

Alleluja. (*Judith* XIII, 21).

1. Confitemini Domino quoniam bonus: [1] quoniam in seculum misericordia ejus.

2. [2] Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

3. Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

4. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo:

5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hereditate tua.

6. [3] Peccavimus cum patribus nostris: injuste egimus, iniquitatem fecimus.

℣. 3. *Judicium et justitiam* — Vide Psal. 88, v. 15.

℣. 4. *In beneplacito populi tui* — Id est, pro tua erga populum tuum consueta benevolentia.

In salutari tuo — Chaldæus, *in redemptione tua.* Allegorice, *Salvatore Christo.*

℣. 5. *Ad videndum in bonitate*, id est, ut videamus bona quæ electis tuis pro-

(1) Judith 13, vers. 21. (2) Eccli. 43, vers. 35.
(3) Judith 7, vers. 19.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum.

8. Et salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.

9. [1] Et [2] increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est: et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

10. Et salvavit eos de manu odientium: et redemit eos de manu inimici.

11. [3] Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.

12. Et crediderunt verbis ejus: et laudaverunt laudem ejus.

13. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus: et non sustinuerunt consilium ejus.

14. [4] Et concupierunt concupiscentiam in deserto: et tentaverunt Deum in inaquoso.

15. [5] Et dedit eis petitionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum.

16. Et irritaverunt Moysen in castris: Aaron sanctum Domini.

17. [6] Aperta est terra, et deglutivit Dathan: et operuit super congregationem Abiron.

18. Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.

19. [7] Et fecerunt vitulum in Horeb: et adoraverunt sculptile.

20. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

21. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto,

22. Mirabilia in terra Cham: terribilia in mari Rubro.

23. [8] Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus:

Ut averteret iram ejus ne disperderet eos:

24. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:

Non crediderunt verbo ejus,

25. Et murmuraverunt in tabernaculis suis; non exaudierunt vocem Domini.

26. [9] Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto:

27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus: et dispergeret eos in regionibus.

28. Et initiati sunt Beelphegor: et comederunt sacrificia mortuorum.

misisti et præparasti: et *lætemur* ea lætitia qua lætari solet gens quæ tibi cara est. *Ut lauderis*, id est, glorificeris in et *cum hereditate*, id est, Ecclesia *tua*.

℣. 12. *Laudaverunt* — Hieronymus et Chaldæus, *cecinerunt*, nempe epinicion Deo, præcinente Moyse et Maria, Exodi cap. 15.

℣. 13. *Cito fecerunt, obliti sunt* — Est hebraismus, pro festinarunt oblivisci.

℣. 19. *Vitulum in Horeb* — nempe juxta montem Sinai, Exodi 32.

℣. 20. *Gloriam suam* — Id est, Deum, qui erat omnis gloria Hebræorum, ad Romanos 1, v. 23.

℣. 23. *In confractione* — Hebraice, in *ruptura muri*, seu in diruto muro. q. d. Cum Deus instar hostis pene perrupisset telis vindictæ suæ murum Hebræorum, ut in eorum castra furibundus irrumperet, Moyses se pro muro opposuit, et prece sua Deum cohibuit, Exodi 32. Ubi nota, inquit S. Augustinus, quantum valeat Sanctorum pro aliis intercessio.

℣. 28. *Initiati;* Hieronymus, *consecrati sunt*, id est, susceperunt sacra *Beelphegor*, id est, Priapi, idoli Moab et Madian. Vide dicta Num. 25.

Sacrificia mortuorum — id est, idolorum, quæ sunt res mortuæ, nec Dei vivi

(1) Exod. 14, vers. 21.
(2) " Vers. 9. *Increpuit mare rubrum*, quasi ei successeret quod suis obicem poneret. Bossuet. *In deserto* loco arido, infra v. 14. Idem. "
(3) Exod. 14, vers. 27.
(4) Exod. 17, vers. 2.
(5) Num. 11, vers. 31.
(6) Num. 16, vers. 32.
(7) Exod. 32, vers 4.
(8) Exod 32, vers. 10.
(9) Num. 14, vers. 32.

29. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis: et multiplicata est in eis ruina.

30. [1] Et stetit Phinees, et placavit: et cessavit quassatio.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.

32. [2] Et irritaverunt eum ad Aquas contradictionis: et vexatus est Moyses propter eos:

33. Quia exacerbaverunt spiritum ejus:

Et distinxit in labiis suis.

34. Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

35. Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum:

36. Et servierunt sculptilibus eorum: et factum est illis in scandalum.

37. Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis.

38. Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus,

39. Et contaminata est in operibus eorum: et fornicati sunt in adinventionibus suis.

40. Et iratus est furore Dominus in populum suum: et abominatus est hereditatem suam.

41. Et tradidit eos in manus gentium: et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

42. Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum.

43. Sæpe liberavit eos:

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

44. Et vidit cum tribularentur: et audivit orationem eorum.

45. [3] Et memor fuit testamenti sui: et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

46. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.

47. Salvos nos fac, Dñe Deus noster: et congrega nos de nationibus:

Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.

48. Benedictus Dominus Deus Israel a seculo et usque in seculum: et dicet omnis populus: Fiat, fiat.

simulacra, sed hominum mortuorum, et cultores etiam suos in mortem et ad inferos deducunt.

℣. 33. *Distinxit* Moyses: græce, διέστειλεν, i. e., divisus fuit, nempe cum dubius animo et verbis, hæsitaret num possibile et probabile esset, ut petra aquam daret tam rebelli populo, ut dixi Num. 20, vers. 12.

℣. 38. *Sculptilibus Chanaan* — Maxime vero idolo Ammonitarum *Moloch*, id est, regi, supple, deorum omnium, id est, Jovi, inquit Ribera: vel Saturno, ut plerique alii. Vide dicta 3 Reg. 11, v. 5, et 4 Reg. 23, v. 10.

℣. 39. *Fornicati sunt* — nempe, relicto Deo, cui tamquam legitimo sponso et marito, fidem debebant, adhæserunt diis alienis.

℣. 45. *Pœnituit eum* — Id est, quasi pœniteret, revocavit Deus sententiam suam de perdendis Hebræis: idque quia videbat pœnitere Hebræos. Loquitur enim more humano, et per metalepsin.

℣. 46. *Dedit eos in misericordias* — Id est, effecit ut hostes misererentur Hebræorum, nempe captivos mollius habendo, vel etiam in patriam remittendo, ut fecerunt Cyrus, Darius, Artaxerxes, Alexander Magnus, et alii.

(1) Num. 25, vers. 7. (2) Num. 20, vers. 10. (3) Deut. 30, vers. 1.

PSALMUS CVI.

A quo incipit liber V Psalmorum. Hortatur vero ad laudes et gratias Deo deferendas, maxime ob quadruplicem liberationem, primam, a diuturna vagatione per desertum; secundam, a fame et captivitate varia; tertiam, a morbis; quartam, a periculis maris. Post singulas autem liberationes, id est, quater, repetit versum intercalarem, Confiteantur Domino misericordiæ ejus, *etc.*

Alleluja. (*Judith* XIII, 21).

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici: et de regionibus congregavit eos,

3. A solis ortu, et occasu: ab aquilone, et mari.

4. Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt,

5. Esurientes, et sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam; ut irent in civitatem habitationis.

8. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

9. Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.

10. Sedentes in tenebris, et umbra mortis: vinctos in mendicitate, et ferro.

11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei: et consilium Altissimi irritaverunt.

12. Et humiliatum est [1] in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis: et vincula eorum disrupit.

15. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas: et vectes ferreos confregit.

17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.

18. Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

20. Misit verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum.

℣. 4. *Viam civitatis habitaculi* — Id est, viam ducentem ad civitatem in qua habitare possent. Idem rursus vers. 7.

℣. 8. *Confiteantur*, passive, id est, prædicentur, laudentur, *Domino* — seu in honorem Domini Dei: ita Jansenius.

℣. 10. *Sedentes*, supple, liberavit ex Ægypto, et aliis locis in quibus captivi tenebantur.

De *umbra mortis*, vide Psal. 22, v. 4.

℣. 11. *Exacerbaverunt eloquia Dei*, id est, acerbe restiterunt et rebelles fuerunt *eloquiis*, id est, jussis *Dei: et consilia*, id est, menita, *ejus irritaverunt* — id est, irrita fecerunt, spreverunt; Chaldæus, *execrati sunt*; Hieronymus, *blasphemaverunt*.

℣. 16. *Contrivit portas æreas et vectes ferreos* — id est, fortissimos carceres et compedes.

℣. 18. *Omnem escam abominata est* præ morbo et debilitate.

℣. 20. *Misit verbum suum* — jussit

(1) " Vers. 12. *In laboribus*, scilicet tempore quo fuerunt vincti. *Infirmati sunt*, Hebr. *Impegerunt*, Hier. *ceciderunt*. Mariana. „

21. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum:

22. Et sacrificent sacrificium laudis: et annuntient opera ejus in exultatione.

23. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

24. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

25. Dixit, et stetit spiritus procellæ: et exaltati sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum devorata est.

28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.

29. Et statuit procellam ejus in auram: et siluerunt fluctus ejus.

30. Et lætati sunt quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

32. Et exaltent eum in ecclesia plebis: et in cathedra seniorum laudent eum.

33. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim:

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

35. Posuit desertum in stagna aquarum: et terram sine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic esurientes: et constituerunt civitatem habitationis.

37. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas: et fecerunt fructum nativitatis.

38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis: et jumenta eorum non minoravit.

39. Et pauci facti sunt: et vexati sunt a tribulatione malorum, et dolore.

40. Effusa est contemptio super principes: et errare fecit eos in invio, et non in via.

ut convalescerent. Allegorice, misit Messiam, inquit Theodoretus.

℣. 23. *Facientes operationem in aquis* — Id est, qui exercent rem nauticam, vel qui negotiantur in mari.

℣. 25. *Dixit*, seu jussit, Deus, et mox *stetit*, id est, exsurrexit, *spiritus procellæ*, id est, ventus procellosus; quo *exaltantur fluctus* maris: unde quotquot tunc mare navigant, *ascendunt* una cum fluctibus et navigiis suis quasi *ad cælos usque*, et mox præcipitantur quasi in baratrum. Hinc omnium vectorum animi metu et vertigine pene *contabescunt*, et

℣. 27. *omnis sapientia*, id est, peritia rei nauticæ absorbetur et deficit. Extremum ergo remedium adhibent, clamantque ad Deum: qui exaudiens,

℣. 29. *statuit procellam in auram*, scilicet serenam et placidam, *et deducit eos in portum* quem volebant. Tropologice, hæ tempestates, hi labores impendent pastoribus Ecclesiæ et præconibus verbi Dei, inquit S. Hieronymus. Allegorice, Theodoretus, misit Deus *Verbum*, id est, Filium suum, ut sanaret omnia.

℣. 32. *In cathedra*, id est, consessu, inquit Chaldæus, *seniorum*, seu senatorum et magistratuum, q. d. Publice et palam.

℣. 33. *Posuit flumina in desertum*, id est, loca humida et fertilia fecit Deus arida et sterilia: *et exitus aquarum in sitim* — id est, fontes exsiccavit.

℣. 34. *in salsuginem* — id est, sterilitatem. Sal enim sua siccitate et ustione sterilitatem inducit, Judicum 9, v. 45. Vide in hanc rem exempla apud Thomam Bosium, signo Ecclesiæ 73. Allegorice Isaias, cap. 41, vers. 18, applicat hæc vocationi Gentilium ad Ecclesiam Christi.

℣. 39. *Et pauci facti sunt* — Id est, rursus ob scelera sua imminuti sunt numero et opibus.

℣. 40. *Effusa est contemptio super principes* — Id est, gloriosos et superbos principes reddit viles et omnibus contemptibiles, eousque ut sedibus suis

41. Et adjuvit pauperem de inopia: et posuit sicut oves familias.

42. [1] Videbunt recti, et lætabuntur: et omnis iniquitas oppilabit os suum.

43. Quis sapiens et custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini?

pulsi cogantur errare per invia et devia. Simile habes Job 12, v. 17. Econtra

(1) Job 22, vers. 19.

℣. 41. *adjuvit pauperem*, id est liberavit humilem, *de inopia, familiamque* ejus multiplicavit instar gregis *ovium*; ita fere S. Augustinus et Theodoretus.

PSALMUS CVII.

Orat, et ex promisso Dei pollicetur sibi victoriam contra Idumæos.

1. Canticum Psalmi ipsi David. (*Sup.* LVI, 8).

2. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: [1] cantabo, et psallam in gloria mea.

3. Exurge gloria mea, exurge psalterium, et cithara: exurgam diluculo.

4. Confitebor tibi in populis, Domine; et psallam tibi in nationibus.

5. Quia magna est super cælos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

6. Exaltare super cælos Deus, et super omnem terram gloria tua:

7. Ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo: Exultabo, et dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar.

9. Meus est Galaad, et meus est Manasses: et Ephraim susceptio capitis mei.

Juda rex meus:

10. Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, et non exibis Deus in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Conflatus est hic Psalmus ex fine duorum Psalmorum 56 et 59 quos supra explicui.

(1) " Vers. 2 et 3. *Cantabo et psallam in gloria mea.*

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara. Correctores addiderunt, *exurge gloria mea*, prout, græce legitur; licet hebraice *gloria mea, et exurge* non nisi semel scribantur quemadmodum et in plerisque latinis libris. Brugen. "

PSALMUS CVIII.

David dira imprecatur Doeg proditori suo, 1 Regum 21. Allegorice, Christus Judæ et Judæis, inquit S. Augustinus et Theodoretus, et patet ex Actorum 1, vers. 20, et Joan. 17, vers. 12. Unde quidam notant 30 hic maledictiones recenseri pro 30 argenteis Judæ.

1. In finem, Psalmus David.

2. Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.

℣. 2. *Laudem meam* — Id est, innocentiam, quam *Doeg* apud Saulem, et Ju-

3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: et expugnaverunt me gratis.

4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

5. Et posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea.

6. Constitue super eum peccatorem: et diabolus stet a dextris ejus.

7. Cum judicatur, exeat condemnatus: et oratio ejus fiat in peccatum.

8. Fiant dies ejus pauci: et episcopatum ejus accipiat alter.

9. Fiant filii ejus orphani: et uxor ejus vidua.

10. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent: et ejiciantur de habitationibus suis.

11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: et diripiant alieni labores ejus.

12. Non sit illi adjutor: nec sit qui misereatur pupillis ejus.

13. Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.

14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: et peccatum matris ejus non deleatur.

15. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum:

16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

17. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.

18. Et dilexit maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

19. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur; et sicut zona, qua semper præcingitur.

20. Hoc opus eorum, qui detra-

das apud principes sacerdotum calumniatur et obscurat, quasi ego machiner insidias et seditionem. Hanc, quæso, innocentiam meam tu Deus revela, manifesta et tuere.

℣. 4. *Ego autem orabam* — supple pro eis.

℣. 6. *Peccatorem,* id est, impium aliquem et tyrannum, *constitue* judicem *super eum,* Doeg et Judam: et in eo judicio *diabolus,* id est calumniator, *adstet* ei *a dextris* — accusans, opprimens et perdens illum.

℣. 7. *Oratio ejus,* qua juste damnatus orabit judices, ut sibi indulgeant et pœnam remittant, *fiat in peccatum* — id est, in majorem offensam, id est, magis offendat et exasperet judicem, seu Deum, seu hominem. Ita accidit Antiocho Epiphani 2 Machab. 9, vers. 13, et Judæ, Matth. 27, v. 4.

℣. 8. *Episcopatum* — Hebraice, *præfecturam* Doeg, quia princeps erat pastorum Saulis, 1 Regum 21 et 22. Allegorice, Apostolatum Judæ accipiat Matthias, Actorum 1, v. 20.

℣. 9. *Uxor et filii,* etc. — Per hæc et sequentia designat se dirissima quæque hosti suo imprecari, sive interea locum in eo habeant sive non, ut facit Ovidius in Ibin, q. d. Pereat stirpitus cum omnibus suis.

℣. 14. *Iniquitas patrum et matris* — Id est, parentum, quorum ipse scelera imitatur, et mensuram complet: ita Genebrardus.

℣. 15. *Fiant contra Dominum semper* — Id est, scelera parentum ejus versentur continuo coram oculis Dei: nempe ut illa puniat in impio filio: ita Hebræa et Chaldæus.

℣. 18. *Dilexit maledictionem* — Nempe qui scelera diligit, etiam adnexam pœnam et supplicium quod sequitur, diligere et quærere censetur.

Induit, pro, induat, id est, pœnarum et suppliciorum multitudo, quasi *vestimentum et zona,* eum omni ex parte stringat, et instar aquæ et olei omnia etiam interiora illius pervadat: ita Chrysostomus et Theodoretus.

℣. 20. *Hoc opus* — Id est, hæc erit merces operis detrahentium mihi et calumniantium me.

hunt mihi apud Dominum: et qui loquuntur mala adversus animam meam.

21. Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua.

Libera me,

22. Quia egenus et pauper ego sum: et cor meum conturbatum est intra me.

23. Sicut umbra cum declinat, ablatus sum: et excussus sum sicut locustæ.

24. Genua mea infirmata sunt a jejunio; et caro mea immutata est propter oleum.

25. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, et moverunt capita sua.

26. Adjuva me, Dñe Deus meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam.

27. Et sciant quia manus tua hæc: et tu, Domine, fecisti eam.

28. Maledicent illi, et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur; servus autem tuus lætabitur.

29. Induantur qui detrahunt mihi, pudore: et operiantur sicut diploide confusione sua.

30. Confitebor Domino nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum.

31. [1] Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

℣. 23. *Ablatus sum* — id est, declinavi, abii, evanui, *consumptus sum*, inquit Chaldæus: *Et excussus* — Chaldæus, *vagatus sum*, quasi dicat: Idem mihi contigit quod locustæ quæ vaga huc illuc saltitat, tandemque avolat; ita Theod.

℣. 24. *Caro mea immutata est*, scilicet in maciem, id est, macresco: *propter oleum*, Hieronymus, *absque oleo;* Chaldæus, *absque pinguedine*, id est, propter defectum olei quo ungar, et carentiam pinguium seu delicatorum ciborum, quibus nutriar.

℣. 27. *Tu fecisti eam* — supple, manum et potentiam, quæ me affligit.

℣. 29. *Sicut diploide* — seu pallio duplicato, quasi dicat: Sic duplici, id est, multiplici, ignominia perfundantur, tam in hac, quam in altera vita, inquit sanctus Gregorius et Bernardus [2].

(1) " Vers. 31. *Quia astitit a dextris pauperis.* Non mutes conjunctionem *quia* cum relativo *qui.* Romana Corr. "

(2) Greg. lib. 9 Moral. cap. 33; Bern. serm. 32 in Cant.

PSALMUS CIX.

Canit non Abrahæ, non Davidis, non Ezechiæ (ut volunt Judæi), sed Christi Messiæ gloriam, regnum et sacerdotium æternum.

Psalmus David.

1. Dixit Dominus Domino meo: [1] Sede a dextris meis:

2 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

℣. 1. *Dixit Dominus*, Deus Pater, *Domino meo* Messiæ. Hic enim non solo titulo deitatis, sed et redemptionis, ac singularis gratiæ, et in omnibus præcellentiæ, vere est dominus Davidis, et totius orbis. Ex hoc versu convicit Christus Judæos, Matthæi 22, v. 44, quod non sit solum filius Davidis, seu purus homo, sed etiam verus Deus. *Dixit* vero, primo, ab æterno; secundo, in incarnatione; tertio, in resurrectione, vel in cælum ascensione.

Sede a dextris meis — Id est, regna et impera proximus mihi, in summa glo-

(1) Matth. 22, vers. 44.

(2) 1 ad Cor. 15, vers. 25; ad Hebr. 1, vers. 13, et 10, v. 13.

2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te.

4. Juravit Dñus, et non pœnitebit

ria et felicitate. S. Hieronymus et Theodoretus.

Donec, q. d. Etiam interim dum *inimicos tuos* omnes, scilicet principes Gentiles et Judæos, qui nolunt ut regnes, *ponam scabellum pedum tuorum* — Id est, tibi ita subjiciam, ut pedibus eos conculces devictos et prostratos.

℣. 2. *Virgam virtutis*, id est, sceptrum potentiæ *tuæ*, id est, regale imperium tuum, quo cœpisti dominari paucis discipulis in *Sion* et Judæa, inde *emittet* Deus in universum mundum, tuæ fidei et servituti subjiciens omnes gentes, ut palam et libere domineris illis, etiam *in medio* frementium et furentium *inimicorum tuorum*, Judæorum, Turcarum, hæreticorum: ita S. August.

℣. 3. *Principium* — Hebraice, *principes* seu *duces*; græce ἀρχὴ, id est, principatus. Et Svetonius [1] etiam *principium* pro principatu usurpat.

Tecum nunc est *in* hac *die virtutis tuæ* (de qua dixi v. 1), id est, in qua tam insignem virtutem seu potestatem regalem accepisti, *in splendoribus*, seu una cum *splendoribus*, vel propter splendores, *sanctorum* — tum charismatum seu donorum quæ in te sunt: tum operum et meritorum quæ a te procedunt. Hebraice enim est, *in splendoribus sanctitatis tuæ*, q. d. Merito tuæ splendidæ sanctitatis. Vide Maldonatum et Lorinum. S. Augustinus et Theodoretus, per *diem virtutis* intelligunt diem extremi judicii cum splendidissimo comitatu sanctorum hominum et angelorum.

Ex utero genui te filium mihi consubstantialem. q. d. Nil mirum, hæc omnia supradicta tibi jam concedi, cum ab æterno sis naturalis Filius meus; nam *ante luciferum*, id est, ante creatas stellas, ante cælum, ante omnia sæcula, ab æterno ego *ex utero* meo, id est, ex mea substantia et potentia generativa, ex imis Deitatis meæ medullis *genui te* Deus Deum, ejusdem mecum numericæ naturæ: ita S. Hieronymus, Augustinus, et fere Euthymius. Hebraice est, *ex utero meo præ aurora*, seu ante conditam stellam auroræ, luciferum, *tibi ros*, seu flos, *adolescentiæ tuæ*, supple, jam tum aderat, id est, tu jam ex tunc eras in flore adolescentiæ tuæ, oblectans me et *ludens coram me* [2] ab omni æternitate; ergo multo magis dicendus eras jam tum genitus, ut Noster vertit. Ita SS. Patres contra Luciferianos, et etiam S. Paulus, Hebr. 1, de generatione Christi ab æterno locum hunc exponit. Idem tamen c. 5 eumdem exponit de incarnatione et generatione humana Christi in tempore. Uti et Tertullianus [3], qui, ut et S. Augustinus, putat hic agi de utero virginali B. Virginis, solo Spiritus sancti rore fœcundato, *ante* exortum *luciferum*, nempe media nocte, Christum in Bethlehem progignente. Denique idem S. Paulus hunc eumdem locum applicat etiam resurrectioni Christi, Act. 13, v. 33. Unde clarum hic exemplum habemus plurium sensuum etiam litteralium unius ejusdemque loci S. Scripturæ.

℣. 4. *Juravit*, id est, ita certo constituit Deus Pater, ac si jurasset. Simile habes Psal. 118, v. 106, *Juravi et statui*. *Et non pœnitebit eum*, id est, numquam mutabit quod semel constituit: nempe, ut *secundum ordinem*, id est, morem et ritum sacrificandi, non Abelis, non Aaronis, non Samuelis, sed *Melchisedech*, sis *sacerdos*, simili more et ritu sacrificans quo ipse fecit, scilicet incruente sub speciebus panis et vini. Et quidem *in æternum*, quamdiu mundus stabit, sic sacrificabis. Hinc necessario sequitur, oblationem Eucharistiæ tum Christi in ultima cœna, tum nostram quotidie in Missa, esse verum et proprie dictum sacrificium, ut docet Concilium Tridentinum [4], et SS. Patres ac Doctores, quos vide apud Suarez, Bellarminum et alios. Porro insinuat his verbis reconciliationem generis humani per Christum, q. d. Tu is es, qui gratissimam mihi hostiam, quam semel redimendis hominibus cruente offeres in ara crucis, quotidie deinceps incruente per ministros quoque tuos, sub

(1) In Augusto.
(2) Proverb. 8.
(3) Lib. 5 contra Marcion., cap. 9.
(4) Trid. sess. 22, cap. 1.

eum: [1] Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

5. Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

6. Judicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

7. [2] De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

panis et vini specie mihi offeres, qua iratus iisdem reconciliabor.

℣. 5. *Dominus a dextris tuis,* id est, adjuvans et protegens te, *confregit reges* tibi adversarios, Herodem, Neronem, Diocletianum, etc.

℣. 6. *Judicabit,* id est, ulciscetur, scilicet Deus Pater, *in nationibus* — id est, nationes tibi inimicas et rebelles.

Implebit ruinas multorum — Id est, faciet multos ruere, multorum stragem edet: ita Euthymius.

℣. 7. *De torrente in via bibet* — scilicet passionum multiplicium in hac vita: ita Arnobius, Hieronymus, Theodor., Euthymius, Bernardus. Vel melius ex Hebræo, q. d. Tanta edetur strages hostium, ut ex sanguine occisorum fiat torrens, ex quo victor Christus affatim bibere possit in via qua hostes persequetur, vel quacumque incedet. Simile habes Numer. 23, v. 24, Deut. 32, v. 42, et Psal. 67, vers. 24; ita Maldon., Vatablus, Jansen.

Propterea exaltabit caput — Id est, propter illam victoriam Christus clarissimus evadet. Allegorice, hæc magis quadrant in victoriam de dæmone, peccato, morte et inferno.

(1) Joan. 12, vers. 34; ad Hebr. 5, vers. 6, et 7 vers. 17.

(2) [a] Vers. 7. *De torrente,* etc. Docet Calvinus in merito Christi nihil aliud nosse Scripturam, quam quod ad nos redit. Verum hic locus docet Christum etiam sibi, ut homini meruisse. Huc pertinent etiam illa Lucæ XXIV, *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Et ad Philipp. II, *Humiliavit semetipsum,* etc. *Propter quod et Deus exaltavit* illum. Estius. „

PSALMUS CX.

Laudat Deum a miris operibus ipsius, et multiplicibus beneficiis in homines collatis.

Alleluja.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in concilio justorum, et congregatione.

2. Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus.

3. Confessio et magnificentia opus ejus: et justitia ejus manet in seculum seculi.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus:

℣. 1. *In concilio,* Chaldæus, *in secreto: et congregatione* — id est, publico conventu: q. d. Clam et palam laudabo te.

℣. 2. *Exquisita,* id est, exquisite et accurate facta, *in omnes voluntates ejus* — id est, secundum nutum et plenum desiderium Dei; q. d. Singula opera Dei talia et tanta sunt, qualia et quanta vult Deus: ita Theodoretus et Genebrardus.

℣. 3. *Confessio et magnificentia opus ejus* — Id est, omnia opera Dei digna sunt summa laude et honore.

Justitia ejus, tam qua ipse justus est, quam qua erga alios omnia juste facit, æternum durabit, Euthymius.

℣. 4. *Fecit,* dedit, reliquit, *memoriam,* seu memoriale, omnium *mirabilium* operum *suorum*: nempe *escam* illam singularem, *manna* cæleste, quo Hebræos per 40 annos pavit in deserto. Allegorice, Eucharistiam, quæ quasi compendium concludit in se multa et *mirabilia* miracula: nobisque in memoriam revocat, immo repræsentat omnia mysteria incarnationis, nativitatis, passionis et mortis Christi. Hac quoque esca confirmavit Christus *testamentum* seu pactum *suum* novum, quod iniit cum hominibus. Matth. 26: ita S. August. et Theod.

5. Escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum [1] testamenti sui:

6. Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo:

7. Ut det illis hereditatem gentium: opera manuum ejus veritas et judicium.

8. Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in seculum seculi, facta in veritate et æquitate.

9. Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus:

10. [2] Initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in seculum seculi.

℣. 6. *Virtutem*, seu potentiam suam, *annuntiabit*, non solo verbo, sed et reipsa, nempe *dando illis*, puta Judæis, et allegorice, Christianis, *hereditatem*, id est, hereditarias possessiones et terras, *gentium*, puta Chananæarum, etc.

℣. 7. *Opera ejus veritas et judicium* — id est, fidelitate et æquitate plenissima.

℣. 8. *Fidelia*, id est, fida et sincera, sine dolo, sine fuco, sine sinistra intentione. *Confirmata in seculum* — Id est, fixa et stabilita in æternum. Hoc vere quadrat in leges Christi; q. d. Numquam mutabuntur, ut solent leges et mandata hominum: ita Theodoretus.

℣. 9. *Redemptionem* — scilicet ex Ægypto; allegorice, ex servitute dæmonis et peccati.

Mandavit in æternum — id est, ut sit et servetur æternum: ita Genebr.

Terribile — Id est, timendum; q. d. Ideo nemo impune transgredietur mandata vel testamentum Dei.

℣. 10. *Initium sapientiæ*, non philosophicæ, sed theologicæ, quæ ducit hominem ad æternam salutem, est *timor Domini* — id est, metus et reverentia divinæ majestatis, inclinans animum ut illi per omnia obediat, caveatque ne uspiam offendat: idque non solum quia ipse severissimus est judex et vindex malorum: sed etiam quia suavissimus nobis est amicus, pater, finis ultimus, seu beatitudo nostra, et ens excellentissimum, cui omnis cultus, obedientia et servitus omni jure debetur. Hinc timor iste non est servilis, sed filialis, et semper conjunctus cum charitate, neque solum est *initium sapientiæ*, sed et completa sapientia, seu *plenitudo sapientiæ*, ut dicitur Eccli. 1, v. 20. Quantum enim crescit hic *timor*, tantum crescit et *sapientia*.

Intellectus bonus est *omnibus facientibus eum* timorem; hebraice et chaldaice *ea*, nempe mandata Dei; q. d. Non qui solum speculative *sciunt*, Deum super omnia timendum, sed qui insuper id *faciunt*, seu opere ipso præstant, declinantes ideo a malo, et virtutibus serio incumbentes; hi demum vere intelligentes et sapientes sunt, et laudabuntur in tota æternitate.

(1) " Vers. 5. *Testamenti*. Hieron. et Chald. *Facti*.

(2) Prov. 1, vers. 7, et 9, vers. 10; Eccli. 1, v. 16.

PSALMUS CXI.

Qui timent Deum, maxime si in pauperes benefici sint, cumulabuntur a Deo divitiis, prolibus, securitate, fama, gloria æterna; anagogice, beatitudine cœlesti. Inscribitur hic Psalmus in Romanis Bibliis, Reversionis Aggæi et Zachariæ, *quia hi videntur usi hoc Psalmo. Alioquin in Hebræo, Chaldæo, vel LXX non reperitur hic titulus.*

Alleluja,
Reversionis Aggæi et Zachariæ.

1. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

℣. 1. *In mandatis* Dei *volet nimis* — Id est, valde sibi placet, iisque implendis mire delectatur.

2. [1] Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

3. Gloria, et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in seculum seculi.

4. Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator, et justus.

5. Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio:

6. Quia in æternum non commovebitur.

7. In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino.

8. Confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

9. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

10. Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

℣. 3. *Justitia ejus manet* — tam in se, ut splendeat: quam in acceptatione Dei, ut præmium accipiat.

℣. 4. *In tenebris*, id est, rebus tristibus et adversis, *exortum est lumen*, seu consolatio spiritualis, *rectis* — id est, justis.

℣. 5. *Jucundus* (græce χρηστὸς, id est, benignus, utilis, gratus, suavis Deo, angelis, hominibus, et sibi ipsi est) *qui miseretur* pauperum, eisque *commodat*, id est, commodato vel mutuo dat, et *disponit*; græce οἰκονομεῖ, id est, dispensat, τοὺς λόγους, id est, rationes *suas*, *in*, seu cum, *judicio* — q. d. Justus frugaliter et prudenter dispensat rationes et res suas domesticas, ut habeat quod eroget pauperibus: ita S. Augustinus.

℣. 6. *Quia*, q. d. Ideo eleemosynarius jucunde semper et beate vivet, quia numquam *commovebitur* a statu et felicitate sua: protegente illum Deo in omni tentatione, persecutione et adversitate: ita Vatablus et Genebrardus.

℣. 7. *In memoria æterna* Dei et hominum *erit* talis *justus: ab auditione mala*, id est, a nuntio rerum tristium (Allegorice, a severa illa sententia, *Ite, maledicti*, etc. inquit S. Hieronymus et Augustinus. Vide dicta Psal. 90, vers. 3) nihil sibi *timebit;* exemplo sit Job, Tobias, Daniel, etc. quia *paratum*, seu promptum, semper ad sperandum, et *confirmatum*, seu stabilitum *est, cor ejus* in Deo: *donec despiciat*, id est, ex alto videat, punitos et extinctos omnes *inimicos suos.*

℣. 9. *Dispersit* pecuniam suam, inquit Chaldæus, id est, quasi semina spargit liberalissime bona sua in sinus pauperum: sed ne teruntium tamen perdit: nam hæc *ejus justitia*, seu opus justum, *manet in* æternum, ut sup. v. 3.

Cornu, id est, robur, potentia, gloria, *ejus* augebitur et crescet in dies · ita S. Hieronymus, et S. Jo. Chrysost. [2] hinc concludit, eleemosynam esse artem omnium quæstuosissimam.

(1) " Vers. 2. *Potens in terra*, etc. Præfatur Propheta beatum esse qui in timore Dei servat mandata. Recenset ergo octo inde natas beatitudines. Prima est vers. 2 multa et robusta proles Secunda vers. 3 opum abundantia. Tertia vers. 4 est lumen prudentiæ et consilii quod est Deus ipse faciens. Quarta vers. 5 lætitia spiritualis. Quinta prudentia in loquendo. Sexta vers. 7 vivet hic timens Deum in hominum memoria Septima vers. 8 fruetur protectione Dei nihil timens. Octava vers. 9 bene utetur divitiis. Tandem vers. 10 concludit de infelicitate peccantium. Cetera obscura non sunt. Gordoni. „

(2) Hom. 33 ad populum, tom. 5.

PSALMUS CXII.

Invitat omnes ad laudandum Deum, tum ob alia, tum quod, cum sit magnificentissimus, humiles tamen respiciat et exaltet, inquit Theodoretus.

Alleluja.

1. Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.
2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum.
3. [1] A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.
4. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cælos gloria ejus.
5. [2] Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,
6. Et humilia respicit in cælo et in terra?
7. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem:
8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
9. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

℣. 1. *Pueri* — Hieronymus et Chaldæus, *servi*, scilicet Dei.

℣. 6. *Humilia respicit* — Hebraice et chaldaice, *humiliat se* Deus ad videndum res imas et viles, ac præ omnibus homines humiliter de se sentientes: ita sanctus Augustinus.

℣. 7. *De stercore*, id est, e sordibus, ex infima conditione, *erigit* Deus *pauperes* — ut fiant principes et reges. Patet in Josepho, Jobo, Moyse, Davide, Daniele, tot aliis. Tropologice, e sordibus peccatorum erigit nos Deus ad thronos angelorum: ita S. Hieronymus et Theodoretus.

℣. 9. *Sterilem*, ideoque abjectam et contemptam; v. g. Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, etc. facit Deus jam fœcundam et *lætantem filiorum matrem habitare in domo* mariti sui: ita Theodoretus.

(1) Malach. 1, vers. 11.

(2) " Vers. 5. *Quis sicut Dominus.* Alia laudis verba, *Qui in altis habitat.* Hebr. *Qui elevat ad habitare*, idest, in altis habitat. Mariana. „

PSALMUS CXIII.

Canit mira Dei opera in eductione filiorum Israel ex Ægypto: unde concludit, ipsum solum esse Deum, non idola: quippe qui solus juvet sperantes in se.

Alleluja.

1. In exitu Israel de Ægypto, [1] domus [2] Jacob de populo barbaro:
2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.
3. Mare vidit, et fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

℣. 2. *Judæa*, id est, gens Hebræorum, *facta* tunc *est sanctificatio ejus* — id est, sancta familia Dei: quia facta separatione a profanis Ægyptiis, expresse consecravit sibi Deus populum Hebræum, ut eum ipse sanctificaret, et ab eo vicissim sanctificaretur.

Potestas — Id est, dominium, id est, populus, cui ipse peculiari modo dominaretur, nempe per veram fidem, legem, Sacramenta, sacrificia, et specialem providentiam.

℣. 3. *Mare* rubrum *vidit* — id est, sensit potentem Dei manum in protegendo Israele, inde quasi perculsum fugit, dividens se in duas partes, Exodi 14, v. 21. Sic postea fugit et Jordanis, Josue 3, vers. 16.

(1) Exod. 13, vers. 3.

(2) " Vers. 1. *Domus*, idest familiæ. Sa. — *Barbaro*, id est alterius linguæ. Idem. „

4. Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.

5. Quid est tibi, mare, quod fugisti: et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?

6. Montes, exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium?

7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.

8. Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

1. NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS: sed nomini tuo da gloriam.

2. Super misericordia tua, et veritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

3. Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

4. [1] Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

5. [2] Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

6. Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.

7. Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

8. Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis.

9. Domus Israel speravit in Domino; adjutor eorum et protector eorum est.

10. Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

11. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.

12. Dominus memor fuit nostri: et benedixit nobis:

Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron:

13. Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.

14 Adjiciat Dominus super vos; super vos, et super filios vestros.

15. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum et terram.

℣. 4. *Montes*, nempe Sinai, et juncti colles, *exultaverunt* — id est, subsiliérunt [3] terræmotu, cum lex promulgaretur in Sinai, Exodi 19. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Hebraice est, *parturiit*, et ita vertit Aquila, id est instar parturientis contremuit.

℣. 1. *Nomini tuo da gloriam* — id est, gloriosum te ostende, scilicet, vindicando nos ab hostibus, ut olim vindicasti patres nostros, cum illos educeres ex Ægypto.

Nota. Ab hoc versu inchoant Hebræi Psal. 115.

℣. 2. *Super misericordia* — Hieronymus, et Chaldæus, propter misericordiam et veracitatem tuam.

℣. 4. *Simulacra gentium argentum et aurum* — Ex hoc loco, et Baruch 6 et Sap. 15. contra Calvinum patet, Gentiles, ipsas statuas ut deos adorasse, ut hodie quoque faciunt in Indiis plurimi, et SS. Patres, Athanasius, Cyprianus, Lactantius, Tertullianus, Justinus, Arnobius id passim rident ac reprehendunt. Et licet alioqui ex ipsis sapientiores non ipsas statuas, nec forte etiam dæmonem, aut spiritum malignum, sed Deum verum in statuis adorarint, ut vult Gyraldus [4], et quidam alii: idololatræ tamen erant, quod æstimarent, statuas esse corpus Dei, ut Trismegistus apud S. Augustinum, et alii apud Eusebium [5] atque ita Deum habere similia membra, seu humana, seu vitulina, seu serpentina: Christiani vero in imaginibus Dei nil numinis, nil vitæ, nil veræ similitudinis admittunt, sed nudam solummodo repræsentationem Dei, eamque non nisi analogicam, quatenus scilicet res et imago corporalis rem spiritualem repræsentare et adumbrare potest. Vide de his Bellarminum, Vasquez, Suarez [6] et alios.

℣. 8. *Fiant*, pro, digni sunt, qui fiant *illis similes* — nempe trunci et stupidæ statuæ.

(1) Infra Psal. 134, vers. 15.
(2) Sap. 15, vers. 15.
(3) Psalm. 66. vers. 9.
(4) Syntagmate 1 de Diis Gentium.
(5) Aug. lib. 3, de Civ. c. 5, et lib. 8, c. 23; Eus. lib. 3, de Præpar. c. 3.
(6) Bellarm. de cultu Imag.; Vasquez de Adoratione; Suarez de Religione.

16. Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

17. [1] Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.

18. Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in seculum.

℣. 16. *Cælum cæli,* id est, cælum præstantissimum et supremum, puta empyreum, *Domino* — supple, sedes et thronus est.

(1) Baruch 2, vers. 17.

℣. 17. *Mortui non laudabunt te* — id est, laudes tuas non celebrabunt apud viventes. Sic dixi Psal. 6, v. 6; q. d. Ne sinas nos interfici, ut hic inter viventes te laudare possimus.

PSALMUS CXIV.

Ereptus e summis angustiis, forsan coram Achis rege Geth, gratias agit Deo. Theodoretus, Machabæis et Martyribus applicat. Allegorice, S. Augustinus Ecclesiæ militanti, et animabus in Purgatorio: tropologice, peccatori jam pœnitenti.

Alleluja.

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

2. Quia inclinavit aurem suam mihi: et in diebus meis invocabo.

3. Circumdederunt me dolores mortis: et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem invèni,

4. Et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam:

5. Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.

6. Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, et liberavit me.

7. Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

8. Quia [1] eripuit animam meam de morte: oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

9. Placebo Dño in regione vivorum.

℣. 1. *Dilexi*, supple, Deum, quia *exaudiet* — pro, exaudire solet preces meas, patet ex sequentibus.

℣. 3. De *doloribus mortis et inferni* Vide Psal. 17, vv. 5 et 6.

℣. 7. *Convertere in requiem tuam* —

(1) = Vers. 8. *Eripuit, eripuisti,* Hebr. *A lapsu,* ab offensa Hieron.

Id est, ex nimia perturbatione redi ad pristinam mentis tranquillitatem, et in Deo secura conquiesce.

℣. 9. *Placebo*, id est conabor et modis omnibus studebo placere Deo, *in regione vivorum* — id est, inter vivos, seu quoad vivam in hoc mundo. Anagogice, in cælo, inquit S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

PSALMUS CXV.

Ejusdem est argumenti cum Psalmo præcedenti: unde apud Hebræos eidem adnectitur. Allegorice, christianus calicem eucharisticum; Martyr calicem passionis suæ offert Christo, inquit S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et patet ex 2 Corinth. 4, v. 13.

Alleluja.

10. Credidi, propter quod locutus sum: [1] ego autem humiliatus sum nimis.

℣. 10. *Credidi,* supple, Deo, promittenti mihi tot malis obruto salutem, prosperitatem et regnum, nempe, per Pro-

(1) 2 ad Cor. 4, vers. 13.

11. Ego dixi in excessu meo: [1] Omnis homo mendax.

12. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?

13. Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

14. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus:

15. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

16. O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea:

17. Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

18. [2] Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus:

19. In atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

phetam suum Samuelem: quare etiam intrepide *eloculus sum* illud ipsum, et fidenter aliquibus indicavi. Unde factum, ut, invidente id mihi Saule ejusque asseclis, *humiliatus* (Hieron. afflictus) *sim nimis.*

℣. 11. *In excessu* — Hebraice, *in trepidatione;* Hieronymus, *in stupore mentis meæ,* scilicet perturbatæ tot vexationibus; Chaldæus, *inter fugiendum.*

Dixi, omnis homo mendax — id est, fallax, q. d. Adversante mihi fortuna, deseror jam ab omnibus etiam intimis, antea amicis meis: nemo fidem mihi datam servat; solus Deus verax et fidelis: quare et illi soli deinceps credam. Lutherus ex hoc loco sic argumentatur: Facilius est verum dicere, quam bonum facere: atqui homo nequit verum dicere, quia omnis homo mendax: ergo nec bonum facere: ergo omnia opera hominum etiam justorum sunt peccata. Sed respondeo, negando minorem: nam *esse mendacem,* non est idem quod semper actu mentiri, sed pronum seu proclivem esse natura sua ad mentiendum et fallendum, quod non est peccatum, sed vitium naturæ peccato originali corruptæ: et per gratiam justificantem minuitur, et magna ex parte tolli potest: ita S. Basilius, Hieronymus, Augustinus.

℣. 13. *Calicem salutaris* — Hebraice, *salutum,* id est, salvationis, seu *redemptionis* meæ (ut Chaldæus vertit) symbolum et testem, q. d. Libabo et sacrificabo Domino hostiam pacificam et Eucharisticam, seu gratiarum actionis pro vita et salute mihi beneficio ipsius conservata. Patet ex v. 17 seu antepenult. Alludit enim ad ritum sacrificiorum pacificorum, in quibus quasi Dei epulis, semper adhibebatur aliquod loco potus; v. g. vinum, cujus pars una effundebatur, et sic libabatur Deo, reliquum hauriebant offerentes. Allegorice, significat calicem Ss. Eucharistiæ; tropologice, martyrii, passionum et afflictionum, inquit S. Basilius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

℣. 14. *Vota mea* — Id est, sacrificia quæ vovi Deo.

℣. 15. *Pretiosa,* id est, cara et rara (Chaldæus, *honorifica;* Hieronymus, *gloriosa*) est *mors sanctorum* — ideo speciali admodum providentia invigilat illi Deus, nec quidquam circa illam moveri sinit temere aut sine gravi causa. Sic dicebat Saul Davidi, *Pretiosa fuit anima mea in oculis tuis,* 1 Reg. 26, v. 21.

℣. 16. *Quia ego filius ancillæ tuæ,* id est, verna tuus, ex ancilla tua tibi natus, ideo *dirupisti vincula mea,* id est, calamitates quibus quasi vinculis constringebar. Unde vicissim obstringor *sacrificare tibi hostiam laudis* — Id est, pacificam et eucharisticam hostiam qua te laudem, tibique gratias agam.

(1) Ad Rom. 3, vers. 4.

(2) " Vers. 18. *Vota mea,* etc., est repetitio v. 14

PSALMUS CXVI.

Invitat omnes, etiam Gentes, ad laudandum Deum, ob exhibitum orbi Messiam seu Redemptorem.

Alleluja.

1. [1] Laudate Dñum, omnes gentes: [2] laudate eum, omnes populi:

2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: [3] et veritas Domini manet in æternum.

℣. 2. *Confirmata* — Id est stabilita. Hebraice et græce *confortata;* Chaldæus, *roborata* est: nempe misso in orbem Christo, ut explicat S. Paulus ad Rom. 15, vers. 11.

(1) " Vers. 1. *Laudate Dominum*, etc. Hoc Psalmo provocat David omnes gentes ad agnoscendum et celebrandum regnum Christi, propter benignitatem, et veritatem, ac constantiam promissionum ejus, quæ ex mera bonitate, et gratia ipsius profectæ sunt. Vide Rom. xv, 11. Malven. „

" *Omnes gentes.* Plerique intelligunt eos omnes qui non sunt ex Israel, ut mox, *populi omnes*, singulariter Israeliticum populum; sed præstat utraque voce idem omnino significari, nempe universe omnes mundi nationes. Idem. „

(2) Ad Rom. 15, v. 11. (3) Joan. vers. 12, 34.

PSALMUS CXVII.

Solemnis congratulatio in coronatione Davidis: vel in translatione arcæ Domini in Sion, ut patet ex vers. 19. Allegorice, in resurrectione tum Christi, tum nostra.

Alleluja.

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.

2. Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.

3. Dicat nunc domus Aaron: quoniam in seculum misericordia ejus.

4. Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in seculum misericordia ejus.

5. De tribulatione invocavi Dominum: et exaudivit me in latitudine Dominus.

6. Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7. [1] Dominus mihi adjutor: et ego despiciam inimicos meos.

8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine:

9. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

10. Omnes gentes circuierunt me: et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

℣. 5. *In latitudine* — supple, constituens me, q. d. Ex magnis angustiis animi et corporis eduxit me Deus in latum campum libertatis.

℣. 8. *Bonum est* — Hieron. et Chaldæus, *melius* [2] *est.* Quia hominis, etiam principis, quantumvis potentissimi et liberalissimi, vel fortuna, vel voluntas, vel vita mutari potest: Deus autem per omnia immutabilis est, inquit Theod. et Genebrardus.

℣. 10. *Circuierunt me*, id est, obsederunt: Hieronymus et Chaldæus, *circumdederunt me.* Sed ego, invocato *nomine* Dei, ejusdem ope vici omnes, et *ultus sum* me *de illis.*

(1) Ad Hebr. 13, vers. 6.

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 5.

11. Circumdantes circumdederunt me; et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

12. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

13. Impulsus eversus sum ut caderem: et Dominus suscepit me.

14. [1] Fortitudo mea, et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem.

15. Vox exultationis et salutis, in tabernaculis justorum.

16. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

17. Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini.

18. Castigans castigavit me Dominus: et morti non tradidit me.

19. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino:

20. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

21. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.

22. [2] Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

23. [3] A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.

24. Hæc est dies, quam fecit Dñus: exultemus, et lætemur in ea.

25. O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare:

26. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Dñi:

27. Deus Dñus, et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem [4] in condensis, usque ad cornu altaris.

28. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

℣. 12. *Sicut apes*, nempe pungentes et vexantes me undique: *et sicut ignis in spinis* — nimirum maximo strepitu et impetu: sed qui subito *extinguitur*, ut vertit Hieron.

℣. 15. *Vox salutis*, id est, vox gratulationis et gratiarum actionis pro salute et victoria parta, supplè, nunc passim audiatur et resonet: ita S. August.

℣. 19. *Portas justitiæ* — Id est, valvas templi seu tabernaculi, in quod nemo nisi justus et purus ingredi meretur; ut mox additur. Vocatur quoque *porta Domini*, quia pandebat viam in templum, ubi singulari modo Deus, quasi in proprio palatio, se præsentem exhibebat. Allegorice, porta ad Patrem est Christus; tropologice, virtutes: ita S. Hieronymus.

℣. 22. *Lapidem*, nempe *puerum Davidem*, inquit Chaldæus, qui rejiciebatur a Saule et populo Israel. Allegorice et melius, lapis hic est Christus, Matth. 21, vers. 42, et Ephes. 2, v. 20, *quem ædificantes*, id est, architecti domus seu Ecclesiæ Dei, puta principes et pontifices Judæorum, rejecerunt, tamquam sibi inutilem, adeoque et noxium lapidem, sed tamen *hic* idem a Deo *factus est caput*, id est, præcipuus lapis, *anguli*, seu præcipuæ partis domus, q. d. Constitutus est nobilissimus lapis, nempe angularis, totius ædificii juncturam sustinens, et duos parietes, Gentium et Judæorum (immo et angelorum) in se velut angulo jungens: ita SS. Patres.

℣. 25. *Salvum me fac;* hebraice, *hosanna*, id est, salva quæso. *Benedictus*, supple, sit a Deo, *qui venit in nomine*, id est, missu, auctoritate, vice Dei. Hac eadem acclamatione exceperunt Judæi Christum Matth. 21, v. 9: *Hosanna filio David*, q. d. Qui Davidem patrem olim servasti, nunc filium ejus serva Christum.

℣. 26. *Benedixímus vobis.* Vox est sacerdotum, q. d. Nos *de domo Domini*, id est, e templo, bene precamur vobis, o populo Dei: quia Deus hucusque iratus, jam nova beneficentiæ luce *illuxit nobis*, et nova lætitia perfudit nos, dato novo rege Davide et Messia. Quare *constituite*

(1) Exod. 15, vers. 2.
(2) Isa. 28, vers. 16; Matth. 21, vers. 42; Luc. 20, vers. 17; Act. 4, vers. 11; ad Rom. 9, vers. 33; 1 Petr. 2, vers. 7.
(3) " Vers. 23. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Alii mutant conjunctionem *et* cum pronomine *hoc*. Brugen. "
(4) " Vers. 27. *In condensis.* Hieron *in frondosis* ramis obvelate viam Domini. Bossuet. "

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.

29. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.

diem solemnem in condensis — Id est, celebrate diem hunc lætum et faustum, urbem, plateas, et præ omnibus atria templi, *usque ad cornua altaris*, ornantes densis frondibus, ramis et coronis: ita Hebræa et S. Hieronymus. Et ita factum Christo in die Palmarum.

PSALMUS CXVIII.

Est continuum encomium legis divinæ, quam ut altius menti nostræ infigat, singulis pene versibus, qui sunt 176, nominat, sed variato subinde nomine. Nunc enim vocat testamentum, *nunc* testimonia, *nunc* judicium, justitiam, æquitatem, justificationem, verbum, eloquium, sermonem, ordinationem, præceptum, mandatum Dei, *nunc* viam, semitam, veritatem, *etc. Rationem singulorum dedi in Prolegomenis.*

Alleluja.

ALEPH.

1. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

2. Beati, qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas!

6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

8. Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

BETH.

9. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

10. In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.

11. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

Est hic Psalmus alphabetarius: nam singuli octonarii, seu octoni versus (quales continet 22, nempe quot sunt litteræ Hebræorum) incipiunt ab una eademque littera Hebræa juxta ordinem alphabeti Hebraici, v. g. octo primi versus ab *Aleph:* octo sequentes a *Beth*, et sic consequenter. Causa est, inquit S. Ambrosius, ut indicetur, quod *lex* divina sit *alphabetum* fidelium: cui (addit Hilarius) a prima ætate, cum primis litteris et rudimentis studiose incumbendum.

℣. 1. *Beati immaculati*, seu puri; Chaldæus, *perfecti*, *in via*, id est, in suo vivendi modo, inquit Jansenius; vel in via legis et virtutis, ut S. Augustinus et Genebrardus; vel ut Theodoretus, in via hujus vitæ, qua mox a partu properamus ad mortem.

℣. 7. *Confitebor tibi in directione cordis*, id est, laudabo te corde recto: eo *quod didicerim* ex te *judicia justitiæ tuæ* — id est, leges tuas justas.

℣. 9. *In quo corrigit* (hebraice et chaldaice, *purificat*; Symmachus, *illustrat*) *adolescentior*, Chaldæus, *puer*, Hieronymus, *juvenis?* q. d. Quid est quod puerum, adolescentem, juvenem, alioquin effrenem et indomitum coercet, ducit et dirigit? ita Theodoretus.

℣. 10. *Ne repellas me* — Hebraice, chaldaice et Hieronymus, *ne aberrare me facias a lege tua.*

12. Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.

13. In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

15. In mandatis tuis exercebor: et considerabo vias tuas.

16. In justificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.

GHIMEL.

17. Retribue servo tuo, vivifica me: et custodiam sermones tuos.

18. Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua.

19. Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua.

20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.

21. Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.

22. Aufer a me opprobrium, et contemptum: quia testimonia tua exquisivi.

23. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

24. Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum justificationes tuæ.

DALETH.

25. Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

26. Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas.

27. Viam justificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis.

28. Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitatis amove a me: et de lege tua miserere mei.

30. Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.

31. Adhæsi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

℣. 13. *Pronuntiavi* — Id est, prædicavi: Hieronymus et Chaldæus, *narravi*.

℣. 17. *Retribue, vivifica* — Hieronymus et Chaldæus, *tribue ut vivam*, scilicet diu, et liber a malis.

℣. 18. *Revela*, id est, velo deducto aperi, illumina oculos: velo, inquam, ignorantiæ, et carnalium cogitationum: *et considerabo*, seu cognoscam, *mirabilia* mysteria *legis tuæ*. Ergo non tam facilis est S. Scriptura (quod tamen jactant hæretici) quin ad ejus mysteria percipienda opus sit lumine et gratia Dei, 2 Petri 1, v. 20.

℣. 19. *Incola* — Hieronymus, *advena*, Chaldæus, *peregrinus*, q. d. Viam ad cælum nescio, tu me illam doce.

℣. 21. *Increpasti* — Genebrardus, comminatus es pœnas, et præsentes et æternas. Melius, severe punivisti, immo perdidisti, *superbos* contemptores legum tuarum.

℣. 24. *Consilium meum justificationes tuæ* — Id est, leges tuæ sunt mihi a consiliis, illas in dubiis consulo: ita fere Hieronymus et Chaldæus.

℣. 25. *Adhæsit pavimento anima mea* — Id est, ego pondere ærumnarum humi prostratus jaceo, morti ac sepulcro proximus.

℣. 26. *Vias meas*, id est, negotia mea omnia, *enuntiavi*, aperui et permisi tibi, scilicet optans in omnibus a te dirigi.

℣. 28. *Dormitavit*; Origenes, Hieronymus et Ambrosius, *stillavit* lacrymis; Chaldæus, *in languore fuit*, idque *præ tædio* — malorum quibus obruor. Unde *confirma me*; hebraice, *erige*, excita me, *in verbis tuis* — id est, secundum promissa tua. Sic sequenti

℣. 29. *De lege tua* — Id est, secundum legis tuæ promissum.

℣. 32. *Dilatasti cor meum* — Id est, cælesti favore ac gratia tua ex angustiis tribulationum quibus arctabar, explicuisti me, et in latum libertatis ac lætitiæ campum deduxisti me: ita S. Jo. Chrysost., Didymus et alii. Simile Ps. 4, v. 2.

HE.

33. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper.

34. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo.

35. [1] Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

36. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.

37. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.

38. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia judicia tua jucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.

VAU.

41. [2] Et veniat super me misericordia tua, Domine; salutare tuum secundum eloquium tuum.

42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in judiciis tuis supersperavi.

44. Et custodiam legem tuam semper, in seculum et in seculum seculi.

45. Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.

46. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar.

47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: et exercebar in justificationibus tuis.

ZAIN.

49. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

℣. 33. *Legem pone* — Hieronymus et Symmachus, *ostende;* Aquila et Theodotion, *illumina me;* Chaldæus, *doce me,* tum exterius per sacerdotes et doctores: tum interius per illuminationem et inspirationem gratiæ tuæ.

℣. 36. *Non in avaritiam* — supple, sinas me inclinari. Neque enim Deus per se aut efficienter, sed tantum per accidens et deficienter dici potest inclinare in malum, nempe permittendo, et uberiorem gratiam subtrahendo. Quo modo nauclerus sua absentia dicitur causa naufragii. Vide dicta Genes. 45. Porro avaritiæ meminit præ reliquis vitiis, eo quod nihil æque avellat mentem hominis a custodia legis divinæ, ac superflua cupiditas et studium rerum terrenarum.

℣. 38. *Statue,* supple, semper ob oculos, *in,* id est, cum, *timore tuo* — de quo vide Ps. 110, v. 9.

℣. 39. *Amputa;* Hieronymus et Chaldæus, amove, aufer, averte probra et convitia hostium, quæ *suspicatus sum* — id est, suspecta habeo; Hieronymus, *reveritus* seu *veritus sum;* Chaldæus, *timui.*

℣. 42. *Exprobrantibus mihi,* quasi sim rejectus et derelictus a te, *respondebo verbum,* id est, facile responsum dabo, scilicet quod numquam frustra *sperarim,* et etiamnum sperem, *in sermonibus,* seu promissis, *tuis.*

℣. 43. *Ne auferas,* vel potius, ne permittas auferri, *usquequaque,* id est, ullo modo; Chaldæus, penitus. Simile supra v. 36, *quia in judiciis,* seu promissis, *tuis supersperavi* — id est, valde et totus speravi.

℣. 45. *In latitudine* — Vide dicta vers. 32.

℣. 49. *Verbi* — Id est, promissi tui facti mihi per Samuelem et Nathan prophetas, de regno mihi meisque posteris stabiliendo, inquit R. Salomon et Theodoretus. Allegorice, de Christo ex me nascituro, Arnobius.

(1) " Vers. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Non mutes quartum casum in sextum *semita.* Rom. Correction. "

(2) " Vers. 41. *Et veniat super me misericordia tua, Domine.* Non mutes præsens imperativi *veniat* cum futuro indicativi *veniet.* Ibidem. "

50. Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.

51. Superbi inique agebant usquequaque; a lege autem tua non declinavi.

52. Memor fui judiciorum tuorum a seculo, Domine: et consolatus sum.

53. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55. Memor fui nocte nominis tui, Domine: et custodivi legem tuam.

56. Hæc facta est mihi: quia justificationes tuas exquisivi.

HETH.

57. Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam.

58. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

59. Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua.

60. Paratus sum, et non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

61. Funes peccatorum circumplexi sunt me: et legem tuam non sum oblitus.

62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

63. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.

64. Misericordia tua, Domine, plena est terra: justificationes tuas doce me.

TETH.

65. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.

66. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67. Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi.

68. Bonus es tu: et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

69. Multiplicata est super me ini-

℣. 52. *Judiciorum tuorum*, quibus Abraham, Lot, Moysen, omnesque pios ab impiis semper liberasti.

℣. 53. *Defectio* — Id est, animi deliquium, ex tristitia et zelo, cum videam ab impiis legem tuam negligi. Theodoretus.

℣. 54. *Cantabiles* — Hieronymus, *carmina;* Chaldæus, *hymni*; q. d. Sicut peregrinantes laboris et viæ tædia leniunt canendo; sic et ego cantando præcepta tua sublevo molestias exilii mei.

℣. 56. *Hæc facta est* — Hebraismus, pro *hoc* (nempe, quod cantillem præcepta tua, et etiam noctu atque in somnis illa revolvam) *factum est*, seu *evenit, mihi* ex eo, quod legem tuam tam ardenter amem et exquiram.

℣. 57. *Portio* — supple, hereditaria, et thesaurus omnis meus in hac vita. Simile infra v. 111.

℣. 59. *Cogitavi* — Hieronymus, *recogitavi*, expendi, quæ et quales essent viæ quas hucusque ambulavi.

℣. 61. *Funes* — Id est, insidiæ, retia, remoræ hostium; Chaldæus, *cohors impiorum.* Allegorice, dæmonum, inquit S. Augustinus et Theodoretus.

℣. 63. *Particeps* — Chaldæus, *socius;* Symmachus, *conjunctus*, et ita particeps meritorum, et communionis Sanctorum: nam omnia membra unius ejusdemque corporis participant de bono singulorum.

℣. 65. *Bonitatem fecisti* — Hieronymus, *bene*, seu benigne, *fecisti mihi.* Hinc *doce me* quoque erga alios

℣. 66. *Bonitatem*, id est, benignitatem, qua proximis meis propter te benefaciam. Item *disciplinam*, id est, sapientiam; Chaldæus, *congruam rationem;* Vatablus, *bene judicandi facultatem;* Hebræus, *bonum gustum*, nempe quo dijudicem dulce ab amaro, cælestia a terrenis, bona a malis. Denique *scientiam*, scilicet practicam agendorum, qua sciam quid et quomodo quovis casu mihi sit agendum et cavendum. Vide S. Augustinum et Theodoretum.

quitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70. Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

JOD.

73. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: da mihi intellectum, et discam mandata tua.

74. Qui timent te videbunt me, et lætabuntur: quia in verba tua supersperavi.

75. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: et in veritate tua humiliasti me.

76. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

77. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam: quia lex tua meditatio mea est.

78. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te: et qui noverunt testimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

CAPH.

81. Defecit in salutare tuum anima mea: et in verbum tuum supersperavi.

82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

83. Quia factus sum sicut uter in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.

84. Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?

85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.

86. [1] Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me.

87. Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

88. Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.

℣. 70. *Coagulatum* — Id est, condensatum et induratum, scilicet odio in me; Vatablus et Euthymius, *caseatum;* Chaldæus et Hieronymus, *incrassatum est velut adeps.* Id est, pingues sunt, deliciis vacant, obtuso sunt corde ad intelligendum sacra et divina: meæ vero deliciæ sunt lex tua.

℣. 79. *Convertantur mihi timentes te* — Hieronymus et Chaldæus, *revertantur ad me;* qui propter calamitates et miserias meas aufugerant, vel alienati erant a me, facta jam tranquillitate, redeant ad pristinum amicum.

℣. 81. *In salutare tuum,* id est, præ desiderio salutis a te speratæ. Allegorice, præ desiderio Christi Salvatoris ex me et pro me nascituri; anagogice, vitæ et salutis æternæ: ita S. Ambrosius et Augustinus. Hinc etiam *defecerunt oculi mei;* Hieron. *consumpti sunt,* nempe lacrymis, et dum nimis intente in cælum suspiciunt, et *eloquium,* seu promissum, *tuum* expectant.

℣. 83. *Sicut uter in pruina,* scilicet congelatus, induratus, corrugatus, contractus: sic et ego ærumnis constrictus aresco totus, rugesco et contabesco. Tropologice, S. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Theodoretus, Euthymius, sicut uter dum calefit mollitur, et pruina obdurescit: sic corpus deliciis enervatur; jejuniis, continentia, mortificatione, adversitate roboratur.

℣. 87. *Paulominus consummaverunt me* — Id est, parum abfuit quin consumpserint me.

(1) " Vers. 86. *Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me.* Retinendum est adverbium *inique,* non surrogandum nomen *iniqui.* Ibid. "

LAMED.

89. In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.

90. In generationem et generationem veritas tua: fundasti terram, et permanet.

91. Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

92. Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea.

93. In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.

94. Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

95. Me expectaverunt peccatores ut perderent me: [1] testimonia tua intellexi.

96. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

MEM.

97. Quomodo dilexi legem tuam, Dñe? tota die meditatio mea est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

100. Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua.

102. A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!

104. A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.

NUN.

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

106. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

107. Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum.

108. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: et judicia tua doce me.

109. Anima mea in manibus meis

℣. 89. *Verbum tuum in cælo*, id est, præceptum datum cælis. q. d. Cæli tuo decreto sunt firmi et stabiles in æternum, similiter *terra* vers. seq. et *dies*, v. 91, id est, temporum successio et series ordinatissima. Et ego quoque v. 92 *periissem in humilitate mea*, id est, in afflictione et miseriis meis, *nisi lex tua* fuisset *meditatio mea* — Hieronymus et Chaldæus, *delectatio, deliciæ meæ*, id est, nisi verbum tuum me recrearet et oblectaret, et sic in vivis conservaret, sicut conservat cælum et terram.

℣. 96. *Omnis consummationis*, seu rei consummatæ et perfectæ, ut vertit Symmachus. q. d. Omnis humana potentia, sapientia, opes, imperia, finem habent celerrimum, et nihil tam perfectum, quod non aliquando finiatur: sola lex divina tam lata est, ut quasi immensa, sese ad omnia temporum et locorum spatia extendat, omnibus imperans, omnia gubernans, et obedientem ad cælos, negligentem ad inferos deducens, inquit Arnobius et Theodoretus. Item lata dicitur, quia mentem in tribulatione dilatat; Euthymius. Vide v. 32.

℣. 98. *In æternum mihi est* — supple, in animo reconditum; vel perpetuo servandum.

℣. 99. *Super*, id est, plusquam, *omnes intellexi*, quid agere necessum sit vel expediat. Idem v. 100 et 104.

℣. 108. *Voluntaria oris mei* — Id est, spontaneæ *oblationes* (ut vertit Chaldæus) quæ ex ore meo egressæ sunt vovendo, fac *beneplaceant tibi*. Tropologice, sunt consilia Evangelica, inquit S. Hieronymus, Hilarius, Theodoretus.

℣. 109. *Anima*, id est, vita, *mea in manibus meis semper* — Chaldæus, *periclitatur quotidie, ac si* eam *in superficie manus meæ*, omnium hostium direptioni

(1) " Vers. 95. *Testimonia tua intellexi*. Corrupte in quibusdam libris scribitur *dilexi* quod est amavi, pro *intellexi*. Ibid. "

semper: et legem tuam non sum oblitus.

110. Posuerunt peccatores laqueum mihi: et de mandatis tuis non erravi.

111. Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.

SAMECH.

113. Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi.

114. Adjutor, et susceptor meus es tu: et in verbum tuum supersperavi.

115. Declinate a me, maligni: et scrutabor mandata Dei mei.

116. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.

117. Adjuva me, et salvus ero: et meditabor in justificationibus tuis semper.

118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis: quia injusta cogitatio eorum.

119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

120. Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui.

AIN.

121. Feci judicium et justitiam: non tradas me calumniantibus me.

122. Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum: et in eloquium justitiæ tuæ.

124. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam: et justificationes tuas doce me.

125. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

126. Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.

127. Ideo dilexi mandata tua, super aurum et topazion.

128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

PHE.

129. Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

130. Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis.

expositam gestarem. Simile Judicum 12, *Posui animam meam in manibus meis,* et 1 Reg. 19: *Posuit animam suam in manu sua,* et Job 13: *Animam meam porto in manibus meis.*

℣. 111. *Hereditate acquisivi* — Id est, hereditavi, pro hereditaria portione accepi, et mihi selegi non aurum, non gemmas, non palatia, non officia, sed observationem legum tuarum: ita sanctus Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus.

℣. 118. *Injusta* — Hieronymus et Chaldæus, *mendax,* seu fallax, est calliditas et *deceptio* illorum.

℣. 119. *Reputavi prævaricantes* — Id est, habui eos pro transgressoribus legis tuæ, id est, pro hominibus nihili, quorum vita, utpote noxia reipublicæ, nullius est momenti: Hieronymus, Symmachus et Chaldæus, *reputasti et abolevisti quasi scoriam;* q. d. Sicut scoria per ignem ab auro et argento secernitur, nec tamen igne consumitur: ita tu Deus impios a piis secernes, uresque igne æterno, nec tamen exures, ut esse desinant.

℣. 120. *Timore tuo* (de quo Ps. 110, v. 10), seu timore tui, quasi clavo, *confige,* concupiscentias *carnis meæ,* ut his mortua vivat soli Deo: ita S. Ambrosius et Augustinus.

℣. 126. *Tempus faciendi* — id est, mihi opitulandi, et hostes puniendi, Theodoretus et Euthymius. Græce, enim est, *Domino;* hebraice, *Domini.* Allegorice, tempus extremi judicii.

131. Os meum aperui, et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132. Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis injustitia.

134. Redime me a calumniis hominum: ut custodiam mandata tua.

135. Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me justificationes tuas.

136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

SADE.

137. Justus es, Domine: et rectum judicium tuum.

138. Mandasti justitiam testimonia tua: et veritatem tuam nimis.

139. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.

140. Ignitum eloquium tuum vehementer: et servus tuus dilexit illud.

141. Adolescentulus sum ego, et contemptus; justificationes tuas non sum oblitus.

142. Justitia tua, justitia in æternum: et lex tua veritas.

143. Tribulatio et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

144. Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, et vivam.

COPH.

145. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine: justificationes tuas requiram.

146. Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua.

147. Prævéni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.

148. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo; ut meditarer eloquia tua.

149. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: et secundum judicium tuum vivifica me.

150. Appropinquaverunt perse-

℣. 131. *Attraxi spiritum* — id est, aerem; Hieronymus, *respiravi*, nempe sicut famelici et lassi aerem hiante ore captant, ita ego summo desiderio anhelavi ad scientiam, intelligentiam et praxin legis tuæ. Hilarius, Theodoretus, Jansenius, Genebrardus.

℣. 132. *Secundum judicium* — Id est, secundum legem vel consuetudinem qua uteris erga amicos tuos.

℣. 135. *Faciem tuam illumina* — Id est, ostende te mihi hilarem et benevolum. Psal. 4, v. 7.

℣. 136. *Exitus*; Hieronymus, *rivos*; Chaldæus, *fluenta aquarum*; id est lacrymarum, profuderunt *oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* — nempe in contemplanda et concupiscenda Bethsabee.

℣. 138. *Mandasti justitiam testimonia tua* — Id est, præcepisti justissimas et verissimas leges tuas omni studio observari.

℣. 140. *Ignitum* — Id est, quasi aurum in igne *probatum*, ut vertit Hieronymus; Chaldæus, *purum*. Vide Ps. 11, vers. 7.

℣. 141. *Adolescentulus* — Hieronymus et Chaldæus, *parvulus* et abjectus quasi puer: nam minimus sum fratrum meorum. Theodoretus.

℣. 142. *Justitia in æternum*; q. d. Non mutatur, non excidit, non corrumpitur *justitia et lex*, seu justa lex, *tua*, ut solent humanæ, sed æternum durat, et æternam mercedem confert, inquit sanctus Augustinus.

℣. 147. *Prævéni in maturitate* — Id est, mature, ante consuetum tempus surgendi et orandi; Chaldæus, *in aurora*; Hieronymus, *surgebam adhuc in tenebris*: ita S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Sic v. 62 dixerat, *Media nocte surgebam*. Hinc ortum habent hymni Christianorum antelucani et nocturni, de quibus Plinius ad Trajanum.

quentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.

151. Prope es tu, Domine: et omnes viæ tuæ veritas.

152. Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.

RES.

153. Vide humilitatem meam, et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

154. Judica judicium meum, et redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

155. Longe a peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt.

156. Misericordiæ tuæ multæ, Domine: secundum judicium tuum vivifica me.

157. Multi qui persequuntur me, et tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes, et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me.

160. Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

SIN.

161. Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis formidavit cor meum.

162. Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

163. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

164. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam; et non est illis scandalum.

166. Expectabam salutare tuum, Domine: et mandata tua dilexi.

167. Custodivit anima mea testimonia tua: et dilexit ea vehementer.

168. Servavi mandata tua, et testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

TAU.

169. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

171. Eructabunt labia mea hy-

℣. 151. *Prope es* — Id est, præsto es, ades omnibus invocantibus opem tuam, et servantibus legem tuam. S. Hieronymus et Euthymius.

℣. 152. *Initio* — Id est, ab initio ætatis meæ.

℣. 154. *Judica judicium meum*; Chaldæus et Hieronymus, *age* et *judica causam meam* inter me et hostes meos.

Vivifica me, id est, fac vivam lætus et alacer, sed *propter eloquium* — id est, juxta promissum tuum.

℣. 160. *Principium* — Hebraice, *ros* [1], id est, *caput*, ut vertit Hieronymus, seu summarium. q. d. A principio usque ad finem, verissima et fidelissima sunt omnia *verba* seu promissa *tua*. Euthym.

℣. 161. *Principes* — Saul ejusque asseclæ.

Gratis — Id est, sine justa causa, sine meo merito aut culpa.

℣. 164. *Septies in die* — Id est, sæpissime per diem. Unde constat, septem Horas Canonicas non inventas aut institutas a Damaso papa cum S. Hieronymo et Ambrosio, ut vult Sigebertus: sed, urgente Davide, in usu fuisse apud Judæos in templo et synagogis: et inde ab Apostolis translatas in Ecclesias Christianorum, ut patet ex S. Clemente, Cypriano, Athanasio, Basilio et aliis a Bellarmino [2] citatis.

(1) ראש.

(2) Lib. de Bonis oper. in particulari, c. 13.

mnum, cum docueris me justificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.

175. Vivet anima mea, et laudabit te: et judicia tua adjuvabunt me.

176. Erravi, sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

℣. 175. *Vivet* — Chaldæus et Vatablus, *vivat*. q. d. Fac me valentem, vegetum, lætum diu vivere, ut diutius laudem te.

Et judicia tua, quibus præmia bonis, pœnas improbis decernis, *adjuvent me*.

℣. 176. *Erravi* — scilicet a patria mea exul, inquit S. Hieronymus et Euthymius. Vel ut S. Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, a via legis tuæ per varia peccata deflexi.

Quære me per gratiam tuam prævenientem et excitantem, sine qua nemo resurgere potest a peccatis.

PSALMUS CXIX.

David exul sub Saule orat restitui patriæ, et a maledicis liberari.

Canticum graduum.

1. Ad Dominum cum tribularer clamavi: et exaudivit me.

2. Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar:

Notandum 15 sequentes Psalmos inscribi, *cantica graduum*, vel *ascensionum*, ut vertit Aquila, Symmachus et Theodotion, eo quod a Levitis in festis canerentur in 15 gradibus templi, ut vult Chaldæus: vel saltem in templi dedicatione per Salomonem, ut vult Salianus [1]: vel quod elatiore voce canerentur, ut ait R. Sahadias: vel potius, quia sunt precationes et consolationes eorum qui ex captivitate vel exilio reduces ascendebant in Judæam et templum, inquit Theodoretus, Euthymius et Mariana. Tropologice, sunt gradus quibus ascenditur ad perfectionem et ad Deum, inquit S. Augustinus: quos hic 15 enumerat Genebrardus. Anagogice, ascensus et suspiria ab hoc exilio ad patriam cælestem, S. Hieronymus et Euthymius.

(1) Ad annum 11 Salomonis in Annalib.

℣. 3. *Quid detur tibi*, o maledice? q. d. Quem fructum, quod emolumentum capies ex *lingua tua* fallaci? sane non aliud quam *acutas sagittas potentis*, id est, acres pœnas et ultiones Dei, et *carbones desolatorios*, seu omnia tua desolantes, id est, incendia tibi perniciosissima, maxime in inferno. Notatur, inquit Theodoretus, in *sagittis* celeritas pœnæ, in *carbonibus* seu prunis acerbitas. LXX legunt, carbonibus ἐρημικοῖς, id est, arborum eremi seu deserti: et maxime *juniperi*, ut vertit Hieronymus; et radicum *genistæ*, ut Chaldæus. Isti enim carbones ob densitatem materiæ, incendium acriter concipiunt, fortius urunt, et diutius fovent, inquit Plinius et Theophrastus.

℣. 5. *Incolatus*, id est, exilium meum, *prolongatus* inter *Cedarenos*, id est, Arabes, sic dictos a *Cedar* filio *Ismaelis*,

6. Multum incola fuit anima mea.
7. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum [1] loquebar illis, impugnabant me gratis.

Genes. 25, v. 13. Allegorice, Ecclesia Christi jam a mille annis premitur a Mahomete Arabe; anagogice, ex longis ærumnis hujus vitæ suspiramus ad patriam cælestem, inquit S. Hieronymus, Augustinus, Euthymius.

(1) " Vers. 7. *Loquebar*, scilicet pacifice. Sa. — *Gratis*, id est sine causa. Idem. "

PSALMUS CXX.

A solo Deo auxilium petendum et sperandum.

Canticum graduum.

1. Levavi oculos meos in montes, [1] unde veniet auxilium mihi.
2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram.
3. Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
4. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.
5. Dominus custodit te: Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.
6. [2] Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.
7. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
8. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum; ex hoc nunc, et usque in seculum.

℣. 1. *In montes* — q. d. Ego exul per montes undique circumspicio, num alicunde auxilium mihi adveniat: sed frustra: ita Vatablus et Jansenius. Anagogice, in cælum, ad angelos, Arnobius.

℣. 3. *Non det* — Chaldæus, *non dabit*, id est, non permittet te labi, neque instar *dormientis* negliget te. Nam Zachar. 3, v. 9 dicitur Deus habere *septem oculos;* et Ezech. 1, v. 18. *Cherub* totus *ante et retro plenus* esse *oculis;* et Jerem 1, v. 11 vocatur *virga vigilans.*

(1) 2 Par. 20, vers. 17.

℣. 5. *Protectio tua* — Hebraice, *umbra tibi*, seu loco umbraculi (ut vult Chaldæus) quod ad dexteram tuam positum obumbrat totum corpus tuum, et tuetur contra æstum *solis*, et vexationem *lunæ*, id est, contra nocturnas et diurnas molestias et miserias. Tropologice, in prosperis et in adversis, inquit S. Hieron.

℣. 8. *Introitum et exitum tuum* — Hebraismus, pro omnia negotia tua. Simile Deut. 28, v. 19, et 3 Reg. 3, v. 7. Anagogice, *introitus* est vita, *exitus* mors, inquit S. Hieronymus.

(2) " Vers. 6. *Per diem sol non uret te.* Hebr. *Non feriet te.* "

PSALMUS CXXI.

Laudat Jerosolymam et templum (allegorice, Ecclesiam; anagogice, cælum) a concordia, pietate, justitia, et regni splendore, inquit sanctus Hieronymus et Augustinus.

Canticum graduum.

1. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dñi ibimus.
2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem:

℣. 1. *Dicta sunt mihi* per Prophetas et Doctores Ecclesiæ.

℣. 2. *Stantes erant* olim ante exilium: ita Genebrardus. Allegorice, atria cæli Ecclesia militans in terris, inquit Jansenius.

3. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

4. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

5. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

6. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: et abundantia diligentibus te.

7. Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.

8. Propter fratres meos, et proximos meos, loquebar pacem de te:

9. Propter domum Domini Dei nostri, [1] quæsivi bona tibi.

℣. 3. *Ut*, seu sicut, *civitas*, nempe concors et unanimis. *Cujus participatio ejus*, id est, qui ejus participes sunt, nempe cives, *in idipsum* — id est, simul in unum conspirant omnes. Chaldæus vertit, *quæ conjuncta est sibi pariter*.

℣. 4. *Testimonium Israel* — pro, juxta testimonium, id est, legem Dei seu præceptum datum Israeli, nempe ut singuli ter in anno ascendant Jerosolymam, Exodi 23, vers. 17. Theodoretus et Jansenius.

℣. 5. *Quia illic sederunt*, id est, ad sedendum constitutæ sunt, *sedes in judicio* — Chaldæus, *ad judicium*. q. d. Tertia hæc ratio est, cur adeo *lætatus* sim in ascensu Jerosolymam, quia Deus ibi familiæ Davidicæ constituit stabilem et perpetuum thronum regium et judicialem. Theodoretus. Anagogice, Christo et Apostolis decretæ sedes in die judicii ad dijudicandas 12 tribus Israel.

℣. 6. *Rogate quæ ad pacem*, id est, adprecamini omnem felicitatem *Jerosolymæ, et* ut *diligentibus eam* obveniat *abundantia* omnium bonorum.

℣. 7. *Fiat pax*, id est, sit prosperitas et salus, de qua jam dixi, *in virtute*, id est, in robore; Chaldæus, *in exercitu*, seu numeroso populo tuo: Symmachus et Hieronymus, *in muris tuis*, id est, inter cives tuos. *Et in turribus* — id est, palatiis, seu incolis palatiorum tuorum, q. d. Omnes a primo ad ultimum floreant, prosperentur et ditescant.

℣. 8. *Propter fratres meos*, tum carnales, tum spirituales, qui in te habitant, *loquebar*, id est, soleo loqui, *pacem de te*, id est, prospera quæque tibi optare. Item *propter domum Domini*, quæ in te est: ita S. Hieronymus et alii.

(1) ª Vers. 9. *Quæsivi bona.* Hebr. *Quæram.* „

PSALMUS CXXII.

Orat liberari a ludibriis impiorum; allegorice, Ecclesia ab insultatione infidelium.

Canticum graduum.

1. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

2. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum,

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

3. Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum [1] repleti sumus despectione:

4. Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

℣. 2. *In manibus*, supple, versantur, id est, ad manus continuo respiciunt, scilicet ut earum liberalitatem et opem experiantur; ita nos, etc.

℣. 4. *Repleta est*, scilicet *despectione*, ut præcessit, et contemptu: facti *opprobrium abundantibus*, id est, divitibus superbis: Symmachus, Hieronymus et Chaldæus vertunt, *repleta est anima nostra opprobrio abundantium et despectione superborum.*

(1) ª Vers. 3. *Repleti sumus despectione.* Hebr. *Satiati ignominia.* „

PSALMUS CXXIII.

Gratias agit Deo, sibique gratulatur Synagoga (allegorice, Ecclesia Christi) quod ab hostibus et tyrannis sit liberata.

Canticum graduum.

1. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel:

2. Nisi quia Dñus erat in nobis, Cum exurgerent homines in nos,

3. Forte vivos deglutissent nos: Cum irasceretur furor eorum in nos,

4. Forsitan aqua absorbuisset nos.

5. Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in [1] captionem dentibus eorum.

7. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

8. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram.

℣℣. 3 et 4. *Forte*, et *forsitan* — Chaldæus, *tunc*. Neque enim est dubitantis, sed asseverantis.

℣. 4. *Aqua*, id est, instar aquæ et torrentis, *absorbuisset nos* furor hostium: ut olim mare rubrum Ægyptios.

℣. 5. *Torrentem* — Id est, ingentem impetum hostilium tentationum et afflictionum.

Forsitan, pro utique, certo, nisi Deus juvisset nos, coacti fuissemus pertransire *aquam intolerabilem* — id est, impertransibilem, q. d. Obruti fuissemus mole, pondere et copia malorum. Symmachus, Aquila, Theodotion et S. Hieronymus vertunt, *aquas superbas* seu *arrogantes*, id est, altissimas, profundissimas. Quas S. Augustinus Tropologice accommodat peccatis.

(1) [a] Vers. 6. *Captionem*. Hieron. *prædam*. Chald. *cibum*, [a]

PSALMUS CXXIV.

Qui confidunt in Deo, stabiles erunt et tutissimi: impii vero peribunt.

Canticum graduum.

1. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat

2. In Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in seculum.

3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

4. Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.

℣. 1. *Sicut mons Sion* — supple, stabiles erunt et immobiles.

Qui habitat — Id est civis et incola inhabitans.

℣. 3. *Non relinquet*, scilicet diu, *virgam*, id est, sceptrum et imperium tyrannorum: ita Theodoretus, Vatablus, Jansenius, Genebrardus. Vel, ut alii, *virgam*, id est, plagas, et flagella, ut erant Nabuchodonosor, Attila et similes tyranni. Idque, *ne extendant justi*, etc. id est, ne forte etiam justi fiant impii, exemplo et prosperitate impiorum allecti, vel impatientia victi.

5. Declinantes autem in [1] obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

℣. 5. *In obligationes;* hebraice, *obliquationes*, vel tortuositates; Chaldæus, *obliquitates;* Hieronymus, *pravitates;* græce, στραγγαλιάς, id est, implicationes, seu laqueos, quasi dicat: Hypocritas, qui occultis laqueis, et tortuosis viis innocentes obligant et irretiunt, suasque perversitates regent, *adducet Deus cum operantibus* palam *iniquitatem* — id est, æque ac perinde puniet, ac si essent aperte et palam impii: ita S. Hieronymus et Jansenius.

(1) " Vers. 5. *Obligationes:* non *obligationem*, neque *obliquationes* apud Romanos Correct. Brugen.„

PSALMUS CXXV.

Reduces e Babylonica captivitate (allegorice, e servitute peccati; anagogice, ex hac mortali vita) sibi gratulantur, orantque ut et residui liberentur: ita Theodoretus.

Canticum graduum.

1. In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati:

2. Tunc repletum est [1] gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

3. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

4. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.

5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

6. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua:

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

℣. 1. *In* [2] *convertendo* (Hieronymus, *cum converteret:* Chaldæus, *quando convertet*), *facti sumus sicut consolati* — Id est, sic lætati sumus, ut solent qui insperatis bonis vel novis nuntiis valde consolantur seu recreantur: Hieronymus et Chaldæus vertunt, *sicut somniantes*, et *somniis evigilantes*, quasi dicat: Tam insperatus nobis accidit reditus e carcere.

℣. 4. *Converte captivitatem nostram* reliquam, id est, reliquos ex gente nostra captivos adhuc in Chaldæa, reduc in patriam, et una nobiscum exhilara: *sicut torrens* flante austro terram convertit et exhilarat, nempe copia aquarum, quas auster calore suo solvens glaciem, et liquans nivem, procreare et inducere solet. Unde Chaldæus habet, *converte captivos nostros, sicut convertitur terra quando irrumpunt in eam exitus*, seu fluenta *aquarum tempore siccitatis:* ita Theodoretus. Tropologice, S. Hieronymus et Augustinus, flante Spiritu sancto solvuntur peccata et gelu cordis per compunctionem et lacrymas.

℣. 6. *Semina sua* — q. d. Proles et opes suas quasi perdunt in Babylonia: sed Deo providente referent multiplicato fœnore lætissimos inde manipulos novarum opum et gaudiorum. Anagogice, qui seminant hic bona opera, et maxime verbum Dei, metent in futuro manipulos meritorum, et animarum quas convertunt, inquit sanctus Augustinus et Hieronymus.

(1) " Vers. 2 et 5. *Gaudio* Hieron. *Risu. Exultatione.* Hier. *laude.* „

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 52.

PSALMUS CXXVI.

Citra Dei favorem nec familiæ, nec urbes, nec proles parari vel servari possunt. Tropologice, sine gratia Dei, nec incipere, nec proficere, nec perseverare possumus in virtute.

Canticum graduum
Salomonis.

1. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

2. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum:

3. Ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

4. Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii [1] excussorum.

5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

℣. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum*, seu materialem, seu politicam, q.d. Nisi Deus dederit proles, familiam amplam, et opes et dignitates, etc. frustra laboras: Simile habes Exodi 1, v. 21, et 2 Reg. 7, v. 11.

℣. 2. *Vanum est ante lucem surgere* ad opus et labores: supple, Deo non juvante, vel labores non prosperante.

Surgite postquam sederitis — Est ironia, q. d. Esto in multam noctem laboretis, et nunc post brevem somnum, quem non jacentes, sed *sedentes*, obiter captatis, iterum ante lucem surgatis ad opus, et sic *manducetis panem doloris*, id est, cibum multo dolore partum; parum tamen vel nihil proficietis, ni Deus faverit.

Cum interim *det dilectis suis*, id est, amicis quibus favet securum *somnum*. Est antithesis versus præcedentis ut patet ex Hebræo, q. d. Impii continuato labore dies et noctes se fatigant, et frustra, Deo manum suam subtrahente. Sed pii, quibus adest et favet Deus, licet somno suavissime indulgeant, ipsis tamen quasi dormientibus affatim omnia bona obveniunt, nominatim *filii* multi et proles, quasi *hereditas* ipsis a Deo concessa: et *fructus ventris*, id est, fœcunditas prolium et pecorum, datur ipsis tamquam *merces* justitiæ ipsorum. Id verissimum fuit in veteri testamento, juxta divinum promissum Levit. 26 et Deuteron. 28; ita fere Chaldæus et Theodoretus.

℣. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis*, seu fortis sagittarii, magna vi contortæ, supple, præsidio sunt ipsi et terrori hostibus; *ita* sunt *filii excussorum* — id est, juvenum. Juvenes enim vocantur hebraice *hanneurim* [2], id est, *excussi* quia expediti sunt ab omni impedimento, ad prælium, ad omne opus prompti. Unde Aquila, Symmachus et Hieronymus vertunt, *filii juventutis*, q. d. Deus amicis suis in flore juventutis dabit validas et robustas proles, quæ parentibus suis sint aliquando pro sagittis, id est, armis et præsidio, quo possint etiam e longinquo contra hostes defendi. Genebrardus per *excussos* intelligit parentes concussos et quassatos ab hoste: q. d. Filios tamen illorum fortes fore et felices, et præsidio parentibus.

℣. 5. *Implevit desiderium*; Hebræus et Hieronymus, *pharetram*; Chaldæus, *scholam*, id est, domum suam (prout desiderarat) plenam habet ejusmodi sagittis, id est, filiis multis, probis, fortibus: hi enim parenti suo præsidio erunt, dum *loquetur*, id est, contendet, cum *inimicis suis in porta* — id est, in judicio, quod loco publico fiebat in porta urbis.

(1) " Vers. 4. Illud *excussorum* est participium passivum præteriti temporis, ut patet ex græco. Vide Hieron. Epist. ad Marcell. Estius. „

(2) הנעורים.

PSALMUS CXXVII.

Justi beantur omnigenis bonis.

Canticum graduum.

1. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.
2. Labores manum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.
3. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.
4. [1] Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.
5. Benedicat tibi Dñus ex Sion: et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
6. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

℣. 2. *Labores manuum tuarum manducabis* — Id est, quæcumque seu labore manuum, seu justo mercatu, seu alia industria tibi compararis, non rapiet fur, non tempestas, non fiscus, sed tu ipse pacifice pro tuo nutu frueris, et in tuos tuorumque usus convertes.

℣. 3. *Sicut novellæ*, id est, nova germina vel plantulæ, *olivarum*, pulcræ, ductiles, delectabiles, semper virentes, optimæ spei quod in oleas pingues excrescent: ita S. Hieronymus. Et, ut alii, *sicut frutices olivarum* non inserentur alieno trunco, neque extra nativum locum transplantabuntur (neque enim fert istud olea): id est, non erunt, neque habebuntur spurii, sed germani et genuini referent parentes suos lineamentis, vita, moribus, religione. Allegorice, Ecclesia Christi abundabit semper filiis genuinis, floridis et pacificis: pacis enim symbolum est oliva: ita S. Augustinus.

(1) " Vers. 4. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Hebr. *Ecce quia sic benedicetur vir timens* Jehveh. „

PSALMUS CXXVIII.

Israel (et allegorice, Ecclesia Christi) gratulatur sibi, quod hostes numquam valuerint se subvertere.

Canticum graduum.

1. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: dicat nunc Israel:
2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi.
3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

℣. 1. *Sæpe expugnaverunt* — id est, expugnare conati sunt. Nam verba Hebræa sæpissime tantum significant [1] conatum, vel actum inchoatum.

A juventute mea — Id est, a tempore priorum Patriarcharum, Abrahæ, Moysis, etc.

℣. 3. *Supra dorsum* (Hieron. *cervicem;* Chaldæus, super *corpus*) *meum fabricaverunt peccatores* — Id est, hostes mei quasi fabri, dorsum meum continuis malleorum ictibus quam diutissime contuderunt. Hebraice, chaldaice, Aquila, Theodotion, et S. Hieronymus, *araverunt aratores, et in longum protraxerunt arationem* vel *sulcum suum.* Allegorice, convenit Christo flagellato et Martyribus.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 16.

4. [1] Dominus justus concidit cervices peccatorum:

5. Confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit:

7. De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.

8. Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Dñi.

℣. 8. *Et non dixerunt*, more usitato, q. d. De isto fœno viatores transeuntes per prata, non dixerunt messoribus vel dominis, Deus benedixit vobis et messi vestræ. Nempe nulla erat, vel admodum tenuis messis, cui vel cujus ratione bene precari operæ pretium non sit. Ita conatus tyrannorum et aliorum hostium Ecclesiæ vel nullos, vel infelices eventus suarum machinationum habere solent.

(1) " Vers. 4. *Dominus justus concidit*, præteritum pro futuro *concidet*. Rom. Corr. "

PSALMUS CXXIX.

Orat scelerum suorum et culpa et pœna liberari.

Canticum graduum.

1. De profundis clamavi ad te, Domine:

2. Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

3. Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

4. Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinui anima mea in verbo ejus,

5. Speravit anima mea [1] in Domino.

6. A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino:

7. Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

℣. 1. *De profundis* — Hebraice, *de profunditatibus*; Symmachus, *de profundissimis*, puta carcere, exilio, calamitate, miseria et voragine peccatorum.

℣. 4. *Propter legem tuam* — qua pœnitentibus indulgentiam promittis.

℣. 6. *A custodia* (Hieronymus, *a vigilia*) *matutina usque ad vigiliam vespertinam*, id est, ab excubiis matutinis, seu primo mane, usque in altam *noctem*, id est, tota die, omni hora.

℣. 7. *Copiosa* (Hieronymus, *multa*) *apud eum* (Chaldæus, *cum illo*) *redemptio* — id est, liberatio, salvatio. Allegorice, Hieronymus, Redemit nos Christus non auro, sed sanguine suo: non paucos homines, sed universum mundum: non ad paucos annos, sed pro tota æternitate: nec ad exiguum emolumentum, sed ad immensum gloriæ pondus.

(1) " Vers. 9. *In Domino*. Hebraice non est. "

PSALMUS CXXX.

Profunda humilitas, qua tibi diffidas, et uni Deo fidas, præsentem a Deo opem meretur.

Canticum graduum David.

1. Domine, non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

℣. 1. *In magnis* (Aquila et Chaldæus, *in magnificentiis*), *et mirabilibus super me* — Chaldæus, *rebus mirandis præ me*; Symmachus, *transcendentibus*, q. d.

2. Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam:
Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.
3. [1] Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in seculum.

Non sum conatus res quæ meas vires vel statum excederent: neque scrutatus sum arcana Dei consilia, quam ob causam, quem in finem sic de me vel de aliis decernat.

℣. 2. *Si non*, etc. supple, puniar et perdar a Deo. Est enim *si* Hebræis nota [2] jurantis et execrantis. *Sicut ablactatus* recens puerulus se habet erga matrem suam, puta humilis est, mansuetus, sinui matris inhærens, totusque ab illa pendens, ut rursum novo lacte vel cibo ab illa pascatur; *ita retributio in anima mea* — id est, ita *ablactata anima mea*, (ut vertunt Symmachus et Hieronymus) pendet a te tuoque sinu, et omnia sibi a te tribuenda expectat.

(1) " Vers 3. *Speret Israel in Domino.* Vid. Psalm. 129, vers. 7. "

(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 13.

PSALMUS CXXXI.

Salomon transferens arcam in templum recens exstructum, 2 Paralip. 6, orat ut Deus illud inhabitet, ac sacerdotes, totumque regnum prosperet. Allegorice, orant Christiani, ut Deus Ecclesiam; tropologice, animam inhabitet.

Canticum graduum.
1. [1] Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus:
2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob:
3. [2] Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei:
4. Si dedero somnum oculis meis: et palpebris meis dormitationem,
5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.
6. Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis silvæ.
7. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

℣. 2. Pro *sicut*, Hieronymus et Chaldæus habent, *Qui* David, *juravit Domino. Si introiero*, etc. — Supple, puniar, ut dixi Psal. 130, vers. 2.

℣. 5. *Locum* — nempe, qui Deo placeat, ut in eo templum ædificem. Videtur David hoc votum vovisse, inquiunt Rabbini et Jansenius, cum ob numeratum populum populus peste plecteretur, 2 Reg. ult. tunc enim sollicite quærenti regi designavit Deus ei locum per Gad prophetam, nempe aream Ornan Jebusæi.

℣. 6. *Audivimus*, scilicet ex Gad propheta, *eam* mansionem selectam a Deo *in Ephrata* — quæ proprie est *Bethlehem* [3]. Sed hic accipitur pro tota regione *Ephratæa*, q. d. *fertili*, quæ extendebatur a Bethlehem Jerosolymam usque per duas leucas, et fere appropriabatur Davidi: nam et Bethlehem in qua natus erat, vocabatur *civitas David*, et Sion, quam Jerosolymæ extorsit Jebusæis, dicebatur *arx David*. Porro utitur hic potius nomine *Ephrata*, quam *Jerosolymæ*, ut alludat ad *Ephraim*, in qua tribu fuerat antea *arca*, q. d. Relinquat Dominus urbem *Silo*, quæ est in tribu *Ephraim*, et migret cum arca in *Ephratam*, id est, in Sion. Allegorice, Christus natus est in *Ephrata*, id est, agro Bethlehemitico: ita Hieronymus [4], Theodoretus et alii.

In campis silvæ — Id est, in loco silvoso, puta in monte *Moria*, qui antequam ibi conderetur templum, erat locus silvosus. Vide quæ dixi 2 Reg. ult. et 1 Paral. 21. Tropologice, in vepribus idolatriæ et vitiorum.

℣. 7. *Introibimus* jam nunc, cum transferemus arcam e mobili tabernaculo ad stabile tabernaculum, id est, in templum.

Ubi steterunt pedes ejus — Quia in templo erat *arca et propitiatorium*, quasi

(1) " Vers. 1. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Hebr. *Afflictionis ejus.* "

(2) 2 Reg. 7, vers. 2.
(3) Gen. 35, vers. 19. (4) In Epitaph. Paulæ.

8. [1] Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.

9. Sacerdotes tui induantur justitiam: et sancti tui exultent.

10. Propter David servum tuum, non avertas faciem christi tui.

11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: [2] de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filii eorum usque in seculum, sedebunt super sedem tuam.

13. Quoniam elegit Dñus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

14. Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

15. Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.

16. Sacerdotes ejus induam salutari: et sancti ejus exultatione exultabunt.

17. [3] Illuc producam cornu David, paravi lucernam christo meo.

18. Inimicos, ejus induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

scabellum pedum, et thronus Dei, ut dixi Psal. 98, v. 5.

℣. 8. *Surge, Domine*, e tabernaculo mobili et vago, *in requiem tuam*, id est in templum, ubi fixe et quiete habitabis, *tu et arca sanctificationis tuæ* — id est, tibi sanctificata et consecrata, et in qua tu sanctificaris seu coleris, et nos per eam sanctificas. Allegorice, applicatur Christo e terris in cælum demigranti.

℣. 9. *Sacerdotes tui*, qui in templo tibi deservient die ac nocte, *induantur justitiam* — id est, sanctitatem omnem quam exigit sacerdotium; Chaldæus, *induant vestes justitiæ*. Vestes enim sacerdotum, de quibus Exodi 28 significabant justitiam et puritatem, et alias virtutes quibus ornari debebant.

Et sancti tui (Chaldæus, *Levitæ* tibi consecrati) *exultent* — id est, lætas laudes et psalmos tibi canant. Hieronymus et Chaldæus.

℣. 10. *Non avertas*, id est, ne repellas, ne averseris, *faciem christi tui* — id est, meam Salomonis, quem in regem unxisti. Allegorice, Messiæ.

℣. 11. *Veritatem* — Id est, rem verissime et certissime futuram.

℣. 15. *Viduam* (pro, viduas et pauperes Sionis) victum reliquaque necessaria illi curando, alam. Hebraice enim est *tsedah* [4], id est, *venationem*, seu *victum ejus* multiplicabo: ut vertunt Symmachus, Aquila, Hieronymus, Chaldæus: et in Græcis LXX. Regiis etiam est Θήρα, seu *venatio*. Pro quo Noster legisse vi-

detur χήρα, id est, *vidua:* et ita etiam legunt alii codices Græci, item Psalterium Arabum et Æthiopum: et S. Hilarius dicit LXX habere χήραν, inquit Joannes Mariana. Sed in eumdem sensum redit, nam multiplicando *victum*, benedicit *viduam et pauperem*.

℣. 16. *Induam salutari* — id est, salute, ut est in Hebræo, id est, ornabo justitia et sanctitate, quæ est vera hominis salus. Theodoretus.

℣. 17. *Illuc*, in Sion, *producam* (Hieronymus et Chaldæus, *oriri faciam* et germinare) *cornu* — id est, robur, gloriam, decus regium Davidis, nempe per ejus posteros reges, et maxime per Christum (inquit Hieronymus et Theodoretus) qui Lucæ 1, v. 69 vocatur *cornu salutis*.

Paravi lucernam, id est, prospexi, ut in solio regio Davidis semper aliquis ex posteris ejus resideat, qui erit *lucerna christo meo* — id est, qui suo splendore et gloria illustrabit nomen et familiam Davidis a me in regem inuncti: item qui viam aperiet Messiæ ex Davide ejusque posteris nascituro, 2 Paralip. 21, vers. 7. Unde S. Hieronymus et Augustinus allegorice, lucernam hanc dicunt fuisse Joannem Baptistam, ardentem et lucentem.

℣. 18. *Sanctificatio*, id est, benedictio, *mea* — Hieronymus et Chaldæus, *diadema et corona*, qua Davidem ejusque posteros in reges coronavi, et sic mihi sanctificavi et consecravi, q. d. Majestas, robur, gloria regni Davidici (alleg., Christi), quotidie magis magisque efflorebit.

(1) 2 Par. 6, vers. 41.
(2) 2 Reg. 7, v. 12; Luc. 1, v. 55; Actor. 2, v. 30.
(3) Malach. 3, vers. 1; Luc. 1, vers. 69.
(4) צידה.

PSALMUS CXXXII.

Commendat fratrum concordiam, tum cum Israelitæ in duos antea populos et regna divisi, jam occiso Isboseth, 2 Regum 4, v. 5, in unum regnum sub uno rege Davide coalescerent; allegorice, cum Ecclesia Christi ex Gentibus simul et Judæis conflaretur.

Canticum graduum David.

1. Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum!

2. [1] Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron:

Quod descendit in oram vestimenti ejus:

3. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in seculum.

℣. 2. *Sicut unguentum*, non vulgare aliquod, sed sacerdotale, quo Aaron et quivis summus sacerdos consecrabatur, quod optimum erat et odoratissimum, de quo Exodi 30 et Levit. 8: *Effusum* vero in caput ejus, defluebat quoque *in barbam, et in oram;* non imam, sed summam *vestimenti:* et sic fragrantia sua mire recreabat cum Aaronem, tum præsentes omnes. Ita concordia fraterna mire oblectat Deum et homines. Allegorice, sunt charismata Spiritus sancti. Est item

℣. 3. concordia fraterna *sicut ros* — Quia primo, est e cælo: secundo, suavis, et non impetuosa vel procellosa, ut imber; tertio, est fœcundissima. *Sicut ros qui descendit in* montem *Hermon:* item *sicut ros qui descendit in montem Sion.* Loquitur enim de alio atque alio rore; sicut montes isti sunt valde a se mutuo dissiti; nam *Sion* est in medio Judææ, *Hermon* in extremo, juxta Jordanem, vicinus Libano.

Illic, id est, in Sion, inquit Theodoretus, ubi Spiritus sanctus in Apostolos descendit. Melius S. Augustinus, *illic*, id est, in quovis concordiæ loco, seu super fratres concordes, *mandavit*, id est, promisit et misit, *Dominus benedictionem et vitam* longævam: cum e contra discordes raro longævi sint aut felices.

(1) " Vers. 2. *Sicut unguentum in capite.* Hebr. *Sicut oleum optimum super caput, quod descendit,* etc. "

PSALMUS CXXXIII.

Extructo dedicatoque templo, hortatur sacerdotes omnes et Levitas ad laudes divinas studiosius celebrandas.

Canticum graduum.

1. Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini:

[1] Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri,

℣. 2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum et terram.

℣. 1. *Qui statis in domo Domini*, id est, sacerdotes: et qui *in atriis*, id est, Levitæ, qui in atrio interiori; et laici, qui in exterioribus.

℣. 2. *In*, pro, etiam in, *noctibus extollite manus vestras*, per preces, hymnos et psalmos, *in sancta* — id est, versus Sanctum sanctorum, seu versus propitiatorium et arcam. Anagogice, ad cælum; allegorice, ad Christum, inquit S. Hieronymus.

℣. 3. *Te*, qui sic benedicis et laudas Deum, vicissim benedicet Deus qui habitat in templo Sion.

(1) " Vers. 1. *Qui statis*, etc. Hebr. *Qui statis in atriis Domus Dei mei per noctes.* "

PSALMUS CXXXIV.

Invitat omnes ad laudandum Deum ob beneficia præstita Israeli et orbi universo.

1. Alleluja.
Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.

2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave.

4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel [1] in possessionem sibi.

5. Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.

6. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.

7. [2] Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.
Qui producit ventos de thesauris suis;

8. [3] Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9. Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte: in Pharaonem, et in omnes servos ejus.

10. [4] Qui percussit gentes multas: et occidit reges fortes:

11. [5] Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.

12. Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel populo suo.

13. Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.

14. Quia judicabit Dominus populum suum: et in servis suis deprecabitur.

15. [6] Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.

℣. 1. *Alleluja.* Vide Psalm. 104, v. 1.

℣. 4. *In possessionem* — Hebræum *segulla* [7] cimelium significat seu monile, quod Symmachus vertit, *selectum quoddam*; Hieronymus, *peculium.*

℣. 7. *Educens nubes,* hebraice, *elevans elevationes,* seu exhalationes et vapores, *ab extremo terræ* — id est, ab ultimis terrarum oris, maxime ex mari et magnis fluminibus, e quibus vi solis, vapores et exhalationes sursum sublevantur, et in nubes compinguntur: unde tonitrua et fulmina; *in pluviam et ventos,* supple, desinentia.

℣. 11. *Omnia regna Chanaan* — quorum 31 enumerantur Josue 12.

℣. 13. *Memoriale tuum* — Psalm. 101, vers. 13.

℣. 14. *Judicabit,* id est, vindicabit ab injuria. *Et in servis suis deprecabitur* — Hebraice, *erit placabilis,* ut vertit Hieronymus; græce, *consolationem accipiet*: vel *deprecabitur* passive, pro, facile sinet se deprecari, ut avertat flagella, quæ etiam piis aliquando immittuntur. Hoc enim pœnitentibus promisit Deuteronomii 30.

Ubi nota duplex beneficium Dei: unum, quod puniat hic amicorum peccata; cum reprobis servet ultionem in diem judicii, 2 Machab. 7. Alterum, quod pœnitentibus mox deprecabilem se præbeat, ut etiam dicitur Deuter. 32, v. 36.

℣. 15. *Simulacra Gentium* — Vide Psal. 113, v. 12.

(1) [a] Vers. 4. *In possessionem sibi.* Hebr. *In peculium suum,* vide Exod. 19, vers. 5, quidam reddunt. *Pro proprietate sua.* Alii: *Ut sit illi velut ornamentum quoddam, et gemma pretiosa.* Nonnulli *In thesaurum suum.* Nec desunt qui *in dilectum suum.* Malvenda.

(2) Jer. 10, vers. 13.
(3) Exod. 12, vers. 29.
(4) Jos. 12, vv. 1, 7.
(5) Num. 21, vv. 24, 35.
(6) Sup. 113, vers. 4.
(7) סגלה.

16. [1] Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.
17. Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.
18. Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes, qui confidunt in eis.

(1) Sap. 15, vers. 15.

19. Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.
20. Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.
21. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

PSALMUS CXXXV.

Ejusdem est argumenti.

1. Alleluja.
Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.
2. Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
3. Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
4. Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia ejus.
5. [1] Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia ejus.
6. Qui firmavit terram super aquas: quoniam in æternum misericordia ejus.
7. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus.
8. Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia ejus.
9. Lunam et stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus.
10. [2] Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
11. [3] Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.
12. In manu potenti, et brachio excelso: quoniam in æternum misericordia ejus.
13. Qui divisit mare Rubrum in divisiones: quoniam in æternum misericordia ejus.
14. Et eduxit Israel per medium ejus: quoniam in æternum misericordia ejus.
15. [4] Et excussit Pharaonem, et

℣. 1. *Misericordia*, Chaldæus, *benignitas ejus*, supple, exercetur et durat *in æternum* — Hoc hemistichion intercalare respondebatur ab uno choro, vel ab omni populo, Levitis in alio choro canentibus priorem versiculi partem; fere ut nunc fit in nostris Litaniis.

℣. 2. *Deo deorum* — Vide Psalm. 49, vers. 1.

℣. 5. *Fecit cælos in intellectu* — id est, magno intellectu et sapientia, seu sapientissime: ita Theodoretus. Neque enim vult, cælos intellectu præditos, aut animatos esse, et aliquando beandos, ut voluerunt Platonici, et dubitavit aliquando sanctus Augustinus [5].

℣. 6. *Firmavit terram super aquas* — id est, superiorem aquis, contra situm quem naturaliter exigeret. Vel *super*, id est, juxta *aquas*, ut Psal. seq. v. 1.

℣. 8. *Solem in potestatem;* hebraice, *in dominium*; Chaldæus, ut præesset, *diei* — Sol enim et facit diem, et suo calore, lumine, varioque influxu omnia viventia vegetat per diem: *luna* per noctem.

℣. 15, *Virtutem;* hebraice, exercitum *ejus*, ut vertit Hieron. et Chald. et LXX.

(1) Gen. 1, vers. 1. (2) Exod. 12, vers. 29.
(3) Exod. 13, vers. 17. (4) Exod. 14, vers. 28.
(5) Enchiridii, cap. 58.

virtutem ejus in mari Rubro: quoniam in æternum misericordia ejus.

16. Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia ejus.

17. Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia ejus.

18. [1] Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia ejus.

19. Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

20. [2] Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia ejus.

21. [3] Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum misericordia ejus.

22. Hereditatem Israel servo suo: quoniam in æternum misericordia ejus.

23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia ejus.

24. Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia ejus.

25. Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia ejus.

26. [4] Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

(1) Num. 21, vers. 24. (2) Num. 21, vers. 33. (3) Jos. 13, vers. 7.

(4) " Vers. 26. *Confitemini Domini Dominorum*... deest Hier. Hebr. et LXX. "

PSALMUS CXXXVI.

Lugent Judæi suam captivitatem in Babylonia: allegorice, Ecclesia et quivis fidelis exilium suum in hoc mundo. Inscribitur in Græco et Latino, non item in Hebræo vel Chaldæo, Jeremiæ: *quia Jeremias hos eosdem threnos latius prosecutus est.*

Psalmus David, Jeremiæ.

1. Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion:

2. In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra.

3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos verba cantionum:

Et [1] qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea faucibus mei, si non meminero tui:

Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.

℣. 1. *Super flumina Babylonis* — Id est, juxta Tigrin et Euphraten.

℣. 2. *In salicibus*, id est, ad salices fluminum, *in medio* regionis Babylonicæ, *suspendimus organa* — Hieronymus et Chaldæus, *citharas nostras*, id est, omnia instrumenta musica, q. d. Privavimus nos omni voluptate et gaudio, ob tædium hujus exilii.

(1) " Vers. 3. *Qui abduxerunt nos:* qui nos in aerumnum redegerunt. Hebr. idest civitatem nostram,

℣. 5. *Oblivioni detur*; Vatablus, *obliviscatur*, nempe artem pulsandi citharas et organa; hebraice, *obstupescat*, seu fiat paralytica manus mea. Et *adhæreat lingua faucibus meis* — Chaldæus, *palato meo*, ita ut non possim amplius psallere aut loqui.

℣. 6. *In principio* — Hebraice, principium seu caput, q. d. Si non magis et

Bossuet. *Hymnum*, lætitiam, Hebr. lætum carmen petebat. Idem. "

7. Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

9. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

prius gaudeam de futura instauratione Jerosolymæ, et de ea plus satagam, quam de ullis deliciis aut alia re mundi. Theodoretus.

℣. 7. *Filiorum Edom*, seu Idumæorum, qui cum essent vicini et cognati nostri (prognati ex Esau fratre Israelis) tamen odio nostri, *in die Jerusalem*, id est, tempore destructionis Jerosolymæ, *dixerunt* suaseruntque Babyloniis, *Exinanite* — Hebraice, *nudate;* Chaldæus, *complanate;* Hieronymus, *evacuate*, in nihilum redigite, omnia ad fundamentum usque diruite. Theodoretus.

℣. 8. *Filia Babylonis*, id est, o Babylon [1], *misera* — Hebraice, *devastata*, seu devastanda propediem a Cyro et Dario.

℣. 9. *Beatus*, supple, sit ille, q. d. Bene vertat Deus Cyro, *qui* tibi vicissim rependet vastitatem quam Jerosolymæ intulisti, et pari modo *parvulos tuos allidet ad petram*, ut tu nostros allisisti. Quod optat ex appetitu non vindictæ, sed justitiæ, nempe ut impii parentes puniantur in suis prolibus: et ut nulla posteritas remaneat tam impiæ stirpis. Simile habes Isaiæ 13, v. 16. Porro dicitur hic Cyrus futurus beatus non beatitudine supernaturali gratiæ aut gloriæ, quasi sit salvandus, vel veri Dei cultor publicus futurus (nam hoc negari videtur Isaiæ 45, vv. 4 et 5): sed beatitudine naturali et temporali, id est, felix et fortunatus futurus: nam expugnata Babylone factus est celeberrimus monarcha, qui monarchiam Chaldæis eripuit et transtulit ad Persas. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Nolim tamen negare, Cyrum, ut et Darium, aliquando Deum verum agnovisse, ut dixi in Esdra [2], et dicam in Daniele.

(1) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 40.

(2) 1 Esdr. 1, et Esther 1, vers. 1.

PSALMUS CXXXVII.

Deum laudat, et gratias agit pro variis ab eo beneficiis acceptis.

1. Ipsi David.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi:

2. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo,

Super misericordia tua et veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

3. In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

℣. 1. *In conspectu angelorum* — Hebraice, *coram diis*, ut Hieronymus, seu *judicibus*, ut Chaldæus vertit: quamquam Hebræum nomen *elohim* [1], etiam angelis approprietur, quos certum est ex 1 Cor. 11, v. 10, piorum precibus interesse.

℣. 2. *Magnificasti super omne* ens, seu supra res omnes alias, fecisti apparere magnificum *nomen* — id est, majestatem tuam, id est, te; hebraice, *verbum tuum*, id est, Christum, inquit Hieronymus, vel simplicius promissa tua, ut Vatablus.

℣. 3. *Multiplicabis in anima mea virtutem* — Chaldæus, *fortitudinem;* Hieronymus, *dilatabis animæ meæ fortitudinem;* Græcus, *multiplicabis me in anima mea potentia tua*, id est, multipliciter extolles animam meam per potentiam tuam, qua facies illam superiorem omnibus ærumnis, adversitatibus et

(1) אלהים.

4. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

5. Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

6. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: et alta a longe cognoscit.

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum meorum [1] extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

8. Dominus retribuet pro me: Domine, misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.

hostibus suis, inquit S. Hieronymus [2] et Euthymius. Allegorice, Spiritu sancto et donis illius roborabis me.

℣. 4. *Audierunt omnia verba oris tui* — id est, promissa tua vere et reipsa per te impleta esse.

℣. 5. *Cantent in viis Domini* — Id est decantent, laudent et celebrent vias Domini, id est, facta et consilia Dei, rationesque divinæ providentiæ. Theodoretus.

℣. 6. *A longe*, seu eminus, q. d. Non familiariter et amice, sed contemptim. Quia dum *altos*, id est, superbos, a suo favore ac cælo removet, et in ima relegat ac contemnit, videtur quasi eminus eos aspicere, inquit S. Augustinus.

℣. 8. *Dominus retribuet pro me*, supple, vindictam hostibus meis, inquit Chaldæus: Hieronymus, *operabitur pro me;* Symmachus, Vatablus et Jansenius, *perficiet in me* quod inchoavit. Unde mox orat, *Opera manuum tuarum ne despicias* — Hieronymus et Chaldæus, *ne derelinquas*, ne deseras.

(1) " Vers. 7. *Extendisti.* Hebr. *mittes manum tuam.* „

(2) In Isaiæ 52.

PSALMUS CXXXVIII.

Canit Dei omniscientiam et omnipræsentiam. Unde sequitur, nos debere vitam sanctam colere.

1. In finem, Psalmus David.

Domine, probasti me, et cognovisti me:

2. Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

3. Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, et funiculum meum investigasti.

4. Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea.

5. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima, et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

6. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.

℣. 1. *Probasti* — Hieronymus, *investigasti:* Chaldæus, *perscrutatus es me*, q. d. Plane me perspectum habes.

℣. 2. *Cognovisti sessionem et resurrectionem meam* — id est, motus et actiones omnes meas.

℣. 3. *Funiculum* — nempe hereditatis; hebraice, *accubationem* meam eventilasti, quid, quantum, quo jure possideam? vel *funiculum*, id est, longum filum seu seriem vitæ, studiorum et actionum mearum.

℣. 4. *Non est sermo*, quantumvis obscurus, astutus et tectus: supple, quem tu non noveris, quis, qualis, quorsum, qua mente a me proferatur.

℣. 5. *Novissima* — obventura mihi, totique orbi in futurum: *et antiqua*, id est, quæcumque olim obvenerunt. S. Augustinus et Euthymius.

Super me jam plasmatum, *posuisti* extemplo *manum tuam* conservatricem et gubernatricem Dei. Chrysost. et Theod.

℣. 6. *Ex me* — id est, ex mei opificio, structura et conservatione sane mirabili; Chaldæus, *præ me*, q. d. *Mirabilior me*,

7. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

8. [1] Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

9. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris:

10. Etenim illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua.

11. Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me: et nox illuminatio mea in deliciis meis.

12. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

13. Quia tu possedisti renes meos: [2] suscepisti me de utero matris meæ.

14. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

15. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terræ.

16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes

ut vertit Hieronymus, seu, mirabilior quam ut meo intellectu assequi possim.

Confortata — Chaldæus, *ardua*; Hieronymus, *excellentior*, seu celsior est captu meo.

℣. 7. *Quo ibo a spiritu tuo?* — Id est, indignatione tua, inquit Emmanuel Sa. Vel simplicius cum S. Hieronymo et Euthymio, *a divinitate tua*, quæ instar spiritus et animæ mundi, mundum totum invisibilis penetrat, et non in solo cælo (ut vulgus existimat, et Aristoteles putavit), sed ubique realiter existit et adest per essentiam, præsentiam et potentiam.

℣. 9. *Diluculo*, pro a diluculo, seu *ab aura*; Chaldæus, *si sustulero alas auroræ*, q. d. Si celerrime evolem *in extrema* loca *maris* — seu in ultimum Occidentem; an vel momento uno aberis a me? immo tu ipse toto itinere *deduces me* ut olim Jonam.

℣. 11. *Tenebræ conculcabunt me* — Chaldæus, *obscurant*; Hieronymus, *operient*, et ut calceus terram, ita occultabunt me.

Nox illuminatio mea — pro, mei; Symmachus, Aquila, Hieron., *nox erit lux*; vel, ut Chaldæus, *lucet* Deo: id est, nox, quæ alioqui sua obscuritate tegit omnia coram oculis hominum, coram oculis Dei nihil tegit, sed illuminat illi omnia quæ circa me vel alios geruntur: ut, si vel in altissimis tenebris velim indulgere *deliciis meis*, seu voluptatibus, non effugiam tamen oculos Dei.

℣. 12. *Sicut tenebræ ejus*, puta noctis *ita et lumen ejus* — nempe diei; Chaldæus, *æquales apud te*; Hieronymus, *similes sunt tenebræ et lux*, q. d. Perinde tibi est ut videas, sive tenebræ sint, sive lumen: quia oculi tui sunt sicut sol, qui non eget alieno lumine, sed proprio suo omnia conspicua facit.

℣. 13. *Possedisti*, id est, habes in tua potestate, scientia, præsentia, *renes meos* — id est, omnia interiora mea, et occultissimas quasque motiones animi.

℣. 15. *Os*, id est, ossa, vel ossium compactura, quam tu ipse *fecisti in occulto* matris meæ utero, tamquam in recondita naturæ officina, inquit Theodoretus.

Et substantia, id est, natura et essentia *mea*, supple, non est occultata tibi, quia tu ipse eam formasti *in inferioribus terræ* — id est, in utero matris, quasi in abdito antro terræ. Pro *substantia mea*, hebraice est, *roukametti* [3], id est, *acu pictus*; Hieronymus *imaginatus*, seu instar imaginis opere phrygionico formatus sum. Hoc dicit propter nervos, venas, ossa, musculos, cartilagines, humores, colores, etc. quibus velut opere phrygionis aut plumario corpus compingitur. Vide Galen., Lactant. [4] et alios.

℣. 16. *Imperfectum* — Hebraice, *embryonem*, q. d. Me in utero dumtaxat inchoatum, cum adhuc essem imperfe-

(1) Amos 9, vers. 2.

(2) [a] Vers. 13 *Suscepisti me de utero matris meæ.* Alludit ad ritum veterum, qui quos alere vellent liberos, suscipiebant, sive tollebant. Ter. in Andr. Act. 2, Sc. 3:

Puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa, cautio
Num pollicitus sum suscepturum. (est.

(3) רקמתי a radice רקם *racam*, id est, acu pingere: unde *recamar*.

(4) Galenus de Usu partium, tom. 1; Lactant. de Dei opificio.

scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis.

17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

18. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur: exurrexi, et adhuc sum tecum.

19. Si occideris, Deus, peccatores: viri sanguinum declinate a me:

20. Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates tuas.

21. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam?

22. Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi.

23. Proba me, Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.

24. Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via æterna.

ctus fœtus, optime perspectum habuisti: quanto magis jam perfectum et adultum?

In libro tuo, seu divinæ præscientiæ, vel *memoriæ tuæ*, ut Chaldæus, omnes tum artus hominum, tum dies seu tempora, tum ipsi homines ab æterno descripti sunt. Et quantumvis multiplicentur seu multi formentur, nullus tamen ex omnibus effugiet librum seu scientiam tuam. S. Hilarius id adscribit electis Dei et libro vitæ.

℣. 17. *Mihi autem nimis*, id est, valde excellenter, *honorificati* (hebraice, *pretiosi*: Hieronymus et Chaldæus, *quam honorabiles*) facti videntur, q. d. Omnia quidem etiam minima nosti, curas et honoras; sed tamen peculiari adhuc scientia (quam Theologi vocant *approbativam*) et singulari amore, cura et honore prosequeris *amicos tuos:* nam *eorum principatum*, id est, dignitatem, excellentiam, potentiam, valde roborasti, et *super arenam*, seu præ arena maris, *multiplicasti* eos numero, opibus, gloria. Hinc *exurrexi*, id est, quasi e somno calamitatum, vel pigritiæ, vel diffidentiæ, evigilavi in spem et magnanimitatem, *et adhuc tecum* persisto, persistamque semper, nempe, ut inter *amicos tuos* perpetuo censear, tibique uni adhæream. Allegorice, Christus resurrexit, ut semper adsit Deo: et nos item in die judicii: ita S. Hilarius, Augustinus, Theod.

℣. 19. *Si occideris;* hebraice, *o si*, utinam *occidas*, seu pergas occidere, ut cœpisti! Ergo hinc facessite, *viri sanguinum*, id est, homicidæ et peccatores, qui tam nobile opificium Dei destruitis, *declinate a me* — scilicet, ne eodem vobiscum supplicio involvar, et perdar a Deo.

℣. 20. *Quia dicitis in cogitatione dolose*, inquit Hieronymus; *scelerate*, Chaldæus, id est, maligna cogitatis et machinamini contra Deum et Sanctos. Quin et *accipient in vanitate*, id est, dolis et insidiis invadent, o Domine, *civitates tuas* — id est, populi tui: supple, nisi tu eos coerceas.

℣. 23. *Interroga*, id est, proba *me*, ut Psal. 10, v. 6.

℣. 24. *In via æterna* — Id est, per viam seu semitam virtutum, quæ recta ducit ad vitam æternam.

PSALMUS CXXXIX.

Orat liberari ab insidiis Saulis et Doeg, vel ut alii, Achitophel: eorumque punitionem prædicit.

1. In finem,
Psalmus David.

2. Eripe me, Domine, ab homine malo: a viro iniquo eripe me.

3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.

4. [1] Acuerunt linguas suas sicut

(1) Sup. 5, vers. 11; ad Rom. 3, vers. 13.

serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.

5. Custodi me, Domine, de manu peccatoris: [1] et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos:

6. Absconderunt superbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7. Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.

8. Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli:

9. Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10. Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.

12. Vir linguosus non dirigetur in terra: virum injustum mala capient in interitu.

13. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.

14. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: et habitabunt recti cum vultu tuo.

℣. 6. *Scandalum* — Hieronymus, *offendiculum;* Chaldæus, *laqueum,* seu rete, id est varias insidias quibus me illaqueare conantur.

℣. 8. *Obumbrasti* — Hieronymus, *protexisti* me quasi clypeo.

℣. 9. *A desiderio meo* — Id est, procul a, vel contra desiderium meum. In Hebræo alioquin est, *ne desimpio* sua *desideria.*

℣. 10. *Caput circuitus eorum,* id est, summa circuitionis et vafriciei illorum, qua me oppugnant et circumvenire conantur, puta *labor labiorum ipsorum* — id est, mendacium et calumnia, in qua concinnanda valde laborant labiis suis, fac ipsosmet operiat et perdat: solet enim malum consilium consultori pessimum accidere. Tropologice, *caput circuitus* impiorum est vel superbia, vel avaritia, vel aliud capitale peccatum, quod singulos tam diu gyrat in omnem partem, donec mergat in abyssum, inquit S. August.

℣. 11. *Cadent,* scilicet missi a te de cælo, *carbones* — id est, prunæ ardentes, ut olim in Sodomam.

In ignem — inferni, inquit Chaldæus.

℣. 12. *Non dirigetur* — Id est, non prosperabitur, ut dixi Psal. 100, v. 7.

℣. 14. *Cum vultu tuo* — scilicet benigno, id est, cum favore et gratia tua. Psal. 4, v. 7. Anagogice, cum clara visione Dei: ita S. Augustinus.

(1) " Vers. 5. *Et ab hominibus iniquis.* Hebr. *A viro injuriarum,* violento. *Eripe me.* Hebr. *Custodi me. Supplantare.* Hebr. *impellere gressus meos,* id est pedes volunt. Mariana. „

PSALMUS CXL.

Orat ut in afflictione patiens sit et tutus ab hoste, maxime Saule, inquit Theodoretus.

1. Psalmus David.

Domine, clamavi ad te, [1] exaudi me: intende voci meæ, cum clamavero ad te.

2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

℣. 2. *Dirigatur* (hebraice, recta ascendat, et placeat tibi), *elevatio manuum mearum,* id est, oratio quam oro manibus in cælum elatis. Placeat, inquam, *sicut incensum,* id est, thymiama, et *sicut sacrificium vespertinum,* seu quod jugiter vesperi offertur tibi, nempe farinæ cum agno immaculato, Exodi 29 et Num. 28, quæ typus erant et Eucharistiæ vesperi instituendæ, et sacrificii cru-

(1) " Vers. 1. *Exaudi me.* Hebr. *Festina mihi,* id est cito *mihi subveni.* Maldon. „

3. Pone, Dñe, custodiam ori meo: et ostium circumstantiæ labiis meis.

4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis:

Cum hominibus operantibus iniquitatem: et non communicabo cum electis eorum.

5. Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum:

6. Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt:

7. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

8. Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

9. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: et a scandalis operantium iniquitatem.

10. Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

cis sub vesperam consummandi. Videturque vespertinum sacrificium, utpote consummatio totius diei, et quia plures interesse solent, honoratius fuisse matutino.

℣. 3. *Pone custodiam* (id est, custodi), *et ostium circumstantiæ*, id est, ostium quod labia mea circumstet et custodiat per circuitum, ut nihil per ipsa egrediatur vel ingrediatur quod mihi obesse possit, v. g. ut nulla *verba malitiæ* per impatientiam vel desperationem effutiam contra te, vel contra hostes meos: neque *excusem* me in eo in quo constat me peccasse. Item *ne communicent cum electis* impiorum; hebraice, *cum delicuis*, q. d. Ne intersim conviviis, *cantilenis*, ut Chaldæus; tripudiis, aliisve lasciviis mundanorum. Ita quoque Symmachus et S. Hieronymus.

℣. 5. *Oleum* — id est, blanditiæ, adulationes, deliciæ et beneficia impiorum non inungant aut demulceant me ut iis assentiar, et participem de sceleribus illorum: ita S. Hilarius, August., Theodoretus. Unde Hebræa habent, *oleum veneni*; Hieronymus, *amaritudinis*.

Quoniam adhuc, supple, modicum superest temporis, *et* exaudietur a Deo *oratio mea*, quæ versatur *in*, id est, circa, *beneplacitis eorum* — id est, circa delicias et petulantias eorum, ut scilicet Deus iis tandem aliquando finem faciat. Unde Hieronymus, Symmachus et Aquila vertunt; *pro malitiis eorum*; Chaldæus, *in malitiam eorum*, supple, puniendam et finiendam: ita Theodoretus.

℣. 6. Tunc *Absorpti sunt*, pro, absorbebuntur et interibunt, *juncti petræ*, id est, allisi saxis, vel e rupe præcipitati, *judices*, id est, principes, *eorum* — Ita factum Idumæis 2 Paralip. 25, v. 12.

Audient, id est, punitis sic principibus, alii omnes illo exemplo tunc cognoscent, *quoniam verba mea*, quibus Deum oravi ut impios puniret, *potuerunt* — id est, potentia et efficacia fuerunt, obtinueruntque quod petebant. Allegorice, Jansenius, perditis dæmonibus et tyrannis per petram, quæ est Christus, cœperunt Gentiles auscultare Evangelio.

℣. 7. *Sicut crassitudo terræ erupta est* — Symmachus et Aquila, *Sicut crassa*, seu pinguis, *terra aratro discissa rumpitur*, et glebæ hinc inde in proximos sulcos ab agricola sparguntur: sic *ossa*, id est, vires nostræ ab hostibus confringuntur et dissipantur, in easque angustias redigimur, ut morti et inferno proximi simus. Alludit ad ossa martyrum insepulta, inquit S. August.

℣. 8. *Quia ad te*, etc. Refer ad id quod sequitur, *Non auferas;* Chaldæus, *ne effundas, animam*, id est, vitam *meam*.

℣. 9. *A scandalis* — de quibus Psalmo præcedenti, v. 6.

℣. 10. *In retiaculo ejus*, scilicet Dei, inquit Theodoretus; vel primarii principis impiorum, Jansenius. Vel *in retia sua*, ut vertit Symmachus et Chaldæus, id est, suismet laqueis illaqueentur. Sed *ego sim singulariter*, id est, semotus, et sic tutus a laqueis eorum, *donec transeam* illæsus: vel donec migrem ad vitam feliciorem: ita Theodoretus. Allegorice, S. Augustinus, Christus desertus ab omnibus, solus subivit passionem.

PSALMUS CXLI.

David circumsessus a Saule in spelunca, 1 Regum 24, implorat opem Dei. Allegorice, Christus in horto Gethsemani.

1. [1] Intellectus David,
Cum esset in spelunca, oratio.
(I. *Reg.* XXIV).

2. Voce mea ad Dominum clamavi: [2] voce mea ad Dominum deprecatus sum:

3. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

4. In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

5. Considerabam ad dexteram et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.

6. Clamavi ad te, Domine; dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

7. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me.

8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

℣. 4. *In deficiendo ex me spiritum* — Id est, cum præ anxietate et evadendi desperatione spiritus meus in me deficeret [3] supple, clamavi ad Deum, ut præcessit.

Tu cognovisti, id est, intime perspectas habes, *semitas meas* — id est, rationes vitæ meæ, innocentiam meam. Vel *semitas*, id est, vias quibus ex his angustiis evadam manus Saulis.

℣. 5. *Periit a me fuga*, id est, modus et locus fugæ: *et non est qui requirat animam meam*, seu qui mihi opituletur et subveniat.

℣. 6. *Portio mea*, scilicet hereditaria, quam unam et solam spero et quæro in hoc mundo, *tu es* Deus: ita Theod.

℣. 8. *Educ de custodia*, id est, ex hac spelunca; Symmachus et Aquila, *ex hac clausura*; Hieronymus, *e carcere* et afflictione. Nam *justi* omnes continuo *expectant*, ut juxta promissa tua *tribuas* mihi libertatem et regnum Israel. Nam hebraice est, *me coronabunt justi cum retribueris mihi*. Anagogice, e corruptione corporis educ animam meam, inquit S. Augustinus. Et hunc versum recitans S. Franciscus, animam efflavit [4].

(1) [a] Vers. 1. *Intellectus.* Hier. *Erudítio. Spelunca*, scilicet Odollam, vide 1 Reg. 22. „
(2) Supra 27, vers. 6.

(3) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 52.
(4) S. Bonavent. in vita S. Francisci.

PSALMUS CXLII.

A persecutione Absalomi, licet juste promerita, rogat liberari. Tropologice, pœnitens a via peccati optat deduci in viam virtutum et salutis, inquit Theod.

1. Psalmus David,
Quando persequebatur eum Absalom filius ejus.
(II. *Reg.* XVII).

Dñe, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; exaudi me in tua justitia.

2. Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

3. Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi:

4. Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis in factis manuum tuarum meditabar.

6. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi:

7. Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

8. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

9. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi:

10. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:

11. Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam:

12. Et in misericordia tua [1] disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

℣. 2. *Non justificabitur omnis vivens* — Id est, nemo est qui per omnia et semper sit justus, inquit S. Augustinus: nam nullus est homo qui toto tempore vitæ suæ non admittat aliquod peccatum. Unde non potest Lutherus hinc probare, omnia opera justi esse peccata.

℣. 3. *Collocavit me* filius meus *in obscuris*, id est, coegit me recipere me in obscuras speluncas, *sicut mortuos seculi*, seu ante multa secula, qui latent in obscuris sepulcris: ita Theodoretus.

℣. 5. *Memor fui dierum antiquorum* — quando scilicet me, meosque antecessores, Abraham, Isaac, Jacob, ceterosque Patriarchas tam miris modis liberasti, q. d. Spero quod simili modo me quoque nunc liberabis. Theodoretus.

℣. 6. *Anima mea tibi*, seu ad te anhelat, *sicut terra sine aqua* sitit aquam ut humectetur et virescat. Hieronymus, Theodoretus.

℣. 7. *Et ero*, pro, alioquin ero, *similis descendentibus in lacum* mortis vel inferni. Theodoretus.

℣. 10. *In terram;* Chaldæus, *in viam, rectam* — id est, recta ad te ducentem, in qua non aberrem, quo minus ad finem meum et beatitudinem pertingam. Unde alii vertunt, in viam virtutis: quia, ut inquit sanctus Augustinus, spiritus meus malus deduxit me in terram perversam, id est, in viam vitiorum. Allegorice, in Ecclesiam; anagogice, in cælum, ubi summa est rectitudo.

℣. 11. *Vivificabis me*, id est, vivum, vegetum, florentem conservabis, *in æquitate tua* — id est, secundum justitiam tuam, quæ non sinit diu injuste opprimi innocentes.

(1) " Vers. 12. *Disperdes inimicos meos.* Non addas *omnes.* Rom. Corr. „

PSALMUS CXLIII.

Carmen triumphale ob victoriam contra Goliath, aliosque hostes: quas rogat continuari.

1. Psalmus David
Adversus Goliath.
Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

2. Misericordia mea, et refugium meum: susceptor meus, et liberator meus:

Protector meus, et in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

3. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

4. Homo vanitati similis factus est: [1] dies ejus sicut umbra prætereunt.

5. Domine, inclina cælos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.

6. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis; de manu filiorum alienorum.

8. Quorum os locutum est [2] vanitatem: et dextera eorum, dextera iniquitatis.

9. Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

10. Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno:

11. Eripe me,

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum, dextera iniquitatis:

12. Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ: circumornatæ ut similitudo templi.

13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis:

℣. 2. *Misericordia mea* — scilicet activa. Tu enim, o Deus, es qui mei miseri misereris; Chaldæus, *auctor benignitatis meæ.*

℣. 3. *Innotuisti ei* — Græcus et Symmachus, *reputaris ei*, vel *cognosceris ab eo*, id est, das homini cognitionem tui, itemque amicitiam et familiaritatem. Quod maximum Dei donum est.

℣. 5. *Inclina cælos* — q. d. Sicut olim e nube descendisti in Sinai, et sic visus es cælos et teipsum inclinasse; et tetigisti montem Sinai tonitru et fulmine, adeo ut fumigaret, Exodi 19. Ita etiam nunc fac, ut hoc vel simili modo sentiant hostes nostri te nobis adesse, et pro nobis pugnare. Allegorice, adsis Messia, ut liberes nos. Hieronymus, Augustinus.

℣. 6. *Emitte sagittas tuas* — puta grandinem, tonitru, fulmen, famem, pestem, morbos omne genus.

℣. 7. *Libera me de aquis multis* — id est, e confluxu multarum afflictionum et calamitatum, quæ me quasi aquæ obruunt et suffocant. Theodor.

℣. 10. *De gladio maligno* — Hieronymus, *pessimo;* nempe gladio *Goliath*, inquit Genebrardus.

℣. 12. *Sicut novellæ plantationes* — seu plantulæ, scilicet pulcherrimæ, florentissimæ, oculis gratissimæ.

Ut similitudo templi — id est, ad instar templi, vel statuarum templi, affabre sculptarum et ornatarum. Tropologice, sunt hæreses, inquit S. Hieronymus; et artes meretriciæ, Theodoretus.

℣. 13. *Eructantia*, id est, redundan-

(1) Job 8, vers. 9, et 14, vers. 2.

(2) " Vers 8. *Vanitatem.* Chald. *Juramentum vanum. Iniquitatis.* Hier. *mendacii.* Sa. "

14. Boves eorum crassæ.
Non est ruina maceriæ, neque transitus: neque clamor in plateis eorum.

15. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

tia, videlicet præ nimia copia inclusarum opum, ut sæpe oporteat eas ex uno promptuario in aliud transferre.

Oves fœtosæ — Hieronymus, *in millibus;* Chaldæus, *parientes millia.*

Abundantes in egressibus, seu partubus, *suis* — Hieronymus, *innumerabiles in compitis* seu vicis, cum egrediuntur ad pascua; Chaldæus, *multiplicantes in myriadas in stabulis nostris.* Loquitur enim in ipsorum persona.

℣. 14. *Non est ruina maceriæ* — id est, nullus hostis muros agrorum, domorum, vel arcium, impiorum infestat aut quatit, aut diruit, ut *transeat* ad eis nocendum. Hinc *neque clamor* bellicus vel lamentum auditur inter eos, q. d. Vivunt in alta pace et prosperitate: ita Symmachus et Theodoretus.

℣. 15. *Beatus,* supple, revera is solus est, qui quantumvis pauper et miser, Deum novit, colit et amat: et quem vicissim Deus amat et curat quasi *Deus ejus* — Ex ipso enim solo omne bonum, et summum bonum.

PSALMUS CXLIV.

Laudat Deum ob ejus immensam majestatem, potentiam, justitiam, sanctitatem, clementiam et bonitatem in omnes creaturas effusam.

1. Laudatio ipsi David.
Exaltabo te, Deus meus rex: et benedicam nomini tuo in seculum, et in seculum seculi.

2. Per singulos dies benedicam tibi: et laudabo nomen tuum in seculum, et in seculum seculi.

3. Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis.

4. Generatio et generatio laudabit opera tua: [1] et potentiam tuam pronuntiabunt.

5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: et mirabilia tua narrabunt.

6. Et virtutem terribilium tuorum dicent: et magnitudinem tuam narrabunt.

7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: et justitia tua exultabunt.

8. Miserator et misericors Dominus: patiens, et multum misericors.

9. Suavis Dominus universis: et miserationes ejus super omnia opera ejus.

10. Confiteantur tibi, Domine, o-

℣. 5. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ,* id est, magnificam gloriam, decorem et splendorem *sanctitatis tuæ,* qua et tu sanctus es, et alia sanctificas, *loquentur,* et laudabunt homines: ita S. Hieronymus et Theodoretus: qui addit, Prophetam ideo pluribus nominibus idem repetere, quia naturales Dei appellationes condigne assequi vel exprimere nequibat.

℣. 6. *Virtutem,* id est, potentiam; Hieronymus et Chaldæus, *fortitudinem, terribilium tuorum* — supple, judiciorum et ultionum, deprædicabunt.

℣. 7. *Abundantiæ* (græce, *abundantis*) *suavitatis,* χρηστότητος, id est bonitatis, benignitatis, beneficentiæ *tuæ memoriam eructabunt* homines pleno corde et ore. *Et justitia tua exultabunt* — id est, ob tua justa judicia summopere gaudebunt, S. Augustinus.

℣. 9. *Miserationes ejus super omnimodam potentiam tuam,* vide Psalmum 18, v. 1 seq. „

(1) " Vers. 4. *Et potentiam tuam pronuntiabunt.* Quidam reddunt: *Prout* hæc opera tua *indicant*

mnia opera tua: et sancti tui benedicant tibi.

11. Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur:

12. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiæ regni tui.

13. Regnum tuum regnum omnium seculorum: et dominatio tua in omni generatione et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

14. Allevat Dominus omnes, qui corruunt: et erigit omnes elisos.

15. Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno.

16. Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.

17. Justus Dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

19. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos.

20. Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet.

21. Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in seculum, et in seculum seculi.

nymus, *in*) *omnia opera ejus* — scilicet expansæ sunt, seu in omnibus relucent, etiam in pœnis infernalibus: nam et has citra condignum infligit impiis, et leviores quam de rigore justitiæ debeantur: ita fere S. Hieron., Theodoretus, Genebrardus, Jansenius.

℣. 16. *Aperis manum* — id est, aperta manu liberaliter largiris cibum omni animali, quasi dicat: Quam facile nobis est aperire manum, tam facile est Deo affluentiam omnium bonorum etiam puncto temporis præbere, inquit Theodoretus.

PSALMUS CXLV.

Non in principibus, non in ullo homine, sed in solo Deo fidendum, utpote solo fidelissimo, ditissimo, potentissimo et benignissimo.

1. Alleluja,
Aggæi et Zachariæ.

2. Lauda, anima mea, Dominum,[1] laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus,

3. In filiis hominum, in quibus non est salus.

4. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

℣. 1. *Alleluja* — Vide Psal. 104, v. 1. *Aggæi et Zachariæ* — quia ab his non compositus, sed decantatus est hic Psalmus cum reverterentur e Babylone.

℣. 3. *In quibus non est salus*, id est, qui non possunt salvare vel beare suos, ut dixi Psal. 117, v. 8. Solius enim *Domini est salus*, et solius *Jesu* salvare nos, inquit S. Augustinus.

℣. 4. *Exibit* e corpore *spiritus*, id est, anima, *ejus*, scilicet hominis, *et* sic *revertetur* homo *in terram suam* — quia corpus ejus resolvetur in humum unde formatum erat: unde hebraice, *adam leadematho* [2]: ita S. Hieronymus.

Tunc *peribunt omnes cogitationes* — id est, evanescent omnia consilia, concident omnes machinationes, quas statuerat exequi in vita sua.

(1) Supra 144, vers. 2.

(2) אדם לאדמתו.

5. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius:

6. [1] Qui fecit cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.

7. Qui custodit veritatem in seculum; facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos;

8. Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.

9. Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet: [2] et vias peccatorum disperdet.

10. Regnabit Dominus in secula, Deus tuus Sion in generationem et generationem.

℣. 7. *Solvit compeditos* — id est, vinctos, incarceratos: ut olim Josephum, Manassem, Jechoniam et alios. Tropologice, solvit vincula concupiscentiæ, et alios pravos affectus animi; anagogice, solvit ærumnas carnis per mortem et resurrectionem, inquit S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

(1) Act. 14, vers. 14; Apoc. 14, vers. 7.

(2) " Vers. 9. *Et vias peccatorum disperdet.* Lectio singularis numeri *viam* non parvæ est auctoritatis. Lectionum varietas. „

PSALMUS CXLVI.

Laudat Deum quod populum Israeliticum sub judicibus olim per terras Gentium dispersum jam collegerit in Jerusalem, quodque omnibus liberaliter provideat; allegorice, quod Gentes collectæ sint in Ecclesiam Christi.

1. Alleluja.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

2. Ædificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

3. Qui sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum.

4. Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat.

5. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus.

6. Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

℣. 1. *Bonus est psalmus,* id est, *bonum est psallere Deo,* ut vertit Chaldæus et Theodotion. *Sit* ergo *jucunda decoraque laudatio,* id est, hilariter et decenter laudetur Deus, tum alias ob causas, tum quia *ædificavit Jerusalem Dominus,* sibi et populo suo in habitationem; quæ antea receptaculum erat latronum Jebusæorum. Et in eam jam ædificatam *congregabit dispersiones Israelis* — id est, Judæos dispersos per varia regna mundi. Allegorice, Christus colligit in unam Ecclesiam suam Gentes et Judæos.

℣. 3. *Alligat* quasi fasciis, et instar periti chirurgi curat *contritiones* — id est, confractiones, vulnera et *plagas,* ut Hieronymus vertit, exemplo Samaritani, Lucæ 18. Allegorice, per Sacramenta curat vulnera et morbos animæ, inquit S. Augustinus.

℣. 4. *Numerat* — id est, in numerato habet omnes stellas, quæ in Scripturis Genes. 15 et Jerem. 33 comparantur *arenæ maris,* et revera sunt innumerabiles, ut vel ex illis constat quæ in Zodiaco et circulo lacteo confuse cernuntur. Quod ergo Ptolemæus [1] solum numeret 1022 stellas (nempe, quot sunt radices linguæ Hebrææ), intelligendum est de notabilioribus, magisque conspicuis stellis.

Et omnibus eis nomina vocat — Chaldæus, *omnes nominatim vocat,* id est, tam perfecte et distincte pernoscit Deus singularum stellarum naturam, situm,

(1) Lib. 8 Almagesti.

7. Prænínite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

8. Qui operit cælum nubibus; et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum.

9. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

11. Beneplacitum est Domino [1] super timentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

ordinem, magnitudinem, vires, influxus, et omnes alias differentias, ut singulas nominatim possit evocare: ita Theodoretus et Genebrardus. Vide quæ dicam Isaiæ 40, v. 26. Anagogice, Hieronymus, et Augustinus, novit Dominus qui sunt ejus in cælo et in terra: Simoni dat nomen Cephæ seu Petri: Saulo Pauli: Jacobo et Joanni *Boanerges*, seu filii tonitrui.

℣. 8. *Herbam servituti hominum* — Vide Psal. 103, v. 14.

℣. 9. *Pullis corvorum invocantibus eum* flebili suo crocitatu: de quo vide dicta Job 38, v. ult. q. d. Si Deus tam viles et despectas et noxias aves, voracissimas interim, immo carnivoras, simulatque crocitant, exaudit et pascit; quanto magis vos modicæ fidei? Tropologice, sunt peccatores et Gentiles, inquit S. Hieronymus et Augustinus.

℣. 10. *Voluntatem habebit*, id est, delectabitur; Chaldæus, *beneplacet ei. Nec in tibiis viri* — id est, neque in peditibus, neque in equitibus, ut ante præmisit.

(1) " Vers. 11. *Super timentes eum.* Gaudet Deus, et delectatur iis, qui ipsum timent et spem suam in ejus misericordia constituunt. Menochius. „

PSALMUS CXLVII.

Pergit hortari Ecclesiam ad laudes Dei, ob alia plura beneficia ab eo accepta. Unde et hic Psalmus apud Hebræos est pars præcedentis, qui illis est 147 Psalmus: et ita cum Latinis rursum conveniunt in numero Psalmorum a quibus Psalmo 9 deflexerant.

Alleluja.

12. Lauda, Jerusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.

13. Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

14. Qui posuit fines tuos pacem: et adipe frumenti satiat te.

15. Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

16. Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

℣. 14. *Posuit fines tuos pacem*, seu in pace, id est, pacificos: vel pace munivit, ne quis vos infestet. Tropologice, pacem conscientiæ.

Adipe frumenti — id est, frumento pingui et medulloso, id est, optimo, Allegorice, doctrina Christi et S. Eucharistia, S. Hieronymus.

℣. 15. *Emittit eloquium terræ;* Chaldæus, *mittit in terram verbum suum*, seu jussum et imperium suum, quasi legatum, qui quovis cursore et angelo velocius currit, et perficit legationem suam. Similis prosopopœja est Isaiæ 55, v. 11. Hinc solo jussu suo *dat* terræ *nivem sicut lanam* — quia candore, levitate, mollitie, inquit Theodoretus; item densitate et innato calore similis est lanæ, tegens, fovens, calefaciens terram, halitusque et expirationes terræ cohibens et in viscera repellens.

℣. 16. *Nebulam:* hebraice, *pruinam*, ut Hieronymus et Chaldæus vertunt, *spargit* Deus, *sicut cinerem* — Nam et colore et copia, et virtute similis est pruina cineri, exurens et absumens ni-

17. Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

18. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

19. Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias et judicia sua Israel.

20. [1] Non fecit taliter omni nationi: et judicia sua non manifestavit eis. Alleluja.

mium humorem terræ. Unde etymon *pruinæ*, quasi *perurens*, inquit Sextus Pompejus.

℣. 17. *Mittit crystallum suam*; Hieronymus et Chaldæus, *projicit glaciem suam*: vel potius grandinem conglaciatam. Et vero *crystallus* id græce significat, inquit Mariana. Et inde deducta est vox ad lapidem eo nomine significandum qui, teste Plinio [2], nihil est aliud, quam glacies vel humor longo tempore et gelu ita duratus, ut solvi non possit. Sic Psal. seq., v. 8, ubi græce est κρύσταλλος, Noster et alii vertunt, *glacies*. Et Apollinaris, πῦρ μετὰ κρυστάλλοισι, i. e., ignis cum grandine. Et patet ex sequenti hic hemistichio, *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* id est, quis feret frigus quod grandinem consequitur? Itaque mittit Deus grandinem et glaciem suam quasi *buccellas*, id est, quasi frusta et fragmenta candidissimi panis, quibus terra pascatur et saginetur. Sicut enim æstate terram pluviis et ventis temperat,

ne æstu nimio hiet et lædatur: sic hieme ne frigore moriatur, fovet eam nive pro lana, pruina pro igne, grandine et glacie pro saccaro et pane et cibo. Quanto igitur major erit illi cura de homine, maxime fideli et justo, in hieme tribulationis et tentationis?

℣. 18. *Emittet verbum suum*, ut supra v. 15, q. d. Quando Deo visum fuerit, jubet soli ut *liquefaciat ea*, scilicet, nivem, pruinam, grandinem et glaciem; *et spiritui*, id est, vento, ut ex resoluta nive et glacie *fluant aquæ* — Tropologice, Deus quando vult, tempestatem commutat in serenitatem, bellum in pacem, luctum in gaudium, inquit S. Hilarius, Euthymius, Theodoretus.

℣. 19. *Annuntiat verbum suum*, id est, legem et cæremonias legales, seu nutus et desideria cordis sui, aperuit soli *Jacob* — id est, populo Israelitico, et nullis aliis populis. Allegorice, præcepta et consilia Evangelica, et mysteria divina soli Ecclesiæ suæ patefecit Christus.

(1) " Vers. 20. *Non fecit taliter omni nationi*; id est, nulli sua judicia, legem et decreta manifestavit, præterquam vobis. Estius. "

(2) Lib. 37, cap. 2.

PSALMUS CXLVIII.

Omnes creaturas invitat ad laudandum Deum.

1. Alleluja. Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Etiam bruta et inanima invitat hic Propheta, ex ingenti zelo, ad laudandum Deum. Primo, votive, quia optaret sic fieri, et ut omnes creaturæ haberent mille animas, mille linguas quibus laudarent Deum. Secundo, metaphorice et objective laudant eum: nam sua existentia, pulcritudine, viribus et effectibus ostendunt in se maximam materiam laudis divinæ, puta infinitam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem in singulis relu-

centem. Tertio, etiam metonymice, quia faciunt homines ex sui cotemplatione laudare Deum, et sic per os hominum laudant Deum, inquit S. August. et Theod.

℣. 1. *Laudate Dominum* omnes *vos de cælis*, et qui estis *in excelsis* — id est, o vos angeli, ut habet Chaldæus: vel Deum habitantem *in cælis excelsis*.

℣. 2. *Omnes virtutes ejus* — id est, exercitus et copiæ militares Dei, nempe angeli.

3. Laudate eum sol et luna: laudate eum [1] omnes stellæ, et lumen.

4. [2] Laudate eum cæli cælorum: et aquæ omnes, quæ super cælos sunt,

5. Laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, et in seculum seculi: præceptum posuit, et non præteribit.

7. Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi.

8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus:

9. Montes, et omnes colles: ligna fructifera, et omnes cedri.

10. Bestiæ, et universa pecora: serpentes, et volucres pennatæ:

11. Reges terræ, et omnes populi: principes et omnes judices terræ.

℣. 4. *Cæli cælorum* — id est, supremi cæli. Simile Psal. 67, v. 34.

Aquæ quæ super cælos sunt — Petes, quænam istæ aquæ, *cælum crystallinum*, inquit S. Bonaventura, Lyranus, Catarinus, Cajetanus, Abulensis, Genebrardus et Valesius. Sed hæ nimis æquivocæ sunt aquæ. Rupertus, Eugub., Pererius, Leonardus Marius, Mariana, Valentia et Lorinus volunt esse *nubes*. Sed quomodo possunt *nubes* dici esse supra *firmamentum* stellatum, ut habetur Genesis I, v. 7? Item quomodo *nubes* dici possunt *statutæ in æternum?* ut hic dicitur v. 6. Respondeo ergo, esse aquas proprie dictas et fluidas, longe quidem rariores, mobiliores et pellucidiores nostris aquis, naturales tamen et ejusdem speciei cum nostris, ut dixi Genesis I, v. 7. Idque tum alias ob causas ibi prolatas: tum quod clarissima Scriptura id exigat, quæ ubique fere distinguit has aquas superiores a nubibus et inferioribus aquis, et primo loco ponit inter alia creata. Et ita sentit ex antiquis Patribus S. Clemens, Tertullianus, Hieronymus, Cyrillus, Gennadius, Anastasius Sinaita, Claudius Marius Victor, Procopius, Severianus, Acacius, Olympiodorus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Magister: ex recentioribus Oleaster, Molina, Martinengus, Stella, Bellarminus, Serarius, Delrius, Becanus, a Lapide, Bonfrerius et Salianus [3]. Posuit vero has aquas Deus supra omnes inferiores cælos, et forte in parte cæli empyrei, tamquam loco (ex decreto Dei) ipsis naturali (sicut phlegma in homine posuit in ipso capite, inquit S. Augustinus). Et quidem ad ornatum universi: et ut æternum extet matrix cælorum. Addit Cornelius a Lapide, servire quoque oblectamento Sanctorum: qui ut in cælo empyreo habent aerem suum, connaturali respirationi, sensationi et motui corporum necessarium, ac speciebus omnium rerum devehendis aptissimum; ita verisimiliter habent et aquam, variis rerum formis effigurandis, omnique ornatui recipiendo accommodatam. Forsan etiam istic collocatæ sunt ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cæli empyrei, ceteroquin splendidissimi, et sole nostro lucidioris. Ut dixi Genes. 1, v. 7. Denique multa mirari nos voluit Deus, non scrutari: et major est S. Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas, inquit S. Augustinus [4].

℣. 6. *Præceptum posuit* — Id est, certam legem, atque ordinem circa situm, motum, influentias, præstituit Deus cælis, stellis, aliisque creaturis, quem numquam transgrediuntur, etsi inanimæ sint. Erubesce ergo, homo rationalis, qui solus Dei legem non observas, inquit sanctus Hieronymus.

℣. 7. *Dracones* — Chaldæus, *ceti* seu balenæ, de quibus Job 40, v. 20.

(1) " Vers. 3. *Omnes stellæ, et lumen.* Hebr. *omnes stellæ luminis*, idest lucentes. Maldonatus. "

(2) Dan. 3, vv. 59, 60.

(3) Clem. l. 2 Recognitionum; Tertull. de Trinit., c. 8; Hier. ep. ad Oceanum; Cyrill. Catech. 9; Gennadius; Anastasius Sin. q. 10; Claudius Vict. in sua Genes.; Procop. et alii hic; Severianus, Acacius, Olympiod. in Catena; Basilius, Ambros, Jo. Chrys. in Job 37; S. Aug. lib. 1 de Civ., c. 34, et l. qq. ex utroque testamento, q. 106; Beda, Anselmus lib. de Imag. mundi, c. 21; Magister sententiarum in 2, dist. 14; Mol. in opere sex dierum; Serarius in epist. 2 S. Petri; Delrius, Becanus, A Lapide, Bonfrerius in Gen. 1, vers. 7; Salianus initio Annal.

(4) Lib. 2 de Genesi ad litteram, c. 5.

12. Juvenes, et virgines: senes cum junioribus laudent nomen Dñi:
13. Quia exaltatum est nomen ejus solius.
14. Confessio ejus super cælum et terram: et exaltavit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis ejus: filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Alleluja.

℣. 14. *Confessio*, id est, laus, *ejus* — ut Chaldæus; vel gloria, ut Hieronymus, relucet ubique in cælo et in terra. *Et exaltavit cornu*, id est, potentiam, gloriam, regnum *populi sui* Israelitici, subactis ejus hostibus. En aliam causam cur *hymnus* Deo decantandus sit ab *omnibus sanctis ejus*, id est, Israelitis, ut mox explicat, dedicatis cultui et servitio Dei, *et appropinquantibus*, vel propinquis Deo, per veram fidem et religionem: vel etiam per carnalem cognationem, inquit Genebrardus: nam Christus ex Judæis carnem assumpsit. Sic allegorice, propinqui fimus Christo per S. Eucharistiam.

PSALMUS CXLIX.

Invitat Israelem ad laudandum Deum, ob victoriam partam ex omnibus hostibus; allegorice, Christianos victores dæmonum, mundi et carnis: ideoque judices futuros in die judicii.

1. Alleluja.
Cantate Dño canticum novum: laus ejus in ecclesia sanctorum.
2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: et filii Sion exultent in rege suo.
3. Laudent nomen ejus in choro: in tympano et psalterio psallant ei:
4. Quia beneplacitum est Domino in populo suo; et [1] exaltabit mansuetos in salutem.
5. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
6. Exaltationes Dei in gutture eorum: et gladii ancipites in manibus eorum:
7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.
8. Ad alligandos reges eorum in compedibus: et nobiles eorum in manicis ferreis:
9. Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluja.

℣. 1. *Novum*, id est, novi argumenti et artificii. *Laus ejus* resonet *in ecclesia*, seu congregatione sanctificatorum Deo, ut jam dixi.

℣. 2. *In rege suo* — nempe Deo et Christo.

℣. 3. *In choro* — id est, publico conventu et concentu. Sed Hebræum *machol* [2] significat chelin, vel tibiam, vel lyram. Unde et Psalmo sequenti v. 4 et hic, inter alia instrumenta musica *chorus* numeratur.

℣. 5. *In cubilibus suis* — id est, in lectis, seu in locis quietis suæ. Alludit ad illud Levit. 26, vers. 6: *Dormietis, et non erit qui exterreat.* Anagogice, in cælo, in thronis cælestibus.

℣. 6. *Exaltationes*, id est, laudes, *Dei: Et gladii ancipites* id est, utrimque acuti. Scilicet qui serviant vindictæ de impiis sumendæ, ut fecit Moyses, Josue, Judices, David, Josias, Machabæi, etc. Allegorice, jurisdictio Ecclesiæ, et potestas puniendi quosvis rebelles; anagogice, potestas judiciaria Christi et Sanctorum, in extremo judicio. Vide Arnob. et Theod.

℣. 9. *Judicium conscriptum* — id est, præscriptum et decretum a Deo; Chaldæus, *scriptum in lege*, puta de gentibus Chananæis, et aliis quibusdam, funditus extirpandis, Deut. 31 et Ez. 38 et 39. *Gloria hæc*, de qua hoc Psalmo, *est* communis *omnibus sanctis ejus*, maxime in die judicii.

(1) " Vers. 4. *Exaltabit mansuetos.* Futurum non præteritum: *exaltavit.* Rom. Corr. „

(2) מחול.

PSALMUS CL.

Est ejusdem argumenti.

1. Alleluja.
Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

2. Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

3. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum [1] in psalterio, et cithara.

4. Laudate eum in tympano, et choro: laudate eum in chordis et organo.

5. Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis:

6. Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja.

℣. 1. *In sanctis ejus* — Hebraice, *in sanctitate ejus*, id est, ob sanctitatem suam. Vel ut Symmachus et Aquila, in sanctuario seu sancto templo; anagogice, in cælo præsidentem.

Et in firmamento virtutis ejus — Hebraice, *in expansione virtutis*, Hieronymus, *in fortitudine potentiæ*, id est, ob suam eminentem virtutem, seu potentiam, expansam et firmatam super omnes creaturas, maxime cælos et cælites. Allegorice, ob firmissime stabilitam Ecclesiam; anagogice, habitationem cælestem.

℣. 2. *In virtutibus* — id est, exercitibus, ut Psal. 148, v. 2; chaldaice et græce, *in fortitudinibus*, id est, ob fortia sua facta.

℣. 4. De *choro* dixi Psal. 149, v. 3. Pro *chordis* seu fidibus, hebraice est *minnim* [2], quod est genus instrumenti musici olim usurpatum. Nam enumerat hic decem instrumenta quibus optat laudari Deum, de quibus, ut et de omni genere harmoniarum, vide Cassiodorum, Boetium et Marianam [3]. Sed ex his nota contra Calvinum et alios hæreticos, usum instrumentorum musicorum in Ecclesia pium esse et gratum Deo, neque solorum puerorum esse aut imperfectorum, ut putavit S. Justinus [4], cum etiam in cælo ubi omnes perfecti sunt, citharæ auditæ sint a S. Joanne, Apocal. 5, vers. 8 et cap. 14, v. 2.

℣. 6. *Omnis spiritus*; Hieronymus, *omne quod spirat*, seu in avibus et brutis, seu in hominibus, voce, flatu, anhelitu suo *laudet Dominum* auctorem vitæ, flatus, cantus tam sonori.

(1) " Vers. 3. *In psalterio.* Hebr. *In nablo.* Nablium Ovidio 3 de Arte: et quoniam *nebel* utrem significat, putant quidam esse, quam *Gaytam* dicimus quoniam utre inflatur. Mariana. "

(2) מנים.

(3) Cassiod. lib. de Mathematicis disciplinis, et lib. 2 Epist., epist. 40; Boetius de Musica; Mariana de spectaculis, c. 11.

(4) Q. 107 ad Orthodoxos.

LIBER
PROVERBIORUM

Hebræum *misle* a *maschal* (1), id est, dominari, significat quamlibet illustrem sententiam, quasi prædominantem ceteris et præcellentem, sive illa sit *proverbium* seu adagium, sive *ænigma* sive *parabola*, sive *parœmia*, ut in græco est: nam hæc nomina fere in Scripturis confunduntur. Porro incipiunt hæ sententiæ a c. 10 hujus libri, nam novem prima capita sunt encomium *sapientiæ*, et ad eam parænesis. Elocutus est eas Salomon, quin et scripto tradidit, sed, ut videtur, aliis atque aliis locis: quas designati a rege Ezechia Rabbini in unum volumen collegerunt a cap. 25 usque ad finem libri: sicut alii ab aliis ante ipsum designati collegerant, quæ prioribus 24 capitibus et duobus ultimis continentur: ita Lyranus, Vatablus, Mercerus et Rabbini. Inducit vero hic Salomon Sapientiam quasi reginam convivas suos inter epulas alloquentem, juxta veterum morem, qui præclaras sententias, problemata, ænigmata, gryphos in conviviis proponere et excutere solebant. Sicut ergo Plato in suo Amoris convivio non unum solum inducit loquentem, sed plures, puta Socratem, Apollodorum, Glaucum, Agathonem et Aristodemum; et Plutarchus septem Græciæ Sapientes, et alii alios; sic Salomon præter Sapientiam convivii reginam et symposiarcham, inducit cap. 30 Agur, et 31 Lamuelem regem, tamquam convivas et interlocutores; cum ab initio libri usque ad caput 30 loquatur sola regina Sapientia. Fuere forsan et alii plures a Salomone interlocutores inducti (neque enim verisimile est, voluisse ipsum solam reginam tot continuo verba facere): sed injuria temporis interciderunt ut plures aliæ ejusdem parabolæ, quas constat ad tria (2) millia ab ipso pronuntiatas fuisse, e quibus hæ pauculæ, quasi e naufragio nobis reliquæ manserunt. Sunt vero hæ sententiæ indiscriminatim sine certo ordine congestæ, quædam æthicæ, quædam œconomicæ, quædam politicæ, quædam theologicæ. Rursus quædam didascalicæ, quædam consolatoriæ, quædam paræneticæ. Sed, ut notat hic in procœmio S. Hieronymus, in his Proverbiis fere parvulos et incipientes docet Salomon, eos de officio suo clare erudiens vitia relinquere, virtutes complecti. In libro vero Ecclesiastæ, virum maturæ ætatis et proficientem docet caduca omnia despicere, et progressui in virtutibus se dare. In Cantico Canticorum, jam consummatum et perfectum virum, et seculo superiorem, in persona sponsæ, jungit amplexibus sponsi.

Nota, in his libris Salomonis, LXX Interpretes sæpe discrepare ab Hebræo et Latino interprete, quia LXX subinde non tam interpretes sunt, quam paraphrastæ et prophetæ, et radices voculasque Hebræas (quæ ut plurimum variæ significationis sunt (3)) aliter atque aliter exponunt. Latinus quoque interpres aliquas subinde sententias habet, quæ in hebræo non habentur, saltem eo ipso loco: quas fere ex versione LXX desumpsit, quæ tum temporis, teste S. Hieronymo, vulgatissima erat. Suntque etiam particulæ omnes istæ Canonicæ Scripturæ, ut Tridentinum definivit (4).

(1) משלי משל.
(2) 3 Reg. 4, vers. 32.
(3) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 11.
(4) Sess. 4.

CAPUT I.

Hortatur Salomon ut studio sapientiæ vacemus, ejusque monita animis infigamus, a pravo sodalitio, aliisque remoris caveamus. Queritur de contemptu cœlestis sapientiæ: et contemptoribus pœnas, obsequentibus præmia pollicetur.

1. Parabolæ Salomonis, filii David, regis Israel.

2. Ad sciendam sapientiam, et disciplinam:

3. Ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, et judicium, et æquitatem:

4. Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, et intellectus.

5. Audiens sapiens, sapientior erit: et intelligens, gubernacula possidebit.

6. Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum.

7. [1] Timor Domini, principium sapientiæ. Sapientiam, atque doctrinam stulti despiciunt.

8. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ:

9. Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.

10. Fili mi, [2] si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

℣. 2. *Ad sciendam sapientiam et disciplinam,* inquit Salomon, collectæ sunt a me istæ parabolæ. Ad hauriendam, inquam, sapientiam divinam, non nudam speculativam, sed practicam, quæ in cognitione, timore et cultu Dei consistit, ut [3] alibi dixi. Quia vero hæc sapientia hauritur ex legibus divinis, estque finis illarum et complementum, hinc fit ut subinde pro iisdem usurpetur, vel pro observatione earumdem.

Disciplina [4] proprie significat castigationem morum: *prudentia* discretionem inter bonum et malum. Sed in hoc libro et sequentibus, fere idem designant quod *sapientia,* multiplicatis copiæ et ornatus causa nominibus. Idem dico de *justitia, judicio* [5], et *æquitate,* v. 3, seu, ut alibi vocatur, *veritate* [6]. Item *scientia, doctrina, intelligentia.* Significant enim hæc omnia officium hominis recti et pii juxta divinæ legis præscriptum et normam.

℣. 4. *Ut detur parvulis;* chaldaice, *insipientibus;* græce, *simplicibus, astutia,* non qua alios decipiant, sed ne ab aliis decipiantur, q. d. Ex hoc libro peti potevit, et puerorum institutio (de qua parentes tam solliciti sunt, et philosophi tam multa conscripserunt), et *adolescentium* juvenumque proba instructio. Nec inutilis erit etiam provectioribus, nam

℣. 5. *sapiens* quoque hæc ipsa proverbia *audiens,* si auscultet, *sapientior* evadet, dum ex iis salutaria consilia etiam de gravissimis negotiis hauriet: et *gubernacula,* LXX κυβέρνησιν, id est, *gubernationem navis,* seu totius vitæ suæ, *possidebit,* cursum tuto et recta dirigendo in optatum portum.

℣. 6. *Ænigma* in hoc differt a *parabola,* quod hæc sit aperta, illud obscura narratio, sub qua occultum quid latet.

℣. 7. *Timor Domini principium sapientiæ* — Quin et profectus, et complementum sapientiæ, ut ostendi Psal. 110, vers. 10.

℣. 9. *Addatur gratia* — LXX *corona gratiarum;* Chaldæus, *decor gratiæ,* q. d. Instar coronæ seu serti e floribus, et quasi *torques* e variis gemmis collo tuo appensa sint pia parentum monita et præcepta.

(1) Psalm. 110, vers. 10; Eccli. 1, vers. 16.
(2) " Vers. 10. *Si te lactaverint.* Hebr. *Illectaverint* atque ita forte vertit Hieron. "
(3) Psalm. 110, vers. 9.
(4) Psalm. 118, vers. 66.
(5) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 14.
(6) Prov. 23, vers. 23.

11. Si dixerint: Veni nobiscum: insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra:

12. Deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum.

13. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.

14. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.

15. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.

16. [1] Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.

17. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.

18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas.

19. Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt.

20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam:

21. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens:

22. Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt scientiam?

23. Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.

24. [2] Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.

25. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.

26. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.

27. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas

℣. 11. *Frustra* — Hebraice *chinnam* [3], id est, gratis, sine justa causa, sine merito, sine culpa, sine fructu.

℣. 17. *Frustra autem* — Ita etiam Chaldæus; sed LXX habent, *non frustra:* fere eodem sensu, q. d. Sicut *pennata* animalia seu aves, dum vident tendi sibi rete, mox avolant, ita et tu retibus istis impiorum, simulatque adverteris, expedi te et avola, nempe cælestibus alis, timore et amore Dei. Ita fere Interpretes, præter Mercerum, Vatablum et Sa, qui id exponunt de stolidis avibus et fatuis hominibus, qui licet rete videant et sentiant, patiuntur tamen se inescari et capi.

℣. 18. *Ipsi contra sanguinem suum* — id est, in suæmet vitæ perniciem et exitium, insidias aliis struunt, verb. gr. docent id:

℣. 19. *Semitæ omnis avari* (hebraice, *sectantis lucrum injustum*) *animas possidentium rapiunt,* seu auferunt, id est, occidunt. Nam male partæ opes, et extorta aliis bona creant plerumque exitium dominis suis, non animi modo, sed et corporis. Exemplo sit vinea Naboth [4], et tot tragœdiæ in historiis Machabæorum.

℣. 20. *Sapientia foris prædicat* — Hebraice, *in plateis* seu *vicis;* Chaldæus, *vicatim clamat.*

℣. 21. *In capite turbarum* — Chaldæus, *in capite arcium;* LXX *in summis muris.* Est prosopopœja, quasi sapientia sit domina vel magistra, quæ omnes ad se alliciat, et *foris, in plateis, vicis et portis,* id est, palam, ubique et apud omnes clamet, et quasi præconis voce omnes invitet. Vox hæc est forma, decor, species omnium creaturarum; etiam interna illuminatio, inspiratio et excitatio: denique externa quoque vox Prophetarum, Apostolorum, Doctorum et concionatorum, ut nemo possit ignorantiam obtendere: ita Beda, Lyranus, Cajetanus, Arboreus et alii. Quamquam possint hæc ipsa quoque omnia applicari, ut quidam applicant, Sapientiæ divinæ increatæ, quæ est ipse Deus: et etiam incarnatæ, quæ est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, ut dicam c. 8, vers. 1. Unde *sapientiæ* hic in Hebræo ponuntur in numero plurali.

(1) Isa. 59, vers. 7.
(2) Isa. 65, vers. 12, et 66, vers. 4; Jerem. 7, vers. 13.
(3) חנם.
(4) 3 Reg. 21.

ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, et angustia:

28. Tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me:

29. Eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint,

30. Nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ.

31. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

32. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.

33. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

℣. 32. *Aversio — Mesubath* [1] *et aversionem* significat, quod Noster cum Chaldæo et Pagnino sequitur: *et requiem* seu tranquillitatem, quo modo Hebræus Scholiastes exponit. Sed in idem redit, si per *aversionem* intelligas elongationem a pœna, vel miseria. Ut sensus sit, *parvulos*, id est, simplices, rudes; Chaldæus, *insipientes* et stupidos homines, per carentiam malorum et affluentiam bonorum, qua prosperari deberent, perdi et perire: ut clarius altera pars hemistichii explicat. Dementat enim illos sua felicitas, quæ difficilius toleratur, quam adversitas. Patuit in Saule, Davide, Salomone, Adamo, Lucifero.

(1) משובת.

CAPUT II.

Pergit commemorare fructus et præmia veræ sapientiæ, quæ sola hominem in officio adversus omnes mundi et aliorum hostium insultus continet.

1. Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te,

2. Ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

3. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ:

4. Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam:

5. Tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies;

6. Quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia, et scientia.

7. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter,

8. Servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens.

9. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam.

℣. 3. *Si sapientiam invocaveris* — ad eam suspirando, anhelando, et precibus a Deo illam efflagitando; Chaldæus, quasi *matrem vocaveris*. Indicatur enim, continuo desiderio, prece, labore conquirendam esse.

℣. 4. *Si effoderis*, id est, scrutatus sollicite fueris sapientiam, *sicut* fossores solent scrutari *thesauros*.

℣. 6. *Ex ore* Domini, id est, Deo docente (solet enim doctrina ore tradi) hauritur sapientia: nempe et exterius per doctores et scripta monita: et interius per inspirationes, illuminationes, et impulsus pios.

℣. 7. *Custodiet rectorum salutem* — Hebraice, *instar thesauri abscondet* promissam repositamque justis salutem, Chaldæus, *incolumitatem*; Pagninus, *essentiam*, supple, divinam, in cujus visione et fruitione consistit æterna salus.

10. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ [1] placuerit:

11. Consilium custodiet te, et prudentia servabit te:

12. Ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur:

13. Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas:

14. Qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis:

15. Quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum.

16. Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea, quæ mollit sermones suos,

17. Et relinquit ducem pubertatis suæ,

18. Et pacti Dei sui oblita est; inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius;

19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.

20. Ut ambules in via bona, et calles justorum custodias.

21. Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea.

22. [2] Impii vero de terra perdentur: et qui inique agunt, auferentur ex ea.

℣. 16. *Mulier extranea*, seu extera, Hebræis est meretrix, quia non est domestica uxor. Hanc, utpote primarium sapientiæ hostem, vitari jubet Salomon: ita Beda, qui allegorice, per meretricem intelligit hæresin seu falsam doctrinam, quam Rabbi Salomon, Vatablus et Hebræi litteraliter hic notari putant. Tropologice R. Levi et alii intelligunt concupiscentiam, et blanditias sensuum.

Quæ mollit sermones suos — id est, blandis verbis castitatem tuam tentat.

℣. 17. *Et relinquit ducem pubertatis suæ* — Hebraice, *ducem adolescentiæ*: Jerem. 3, v. 4, vocatur *dux virginitatis*; nempe *maritus*, cui nupsit virguncula existens.

℣. 18. *Et pacti Dei sui oblita* — id est Sacramenti matrimonii, et sponsionis nuptialis a Deo sancitæ.

Inclinata est ad mortem domus ejus — adulteræ scilicet, quæ instar viæ declivis ducit recta in præceps, in vicinum barathrum mortis et gehennæ. Videas enim passim propter adulteras patrari innumeras cædes, everti familias, et regna inter se committi.

℣. 19. *Non revertentur* ad pristinum vigorem, salutem, vitam. Raro quoque et vix revertuntur ad mentem, ad pœnitentiam, ad resipiscentiam.

℣. 21. *Recti habitabunt in terra* — nempe Judæis promissa, cum omni felicitate annexa. Anagogice, in terra viventium, seu patria cælesti, q. d. Justi et recti non exscindentur e vivis, nihil illis imminet periculi, neque in hoc, neque in futuro seculo.

(1) " Vers. 10. *Placuerit.* Hebr. et Chald. *Dulcis fuerit.* "
(2) Job 18, vers. 17.

CAPUT III.

Monet, in præceptis Dei ambulemus: in Domino, non in prudentia nostra, confidamus; liberalitati studeamus: crucem patienter feramus: sapientiam colamus: proximis benefaciamus.

1. Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat:

2. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi.

3. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui:

℣. 3. *Misericordia* (Chaldæus, *benignitas*) *et veritas* — LXX, *fides*, seu fidelitas. Nota, solere S. Scripturam per hæc duo virtutum nomina designare o-

4. Et invenies gratiam, et disciplinam bonam, coram Deo et hominibus.

5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ.

6. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.

7. [1] Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede a malo:

8. Sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.

9. [2] Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei:

10. Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.

11. [3] Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis:

12. Quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi.

13. Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.

14. [4] Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus:

15. Pretiosior est cunctis opibus: et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

16. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria.

17. Viæ ejus viæ pulcræ, et omnes semitæ illius pacificæ.

mnes omnium virtutum actus et officia: per *veritatem* officia debita; per *misericordiam* gratuita.

Circumda eas gutturi tuo, ut pretiosa monilia, q. d. Habeas eas pro eximio ornamento. Alludit ad Deuter. 6, v. 8. Quod si feceris,

℣. 4. *invenies disciplinam bonam* — id est, deprehendes directionem morum seu actionum tuarum bonam esse, et placere tum *Deo,* tum *hominibus,* q. d. Acceptus et gratiosus eris omnibus. LXX pro eo quod Noster habet, *disciplinam bonam,* mutatis nonnihil punctis, sed eodem sensu in imperativo legunt, *provide bona,* seu prudenter age: et hanc lectionem sequitur S. Paulus Rom. 12, v. 17. Rursum

℣. 6. *in omnibus viis tuis,* id est, ubique et semper, *cogita Deum* tibi præsentem: et cogitando spera, time, reverere Deum ut creatorem, dominum, parentem, judicem, sponsum tuum. Non quod continuato actu id semper præstandum sit, sed saltem virtualiter, ut loquuntur Philosophi.

℣. 8. *Sanitas erit umbilico tuo,* partibus corporis tui tenerioribus; *et ossibus,* partibus durioribus, id est, toti corpori tuo. Sanitas enim corporis pendet ex bona dispositione partium vitalium, cordis, hepatis, splenis, stomachi, pectoris, quæ sunt juxta umbilicum. Item ex copia medullæ cujus pinguedine foventur et *irrigantur* ossa, bases corporis humani: nam deficiente medulla, arescunt ossa; unde tabes et corruptio corporis. Porro metaphorice significat Sapiens, totam hominis animam, omnesque ejus partes sanas fore: intellectum et mentem, quæ sunt quasi ossa animæ; et appetitum, qui est umbilicus; integra et vegeta futura.

℣. 12. *Quasi pater in filio* flagellis jam emendato, *complacet sibi* — LXX aliis punctis, sed fere eodem sensu legunt, *flagellat omnem filium quem suscipit.* Et hos more suo sequitur Apostolus, ad Hebræos 12, v. 6.

℣. 16. *Longitudo dierum,* id est, vita diuturna, immo æterna, *in dextera ejus: in sinistra divitiæ et gloria* — Per prosopopœjam sapientia ambabus manibus ostentat parata cuique præmia, tum temporalia, tum æterna. Tamen Rabbi Levi, et Lyranus et Emmanuel Sa, volunt per *dexteram* intelligi fontem primarii boni, per *sinistram* fontem secundarii et accessorii boni: juxta illud Matth. 6, v. 33: *Quærite primum regnum Dei,* etc.

(1) Ad Rom. 12, vers. 16.
(2) Tob. 4, vers. 7; Luc. 14, vers. 13.
(3) Ad Hebr. 12, vers 5; Apoc. 3, vers. 19.
(4) " Vers. 14. *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri primi et purissimi fructus ejus.* Male plerique *auri* ponunt ante *argenti,* et epitheta *primi et purissimi* jungunt cum *fructus,* quæ ad *auri* pertinent. Rom. Corr. "

18. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus.

19. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cælos prudentia.

20. Sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt.

21. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Custodi legem atque consilium:

22. Et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis.

23. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget:

24. Si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus;

25. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum.

26. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.

27. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales et ipse benefac.

28. Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.

29. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

30. Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.

31. [1] Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus:

32. Quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus.

33. Egestas a Domino in domo impii: habitacula autem justorum benedicentur.

34. Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.

35. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.

℣. 18. *Lignum vitæ* — id est, instar *arboris vitæ*, de qua Genes. 2, vers. 9, sapientia afferet homini vitam sanam, suavem et immortalem, non obstante corporis mortalitate. Quia, teste Philone, Origene, Ambrosio et Augustino [2], lignum vitæ allegorice significabat *Christum;* tropologice, *sapientiam;* sicut paradisus animam sanctam; quatuor flumina, quatuor virtutes cardinales.

℣. 22. *Erit gratia faucibus tuis* — id est, eloquio, vel collo tuo, q. d. Eloquium tuum gratum omnibus erit: vel quasi torques et monile ornabit collum tuum.

℣. 25. *Ne paveas* — Hebraice, græce et chaldaice, *non pavesces*, non timebis.

℣. 32. *Illusor* — Hebraice, *perversus*, devians a Deo; LXX *impurus;* Chaldæus, *iniquus*. Huic opponunt *simplicem*, id est, *rectum et justum*, ut LXX et Chaldæus vertunt, de quo Job 1, v. 1. *Cum his sermocinatio* est Dei, id est, familiaris conversatio; hebraice, *secretum;* LXX *concilium;* Chaldæus, *colloquium*, q. d. Libere communicat illis se suaque etiam arcana.

℣. 34. *Deludet illusores*, et astutos capiet in astutia sua; LXX *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, et sic citatur 1 Petri 5, et Jacobi 4. Et recte, nam illusores sunt superbi, et mansueti sunt humiles.

℣. 35. *Sapientes gloriam possidebunt* — Hebraice, græce, chaldaice, *hereditabunt*, tum in præsenti vita, ut patuit in Josepho, Moyse, Davide, Machabæis: tum maxime in futura, in cælo.

Stultorum exaltatio, ignominia — Tolluntur enim in altum, ut lapsu gravibre ruant. Id docuit Saul, Achitophel, Aman, et tot alii etiam nostro seculo.

(1) Psalm. 36, vers. 1.

(2) Philo 1 de Allegoriis; Origen. in Genes. 2; Ambr. 1. de Paradiso, c. 1; Aug. 13 de Civ., c. 21.

CAPUT IV.

Exemplo felici suo hortatur Salomon ut sapientiam sectemur, cujus varias utilitates exponit. Ante omnia monet pravorum consortia devitare, et linguam atque oculos cohibere.

1. Audite, filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam.
2. [1] Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.
3. Nam et ego filius fui patris mei, tenellus, et unigenitus coram matre mea:
4. Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, et vives.
5. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei.
6. Ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te.
7. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tua, acquire prudentiam:
8. Arripe illam, et exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus;
9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.
10. Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.
11. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis:
12. Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.
13. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.
14. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.
15. Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, et desere eam.
16. Non enim dormiunt nisi ma-

℣. 3. *Unigenitus coram matre mea* — nam, ut dixi 1 Paralip. 3, vers. 5, vel ex Davide unigenitus fuit Salomon. Nam reliquæ proles Bethsabee, quæ istic numerantur, susceptæ fuerant ex priore ejus marito *Uria* Hethæo, et a Davide adoptatæ, ut vult Mariana et quidam alii. Vel melius, ut LXX, pro *unigenitus*, legendum, *unice dilectus* instar unigeniti. Rationes ibid. exposui.

℣. 7. *Principium sapientiæ*, seu primum fundamentum, primum et maximum præceptum, prima via conquirendæ sapientiæ est: *Posside sapientiam* — Hebraice, *keneh* [2], id est, *eme*, compara quantovis pretio et labore, q. d. Modus obtinendi sapientiam non est nuda speculatio, vel siccum desiderium, vel tale quale studium: sed serius conatus quo illam prosequamur, nulli parcentes pretio, sudori, labori.

Et in omni possessione tua — id est, etiamsi omnes facultates, opes et vires tuas oporteret impendere pro acquirenda sapientia.

℣. 12. *Non arctabuntur gressus tui*, q. d. Ne te terreat arcta et angusta semita virtutis: neque enim ita te incedentem arctabit, ut gressus tui collidantur, impingant, aut alio modo præpediantur, quo minus expedite et recta decurras ad nobilissima bravia, gloriam, triumphos. Nempe alas addent gratia cælestis, bona conscientia, libertas animi: quæ et cursum accelerabunt, et viam jucundam reddent. E contra qui per anfractus nequitiæ gradiuntur, suis ipsi dolis sese implicant, præpediunt, et prosternunt.

℣. 16. *Non dormiunt*, nempe præ animi malitia dormire nequeunt impii, nisi conceptum scelus perfecerint, *et rapitur*, seu subtrahitur, *somnus ab eis:* ita He-

(1) " Vers. 2. *Donum bonum tribuam vobis.* Hebr. *Doctrinam bonam dabo vobis.* „

(2) קְנֵה.

lefecerint: et rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint:

17. Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt.

18. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.

19. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.

20. Fili mi, ausculta sermones meos, et ad eloquia mea inclina aurem tuam;

21. Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui:

22. Vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas.

23. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

24. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.

25. Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

26. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur.

27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum a malo: vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

bræus et LXX. Regia Latina, *non capitur somnus ab eis; nisi supplantaverint* — id est, in exitium præcipitarint cui male volebant. Exemplo sit Aman Estheræ 5, v. 13, et tot alii passim.

℣. 17. *Comedunt panem impietatis* — id est, impie partum, quia ex furto et rapina.

℣. 18. *Justorum autem semita, quasi lux* luciferi, vel auroræ, ut vertit Mercerus; vel solis, ut alii, *crescit usque ad perfectam diem* — id est, usque ad meridiem, quæ est plena et perfecta dies: et metaphorice significat *perfectionem* tum gratiæ et virtutis in hac vita, tum gloriæ in futura.

℣. 23. *Omni custodia;* hebraice, *præ omnia custodia,* id est, præ omnibus quæ custodienda habes, *serva cor tuum,* id est, invigila appetitui tuo tum rationali, tum sensitivo, ejusque passionibus et actionibus, *quia ex ipso vita procedit* — Hebraice, græce et chaldaice, *ex ipso egressus vitæ,* nempe viva et bona opera, quæ vitam animæ parant, conservant et augent.

℣. 25. *Oculi tui recta videant* — Hebraice, *in directum aspiciant,* seu quod ante te est, id est, quod tibi agendum incumbit.

Et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos — id est, apertis oculis incede: vide ne temere, sed præmeditatus omnia facias: et oculis mentis, matura cogitatione et deliberatione, expende prius gressus seu actiones tuas, quam inchoes. Sic

℣. 26. *Dirige semitam pedibus tuis* — LXX, *rectam fac;* hebraice, *libra viam pedis tui,* id est, appende in statera sapientiæ, et sic explora prius actiones tuas, quam eas aggrediaris.

℣. 27. *Vias, quæ a dextris sunt,* id est, bonæ et rectæ, et quæ ad dextram Dei deducunt, *novit Dominus* — nempe scientia approbationis. Sic Gentiles *dextrum* pro fausto, *sinistrum* pro infausto usurpabant. Simili fere modo hæc usurpantur Eccles. 10, v. 2.

Nota, hæc usque ad finem cap. non habentur in Hebræo, Chaldæo, vel Latinis Regiis, sed ex LXX translata sunt in nostram Vulgatam.

CAPUT V.

A scortatione et adulterio cavendum monet; pœnas recenset tum temporales, tum æternas quæ adulteros manent.

1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam.

2. Ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. [1] Ne attendas fallaciæ mulieris:

(1) " Vers. 2. *Ne attendas fallaciæ mulieris:* deest Hebr., habent LXX. Bossuet. „

3. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus:
4. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps.
5. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.
6. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles.
7. Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei.
8. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus.
9. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli;
10. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena,
11. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas:
12. Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum,
13. Nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam?
14. Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ et synagogæ.
15. Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui:
16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.
17. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.
18. Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adolescentiæ tuæ:
19. Cerva charissima, et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.

℣. 3. *Nitidius oleo,* hebraice, *lævius,* blandius, *guttur,* id est, verba, *meretricis.*

℣. 9. *Ne des alienis* (id est, meretricibus, juxta dicta c. 2, v. 16. Aliqui de lenonibus et amasiis exponunt) *honorem tuum* — Chaldæus, *virtutem;* LXX, *vitam tuam,* q. d. Ne propter libidinem fœdes nomen bonum, minuas vires, perdas vitam tuam. Veneri enim dediti de viribus et ætate multum detrahunt. Unde sequitur:

Et annos tuos ne dederis *crudeli* — id est, meretrici, monstro crudelissimo. Rabbi Salomon et Emmanuel Sa, id de diabolo accipiunt. Aliqui, de fœneratore, cui qui Veneri indulgent, sua sæpe oppignorare coguntur.

℣. 10. *Ne extranei,* seu fœneratores, seu ipsæ meretrices, *impleantur viribus tuis* — id est, opibus labore tuo partis; vel etiam viribus corporis tui, quas exhauris ad explendam alienam libidinem.

℣. 14. *Pene fui in omni malo;* hebr., parum abfuit, quo minus omnia mala incurrerim, tum morborum, tum inopiæ, tum infamiæ. Idque *in medio Ecclesiæ et Synagogæ* — id est, palam et publice, ut omnes me digitis notent.

℣. 15. *Bibe aquam de cisterna tua* — id est, hauri quam optas, voluptatem conjugii è propria tibi uxore, quæ casta et pura sit instar cisternæ carentis luto fornicationis, zelotypiæ, rixarum et maledictionum: ita Beda, Sa, Mariana.

℣. 16. *Deriventur fontes tui foras et in plateis* — id est, ex te prodeant filii tui, puri, non supposititii.

℣. 17. *Habeto* aquas tuas *solus* — Habebis autem si a meretricibus abstineas, quæ sæpe nothos, communes, immo alienos filios tibi supponent. Allegorice, cave ab adulterinis dogmatibus hæreticorum; tropologice, a concupiscentia.

℣. 18. *Sit vena tua,* id est, uxor *benedicta* a Deo, ut scilicet multas tibi et validas et vegetas proles gignat. Simile habes Psalm. 127, v. 3.

℣. 19. *Cerva charissima* — Hebraice et chaldaice, *cerva amorum,* id est, instar amabilis cervæ sit tibi chara et in deliciis uxor tua: sit et speciosa, et unica, et sincera, et blanda, et felle carens, fida marito, velox ad ei placendum et opitulandum, ardenti erga eum amore, verecunda, pudica, etc. Has enim omnes conditiones in cerva notant Aristoteles, Plinius et alii apud Gesnerum [1]. Allegorice, Beda per *cervam* accipit Ecclesiam: per *ubera* utrumque testamentum. Quæ litteraliter hic *amores* significant,

(1) In Cervo.

20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius?

21. [1] Respicit Dñus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat.

22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.

23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam; et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

quia *amoris* sunt illices, et quia cor, quod amoris est sedes, uberibus quasi stipatur et continetur. Simile habes Cant. 1, v. 1 et cap. 7, v. 8, Oseæ 2, v. 2, Ezech. 23, v. 17 et alibi.

In amore ejus delectare (hebraice, *oberra*) *jugiter* — q. d. Numquam deflectas ad alienam, vel non tuam.

℣. 22. *Impius constringitur* (hebraice, *tenetur* irretitus) *funibus peccatorum suorum* — nempe pravis habitibus quibus præ ceteris difficillime sese expedire potest libidinosus: ita ven. Beda. Vel etiam tenetur *reatibus* peccatorum: licet enim peccata transeant actu, manent tamen reatu, quo quasi lictoris fune anima obligatur Deo ut judici, peccato ut victori, dæmoni ut tortori, morti et inferno ut pœnæ et supplicio.

(1) Job 14, vers. 16, et 31, vers. 4, et 34, v. 21.

CAPUT VI.

Monet ne temere pro aliis spondeamus: ignavum otium fugiamus exemplo formicæ: impudicos mores et consortia devitemus. Septem grandia peccata, Deo cum primis odiosa, recenset. Præceptis Dei et parentum ut pareamus hortatur.

1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam,

2. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus:

3. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum:

4. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.

5. Eruere quasi damula de manu, et [1] quasi avis de manu aucupis.

6. Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam:

7. Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem,

℣. 1. *Defixisti*; hebraice, *percussisti extraneum manu tua*. Quod in stipulatione et fidejussione fieri solet, ut inter se manus tangant, et insuper manu signatam syngraphaṁ dent. Porro Thaletis Milesii præceptum erat: *Ne sponde*. Nam ut est in proverbio, *sponde, noxa præsto est*. Neque vero aliud remedium, quam quod hic Sapiens v. 5 suggerit, nempe ut sicut *damula* eruas te *de manu* venatoris vel laquei, ut habent LXX, id est, extrices de manu creditoris apud quem pro tertio spopondisti.

℣. 6. *Vade ad formicam, o piger* — Quia inertia sæpe efficit, ut homines ad inopiam redacti, et ære alieno indigentes, ab amicis sponsionem sibi efflagitent, atque ita illos secum involvant. Ad malum hoc divertendum, diligentiam singulorum excitat Sapiens exemplo formicæ, cujus miram industriam et sedulitatem videre est apud Plinium [2] et alios.

℣. 7. *Cum non habeat ducem*, qui exemplo suo reliquas excitet: *nec præceptorem*, qui doceat, hebraice, *præfectum: nec principem*, qui cogat (in quorum primo, formicæ vincunt jumenta; in secundo, homines; in tertio, etiam apes alioqui solertissimas): sed singulæ formicæ sibi ipsis duces, magistri et exactores sunt in opere quod magis commendat illarum ingenium et industriam. In quibusdam Græcis exem-

(1) " Vers. 5. *Quasi avis de manu aucupis*. Pro *manu* aliqui scribunt *insidiis*. Brugen. "

(2) Lib. 10, c. 72, et l. 31, c. 30.

8. Parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.

9. [1] Usquequo, piger, dormies? quando consurges e somno tuo?

10. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias:

11. Et veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te.

12. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso,

13. Annuit oculis, terit pede, digito loquitur,

14. Pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat:

15. Huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.

16. Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus:

17. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,

18. Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum,

19. Proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.

20. Conserva, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.

21. Liga ea in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo.

22. Cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris custodiant te, et evigilans loquere cum eis;

23. Quia mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ;

24. Ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ.

25. Non concupiscat pulcritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius:

26. Pretium enim scorti vix est unius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.

27. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

---

plaribus ad formicam additur etiam exemplum apis: et sic citat hunc locum Clemens Alexandrinus et S. Hieronymus [2] et quidam alii.

℣. 11. *Egestas veniet tibi quasi viator,* id est, certo, properanter, et ex insperato: *et quasi vir armatus,* seu miles, prævalebit tibi inermi, et obruet te. Martinus de Roa [3] ex Cicerone per *viatorem* putat *lictorem* seu *apparitorem* intelligi.

℣. 12. *Homo apostata,* id est, desertor Dei, virtutis et officii sui, vel etiam fidei, hebraice, *belial* [4], de quo dixi Deut. 13, v. 13, *graditur ore perverso* — nempe mendax et fallax.

℣. 13. *Annuit oculis,* ad irridendum et subsannandum. *Terit pede* terram, ut signum det sociis; hebraice, *loquitur pede,* et *digito* — LXX addunt *nutibus,* q. d. Lascivit oculis, pedibus, digitis. Et his instrumentis una ex parte fingit sese fraudulenter amicum: ex altera prodit insidiantibus sociis amicum: et signum dat sceleris in eum exequendi.

℣. 16. *Et septimum* — Hebraice, *immo septem.* Neque enim *susurratio* (quæ est septimum malum) pejor est homicidio, quod est hic tertium; sed ei comparatur quodam modo, quia ad illud disponit et viam sternit. Similia habemus c. 30 et alibi.

℣. 22. *Gradiantur tecum* præcepta sancta, nempe ut tamquam duces viarum dirigant gressus tuos.

Cum dormieris, custodiant te — Cubitum concessurus sanctis cogitationibus te occupa: junge illas tibi tamquam vigiles qui sepiant et custodiant mentem tuam, ne noctu diabolicis illusionibus pateat.

℣. 26. *Pretium scorti vix est unius panis* — id est, res est vilissima; hebraice, *propter scortum, usque ad tortam panis,* supple, deveniunt res scor-

---

(1) Infra 24, vers. 33.
(2) Clem. l. 4 Stromat.; Hier. ep. ad Rustic.
(3) Lib. 3 Singularium, c. 2.
(4) בליעל.

28. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?
29. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.
30. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam:
31. Deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet.
32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:
33. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur:
34. Quia zelus et furor viri non parcet in die vindictæ,
35. Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

tatoris, scorta enim redigunt amasios suos ad extremam inopiam.

℣. 29. *Non erit mundus*, seu innoxius, *cum* vel solum *tetigerit eam* — Familiaritas enim mulierum, et vel leves seu contactus, seu aspectus denigrant famam, et vanis phantasmatibus ac concupiscentiis animam implent. Tropologice, id faciunt etiam libri spurci et hæretici.

℣. 30. *Non grandis est culpa* furtum respectu adulterii, et tamen *deprehensus* cogitur reddere *septuplum*, id est, multoties compensare illatum damnum, et pretium sæpius multiplicatum restituere. Vide dicta Job 5, v. 19. Respicit enim hic Sapiens ad Exodi 22, ubi fur jubetur reddere *quadruplum* vel *quintuplum*. Quanto magis execrandum et noxium censebitur adulterium, quo per *inopiam cordis*, id est, insipientiam et insaniam, perditur *anima?* ut dicitur v. 32.

CAPUT VII.

Hortatur adolescentes ad sapientiæ complexum, et custodiam mandatorum. Deterret a scortatione et adulterio: cujus pedicas et illecebras exponit, et cavendas monet.

1. Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi, fili,
2. Serva mandata mea, et vives: et legem meam quasi pupillam oculi tui:
3. Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.
4. Dic sapientiæ, Soror mea es: et [1] prudentiam voca amicam tuam,
5. Ut custodiat te a muliere extranea, et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.
6. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,
7. Et video parvulos, considero vecordem juvenem,
8. Qui transit per plateam juxta angulum, et prope viam domus illius graditur
9. In obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris, et caligine.
10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula et vaga,
11. Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,
12. Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.
13. Apprehensumque deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur, dicens:
14. Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea.

℣. 3. *Liga eam in digitis tuis* — id est, semper ad manum habeas: semper oculis obversetur et menti.

℣. 7. *Parvulos* — Hebraice, *stultos*, insipientes.

℣. 14. *Victimas pro salute vovi* — id est, hostias pacificas in sacrificium Deo

(1) « Vers. 4. *Prudentiam voca amicam tuam.* Hebr. *Et intelligentiam cognatam voca.* Ea familiariter utere. Mariana. »

15. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, et reperi.

16. Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto;

17. Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo.

18. Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies;

19. Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima;

20. Sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.

21. Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum.

22. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur,

23. Donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur.

24. Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende verbis oris mei.

25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua; neque decipiaris semitis ejus;

26. Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

27. Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

obtuli pro salute tum mea, tum tua: et ex residuo hostiarum instruxi nobis opiparum convivium.

℣. 18. *Veni, inebriemur uberibus* — id est, amoribus, ut dixi c. 5, v. 19, et vertunt hic LXX et Chaldæus.

℣. 23. *Donec sagitta* Cupidinis *transfigat jecur*, in quo sedes est appetitus concupiscibilis, et amoris, q. d. Donec irremediabiliter saucietur appetitus concupiscentia venerea: *sicut cervus sagittatione percussus in jecur*, inquiunt LXX et Chaldæus.

CAPUT VIII.

Ipsamet sapientia nos ad sui amplexum invitat: cœlestem suam doctrinam multis modis commendat. Beatos denuntiat quotquot sibi obedierint; qui vero spreverint, miseros et infelices.

1. Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam?

2. In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans,

℣. 1. *Sapientia* et *prudentia* pro iisdem hic sumuntur, ut dixi c. 1, v. 2, et per prosopopœjam hic illi organa, vox et concio attribuuntur. Accipitur vero tum hic, tum alibi [1] generaliter *sapientia*, prout communis est *creatæ* et *increatæ:* unde quædam magis conveniunt *creatæ*, ut quod v. 22 a LXX dicitur *creata* a Deo; quædam magis conveniunt *increatæ*, ut quod v. 23 et sequent. dicitur ab *æterno* fuisse. Sed aptissime omnia quadrant in *Sapientiam divinam incarnatam*, id est, in *Christum*, cui secundum divinam naturam convenit, ab æterno esse genitum; secundum humanam vero, esse creatum in tempore. Et de hoc locum hunc exponunt SS. Athanasius, Cyrillus, Greg. Nazianz., Augustinus, Beda [2], reliqui Patres ac Doctores.

℣. 2. *In mediis semitis*, etc. — id est, ubique, per omnes creaturas, ut dixi c. 1, v. 20.

(1) Sap. 7; Eccli. 24, etc.
(2) Athanas. serm. 3 contr. Arrian.; Cyrill. l. 5 Thesauri, c. 4; Nazianz. orat. 4 de Theolog.; Aug. lib. 5 de Trin., c. 12; Beda hic.

3. Juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens:

4. O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.

5. Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes, animadvertite.

6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea, ut recta prædicent.

7. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium.

8. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum:

9. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam.

10. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite.

11. [1] Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari.

12. Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.

13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor.

14. Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.

15. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt:

16. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.

17. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me.

18. Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia.

19. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo.

20. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii,

21. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.

23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret.

24. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant:

25. Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar:

℣. 7. *Veritatem meditabitur*, hebraice, meditando loquetur, *guttur meum*.

℣. 22. *In initio viarum suarum*; Chaldaice, *in principio creaturæ suæ*; hebraice et græce, *initium viæ suæ*, vel *viarum*, id est, operum suorum *possedit me Dominus* — LXX et fere SS. Patres, vertunt, *creavit me*, id est, produxit, genuit, efformavit me. Hebræum *kana* [2], et possidere et producere significat. Hoc proprie in Christum quadrat, ut dixi v. 1; ipse enim est principium et causa omnium Dei operum, secundum deitatem genitus ex Patre ab æterno: secundum humanitatem vero creatus in tempore, principium et auctor est nobilissimi operis Dei, nempe redemptionis, sanctificationis et salutis humanæ. Huc alludit S. Joannes initio sui Evangelii, *In principio erat Verbum*, etc.

℣. 23. *Ab æterno ordinata sum.* — Hebræum *nissacetti* [3] significat etiam, *princeps facta sum*, potestatem accepi in omnia. Unde Pagninus vertit, *principatum tenui*.

℣. 24. *Jam concepta eram*,

℣. 25. *Parturiebar* — Item *gignebar*, *genita sum*, *gignor* et *gignar*, proprie dici potest omni momento a Verbo divino seu Filio Dei: quia instanti æternitatis successive respondent omnia nostra tempora: ut fuse docet Origenes, Hilarius, Augustinus, et S. Thomas [4], cum Doctoribus scholasticis. Filius enim in divinis continuo singulis momentis suum esse accipit, et emanat a Patre: sicut

(1) " Vers. 11. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis.* Superfluit quod quidem addunt: *opibus.* Brugen. "

(2) קנה.

(3) נסכתי.

(4) Orig. hom. 6 in Jerem.; Hilar. l. 7 de Trin.; Aug. in Psalm. 2; S. Thom. et Schol. in 1 p., p. q. de Trin.

26. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ.

27. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos:

28. Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum:

29. Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ.

30. Cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

31. Ludens in orbe terrarum: et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.

32. Nunc ergo, filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas.

33. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

34. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.

35. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino:

36. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

et splendor a sole, ut dicitur Sapientiæ 7, v. 25.

℣. 27. *Quando gyro vallabat abyssos* — id est, *circino describebat* (ut est in Hebræo) quantitatem, latitudinem, profunditatem aquarum. Rotundum est enim mare in superficie, non minus quam terra, et velut circulo conclusum una cum terra.

℣. 28. *Quando librabat fontes aquarum* — id est, velut in libra seu bilance appendebat. Hebraice et chaldaice, *roborabat* nubes e quibus tamquam fontibus mare et flumina aquis complentur. Vide Ecclesiastæ 1, v. 7.

℣. 31. *Ludens* (hebraice, *ridens*, gaudens) non solum *coram Deo*, seu cum Deo, sed etiam *in orbe terrarum* cum creaturis; sed maxime, *cum filiis hominum*, — utpote præcipua orbis parte: cum his enim *meæ* sunt *deliciæ*, seu habeo illos mihi in summis deliciis. Primo, quia homo princeps est et dominus universi, cujus causa omnia creavi. Secundo, quia homo viva est imago Dei. Tertio, quia hominum amore homo fieri volui. Quarto, quia in anima hominis habitare, quiescere et recreari volo. Quinto, quia hominem ad me videndum et fruendum in æternum destinavi: ita Beda et alii.

℣. 34. *Vigilat ad fores meas quotidie* — id est, magno audiendi me desiderio, et studio tenetur, et instar vigilantissimi discipuli me quærit, mihi adhæret, me audit ubique et omni occasione. Vide infra c. 27, v. 14.

Nota. Solet Ecclesia supradicta verba applicare B. Virgini Deiparæ, non litterali sensu, ut nugantur hæretici, sed accommodatitio, quia perinde illi subserviunt, ac si de ea fuissent prædicta.

CAPUT IX.

Loco profanarum, et execrandarum ædium, victimarum et epularum meretriciarum, de quibus cap. 7, invitat omnes Sapientia divina ad sacram suam domum, victimas et epulas: utrarumque differentiam exponit.

1. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

℣. 1. *Sapientia* divina *ædificavit* et ipsa *sibi domum* in terris, puta Ecclesiam, ab initio orbis usque ad finem duraturam: ita S. Augustinus [1] et alii Patres. S. Bernardus [2] allegorice, id exponit de B. Virgine Deipara; tropologice, de anima hominis justi. Nota. Quam hic vocat *domum* propter charitatem et unionem incolarum, mox v. 3 vocat *civitatem* propter amplitudinem, et *arcem* propter munitionem, et altitudinem, seu

(1) Lib. 17 de Civ., cap. 20.

(2) Serm. 7 inter parvos.

2. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.

3. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis:

4. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est:

5. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

6. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ.

7. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit: et qui arguit impium, sibi maculam generat.

8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te.

9. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere.

10. [1] Principium sapientiæ, timor Domini: et scientia sanctorum, prudentia.

11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ.

12. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

13. Mulier stulta et [2] clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens,

14. Sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco,

15. Ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo:

perfectionem quam continet et docet et donat.

Excidit columnas septem — id est, multas, ut dixi c. 6, v. 30 et Job 5, v. 19: ita auctor Imperfecti. Porro hæ *columnæ* sunt partim Prophetæ, Apostoli, Doctores, et Pastores Ecclesiæ [3]: partim septem Sacramenta, septem dona Spiritus sancti, ut ait Beda: vel, ut Bernardus [4], tres virtutes theologicæ cum 4 cardinalibus. Vel denique, ut auctor Imperfecti, omnes virtutes. Porro alludit hic Salomon ad ædificationem templi materialis, et domus regiæ a se constructæ, 3 Reg. 6 et 7; quia etiam illæ domus typus erant Ecclesiæ Dei.

℣. 2. *Immolavit victimas suas* — id est, ex reliquiis victimarum instruxit splendidum, sed sacrum convivium: quod opponitur convivio meretricio, cap. 7, vers. 14.

Proposuit mensam suam — Primo, Scripturæ et doctrinæ sacræ, inquit sanctus Gregorius [5]. Secundo, Eucharistici sacrificii et Sacramenti, ut S. Cyprianus, Chrysostomus et Augustinus [6]. Et commode fit hic mentio duarum specierum, nempe *panis* et *vini*, scilicet immolatæ carnis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini.

Nota, hic per mensam designari non solam corporis alimoniam, sed etiam deliciarum, omniumque bonorum animi abundantiam. Et alludere videtur ad *mensam* solis apud Æthiopes, quæ quotidie omnibus epulis instructissima, et cuivis volenti parabatur. Alludit quoque ad mensas veterum sapientum, quæ eruditis sermonibus ac lectionibus, non minus quam escis et poculis instruebantur, teste Plutarcho, Macrobio, Gellio. Et suo exemplo comprobavit Christus [7], et primi Christiani [8], et sanctus Augustinus [9], et alii.

℣. 3. *Misit ancillas suas* — Chaldæus, *puellas;* LXX, *servos suos:* puta Prophetas, Apostolos, aliosque verbi prædicones, item miracula, virtutes, exempla pia Martyrum, Confessorum, Virginum, Anachoretarum et Monachorum. Est prosopopœja, ad quam videtur allusisse Christus in parabola de invitatis Luc. 14, vers. 13.

℣. 7. *Qui arguit impium*, obstinatum et *derisorem* omnis piæ monitionis, *sibi maculam generat* — id est, nihil proficit, nisi quod per irrisionem et detractionem impii denigretur fama et bonum nomen ipsius, q. d. *Noli mittere margaritas ante porcos* [10].

(1) Psalm. 110, v. 10; Sup. 1, v. 7; Eccli. 1, 16.
(2) " Vers. 13. *Clamosa.* Chald. *vaga.* LXX *Audax. Nihil omnino sciens.* Chald. *nesciens bonum.* LXX *Nesciens verecundiam.*
(3) Apud Chrysost. in cap. 12 Matth., hom. 30.
(4) Supra.
(5) Lib. 1 Moral., cap. 14.
(6) Cypr. lib. 2, epist. 3; Chrysost. in Ps. 22; Aug. supra.
(7) Lucæ 11, vers. 37, et c. 22, vers. 15, et Joan. 13, 14, 15, 16.
(8) 1 ad Cor. 11, vers. 20, etc.
(9) Lib. de communi vita sacerd. et ep. 109.
(10) Matth. 7.

16. Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est:

17. Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.

18. Et ignoravit quod ibi sint gigantes, et in profundis inferni convivæ ejus.

℣. 17. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus,* id est, clam subreptus, *suavior* est. Dixerat Sapientia, v. 5, *Bibite vinum* et *comedite panem,* quem suavissimum delicatissimumque palam omnibus propono in mensa; sed stolida meretrix provocat ad *aquas furtivas* et *panem* subreptitium, id est, ad illicitam et furtivam venerem, qualis est scortatorum et adulterorum, quasi suavior sit quam licita et honesta consuetudo conjugalis. Sed mentitur et fallit improba. Quæ S. Augustino et Gregorio typus est hæreseos, et cujusvis pravæ doctrinæ [1].

℣. 18. *Et ignoravit,* seu ignorat, neque recordatur miser adolescens, *quod ibi,* puta, *in profundis inferni,* ut sequitur, id est, in loco et regione mortis et æternæ miseriæ ac tormenti, *sint convivæ ejus,* seu quotquot invitati et seducti sunt a meretrice, etsi sint *gigantes* — id est, robustissimi, q. d. Tantum abest, furtiva sua dulcedine meretrix beet convivas et clientes suos; nam eos ad certam lanienam, ad mortem, ad infernum, ad æternam damnationem, ad infernalia supplicia trahit.

(1) Aug. tract. 97 in Joan.; Greg. lib. 33 Mor., cap. 26.

CAPUT X.

PARABOLÆ SALOMONIS

Id est, gnomæ seu graves sententiæ, sed breves, et carmine eleganti conscriptæ, ac fere cum perpetua antithesi in singulis versibus, cujus posterior pars priori opponitur.

Sic hoc cap. filius sapiens opponitur stulto, justus impio, diligens otioso, simplex pravo, etc., ita S. Hieronymus et Isidorus [1].

1. Filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ.

2. [2] Nil proderunt thesauri impietatis: justitia vero liberabit a morte.

3. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet.

4. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.

Qui nititur mendaciis, hic pascit

℣. 1. *Filius sapiens lætificat patrem,* qui ut natura severior matre, non solet facile lætari. *Stultus mœstitia est matris* — quæ alioquin ob tenerum affectum, nimis dissimulat in erratis filiorum, et risu excipere solet.

℣. 3. *Non affliget Dominus fame,* seu inopia, *animam justi,* id est, justum: *et insidias impiorum subvertet* — nempe quas struunt justis; LXX verterunt, *vitam;* Chaldæus, *substantiam,* seu opes, quæ per insidias et dolos congestæ sunt, et ipsi quoque impiis sunt insidiæ et laquei.

Nota. Hæ et similes promissiones rerum temporalium in veteri testamento saltem ut plurimum vere completæ fuerunt. Aliquando tamen secus factum, sed tunc Deus famem et incommoda corporalia supplebat saturitate et copia donorum spiritualium: ut etiam vere tum dici posset, egestatem et miseriam corporis esse justo delicias animi. Et vero stat promisso, inquit S. Hieronymus [3], qui promisso melius exhibet.

(1) Lib. 6 Etym. c. 2.
(2) Infra 11, vers. 4. (3) In Matth. 13.

ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes.

5. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.

6. Benedictio Domini super caput justi: os autem impiorum operit iniquitas.

7. Memoria justi cum laudibus: et nomen impiorum putrescet.

8. Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cæditur labiis.

9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit.

10. [1] Qui annuit oculo, dabit dolorem: et stultus labiis verberabitur.

11. Vena vitæ, os justi: et os impiorum operit iniquitatem.

12. Odium suscitat rixas: [2] et universa delicta operit charitas.

13. In labiis sapientis invenitur sapientia: et virga in dorso ejus qui indiget corde.

14. Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.

15. Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum, egestas eorum.

16. Opus justi ad vitam: fructus autem impii ad peccatum.

17. Via vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat.

18. Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

19. In multiloquio non deerit

℣. 5. *In messe* — id est, cum adest occasio, cum vires adhuc vigent, cum Deus dat uberem lucrandi materiam. Sic senectus imbecillis et sterilis hiemi comparatur.

Filius confusionis [3] est qui confunditur et confundit alios.

℣. 6. *Os impiorum operit iniquitas* — id est, pœna iniquitatis suæ; q. d. Implebuntur confusione, condemnatione, probro, et similibus pœnis, quæ fraudes, mendacia, ceteraque scelera consequuntur.

℣. 7. *Nomen*, seu fama, *impiorum putrescet* — id est, instar rei putridæ fœtebit et horrori omnibus erit.

℣. 8. *Stultus cæditur labiis* — Hebraice, *offendit*; græce, *supplantabitur*; chaldaice, *capietur*, quia nempe mendacii, doli et calumniæ facile arguitur, et pœnas dare cogitur.

℣. 9. *Qui ambulat*, seu agit, *simpliciter*, id est, candide, sincere, innocenter; hebraice et chaldaice, *in perfectione*, seu perfecte; *ambulat confidenter*, seu libere, tuto, sine pudore. *Pravus autem manifestus erit* — id est, publico pudore confundetur, quantumcumque sua astute tegat.

℣. 10. *Qui annuit oculo*, ad libidinem, inquit Cajetanus: vel ad irrisionem et subsannationem, ut dixi cap. 6, v. 13, *dabit dolorem*, et sibi et aliis. *Labiis verberabitur* — ut supra v. 8.

℣. 11. *Vena vitæ, os justi* — quia salutaria promit, et docet bene vivere.

Os impiorum operit iniquitatem — quam solam depromit; q. d. Ex ore impii nil nisi malum prodit, quantumcumquo illud tegere conetur, aut fucare specie recti. Posset etiam Hebræum verti, *operit iniquitas*, ut supra v. 6.

℣. 12. *Universa delicta operit charitas* — dissimulans, tegens, excusans amicorum errata. Operit quoque tum in seipso, per ἀμνηστίαν, obliterando acceptam injuriam: tum in offendente, beneficiis eum excitando ad non amplius offendendum, sed redamandum: tum denique coram Deo, impetrando per charitatis actus veniam a Deo, et remissionem tam culpæ quam pœnæ. Et ita accipit hunc locum S. Petrus 1 epistolæ c. 4 et Paulus 2 Corinth. 13.

℣. 15. *Substantia* et opes *divitis*, videntur ei esse instar *urbis*, seu arcis munitissimæ: unde spiritus assumit et superbit. E contra pauperis egestas facit eum timidum, pavidum, nec audentem de se præsumere, vel quemquam offendere.

(1) Eccli. 27, vers. 25.
(2) 1 ad Cor. 13, vers. 4; 1 Petr. 4, vers. 8.

(3) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 40.

peccatum: qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.

20. Argentum electum, lingua justi: cor autem impiorum pro nihilo.

21. Labia justi erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

22. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.

23. Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.

24. Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur.

25. Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum.

26. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, [1] sic piger his qui miserunt eum.

27. Timor Domini apponet dies: et anni impiorum breviabuntur.

28. Expectatio justorum lætitia: spes autem impiorum peribit.

29. Fortitudo simplicis via Domini: et pavor his, qui operantur malum.

30. Justus in æternum non commovebitur: impii autem non habitabunt super terram.

31. Os justi parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit.

32. Labia justi considerant placita: et os impiorum perversa.

℣. 20. *Argentum electum*, id est, pretiosum, nitidum, gratum eloquium profert *lingua justi*. *Cor impiorum*, per consequens et sermo de corde procedens, erit *pro nihilo* — id est, nullius momenti, quantumcumque studeat eleganter et artificiose dicere.

℣. 25. *Justus quasi fundamentum sempiternum*, solidus, fixus, semper sibi constans, sui similis. Hinc Deo quoque firmante ac stabiliente, stabit æternum, longa vita, benedictione continua, ac demum æterna beatitudine donabitur. Ubi e contra impii perpetuo, Vertumni instar, mutantur, et *quasi tempestas*, seu turbo difflantur. Sic apud Thebanos sapientia *quadrato lapidi*, fortuna *globo* insistens pingebatur. Sic et Aristoteles virum virtute præditum faciebat similem quadrato lapidi, qui quomodocumque vertitur, firmus semper considit.

(1) « Vers. 26. *Sic piger his qui miserunt eum*. Non addas *in via*. Corr. Rom. »

CAPUT XI.

Justitiæ, ceterarumque virtutum commoda: injustitiæ et reliquorum vitiorum incommoda.

1. Statera dolosa, abominatio est apud Dominum: et pondus æquum, voluntas ejus.

2. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia: ubi autem est humilitas, ibi et sapientia.

3. Simplicitas justorum diriget eos: et supplantatio perversorum vastabit illos.

4. [1] Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia autem liberabit a morte.

℣. 1. *Pondus æquum*; hebraice, *lapis rectus*, quia ex lapide erant pondera: *voluntas ejus* — id est, placet Domino; LXX, *acceptabile Deo*. Potentia ponitur pro objecto: et abstractum pro concreto.

℣. 3. *Simplicitas* — Vide dicta cap. 10, v. 9 et alibi [2].

Supplantatio perversorum activa, qua scilicet alios per fraudem et dolum concutiunt et supplantant, illa eadem *vastabit illos*-met, et in auctorum capita redundabit.

(1) Supra 10, vers. 2.
(2) Job 1, vers. 1.

5. Justitia simplicis diriget viam ejus: et in impietate sua corruet impius.

6. Justitia rectorum liberabit eos: et in insidiis suis capientur iniqui.

7. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes: et expectatio sollicitorum peribit.

8. Justus de angustia liberatus est: et tradetur impius pro eo.

9. Simulator ore decipit amicum suum: justi autem liberabuntur scientia.

10. In bonis justorum exultabit civitas: et in perditione impiorum erit laudatio.

11. Benedictione justorum exaltabitur civitas: et ore impiorum subvertetur.

12. [1] Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit.

13. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.

14. Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia.

15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit.

16. Mulier gratiosa inveniet gloriam: et robusti habebunt divitias.

17. Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

18. Impius facit opus instabile: seminanti autem justitiam merces fidelis.

19. Clementia præparat vitam: et sectatio malorum mortem.

20. Abominabile Domino cor pravum: et voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.

21. Manus in manu non erit innocens malus: semen autem justorum salvabitur.

22. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra et fatua.

23. Desiderium justorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor.

24. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt.

25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur: et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

℣. 7. *Expectatio sollicitorum peribit* — id est, qui anxie inhiant opibus, honoribus et gloriæ mundanæ, excident omni spe sua, morte telam præcidente.

℣. 10. *In perditione*, seu extirpatione, *impiorum erit laudatio*; Hebraice, jubilus, exultatio, commune gaudium reipublicæ.

℣. 11. *Benedictione*, id est, salutari consilio, pia prece, bono exemplo, *justorum*, efflorescet *civitas: ore impiorum*, id est, exitiali eorum consilio et exemplo, *subvertetur*.

℣. 21. *Manus in manu* — Cap. 16, v. 5, *Manus ad manum*, supple, sit licet; q. d. Cogat impius quantos potest socios et auxiliares manus, jungat fœdera, ineat societatem; *non erit innocens*, non evadet noxam et pœnam ipsi decretam, sed et in se, et in sociis punietur: ita Vatablus, Mercerus et Jansenius, LXX et Chaldæus de manu violenta aliis injecta id exponunt: alii de pigritia: Pagninus et Sa putant idem significare quod *mox, cito*; sicut Italis *mano a mano*. Sed quod primo loco dixi, probabilius videtur.

℣. 22. *Circulus*, seu monile *aurum in naribus suis*; chaldaice, porci, *mulier pulcra et fatua* — nempe frustra, immo probrosa, ridicula et noxia est ipsi pulcritudo.

℣. 23. *Præstolatio impiorum furor* — id est, ira et indignatio Dei. Neque enim aliud ipsos manet.

℣. 25. *Anima quæ benedicit*, id est, homo qui benefacit proximo suo: *et inebriat*, id est, affluenter largitur eleemosynam, qua velut aridam irrigat proximum suum; *ipse* vicissim *inebriabitur* — centuplo hic in terris, et gloria cælesti in altera vita. Sic Paulus 2 Corinth. 9, *Qui seminat in benedictionibus*, etc. Et

(1) [a] Vers. 12. *Qui despicit amicum suum.* Hebr. Verba transposita *mente captus despicit amicum suum; vir autem prudens tacet*, idest dissimulat ejus *convitia*. Maldon. „

26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.

27. Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis.

28. Qui confidit in divitiis suis, corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt.

29. Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: et qui stultus est serviet sapienti.

30. Fructus justi lignum vitæ: et qui suscipit animas, sapiens est.

31. [1] Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?

ebrietas [2] in Scripturis passim pro satietate et affluentia sumitur.

℣. 30. *Fructus justi* — id est, opera viri pii suavia et grata sunt, et immortalitatem afferunt instar arboris vitæ, ut dixi c. 3, v. 18.

Et qui suscipit (hebraice, *capit*, allicit; Pagninus, *docet*) *animas* proximorum suorum, pertrahendo eas ad pietatem et Deum, vere *sapiens est* — Hæ enim pretiosissimæ sunt margaritæ, et inæstimabiles thesauri.

℣. 31. *Si justus in terra recipit* punitionem peccatorum, quantumcumque levium; *quanto magis* recipiet *impius* tantis sceleribus promerita supplicia? Recipiet, inquam, seu hic, seu in inferno. LXX legunt, *si justus vix salvabitur*, nempe sine acri punitione suorum peccatorum, etsi pœnitens; *impius et peccator* impœnitens *ubi apparebit?* Et sic citat hunc locum S. Petrus 1 epistolæ c. 4, v. 18.

(1) 1 Petr. 4, vers. 18.

(2) Psalm. 35, v. 9; Cant. 5, v. 1; Prov. 7, v. 18.

CAPUT XII.

Laudat et commendat eum qui diligit disciplinam et pietatem: reprehendit qui odit et negligit. Exponit fructus oppositos justi et impii, diligentis et otiosi, sapientis et stulti, linguæ bonæ et malæ.

1. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est.

2. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino; qui autem confidit in cogitationibus suis impie agit.

3. Non roborabitur homo ex impietate: et radix justorum non commovebitur.

4. Mulier diligens, corona est viro suo: et putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.

5. Cogitationes justorum judicia: et consilia impiorum fraudulenta.

6. Verba impiorum insidiantur sanguini: os justorum liberabit eos.

7. Verte impios, et non erunt: domus autem justorum permanebit.

8. Doctrina sua noscetur vir: qui

℣. 3. *Radix justorum*, nempe fides, spes, charitas, quibus quasi radicibus firmantur: vel simpliciter, *radix*, id est, radicatio, seu fundatio, *non commovebitur* ullis procellis: quia ut dixit in fine cap. 10 justi *fundamentum* est *sempiternum*.

℣. 4. *Mulier, quæ confusione res dignas gerit*, adulterando, scortando, rixando, etc. est sicut *putredo in ossibus viri* — id est, intimum animum ejus, subinde et corporis robur arrodit, exedit, absumit, nempe dolore infamiæ et tabe.

℣. 7. *Verte*, seu subverte, *impios*, o Deus, *et* amplius *non erunt* — id est, momento pereunt, inquit Mariana. Hebraice est, *vertere impios*. Sed infinitivus pro quovis tempore sumi potest: Unde Chaldæus legit, *subvertuntur*; LXX, *quocumque vertatur impius, delebitur*.

autem vanus et excors est, patebit contemptui.

9. [1] Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane.

10. Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.

11. [2] Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.

12. Desiderium impii munimentum est pessimorum: radix autem justorum proficiet.

13. [3] Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem justus de angustia.

14. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

15. Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.

16. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

18. Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ: lingua autem sapientium sanitas est.

19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.

20. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

21. Non contristabit justum quidquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo.

22. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.

23. Homo versutus celat scientiam: et cor insipientium provocat stultitiam.

24. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet.

25. Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur.

26. Qui negligit damnum propter amicum, justus est: iter autem impiorum decipiet eos.

℣. 10. *Novit*, id est, attendit, curam gerit, *justus animas* etiam *jumentorum suorum* — LXX, *miseretur*. Simile habes Psal. 1, v. 6 et alibi [4].

℣. 11. *Suavis in vini demorationibus*, id est, facilis et multus in compotationibus et conviviis, *relinquit contumeliam*, seu infamiam, *in suis munitionibus* — id est, in domo, familia et civitate sua: nempe ob decoctum patrimonium, et infamem paupertatem. Hic versus non est in Hebræo, Chaldæo, Regiis aut Complutensibus; sed ex LXX desumptus est.

℣. 12. *Desiderium impii* unicum et præcipuum, *est munimentum pessimorum* — id est, habere cum pessimis societatem, fœdus et familiaritatem, quia putat se talibus probe munitum iri.

℣. 18. *Promittit: et* mox *quasi gladio pungitur conscientiæ*, dum nempe pœnitet temerarii promissi; LXX et Chaldæus, *vulnerant quasi ensis;* dum loquuntur, gladios et saxa vomunt. *Lingua autem sapientium sanitas est* — id est, sanat, nempe errata, rixas aliasque molestias.

℣. 19. *Testis repentinus*, id est, impræmeditatus, temerarius, effutiens quidquid in buccam venit; facile mendacium aliquod immiscet, quod postea multis aliis mendaciis tueri, fucare, stabilire cogitur, ne mendax deprehendatur.

℣. 23. *Homo versutus*, id est, cautus; chaldaice, *astutus;* græce, *vir prudens* (nam capitur hic in bonam partem, ut ex antithesi patet) *celat scientiam*, neque ambitiose aut sine fructu ostentat eruditionem suam: sicut facit *insipiens*, qui

(1) Eccli. 10, vers. 30.
(2) Eccli. 20, vers. 30.
(3) * Vers. 13. *Propter peccata labiorum.* Salomon per aliquot insequentes versus notat vitia linguæ, præsertim vv. 17, 18, 19. Gordoni.
(4) 2 ad Tim. 2, vers. 19.

27. Non inveniet fraudulentus lucrum: et substantia hominis erit auri pretium.

28. In semita justitiæ, vita: iter autem devium ducit ad mortem.

temere, ubique et sine delectu, dum vult jactare scientiam suam, *provocat*; hebraice, *evocat*, ad linguam et labia *stultitiam* suam.

℣. 27. *Substantia hominis*, supple, justi, strenui et industrii (ut est in Hebræo) *erit auri pretium* — id est, aurum pretiosum, ut vertit Chaldæus. q. d. Lucrum fugiet fraudulentos et pigros, confluet ad justos et strenuos: ita fere Rabb.

CAPUT XIII.

De oris custodia: de paupere divite: de opibus male partis: de maturo consilio: de correptione, etc.

1. Filius sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit cum arguitur.

2. De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem prævaricatorum iniqua.

3. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

4. Vult et non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.

5. Verbum mendax justus detestabitur: impius autem confundit, et confundetur.

6. Justitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

7. Est quasi dives, cum nihil habeat: et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.

8. Redemptio animæ viri, divitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

9. Lux justorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

℣. 1. *Filius sapiens* est *doctrina patris* — id est, prodit ac manifestat in se suisque moribus doctrinam et institutionem probam patris sui: nam præcepta quæ ab illo hausit, in se quasi in libro descripta fovet, et tamquam in imagine vel in speculo relucentia toti orbi manifestat. Pagninus vertit, *audit doctrinam*; Chaldæus, *suscipit*.

℣. 7. *Est quasi dives*, id est, simulat, fingit se divitem, nempe superbus et illusor, *cum nihil habeat* — ita in Hebræo, Græco et Chaldæo; q. d. Sunt qui videntur divites, et non sunt. Mercatorum id vitium, ne vacillet fides. Thrasonibus quoque familiare, ingentes opes jactare, ut divitem sponsam venentur. Tropologice, arrogant sibi virtutes qui a virtute longissime absunt. Putant se divites et beatos qui opibus, honoribus, gratia pollent, etsi virtute careant: ita Beda. Contra pauper opibus, sed virtutibus dives.

℣. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ*: id est, dives si periculum vitæ, ob aliquod delictum, incurrat, vel a latronibus capiatur, facile se redimit pecuniis suis. *Qui* vero *pauper est, increpationem*, LXX *minas, non sustinet* — id est, tolerare, evadere non potest, sed illis succumbit: cumque non habeat in ære, luere cogitur in pelle. Vide S. Augustinum [1], qui dicit pauperem in hoc melioris conditionis esse divite, quod cum non habeat opes quæ emungi possint, raro increpetur et molestiis afficiatur, seu a fisco, seu a latrone, seu ab invido, seu ab æmulo.

℣. 9. *Lux justorum* — id est, prosperitas, ut dixi Psal. 4, v. 7.

Nota. Felicitas et gloria justorum comparatur *lucifero et soli*, c. 4, v. 18, qui jugis est et stabilis, per omnes orbis et temporum partes se diffundens, sic justi sunt *lux mundi*, Matth. 5, v. 14. Sed impiorum gloria comparatur *lucernæ*, quia exigua, quia brevis, quia momentanea.

(1) Serm. 212 de Tempore.

10. Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

11. Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

12. Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.

13. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur.

Animæ dolosæ errant in peccatis: justi autem misericordes sunt, et miserantur.

14. Lex sapientis fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.

15. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago.

16. Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

17. Nuntius impii cadet in malum: legatus autem fidelis sanitas.

18. Egestas, et ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

19. Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.

20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.

21. Peccatores [1] persequitur malum: et justis retribuentur bona.

22. Bonus relinquit heredes filios, et nepotes: et custoditur justo substantia peccatoris.

23. Multi cibi in novalibus patrum: et aliis congregantur absque judicio.

24. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

25. Justus comedit, et replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.

℣. 11. *Substántia festinata,* id est, opes cito acquisitæ per vias iniquas, ut addunt LXX et Chaldæus; hebraice, *ex vanitate,* id est, vanis et malis artibus, vel etiam iudicris operibus; cito *minuentur*. Meretrices enim, histriones et circulatores numquam ditantur, sed cito parta cito perdunt.

℣. 12. *De ligno vitæ* dixi c. 3, v. 18.

℣. 13. *Qui detrahit alicui rei* præceptæ (patet ex antithesi, et ex Hebræo et Chaldæo, ubi est, *qui contemnit verbum* seu *præceptum:* et ita vertunt Mercerus, Vatablus et alii): *obligat se* judicio, id est, obstringit se et obnoxium facit pœnæ legibus præscriptæ: ita Beda.

Animæ dolosæ errant in peccatis — Hic versus non est in Hebræo vel Chaldæo: sed ex LXX desumitur; qui legunt, *filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigentur viæ ejus:* et sic legitur cap. seq. vers. 15. Romana hic habet sicut nostra Vulgata.

(1) " Vers. 21. *Persequitur malum.* Insectatur pœna malum: contra justis bonum tribuetur, id est bonitatis præmium. Mariana. "

℣. 16. *Astutus* bona astutia, ut dixi cap. 12, v. 23. Sed

℣. 17. *Nuntius impii* (Chaldaice, *impius*), *cadet* (hebraice, incidere faciet) *in malum,* id est, negotium exasperabit, et majora damna dabit. At *legatus fidelis, sanitas* [2] est, id est, sanabit et corriget, vel saltem sua prudentia leniet errata.

℣. 23. *Multi cibi,* id est, multæ fruges, multæ opes, sunt *in novalibus patrum,* si nempe a filiis sedulo excolantur: hebraice est, *in aratione capitum,* id est parentum, inquit Noster, sed Chaldæus et alii vertunt, *pauperum*: qui nempe per se, seu propria capita, colunt agros suos, majori cura et fide, minore sumptu. Divites vero, quia per alios id faciunt, minus uberes fructus percipiunt; idque *absque judicio,* committentes agros cultoribus parum frugi et negligentibus. Beda mystice hæc accipit de doctrina et exemplis majorum, sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiæ.

(2) Cap. 12, vers. 18.

CAPUT XIV.

Antitheses sapientiæ et stultitiæ: fructus et effectus utriusque.

1. Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet.

2. Ambulans recto itinere, et timens Deum, [1] despicitur ab eo, qui infami graditur via.

3. In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.

4. Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.

5. Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis.

6. Quærit derisor sapientiam, et non invenit: doctrina prudentium facilis.

7. Vade contra virum stultum, et nescit labia prudentiæ.

8. Sapientia callidi est intelligere viam suam: et imprudentia stultorum errans.

9. Stultus illudet peccatum, et inter justos morabitur gratia.

10. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

11. Domus impiorum delebitur: tabernacula vero justorum germinabunt.

12. Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem.

13. Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.

14. Viis suis replebitur stultus,

℣. 3. *In ore stulti virga,* seu flagellum, *superbiæ* — nam verba ipsius superba, mordacia et injuriosa (ut LXX) quibus alios verberat et flagellat, erunt vicissim ipsimet *virga,* id est, causa, occasio, instrumentum quo vapulet.

℣. 4. *Ubi non sunt boves* qui arent, ibi *præsepe vacuum est* alimento boum seu paleis; q. d. Ubi desunt agrorum cultores, ibi nullus sperandus est fructus; ubi otium, ibi egestas. *Ubi autem plurimæ segetes;* hebraice, *copia proventuum, ibi manifesta* eluxit *fortitudo bovis* — Dii enim laboribus bona vendunt [2]. Tropologice *boves* sunt Doctores, Prælati, pastores; *segetes,* animæ conversæ.

℣. 6. *Doctrina prudentium;* hebraice, *scientia intelligenti* seu prudenti *facilis* est inventu. Statim enim, Deo agente et illuminante, conscientia et ratio illi dictat quid et qualiter hic et nunc agendum.

℣. 7. *Vade contra stultum,* id est, ex adverso ejus, e regione, non appropinques; hebraice, *recede a stulto*; chaldaice, *vade per viam aliam a facie stulti. Et,* id est quia, *nescit labia prudentiæ,* seu movere, seu audire; Chaldæus, *quia in labiis ejus non est scientia.* Unde hebraice est, *nescies* (id est, non audies), *ab eo prudentiam.*

℣. 9. *Stultus illudet peccatum* — ridens super admissis sceleribus, eaque pro ludo ac joco habens, sibique gratulatur jactans se de suis flagitiis. In Regiis et Complutensibus legitur, *stultis illudet peccatum,* utique cum pœna succedanea mordebit miseros, tum in præsenti vita, tum maxime in futura.

℣. 10. *Cor quod novit* et sentit *amaritudinem animæ suæ,* id est, solus qui patitur tribulationem, novit et sentit quid ipsum angat et cruciet. Et e converso, *in gaudio* quoque *ejus non miscebitur extraneus* — id est, solus etiam perfecte conscius est et compos gaudii ex tribulatione subnascentis.

℣. 14. *Viis suis replebitur stultus;* hebraice, *de viis suis satiabitur,* id est, dabit abundanter pœnas eorum quæ male fecit. Deprimetur enim et corruet, sub-

(1) Job 12, vers. 4.

(2) Θεοὶ τ᾽ἀγαθὰ πόνοις πωλουσι.

et super eum erit vir bonus.

15. Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos.

Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus, et dirigetur via ejus.

16. Sapiens timet et declinat a malo: stultus transilit, et confidit.

17. Impatiens operabitur stultitiam, et vir versutus odiosus est.

18. Possidebunt parvuli stultitiam, et expectabunt astuti scientiam.

19. Jacebunt mali ante bonos: et impii ante portas justorum.

20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero divitum multi.

21. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

22. Errant qui operantur malum; misericordia et veritas præparant bona.

23. In omni opere erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

24. Corona sapientium, divitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia.

25. Liberat animas testis fidelis: et profert mendacia versipellis.

26. In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus erit spes.

27. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.

28. In multitudine populi dignitas regis: et in paucitate plebis ignominia principis.

29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

30. Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, invidia.

31. [1] Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

32. In malitia sua expelletur impius: sperat autem justus in morte sua.

inde etiam in hac vita: *et super eum erit vir bonus* — id est, præ ipso, et non raro etiam super ipsum exaltabitur vir pius, ut apertius explicatur v. 19. Nonne quotidie id videmus etiam in magnatibus et principibus?

℣. 15. *Innocens* hic in malam partem sumitur pro *insipiente*, ut vertit Chaldæus, seu stulto: *astutus*, pro prudente, ut dixi c. 12, v. 23. Quod sequitur: *Filio doloso*, etc. non est hoc loco nisi in Vulgata nostra: sed apud LXX reperitur c. 13, v. 13, ut ibid. dixi.

℣. 22. *Errant qui operantur malum*; hebraice, *errant qui arant mala*, id est, qui se suaque malis artibus promovere student, toto cælo aberrant a rectis sulcis et scopo suo, nec respondebit arationi fructus. Sed *misericordia et veritas* (id est, virtutes, ut dixi cap. 3, v. 3), *præparant bona*; hebraice, *arantibus bonum*, supple, fructum conciliant.

℣. 23. *In omni opere*; hebraice, *labore erit abundantia*, ut dixi v. 4. *Labore* enim et industria, non *verbis* aut otio parantur opes.

℣. 24. *Divitiæ sapientibus sunt* pro *corona*, id est, ornamento, instar coronæ vel diadematis. *Fatuitas stultorum, imprudentia* — Chaldæus, *decus stultorum est stultitia*, id est, stulti nullum decus, nullum ornamentum habent quo se ornent nisi stultitiam: nam et opes quas habent, et quibus egregie se possent ornare (ut sapientes faciunt) cum iis nonnisi perverse utantur, non sunt ipsis honori vel ornamento, sed dedecori et damno.

℣. 30. *Sanitas cordis*, id est, cor sanum a passionibus, maxime ab ira et livore, est *vita carnium*, id est, facit carnem et totum corpus vividum et vegetum. Sed *invidia* et ira et reliquæ passiones exorbitantes tabefaciunt etiam ipsa *ossa*, id est, robur omne tum corporis, tum animi. Nam ex læta et bona habitudine animi per sympathiam consequitur bona habitudo corporis, teste S. Gregorio [2]. Vide c. 17, v. 22. LXX vertunt, *vir mansueti cordis, medicus* est: *tinea autem ossium, cor sensitivum*, id est, quod zelum, iram, invidiam, aliosque animi

(1) Infra 17, vers. 5. (2) Lib. 5 Mor., c. ult.

33. In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.

34. Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.

35. Acceptus est regi minister intelligens: [1] iracundiam ejus inutilis sustinebit.

motus facile sentit, quod verbulo ut acu pungitur.

℣. 34. *Peccatum*, et maxime injustitia *facit populos miseros* — LXX, *imminuit tribus: Cheser* [2] enim (quomodo hi legisse videntur) et *imminutionem* seu defectum, et *miseriam* significat. Utrumque enim verum: nam ubi injustitia, ceteraque vitia impune grassantur, justa Dei vindicta, civitas, provincia, regnum illud et incolis et opibus exhauritur, et bello, fame, peste aliisque miseriis impletur. Jam in Hebræo est *chesed* [3], id est, pietas et misericordia. Quo modo si legendum est, antiphrastice pro *probro* seu re *miserabili*, vel *nefaria* accipere licebit, ut accipitur Levit. 20, v. 17 et alibi, q. d. Justitia gentem gloriosam reddit: peccatum vero probrosam et miserabilem, ut Noster vertit. Frustra ergo hinc Mercerus, ut suam hæresim stabiliat, probare conatur, omnem actionem Gentilium, quantumvis piam, peccatum esse. Quia hoc hic non dicitur, et repugnat aliis Scripturis [4], et improbatur hic sensus etiam aliis Merceri symmystis.

(1) " Vers. 35. Apud LXX addi in fine hujus versus: *Ira perdet etiam prudentes.* „

(2) חסר.

(3) חסד.

(4) Ad Rom. 2, vers. 14, et Matth. 5, vers. 47 et Daniel. 4, vers. 24.

CAPUT XV.

De bono et malo linguæ: de vera fortitudine: de victimis impiorum: de solido gaudio: de veris thesauris: de cœlo et inferno.

1. Responsio mollis frangit iram: [1] sermo durus suscitat furorem.

2. Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.

3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.

4. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

5. Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.

6. Domus justi plurima fortitudo: et in fructibus impii conturbatio.

7. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit.

8. [2] Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia.

9. Abominatio est Domino via

℣. 4. *Lingua placabilis*, id est, placida, placans; leniens iram et dolorem. Hebr. et græce est, *sanitas linguæ*; chaldaice, *medicina linguæ*, seu lingua medica, est *lignum vitæ* — de quo c. 3, v. 18. Item

℣. 5. *virtus* — id est, fortitudo, qua scilicet firmiter consistant justi, et impiis resistant.

℣. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino* [3] — cum enim displiceat operans, displicet et opus operantis. Atqui sacrificia vetera non valebant nisi ex opere operantis: ergo. Aliter res habet in sacrificiis novæ legis, quæ valent ex opere operato, ut docent Doctores [4].

Vota justorum placabilia — Hebraice, *oratio* et sacrificia *justorum voluntas Dei*, id est, placent Deo, et etiam placant Deum.

(1) Infra 25, vers. 15.
(2) Infra 21, vers. 27; Eccli. 34, vers. 21.

(3) Isa. 1, vers. 11.
(4) In 3 p. de sacrificio.

impii: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

10. Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.

11. Infernus, et perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?

12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur.

13. [1] Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus.

14. Cor sapientis quærit doctrinam: et os stultorum pascitur imperitia.

15. Omnes dies pauperis, mali: secura mens quasi juge convivium.

16. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.

17. [2] Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.

18. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo.

20. Filius sapiens lætificat patrem: et stultus homo despicit matrem suam.

21. Stultitia gaudium stulto: et vir prudens dirigit gressus suos.

22. Dissipantur cogitationes ubi non est consilium: ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur.

23. Lætatur homo in sententia oris sui: et sermo opportunus est optimus.

24. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.

℣. 10. *Doctrina mala;* hebraice, *correctio,* seu increpatio, *gravis* est et ingrata *deserenti viam vitæ:* maxime quando illi intentatur mors æterna, et pœnæ infernales. *Morietur* tamen et pœnas illas incurret, ni resipiscat.

℣. 11. *Infernus*, ᾅδης, id est, gehenna, *et perditio,* seu perditi et damnati in inferno, sunt *coram Domino,* id est. detecta et explorata sunt Deo etiam ima inferni, qui, quot, quales, damnati sint et damnandi, quibus quantisque tormentis cruciandi: *quanto magis* patent illi *corda filiorum hominum,* et intimi illorum recessus, occultæ cogitationes et appetitus?

℣. 15. *Omnes dies pauperis;* hebraice, afflicti, sunt *mali,* id est, injucundi, graves, molesti, ut v. 10. Tamen *secura,* id est, tranquilla: chaldaice et hebraice, *hilaris mens,* seu conscientia, quantumcumque pauperis, facit omnes eosdem dies jucundos et lætos, instar perpetui *convivii:* cum omnia adversa, non jam ut flagella, sed ut amoris indicia placidissime acceptet de manu Dei, cujus nutibus parere et obsequi jucundissimum illi accidit.

℣. 16. *Thesauri insatiabiles* dicuntur partim passive; quia numquam dicunt, Satis est: partim active, quia non satiant hominis appetitum [3]. Hebraice, *in quibus est turbatio,* seu tumultus. Turbant enim animum molestia et cura sui, tum augendi, tum conservandi, tum expendendi.

℣. 19. *Iter pigrorum,* seu ignavorum, videtur ipsis *quasi sepes spinarum* — id est, nimis durum, arduum, impervium. Hinc nihil magni, nihil boni aggredi audent.

℣. 24. *Semita vitæ super eruditum* — Hebraice et chaldaice, *sursum est intelligenti;* seu prudenti, nempe animo ad superna contendit, et in cælum, ubi vera et æterna est vita. Unde Rabbi Levi: Quanto quidque in hac mundi machina sublimius est, tanto nobilius et præstantius est, verbi gratia, cælum elementis: et inter elementa ignis aere, aqua terra: consequenter cor justi præstantissimum est, quia altissimum. Nam ut ait sanctus Paulus [4], *conversatio nostra in cælis est. Ut declinet de inferno novissimo* — Hebraice, *qui deorsum,* seu infra omnia est, et ima pars mundi. Ex quibus habes, etiam in veteri Testamento clarissime proponi hominibus *cælum et infernum.*

(1) Infra 17, vers. 22.
(2) " Vers. 17. *Melius est vocari ad olera cum charitate.* Ne mutes passivum *vocari* in activum *vocare.* Corr. Rom „
(3) Luc. 8, vers. 18.
(4) Ad Philip. 3, v. 20.

25. Domum superborum demolietur Dominus: et firmos faciet terminos viduæ.

26. Abominatio Domini cogitationes malæ: et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

27. Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.

[1] Per misericordiam et fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

28. Mens justi meditatur obedientiam: os impiorum redundat malis.

29. Longe est Dominus ab impiis: et orationes justorum exaudiet.

30. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa.

31. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur.

32. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

33. Timor Domini, disciplina sapientiæ: et gloriam præcedit humilitas.

(1) Infra 16, vers. 6.

CAPUT XVI.

Variæ viæ et effectus divinæ providentiæ: cui omnia, quantumvis fortuita videantur, subjecta sunt.

1. Hominis est animam præparare: et Domini gubernare linguam.

2. [1] Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus.

3. Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ.

4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.

℣. 1. *Hominis est animam præparare* — Hebraice, *hominis sunt dispositiones cordis:* non tamen (ut volebat Pelagius) sine *concursu* Dei, tum *naturali*, seu generali in omni re: tum *supernaturali*, seu per *gratiam*, in rebus quæ ad salutem pertinent. Sed quomodocumque horum auxilio cor disposueris, id est, animo conceperis et proposueris quid et quomodo dicere velis, non dices tamen ut convenit vel oportet, nisi Deus speciatim adhuc dirigat *linguam*. Porro quod hic de *verbis* dicit, etiam et magis de *operibus* verum est, ut infra [2] dicetur. Longe enim difficilius est, re ipsa exequi sensa animi, quam verbis apte exprimere: et hoc quoque, quam animo concipere vel meditari.

℣. 3. *Revela Domino opera tua;* hebraice, *devolve ad Dominum*, id est, fac ea in honorem Dei, et successum ipsi commenda, *et dirigentur* ad optatum finem et exitum.

℣. 4. *Universa propter semetipsum,* seu ad gloriam suam in iis manifestandam, *operatus est*, creavit et condidit *Dominus, etiam impium*, non formaliter, sed materialiter, id est, hominem illum quem prævidit futurum sua malitia impium. Nam hunc quoque creavit absolute ad gloriam suam in eo, et per eum declarandam. Et vellet quidem, quantum ex se est, hanc in eo gloriam declarari per excellentem gratiam, qua (si non peccando sequi velit) deduceretur ad diem bonum. Sed cum nolit sic sequi, deducit nihilominus illum ad declarandam in eo gloriam suam, sed per aliam viam, puta per justam punitionem, rapiendo illum *ad diem malum*, seu ad supplicium æternum. Quod secundario tantum et ex hypothesi intenditur a Deo. Itaque velint nolint impii, etiam gloria Dei in ipsis, dum scelerum suorum dant pœnas, æternum declarabitur. Vide S. Augustinum et Doctores Scholasticos [3].

(1) Infra 20, vers. 24, et 21, vers. 2.
(2) Hic vers. 9, et cap. 20, vers. 24.

(3) August. l. 3 contr. Julian., c. 8, et contr. 2 ep. Pelagii; Doct. in 1. 2. de gratia, q. 110 et seq.

5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens.

Initium viæ bonæ, facere justitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias.

6. [1] Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore Domini declinatur a malo.

7. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

8. Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.

9. Cor hominis disponit viam suam: sed Dñi est dirigere gressus ejus.

10. Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus.

11. Pondus et statera judicia Domini sunt: et opera ejus omnes lapides sacculi.

12. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam justitia firmatur solium.

13. Voluntas regum labia justa: [2] qui recta loquitur, diligetur.

14. Indignatio regis, nuntii mortis: et vir sapiens placabit eam.

15. In hilaritate vultus regis vita: et clementia ejus quasi imber serotinus.

16. Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.

17. Semita justorum declinat mala: custos animæ suæ servat viam suam.

18. Contritionem præcedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus.

19. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.

20. Eruditus in verbo reperiet bona: et qui sperat in Domino, beatus est.

21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio, majora percipiet.

22. Fons vitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum, fatuitas.

23. Cor sapientis erudiet os ejus: et labiis ejus addet gratiam.

24. [3] Favus mellis, composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium.

25. Est via quæ videtur homini

℣. 5. *Etiam si manus ad manum fuerit* — Vide dicta c. 11, v. 21.

℣. 7. *Inimicos ejus convertet ad pacem* — id est, emolliet, reconciliabit, pacificos illi reddet. Patuit in Josepho cum Pharaone, Davide cum Saule, Daniele, Mardochæo et tot aliis. Subinde tamen, justas ob causas, id non facit Deus.

℣. 10. *Divinatio in labiis regis* est, q. d. Reges, principes et magistratus singulari sagacitate donantur a Deo, utpote ejus vicarii, ut in dubiis et controversiis expediendis vafriciem et malitiam seu litigantium, seu testium facile deprehendant, et recte judicent. Nemo igitur magistratui imponere tentet, nemo sententiam latam carpat.

℣. 11. *Omnes lapides sacculi*, id est, omnia pondera, quæ lapidea olim erant, et in sacculis circumferebantur, sunt *opera Dei* — id est, ex ordinatione et voluntate divina, uti et stateræ. Quare opera danda, ne per imposturas et fraudes corrumpantur, vel in usu eorumdem contra Deum et justitiam peccetur.

℣. 20. *Eruditus in verbo* — id est, bene instructus, et prudenter procedens in negotio suo.

℣. 21. *Dulcis eloquio*, seu sermone, *majora percipiet* — id est, majorem laudem, adde et usum et fructum majorem consequetur. Hebraice enim est, *addet acceptionem*. Nam sapiens quo sæpius et ferventius dicet in gratiam et bonum aliorum, et quo doctrinam suam liberalius aliis communicabit, eo et usum dicendi majorem, et merita plura, et laudem ampliorem apud Deum et homines accipiet, nam, ut dicitur,

℣. 24. *Favus mellis* sunt, id est, suavissima et gratissima, *verba* a prudente *composita*. Item, *dulcedo* sunt animæ, etc.

(1) Supra 19, vers. 27.

(2) [a] Vers. 13. *Qui recta loquitur, diligetur*, quod est *amabitur*: non *dirigetur* quod est *gubernabitur*.

(3) Supra 15, vers. 13; Infra 17, vers. 22.

recta: et novissima ejus ducunt ad mortem.

26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.

27. Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit.

28. Homo perversus suscitat lites: et verbosus separat principes.

29. Vir iniquus lactat amicum suum: et ducit eum per viam non bonam.

30. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

31. Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.

32. Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

℣. 26. *Anima laborantis*, hebraice, *anima quæ molestiam exhibet* alteri — *laborat sibi*, hebraice, *molestiam sibi ipsi creat:* nempe, *quia compulit eum os suum* — Hebraice, *incurvavit contra se os suum;* id est, deflexit et peccavit in verbis suis. Plerumque enim perversus sermo auctori occasio est doloris et afflictionis.

℣. 27. *Impius*, perversa sua lingua, *fodit malum*, non solum proximo suo, sed et *sibi* — ut habent LXX. Neque enim quiescit donec pestilentibus suis sermonibus aliquod grave infortunium sibi, quasi e terra effodiat, et ignem jurgiorum ac litium accendat; LXX, *thesaurizet*, quo et ipse et familia ejus conflagrent.

℣. 28. *Verbosus*, id est, hebraice et chaldaice, *susurro, separat*, id est, animis disjungit, inimicos facit, etiam viros *principes* — Unde bella, etc.

(1) Job 15, vers. 12.

℣. 30. *Attonitis* [1] *oculis* — Hebraice, *qui obfirmat;* LXX, *qui firmat oculos suos*, nempe ut solent attoniti, immotis palpebris.

℣. 33. *Sortes*, et quid magis videtur fortuitum? *Sed* tamen etiam illæ *a Domino temperantur*, divinitus gubernantur. Hebraice, *a Domino justitia sortis*, id est, quod sors decernit, non temere accidit, sed a Deo est. Patuit in Achan Josue 7, in electione Saulis 1 Reg. 10, in detectione Jonathæ 1 Regum 14, in electione Matthiæ Actor. 1, in conversione Augustini, etc. Unde patet, omnia etiam fortuita, a Deo regi, saltem generali providentia, qua omnes causas secundas regit, et in finem suum dirigit. Neque quidquam fortuitum dici potest respectu causæ primæ, seu Dei; neque Scriptura utitur nomine fortunæ, sed providentiæ. Vide S. Augustinum et Doctores [2].

(2) Aug. in Gen., q. 91; Doct. in 1 p. de provid.

CAPUT XVII.

Variæ conditiones, varii effectus prudentiæ et stultitiæ; pietatis et impietatis.

1. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.

2. [1] Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem dividet.

3. Sicut igne probatur argentum, et aurum camino: ita corda probat Dominus.

4. Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus.

℣. 1. *Domus plena victimis*, seu mactatis pecudibus, e quibus lauta convivia parabantur, ut dixi capite 7, vers. 14 et alibi.

℣. 2. *Servus sapiens inter fratres hereditatem dividet* — non tantum quasi moderator aut curator filiorum ab hero constitutus, sed etiam quasi coheres ab eodem una cum filiis institutus, ut fit cum filia familias nuptui datur servo, et aliis casibus, q. d. Sapientia nobilior est libertate, ut quæ afferat clienti suo libertatem, dominium, hereditatem.

(1) Eccli. 10, vers. 28.

5. [1] Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus: et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.

6. Corona senum filii filiorum: et gloria filiorum patres eorum.

7. Non decent stultum verba composita: nec principem labium mentiens.

8. Gemma gratissima, expectatio præstolantis: quocumque se vertit, prudenter intelligit.

9. Qui celat delictum, quærit amicitias; qui altero sermone repetit, separat fœderatos.

10. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

11. Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.

12. Expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.

13. [2] Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.

14. Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum: et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.

15. [3] Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

16. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?

Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: et qui evitat discere, incidet in mala.

17. Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur.

18. Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo.

19. Qui meditatur discordias, diligit rixas: et qui exaltat ostium, quærit ruinam.

20. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: et qui vertit linguam, incidet in malum.

21. Natus est stultus in ignomi-

℣. 8. *Expectatio præstolantis.* Hebraice, *munus in oculis possidentis illud,* id est, quod diu expectatum et vehementer expetitum, tandem advenit et occurrit, est gratissimum instar gemmæ pretiosissimæ. Beda id accipit de gloria cælesti. Quare et sapiens *quocumque se vertit, prudenter intelligit,* seu *agit,* ut est in Hebræo: nempe ut assequatur quod tam avide expectat: et ne forte sua temeritate vel imprudentia spem evertat, et voto suo frustretur.

℣. 9. *Qui altero sermone repetit;* hebraice, *qui negotium iterat,* id est, qui rem de qua nunc egi, nempe *delictum* proximi sui, *identidem* repetit, causa est dissensionis inter *principes,* ut est in Hebræo, antea *fœderatos.*

℣. 11. *Angelus,* id est, nuntius, *crudelis mittetur contra eum* — tum ab hominibus, v. g. judicibus; tum a Deo: nam ab utrisque graviter punietur.

℣. 12. *Expedit magis ursæ occurrere, quam fatuo confidenti in stultitia sua,* ac proinde audenti invadere (instar rabidæ ursæ) vitam, famam, conscientiam, bona proximi sui. Talis enim neque personæ, neque temporis, neque loci, neque justitiæ, neque decoris, neque Dei ullam rationem habet. Ut in Saule patuit 1 Regum 22.

℣. 14. *Qui caput est jurgiorum,* id est, qui initium dat jurgiis et litibus, est sicut qui *dimittit aquam:* ita Hebræa: id est, sicut qui rumpit aggerem cui magna vis aquæ incumbit. Ut enim is rupto semel aggere, non potest amplius prohibere aquas quo minus ingentia damna creent: sic qui semel occasionem jurgiorum dedit, etc. *Et antequam patiatur contumeliam* ex suborituro jurgio, *judicium deserit* qui prudens est. Hebraice, *antequam lis commisceatur dimitte,* supple, litem: principiis obsta. Lites initio facile comprimuntur: mora invalescunt.

℣. 19. *Exaltat ostium* domus suæ; Chaldæus, *portam.* Nempe superbus, qui altas et insanas substructiones molitur, ut dixi v. 16. Rursus,

℣. 20. *Vertit* ab uno in aliud, a bono in malum; Chaldæus, *pervertit, linguam* — id est, perverse loquitur, detrahendo, adulando, malum suadendo, rixando, etc.

(1) Sup. 14, vers. 31.
(2) Ad Rom. 12, vers. 17; 1 ad Thess. 5, v. 15; 1 ad Petr. 3, vers. 9. (3) Isa. 5, vers. 23.

niam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.

22. [1] Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.

23. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.

24. [2] In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.

25. Ira patris, filius stultus: et dolor matris quæ genuit eum.

26. Non est bonum, damnum inferre justo: nec percutere principem, qui recta judicat.

27. [3] Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est: et pretiosi spiritus vir eruditus.

28. [4] Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: et si compresserit labia sua, intelligens.

℣. 24. *In facie* [5] *prudentis lucet sapientia* — nam vel solo modeste vultu et aspectu suo illam produnt sapientes.

Oculi stultorum vagi et distracti quasi *in* omnes *fines terræ*, contrarium produnt: nempe mentem tam longe a sapientia abesse, quam absunt oculi, qui dum in centrum deberent intendere, vagantur in circumferentia circuli.

℣. 27. *Vir eruditus* est *pretiosi spiritus* — id est, rari et maturi sermonis, utpote qui spiritum suum, tamquam rem valde pretiosam arcte concludit, cohibet et refrenat, ne in multa verba temerarius erumpat. Unde alii vertunt, *frigidus spiritu*, qui sedato et quasi refrigerato animo dicit suam sententiam. Fervor enim et ebullitio sanguinis raro suggerit aliquid boni.

(1) Sup. 15, vers. 14, et 16, vers. 24.
(2) Eccle. 2, vers. 14, et 8, vers. 1.
(3) Jac. 1, vers. 19.
(4) " Vers. 28. Ejus enim stultitia non apparebit, quæ sermone potissimum proditur. Menoch.„
(5) Eccle. 2, vers. 14.

CAPUT XVIII.

Non facile deflectendum a semel stabilita amicitia, charitate, justitia, aliisque virtutibus.

1. Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.

2. Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.

3. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia et opprobrium.

4. [1] Aqua profunda verba ex ore viri: et torrens redundans fons sapientiæ.

5. Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii.

6. Labia stulti miscent se rixis: et os ejus jurgia provocat.

7. Os stulti contritio ejus: et labia ipsius, ruina animæ ejus.

8. Verba bilinguis, quasi simplicia; et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.

Pigrum dejicit timor: animæ autem effeminatorum esurient.

9. Qui mollis et dissolutus est in

℣. 4. *Aqua profunda* sunt *verba ex ore viri*, nempe prudentis, q. d. Profundas et graves sententias eructat e pectore quasi copiosa scaturigine et *fonte* inexhausto: unde et rivus, et *torrens*, et flumen emanat.

(1) Infra 20, vers. 5.

℣. 8. *Verba bilinguis*, hebraice et chaldaice, *susurronis; quasi simplicia*, id est, blanda sunt, interim penetrant *usque ad interiora ventris* — id est, sauciant et cruciant intimam animam proximi; Chaldæus, *deducent illum in profundum inferni.*

opere suo, frater est sua opera dissipantis.

10. Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur.

11. Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.

12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: et antequam glorificetur, humiliatur.

13. [1] Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.

14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere?

15. Cor prudens possidebit scientiam: et auris sapientium quærit doctrinam.

16. Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit.

17. Justus, prior est accusator sui: venit amicus ejus, et investigabit eum.

18. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.

19. Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, et judicia quasi vectes urbium.

20. De fructu oris viri replebitur venter ejus: et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

21. Mors, et vita in manu linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

22. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: et hauriet jucunditatem a Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.

23. Cum obsecrationibus loquetur pauper; et dives effabitur rigide.

24. [2] Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater.

℣. 10. *Turris fortissima*, seu præsidium munitissimum, est *nomen Domini* — id est, ipse Dominus cum omni sua potentia, sapientia, aliisque attributis, quæ gloriose nominamus, celebramus et invocamus.

℣. 16. *Donum hominis*, seu munera et sportulæ, *dilatant viam ejus*, id est, facilem ei viam et aditum aperiunt, etiam *ad principes* et magistratus omne genus. Tropologice, eleemosyna viam aperit ad Deum.

℣. 17. *Justus, prior est accusator sui*, id est, seipsum prius reprehendit et emendat: dein, cum *venit amicus* (hebraice, *proximus*) *ejus, investigabit eum* — id est, inquiret in mores ejus, ut et ipsum in viam reducat. Hebraice et chaldaice, et apud recentiores est, *justus prior est in lite* seu *judicio suo*, id est, quamprimum illi lis movetur, ultro se judici et judicio sistit utpote conscius suæ justitiæ: sed antequam *amicum* eo pertrahat, diligenter *investigabit* pondus et meritum causæ ejus.

℣. 19. *Judicia*, scilicet forensia; hebraice, *jurgia* seu lites inter fratres, sunt *quasi vectes*, repagula et claustra, *urbium*, quæ revelli non possunt: id est, sunt dura, aspera, perpetua, irreconciliabilia. Quia quo major amor fratrum, eo majus et odium.

℣. 21. *Mors et vita*, tum corporis, tum animæ: tum loquentium, tum audientium, est *in manu*, id est, potestate, vel arbitrio, *linguæ*. *Qui diligunt eam*, seu bonum illius usum; LXX, *qui dominantur ejus*, eaque rectæ utuntur, *comedent fructus ejus* bonos et suaves.

Nota est in fabulis Æsopi, mensa linguis instructa tamquam optimis ferculis, simul et pessimis. Vide etiam Plutarchum [3], Senecam et alios.

(1) Eccl. 11, vers. 8.
(2) " Vers. 24. *Vir amabilis.* Non dicas *amicabilis.* Romana Corr. "
(3) Lib. de Auditoris officio.

CAPUT XIX.

Laus simplicitatis et rectitudinis: mansuetudinis et patientiæ: misericordiæ et correptionis.

1. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua, et insipiens.

2. Ubi non est scientia animæ, non est bonum; et qui festinus est pedibus, offendet.

3. Stultitia hominis supplantat gressus ejus: et contra Deum fervet animo suo.

4. Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem et hi, quos habuit, separantur.

5. [1] Testis falsus non erit impunitus: et qui mendacia loquitur, non effugiet.

6. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.

7. Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo.

Qui tantum verba sectatur, nihil habebit:

8. Qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, et custos prudentiæ inveniet bona.

9. Falsus testis non erit impunitus: et qui loquitur mendacia, peribit.

10. Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.

11. Doctrina viri per patientiam noscitur: et gloria ejus est iniqua prætergredi.

12. Sicut fremitus leonis, ita et regis ira: et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus.

13. Dolor patris, filius stultus: et tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.

14. Domus, et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.

15. Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet.

16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

17. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei.

18. Erudi filium tuum, ne despere; ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.

19. Qui impatiens est, sustinebit damnum: et cum rapuerit, aliud apponet.

℣. 1. *Torquens labia* — Hebraice, græce et chaldaice, *perversus labiis*, id est, qui versutis utitur sermonibus, et opponuntur *simplici*.

℣. 13. *Tecta jugiter perstillantia*, quæ domum labefactant, habitationem sordidam et molestam reddunt, et incolas fugant, ita *mulier* rixosa.

℣. 14. *A Domino* [2] *proprie* datur *uxor prudens* — id est, cordata, pia, commodis moribus, mariti ingenio obsequens, et quæ familiam recte administret. Hoc enim singulare Dei donum est, neque hereditate transcribitur, ut opes et dignitates. Unde sollicita prece expetenda a Deo, quia inde pendet salus familiæ, pax et prosperitas viri, prolium, affinium et cognatorum.

℣. 16. *Qui negligit viam suam*, seu mores secundum præscriptum legis componere, indulgens pravis affectibus et concupiscentiis suis, *mortificabitur* — Hebraice et chaldaice, *morietur*; LXX, *peribit*. Sic Paulus Rom. 8: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Quod de æterna morte certum est, de temporanea etiam punitione frequentissimum.

℣. 19. *Qui impatiens est*. Loquitur de parente, ex impatientia et nimio fu-

(1) Dan. 13, vers. 61. (2) Vide c. 10, vers. 1.

20. Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.

21. Multæ cogitationes in corde viri: [1] voluntas autem Domini permanebit.

22. Homo indigens misericors est: et melior est pauper, quam vir mendax.

23. Timor Domini ad vitam: et in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima.

24. [2] Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.

25. [3] Pestilente flagellato stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.

26. Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.

27. Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.

28. Testis iniquus deridet judicium: et os impiorum devorat iniquitatem.

29. Parata sunt derisoribus judicia: et mallei percutientes stultorum corporibus.

rore, filium rebellem deposcente a magistratu ad necem, juxta legem Deuter. 21. Talis enim etsi non plene voti compos fiat, tamen vel accusando tantum, ingens *sustinebit damnum*, nempe insignem familiæ suæ infamiam. Quod si plene voti compos, etiam *rapuerit*, id est, retulerit, reportarit sententiam mortis, qua filius extinguatur, jam *aliud apponet* damnum, utique omnium maximum et irreparabile, quo detruncat familiam, et spem præcidit posteritatis.

℣. 23. *Timor Domini ad vitam* fovendam, ornandam, perpetuandam servit, q. d. Pius erit longævus et felix, *et in plenitudine* bonorum omnium *commorabitur*; hebraice et chaldaice, *satur quiescet*, seu pernoctabit: *absque visitatione pessima*; hebraice et chaldaice, *nec visitabitur a malo*, id est, nihil mali ei obveniet.

℣. 24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat* — Est hyperbole, q. d. Tanta ignavia est hominis pigri, ut etiam præclarissimas occasiones (quibus pulcre rebus suis consulere posset) turpiter negligat: perinde ac si quis lauta mensa sibi proposita, fame perire mallet, quam manu cibum ad os admovere. Tropologice, Beda, desidiosus concionator non vult operari quod dicit: manum quippe ad os porrigere, est voci opera conformare.

℣. 28. *Os impiorum devorat iniquitatem* patentibus buccis ut helluo, id est, avidissime, largissime, plenissime sese infarcit sceleribus. Quod Eliphaz Jobo [4] simili phrasi dicebat, *Bibit quasi aquam iniquitatem.*

℣. 29. *Mallei percutientes*; Hebræus, *percussiones* seu plagæ; Chaldæus, *verbera*; LXX, *supplicia*, tum hic, tum in futuro *parata sunt* a Deo *corporibus*, sed et animis *stultorum*, id est, impiorum, q. d. Non impune insanient.

(1) [a] Vers. 21. *Voluntas autem Domini permanebit*, non addas *in æternum*. Brugens. „

(2) Infra 26, vers. 15. (3) Infra 21, vers. 11. (4) Cap. 15, vers. 16.

CAPUT XX.

De cavenda ebrietate, offensione magistratuum, contentione, otio.

1. Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.

2. Sicut rugitus leonis, ita et terror regis: qui provocat eum, peccat in animam suam.

℣. 1. *Vinum*, seu vini immoderatus usus, est *luxuriosa res*—LXX, ἀκόλαστον, id est, res incoercita, effrenis, intemperans, et, ut legit S. Ambrosius [1], pro diga, nempe verborum, sannarum, li-

(1) Lib. 2 Officior., cap. 21.

3. Honor est homini, qui separat se a [1] contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis.

4. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.

5. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.

6. Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?

7. Justus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.

8. Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.

9. [2] Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?

10. [3] Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque abominabile est apud Deum.

11. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera ejus.

12. Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.

13. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, et saturare panibus.

14. Malum est, malum est, dicit omnis emptor: et cum recesserit, tunc gloriabitur.

15. Est aurum, et multitudo gemmarum: et vas pretiosum labia scientiæ.

16. [4] Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo.

17. Suavis est homini panis men-

tium, ciborum, vestium, opum, Veneris. S. Paul. [5] ἀσωτίαν vocat, *Nolite inebriari vino in quo est ἀσωτία, luxuria*, seu omne genus luxus. Sic Hebræum *lez* [6], quod Chaldæus, *derisorem* vertit; LXX et Noster, *rem luxuriosam*; significat quodvis genus delicti, ut Bannez recte notavit.

℣. 5. *Sicut aqua profunda, sic consilium* tegitur *in corde viri*, cujuscumque, sed maxime callidi et astuti, quod subinde videtur imperscrutabile; sed *sapiens* et sagax solerti conjectura ex variis indiciis *exhauriet illud* — id est, eliciet, assequetur, intelliget.

℣. 6. *Virum fidelem* — id est, veracem: vel fidelem per omnia tum Deo, tum proximo. Plures enim reperire est, qui naturali misericordia commoti dent eleemosynas, etiam liberales, quam qui neminem fallant seu re, seu verbo.

℣. 11. *Ex studiis suis* — id est, ex iis quibus maxime studet et incumbit *puer* in tenella ætate, facile *intelligitur*, seu dignoscitur, quali sit indole, et qualia sint futura *opera ejus* in provectiore ætate.

℣. 12. *Oculum videntem*, maxime in magistratu, dum prospicit quid sit ex usu reipublicæ. *Et aurem audientem*, maxime qua subditi recte parent et obediunt superioribus; et in genere, sensus omnes corporis humani *fecit Dominus* — Illi ergo omnia accepta ferre, illi gratias agere, et ad illius honorem omnibus uti debemus.

℣. 13. *Aperi oculos*, id est, evigila e somno, desine otiosus esse vel iners, strenue labora; est enim metalepsis, *et saturare panibus* — pro saturaberis: Hebræi enim sæpius imperativo pro futuro indicativi uti solent, v. g. *Accedite ad eum, et illuminamini* [7], id est, illuminabimini.

℣. 15. *Est aurum*, supple, pretiosum apud homines: sed omni auro et gemmis pretiosius *vas*, seu instrumentum, sunt *labia scientiæ*, seu hominis sapientis.

℣. 17. *Suavis est panis mendacii*, id est, mendaciis et fraudibus partus. Metonymice voluptas, immo omne vitium, quia initio suave est, sed postea perniciosissimum: atque ita mentitur suavitatem. Unde, *implebitur os* comedentis

(1) [a] Vers. 3. *Contentionibus*, pro contumeliis, quæ ex contentionibus nasci solent. LXX, *Contumelia*. Sa. „

(2) 3 Reg. 8, vers. 46; 2 Paral. 6, vers. 36; Eccl. 7, vers. 21; 1 Joan. 1, vers. 8.

(3) Supra 11, vers. 1; Infra 23.

(4) Infra 27, vers. 13.

(5) Ad Ephes. 5, vers. 18.

(6) עָרַב.

(7) Psalm. 33, vers. 6.

dacii: et postea implebitur os ejus calculo.

18. Cogitationes consiliis roborantur; et gubernaculis tractanda sunt bella.

19. Ei, qui revelat mysteria, et ambulat fraudulenter, et dilatat labia sua, ne commiscearis.

20. [1] Qui maledicit patri suo, et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.

21. Hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

22. [2] Ne dicas: reddam malum: expecta Dominum, et liberabit te.

23. Abominatio est apud Dominum pondus et pondus: statera dolosa non est bona.

24. A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?

25. Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.

26. Dissipat impios rex sapiens, et incurvat super eos fornicem.

27. Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.

28. Misericordia et veritas custo-

calculo — Hebraice, *chazaz* [3], id est, lapillis arenæ permixtis, quos ad vexandum vel torquendum alios solebant immiscere farinæ vel panibus. Unde Seneca [4] panes lapidosos vocat. Eadem voce eodem sensu utitur Jeremias Thren. 3, v. 16, *Et fregit ad numerum dentes meos.* Vult ergo Sapiens *sperni voluptates*, vel propter sola incommoda inde subnascentia: *Nocet* enim *empta dolore voluptas.*

℣. 18. *Gubernaculis;* hebraice, *consiliis*, et quidem multorum ac bene peritorum, suscipienda et gerenda *sunt bella* — Neque enim impune istic peccatur, nec *nisi semel*, ut ille ajebat.

℣. 19. *Ne commiscearis*, seu familiaris sis, *ei qui revelat mysteria*, id est, secreta, *et dilatat labia sua* — id est, qui loquax et garrulus est; hebraice, *qui blanditur amplis verbis.*

℣. 20. *Lucerna ejus* — id est, felicitas, gloria, splendor. Vel, si mavis, filii ejus; nam per hos clarescunt mortui parentes. Sic 3 Reg. 11, v. 36 dicitur relinquenda *lucerna David*, etc.

Extinguetur in tenebris ignominiæ, vindictæ, afflictionis.

℣. 21. *Hereditas, ad quam festinatur in principio* præpropera aditione vel susceptione, non sat excussis oneribus, *in novissimo benedictione carebit* — id est, non diu prosperum cursum tenebit.

℣. 24. *Quis hominum*, sine auxilio Dei, *potest intelligere viam suam?* — id est, quo eundum, quid sibi quavis occasione agendum; q. d. Id a Deo expetendum. Simile erat c. 16, v. 1, et rursum c. 21, v. ult.

℣. 25. *Ruina est homini devorare sanctos;* hebraice, *corrumpere sanctitatem*, id est, res sanctas et sacratas Deo, spoliando bonis vel loca sacra, vel personas sanctas seu justas. Beda legit *devotare*, seu devovere, et favent ei lectioni LXX et Chaldæus. Sed ex Hebræo patet legendum, *devorare:* vide Franc. Lucam [5]. Item ruina est homini, *post vota*, seu postquam aliquid Deo devotum seu dedicatum est a te, vel ab alio, idipsum *retractare* — Hebraice, *ad quærendum*, supple, effugium, vel subtractionem intendere. Idem enim fere dicit, sed clarius, quod priore hemistichio.

℣. 26. *Rex sapiens super impios incurvat fornicem* — id est, ita obruit illos, delet et sepelit, ac si, deturbato in subjectos fornice cubiculi, totos ruinis involveret. Hebraice, græce et chaldaice, *inducit super eos rotam.* Quod supplicii genus fuit Hebræis olim et Syris usitatum, quo David animadvertit in Ammonitas, 2 Reg. 12, v. ult., et 1 Paralip. 20, v. 3, ut ibid. dixi.

℣. 27. *Spiraculum* (hebraice, *mens;* græce, *spiritus*, puta tam *naturalis*, nempe anima cum suis potentiis; quam *supernaturalis*, nempe gratia cum annexis virtutibus) *hominis* est *lucerna Domini*, quasi accensa et derivata a lu-

(1) Exod. 21, vers. 17; Levit. 20, vers. 9; Matth. 15, vers. 4.
(2) Ad Rom. 12, vers. 17; 1 ad Thess. 5, v. 15; 1 Petr. 3, vers. 9.

(3) חצץ.
(4) Lib. de Beneficiis, cap. 7.
(5) Notat. 185 in Biblia.

diunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.

29. Exultatio juvenum, fortitudo eorum : et dignitas senum, canities.

30. Livor vulneris absterget mala: et plagæ in secretioribus ventris.

mine divino, qua prælucente fit ut homo *investiget*, scrutetur, penetret, cognoscat et dirigat *secreta ventris* — id est, etiam intima quæque cordis et mentis suæ, inquit S. Gregorius [1]. Sed hæc lucerna minimo etiam flatu extingui potest a Deo. Vide quæ hac occasione de Prometheo fabulantur Poetæ, Job 28, v. 18.

℣. 30. *Livor vulneris*, id est, plagæ et verbera, maxime *in secretioribus ventris*, id est, quæ penetrent intima cordis, *absterget* tum in piis, tum in impiis *mala* — Hebraice, *abstersio* et medicina est *mali*, seu scelerum ipsorum; q. d. Dolor est medicina doloris, non minus in anima, quam in corpore.

(1) 3. p. Pastor., cap. 13,

CAPUT XXI.

Obsequendum Deo in omnibus: misericordiæ et justitiæ, ceterisque virtutibus incumbendum.

1. Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.

2. [1] Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.

3. Facere misericordiam et judicium, magis placet Domino, quam victimæ.

4. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum.

5. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate est.

6. Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis.

7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.

℣. 1. *Sicut divisiones;* hebraice et chaldaice, *rivi;* LXX, *impetus, aquarum*, seu torrentes, sunt *in manu Domini*, qui eos deducit quo lubet, et sæpe nulla vis humana eos impedire aut coercere potest: *ita et cor regis*, quantumcumque potentis, effrenis et superbi, est tamen integre in potestate Dei, qui illud *inclinat*, non cogendo violente (ut somniat Lutherus, Calvinus et alii hostes liberi arbitrii), sed suaviter invitando, flectendo ducendo *quo vult*, nempe interius objiciendo, quæ novit ingeniis illorum congruere, ut libere se flectant quo desiderat Deus. Ita flexit cor Cyri, Darii, Artaxerxis, Assueri regum Persarum, ut favorent Judæis.

℣. 3. *Facere misericordiam;* hebraice, græce, chaldaice, *justitiam; et judicium;* id est, virtutibus studere, juxta dicta c. 3, v. 3, *magis placet Domino, quam victimæ*, seu sacrificia sine studio virtutum.

℣. 4. *Exaltatio oculorum*, seu altum supercilium, *est dilatatio*; Chaldæus, *tumor cordis*, seu signum superbiæ; LXX cordis *audacis* et thrasonici. Et *lucerna*, id est, gloria, splendor, *impiorum* est *peccatum*, id est, in solis sceleribus suis gloriantur.

℣. 5. *Cogitationes*, et machinationes, *robusti*; hebraice, *diligentis et seduli* viri, *semper in abundantia* ipsum constituunt. *Piger autem;* Chaldæus et LXX, *festinans, semper in egestate est* — Dum enim detrectat piger laborando paullatim ditescere, sed solis inhiat occasionibus celeriter, et simul ex aliorum seu liberalitate, seu infortunio, vel malis artibus (ut mox sequitur) ditescendi, fallentibus illis, ut fere fit, perpetuo manet in sua miseria.

(1) Sup. 16, vers. 2.

8. Perversa via viri aliena est: qui autem mundus est rectum opus ejus.

9. [1] Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi.

10. Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo.

11. Mulctato pestilente sapientior erit parvulus: et si sectetur sapientem, sumet scientiam.

12. Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios a malo.

13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.

14. Munus absconditum extinguit iras: et donum in sinu indignationem maximam.

15. Gaudium justo est facere judicium: et pavor operantibus iniquitatem

16. Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.

17. Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur.

18. Pro justo datur impius: et pro rectis iniquus.

19. [2] Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda.

20. Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi: et imprudens homo dissipabit illud.

21. Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam, et gloriam.

22. Civitatem fortium ascendit sapiens, et destruxit robur fiduciæ ejus.

23. Qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.

24. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.

25. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari:

26. Tota die concupiscit et desi-

℣. 9. *In angulo domatis;* hebraice et chaldaice, *tecti*, sed *non tecto*, ut habent LXX; nempe more Palæstinorum [3], et omnium Orientalium, qui tectis fere planis utebantur, id est, præstat detegere sub dio, ubi tempestatibus et injuriis aeris exponaris; *quam cum muliere* rixosa, *in domo communi* pluribus, id est, ampla et commoda. Tropologice, Beda, *angulus domatis* est vita religiosa et cælestis: *mulier litigiosa* est vita secularis multis curis implicita.

℣. 14. *Munus absconditum*; chaldaice, *in abscondito. Et in sinu*, id est, occulte donatum, non consciis aliis.

℣. 16. *In cœtu gigantum commorabitur* — id est, punietur, ut olim gigantes tempore diluvii: non in hoc solum mundo, sed et in inferno. Vide supra c. 9, v. ult. et Job 26, v. 5.

℣. 18. *Pro justo datur impius* — supple, noxæ, seu ad supplicium et pœnam. Hebraice, *redemptio pro justo est impius;* Chaldæus, *in commutatione justi;* LXX, *purgatio justi;* q. d. Puniuntur impii in rep. et justorum qui in rep. sunt expiationem ab ira et vindicta Dei. Exempla habes in Saule ejusque filiis, 2 Reg. 21, in Aman, Esther ult., v. 18, in hostibus Danielis, cap. 6 et 14.

℣. 20. *Thesaurus desiderabilis*, seu quantum desiderat: *et oleum*, id est, pinguia quæque et fragrantia, sunt *in habitaculo justi*, id est, abundat rebus omnibus non modo necessariis, sed et deliciosis. Sed *imprudens*, seu impius, etiam amplas facultates suis helluationibus, litigationibus vel aleis, *dissipabit.*

℣. 22. *Civitatem fortium;* LXX, *civitates munitas*, sapiens non tam viribus, quam astu *ascendit*, et ascendendo expugnat, *et destruit robur fiduciæ ejus* — id est, munitiones et militaria præsidia in quibus confidebat. Sic Christus non potentia, sed sapientia; non armis, sed cruce confregit vires diaboli, inquit Beda.

℣. 24. *Superbus vocatur indoctus* — Hebraice, *stultus* vel *irrisor*. Vide dicta c. 20, v. 1. Græce est *pestis.*

℣. 25. *Desideria occidunt pigrum* — id est, valde torquent, cruciant et confi-

(1) Inf. 25, vers. 24. (2) Eccli. 25, vers. 23. (3) 4 Reg. 1, vers. 2.

derat: qui autem justus est, tribuet, et non cessabit.

27. [1] Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.

28. Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.

29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.

30. [2] Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

31. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.

ciunt. Cum nempe perpetuo inhiat opibus et deliciis, sed otio et desidia torpens moritur prius quam eas assequatur: interim videt strenuos et sedulos omnibus abundare, et de suo etiam aliis liberaliter et indesinenter tribuere.

℣. 28. *Vir obediens;* hebraice, *audiens*, seu pro testimonio ea tantum dicens quæ audivit vel vidit, *loquetur victoriam* — id est vincet; hebraice, *in perpetuum loquetur*, id est, perpetuo vivet, quomodo ad Hebr. 11, v. 4 dicitur *Abel defunctus adhuc loqui*, nempe celebri sui memoria et exemplo, in hoc seculo: in futuro autem nobili palma et trophæo suæ integritatis, prudentiæ et obedientiæ. Et sic respondet antithesis prioris hemistichii. SS. Patres eleganter hic excurrunt in laudem *obedientiæ*, quod illa obtineatur plena *victoria* primo, de *peccato* [3] *et morte;* secundo, de *diabolo. Ceteris virtutibus*, inquit S. Gregorius, *dæmones impugnamus, sed per obedientiam vincimus, dum voluntatem* nostram *aliis perfecte subjicimus.* Tertio, de *mundo, carne* et *nobis ipsis*, quæ ut difficillima, ita nobilissima est victoria; quarto, de *inferno*, de *cœlo* et de *elementis*, ut patuit in *Josue* [4], *Ezechia* [5], *Christo* [6] Domino et aliis; quinto, de ipsomet *Deo:* exemplo *Jacobi*, qui in via obedientiæ, cum Deo, vel angelo Dei vicario luctans, nomen [7] accepit Israel, id est, dominantis Deo: exemplo item *Abrahæ* [8], *Moysis* [9], et tot aliorum.

(1) Sup. 15, vers. 8; Eccli. 34, vers. 21.
(2) " Vers. 30, 31. *Non est sapientia: Equus paratur:* sic David: *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Ps. 32, vers. 17 seq. "
(3) Isa. 53, vers. 10, et 1 ad Cor. 15, vers. 55, et ad Hebr. 10, vv. 7, 8, 9; Gregor. in 1 Reg. 10.
(4) Josue 10, vv. 8, 12, 13.
(5) 4 Reg. 20, vv. 3, 7, 10, 11.
(6) Matth. 21, vers. 21, et ad Philipp. 2, vv. 8 et 9.
(7) Gen. 32, vers. 28.
(8) Gen. 18, vers. 24.
(9) Exod. 31, vv. 9, 10, 11.

CAPUT XXII.

De cura boni nominis, munditiæ cordis, diligentiæ, misericordiæ et fiduciæ in Deum.

1. Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: [1] super argentum et aurum, gratia bona.

2. [2] Dives et pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dñus.

3. Callidus vidit malum, et abscondit se: innocens pertransiit, et afflictus est damno.

℣. 1. *Gratia bona* — id est, gratiositas, vel favor et benevolentia populi: nempe quæ vera pietate et aliis virtutibus comparatur.

℣. 2. *Dives et pauper obviaverunt sibi* — id est, passim obviant sibi et occurrunt dispares opibus, sed pares creatione et natura. Unde nec diviti superbiendum, nec pauperi mœrendum. Quia *paupertas* non minus est donum Dei, ad materiam laboris, et meritum patientiæ: quam *divitiæ*, ad exercitium charitatis et eleemosynæ. Et speciali providentia Dei sic constitutum est, ut mutuis auxiliis et officiis vita humana foveatur: nam si omnes essent divites, nemo laborare vellet: si omnes pauperes, nemo se vel alios alere posset.

℣. 3. *Callidus* — id est, cautus, astutus, prudens, opponitur *innocenti;* hebraice, *stulto, imperito, ignavo.*

(1) Eccli. 7, vers. 2. (2) Infra 29, vers. 13.

4. Finis modestiæ timor Domini, divitiæ et gloria et vita.

5. [1] Arma et gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.

6. Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

7. Dives pauperibus imperat: et qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.

8. Qui seminat iniquitatem, metet mala, et virga iræ suæ consummabitur.

9. [2] Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.

Victoriam et honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium.

10. Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.

11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

12. Oculi Dñi custodiunt scientiam: et supplantantur verba iniqui.

13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.

14. Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.

15. Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.

16. Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit.

17. Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam:

18. Quæ pulcra erit tibi, cum servaveris eam in ventre tuo, et redundabit in labiis tuis:

19. Ut sit in Domino fiducia tua, unde et ostendi eam tibi hodie.

℣. 4. *Finis modestiæ*, id est, fructus et *merces mansuetudinis*, ut est in Chaldæo; seu humilitatis, consistit partim in internis, nempe *timor Domini*, in quo est vera sapientia: partim externis, nempe *opes, gloria et vita* felix.

℣. 6. *Proverbium* vetus et verum *est: Adolescens juxta vitam suam* — id est, de iis quæ agere debet, instructus. In Hebræo enim, Græco et Chaldæo (omisso, *Proverbium est*) habetur, *imbue puerum* vel *instilla puero doctrinam*, nempe ætati ejus convenientem, ita ut capere possit; retinebit illam etiam cum senuerit.

Quo *enim* semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Vim facit in verbo *instilla*, nempe sensim, et pro captu ætatis. Nam ut recte Quintilianus [3], *superfusam humoris copiam angusti oris vasa respuunt.*

℣. 8. *Virga*, seu flagello, *iræ suæ*, id est, baculo furoris, sævitiæ vel injustitiæ suæ, quo voluit iratus punire et perdere proximum suum, ipsemet *consummabitur* — id est, punietur, diverberabitur, et perdetur ad consummationem usque; LXX hic addunt: *Hilarem datorem diligit Deus.* Quod hinc desumpsit Apostolus 2 Corint. 9.

℣. 9. *Qui dat munera, animam aufert accipientium* — id est, accipientes sibi devincit, sibi reddit obnoxios, etiam sæpe, proh dolor, contra æquum et justum. Neque hic versus est in Hebræo, Chaldæo, Gothico, vel Regiis.

℣. 12. *Oculi Domini custodiunt scientiam*; LXX, *sensum*, id est, Deus singulari providentia et favore prosequitur, benedicit et prosperat prudentia consilia et molimina sapientum seu piorum. Sed *iniqui verba*, id est, negotia, *supplantantur* — id est, subvertuntur, et successu frustrantur.

℣. 14. *Os alienæ*, id est, blandimenta meretricis, seu adulteræ, sunt instar *foveæ profundæ*, *cui iratus est Dominus* ob alia peccata, *incidet in eam* foveam. Sæpe enim peccatum sequens, pœna est peccati præcedentis ut docent sancti Augustinus, Gregorius [4], et alii Patres.

℣. 18. *Doctrina pulcra erit tibi;* he-

(1) " Vers. 5. *Arma et gladii in via perversi.* Non scribas superbi pro perversi. Rom. Corr. "
(2) Eccl. 31, vers. 28.
(3) T. 2, c. 2.
(4) August. in Psalm. 57: Greg. l. 26 Mora cap. 12.

20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus et scientia:
21. Ut ostenderem tibi firmitatem, et eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.
22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta:
23. Quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos, qui confixerunt animam ejus.
24. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso:
25. Ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.
26. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis:
27. Si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo?
28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.
29. Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

braice, *suavis*; chaldaice, *jucunda; in ventre tuo* — id est, in mente, in *corde*, ut LXX. Quia mens quasi venter est animæ, præsidens omnibus potentiis et pabulum singulis dispertiens.

℣. 20. *Descripsi eam tripliciter*, id est, multipliciter, variis modis: tria enim sunt omnia. Et ternarius non minus quam septenarius symbolum est universitatis, ut alibi [1] dixi. *Descripsi*, inquam, *in cogitationibus*, id est, cum præmeditata cogitatione, et accurato studio, *et scientia* — quam longa experientia malam et certam habeo.

℣. 27. *Quid causæ est?* seu quid opus, cui bono, quod te in periculum conjicias oppressionis a creditore?

℣. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos* — transferendo limites agrorum vel possessionum, et sic invadendo bona vicinorum. Allegorice, Vincentius Lyrinensis [2]: Ne deseras fidem antiquam SS. Patrum.

(1) Job 5, vers. 19. (2) L. contr. hæreses.

CAPUT XXIII.

Inter epulas invigilandum linguæ: vitanda invidorum consortia; non inhiandum nimiis opibus, neque alienis: cavenda crapula et luxuria.

1. Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam:
2. Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam,
3. Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.

℣. 1. *Attende quæ apposita sunt*, delicata fercula et vina, nempe ne te seducant et in crapulam impellant, unde per imprudentiam dicas aliquid vel facias, quod tibi vel aliis periculum creet. Vinum enim manifestat quæcumque in corde sunt, 3 Esdræ 3, vv. 10 et 18. Quare *si habes in potestate animam tuam*; Chaldæus, *si dominus fueris animæ tuæ*, id est, si tui es compos, si sapis; *statue cultrum in gutture tuo*, id est, refrena linguam, restringe gulam tuam, quasi cultro gutturi apposito, quo jugu-leris ni caveris, q. d. Cautissime age et loquere, præsens alioqui periculum incursurus. Memento gladii Dionysii Siculi tyranni, supra caput accumbentis Philosophi filo byssino suspensi. Tropologice, Beda, Jansenius et Bannez hæc exponunt de mensa S. Scripturæ, et Ven. Eucharistiæ.

℣. 3. *Panis mendacii*, seu mendax et fallax, sunt lauti cibi et generosa vina, quia blandiuntur appetitui, et prima specie oblectant; sed mox mordent ut coluber, et te lædunt, et cordis tui intima produnt. Vide infra v. 27 et seqq.

4. Noli laborare ut diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum.

5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum.

6. Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos ejus:

7. Quoniam in similitudinem arioli et conjectoris, æstimat quod ignorat.

Comede et bibe, dicet tibi: et mens ejus non est tecum.

8. Cibos, quos comederas, evomes: et perdes pulcros sermones tuos.

9. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii tui.

10. Ne attingas parvulorum terminos: et agrum pupillorum ne introeas:

11. Propinquus enim illorum fortis est: et ipse judicabit contra te causam illorum.

12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum: et aures tuæ ad verba scientiæ.

13. [1] Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur.

14. Tu virga percuties eum: et animam ejus [2] de inferno liberabis.

15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum:

16. Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua.

17. [3] Non æmuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die:

18. Quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur.

19. Audi, fili mi, et esto sapiens: et dirige in via animum tuum.

20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt:

21. Quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio.

22. Audi patrem tuum, qui genuit te: et ne contemnas cum senuerit mater tua.

23. Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam.

℣. 4. *Prudentiæ tuæ* — id est, providentiæ, sagacitati et industriæ ad opes de novo parandas, *pone modum* et terminum.

℣. 5. *Volabunt in cælum* — quo nempe tu pertingere non potes, id est, fugient a te opes, nec eas assequi poteris, non magis quam aquilas altissime devolantes. Beda hos duos versus exponit de immodico scientiæ desiderio, v. g. scrutatione divinitatis.

℣. 7. *Æstimat* de te, *quod ignorat*, immo quod non est; q. d. Male de te judicabit, tum in animo suo, tum apud alios, nempe, te esse sibi similem, gulosum, fictum, avarum et invidum: unde et fictis blanditiis te excipiet.

℣. 8. *Cibos evomes*, utique noxios tibi et insalubres, q. d. Dolebis te degustasse de cibis ejus, tam invida hypocrisi conditis. *Et perdes*, id est, incassum profudisse te senties tam *pulcros sermones*, et jucunda colloquia.

℣. 11. *Propinquus* pupillorum; hebraice, græce et chaldaice, *redemptor*, seu vindex, nempe Deus, *fortis est* — q. d. Etsi pupillus sit debilis, fortem tamen habet propinquum qui illum defendat. Alludit ad Num. 35 et 36 ubi jus redemptionis agri a propinquo venditi, item jus vindictæ occisi conceditur propinquo.

℣. 21. *Dormitatio*, id est, dormitans, deses, iners, *omnis somnolentus*, ut habent LXX, *vestietur pannis* — Hebraice, chaldaice, *ruptis et laceris vestibus*. Qui enim crapulæ indulgent, tandem absumptis nummis, laceri et pannosi oberrant.

℣. 23. *Veritatem*, id est, veros, solidos, permanentes thesauros, *eme*, id est compara tibi, *et noli vendere*, seu a te rursus

(1) Supra 13, vers. 24; Eccli. 30, vers. 1.
(2) " Vers. 14. *De inferno*, idest interitu corporis, et animæ liberabis eum. In timore Dei esto. Mariana. „
(3) Infra 24, vers. 1.

24. Exultat gaudio pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo.
25. Gaudeat pater tuus, et mater tua, et exultet quæ genuit te.
26. Præbe, fili mi, cor tuum mihi: et oculi tui vias meas custodiant.
27. Fovea enim profunda est meretrix: et puteus angustus, aliena.
28. Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet.
29. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?
30. Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?
31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande,
32. Sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.
33. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa.
34. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo:
35. Et dices: Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, et ego non sensi: quando evigilabo, et rursus vina reperiam?

alienare. Qui vero isti thesauri? *sapientia, doctrina*[1], *intelligentia.*

(1) Prov. 1, vers. 1.

℣. 34. *Amisso clavo* — nempe usu rationis, quæ in homine clavus est: et perditur per ebrietatem.

CAPUT XXIV.

Consortia mala vitanda: sapientiæ studendum: oppressi juvandi: juste judicandum: malum malo non reddendum, nec otio indulgendum.

1. Ne æmuleris viros malos,[1] nec desideres esse cum eis:
2. Quia rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur.
3. Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur.
4. In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa et pulcherrima.
5. Vir sapiens, fortis est: et vir doctus, robustus et validus.
6. Quia cum dispositione initur bellum: et erit salus ubi multa consilia sunt.
7. Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.
8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.
9. Cogitatio stulti peccatum est, et abominatio hominum detractor.
10. Si desperaveris lassus in die angustiæ: imminuetur fortitudo tua.
11. [2] Erue eos, qui ducuntur ad

℣. 10. *Si desperaveris lassus* — Hebraice, chaldaice, cum Vatablo, *remissus*, negligens, vecors: id est, si in aliqua difficultate vel calamitate lassescat animus mole malorum dejectus, vel desperatione consternatus, putans se eluctari non posse, hoc ipso *minuetur* robur tuum, et redderis impotentior ad eluctandum. Ubi, si magno et constanti animo contra nitereris, robur succresceret tum animi, tum corporis: et omnibus desperatis, numquam de divina ope desperandum, inquit S. Jo. Chrysost.[3]. Et fidem faciunt David obsessus in spelunca, Manasses in carcere Babylonico, Susanna in articulo mortis, Daniel in lacu leonum, et tot alii peregrini eventus.

(1) Sup. 23, vers. 17. (2) Psalm. 81, vers. 4. (3) Serm. contra desperationem.

mortem: et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.

12. Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.

13. Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo.

14. Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit.

15. Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.

16. [1] Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corruent in malum.

17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum:

18. Ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam.

19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios:

20. Quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguetur.

21. Time Dominum, fili mi, et regem: et cum detractoribus non commiscearis:

22. Quoniam repente consurget perditio eorum: et ruinam utriusque quis novit?

23. Hæc quoque sapientibus: [2] Cognoscere personam in judicio non est bonum.

℣. 13. *Comede mel, quia bonum* — q. d. Sicut libenter comedis mel, quia et bonum est, seu utile valetudini, et *dulce* gratumque palato; multo libentius haurire debes sapientiam; in quam eadem duo hæc bona, nempe salubris utilitas, et jucunda dulcedo, longe præstantiori modo concurrunt. Atque in hoc etiam præcellit, quod mel, licet primo suave sapiat ac dulce, si tamen plusculum sumpseris, in acorem et amaritudinem vertetur, ut dicitur cap. seq. vv. 16 et 27. At sapientia *in novissimis* suavior est, *spem* alens et augens æternæ mercedis et gloriæ. Unde LXX, *erit bonus obitus tuus:* et Chaldæus, *primis venient novissima meliora.* Ut solent in conviviis fercula posteriora et repotia.

℣. 15. *Ne vastes requiem justi,* qua gaudet pacatissima conscientia, et innocenti vita. *Ne vastes,* inquam, *insidiando* illi, et insidiose mores illius observando, et *iniquitatem in domo* ejus *quærendo,* qua bonam ipsius famam denigrare possis.

℣. 16. *Septies,* id est, sæpius [3], in die *cadit justus* — Quid ergo reprehendere vis in uno, quod scis commune esse omnibus? Et ut deprehendas, in aliquo justum deliquisse, immo et in multis, scias primo, non persistere eum in malo, sed statim resipiscere, pœnitere *et resurgere:* ita S. Augustinus, S. Gregorius et Chrysost. [4], qui addit, *Peccatum, si quando ad animam* justi *divertit, hospes est, non incola.* Unde et citius abscedit, quam ut a quopiam quantumvis curioso possit domi illius reperiri. Scias secundo, lapsus illos justi non esse lethales, sed leves et veniales: ita Beda et alii, qui hinc contra Jovinianum, Pelagium, Wiclephum, Lutherum et Calvinum probant distinctionem peccati venialis a mortali, quod illud cum *justitia consistat,* istud non consistat. Longe aliter res habet in lapsibus impiorum, qui *corruunt in malum,* id est, sic prolabuntur, ut salutem amplius non recuperent: nam *per consuetudinem peccandi ipsi se suismet ruinis sepeliunt,* inquit S. Augustinus [5].

℣. 22. *Ruinam utriusque* — nempe activam, id est, punitionem, qua et *Deus,* et rex vicarius Dei *ruere* facit *detractores;* hebraice, *aliter agentes;* vel *mutantes hunc ordinem,* ut vertit Cajetanus; vel *rerum novarum studiosos,* ut Vatablus. Nisi malis cum Beda, Hugone, Dionysio et Lyrano, nomine *utriusque* intelligere *detrahentem,* vel obmurmuran-

(1) * Vers. 16. *Septies cadet justum.* Non addas *in die.* Rom. Corr. „

(2) Lev. 19, vers. 15; Deut. 1, vers. 17, et 16, vers. 19; Eccli. 42, vers. 1.

(3) Job 5, vers. 19.

(4) Aug. serm 58 de Tempore; Greg. lib. 8 in 1 Reg. 15; Chrysost. hom. 12 in epist. 1 ad Cor.

(5) Supra.

24. Qui dicunt impio: Justus es: maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus.

25. Qui arguunt eum, laudabuntur: et super ipsos veniet benedictio.

26. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

27. Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum: ut postea ædifices domum tuam.

28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labiis tuis.

29. [1] Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam unicuique secundum opus suum.

30. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti:

31. Et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat.

32. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam.

33. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas:

34. Et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus.

tem seu Deo, seu regi, et eum qui acquiescit vel sociatur detrahenti. Tum enim *ruina* passive exponenda est.

℣. 26. *Labia deosculabitur*, id est, ad osculum labiorum ab omnibus admittetur judex vel magistratus, *qui recta verba respondet* — seu in pronuntianda sententia, seu in consiliis vel aliis responsis dandis. Quis enim non impense cupiat dissuaviari ea labra, quæ nullis muneribus, minis, gratia flecti se sinunt, quo minus justam sententiam decernant vel suadeant? ita Beda, Hugo, Lyranus, Jansenius, Rodolphus, Arboreus. Porro osculum labiorum non *amicitiæ* modo symbolum esse, sed et *honoris* et *obedientiæ*, seu subjectionis, fuse docent Alexander ab Alexandro, Petrus Gregorius, Cælius, Spiegerus, Pineda et Salazar [2].

℣. 27. *Præpara*, seu prius para, *foris*, hebraice, in vico, *opus* — id est, negotiationem *tuam*, q. d. Priusquam ad fabricam novæ domus animum adjicias, compara tibi sufficientes divitias, idque vel negotiando in vicis et urbibus, vel agriculturam ruri exercendo, nam ædificia sumptus ingentes poscunt. Potest etiam cum Jansenio et Salazar, aptari *ædificationi familiæ*; q. d. Postquam his artibus opes non mediocres collegeris, tunc ducere poteris uxorem, liberos procreare, familiam instruere, ad quam alendam vix maximæ copiæ sufficiunt.

℣. 28. *Ne sis testis frustra*; hebraice, *gratis*, Vatablus, *temere*, Chaldæus, *accusator*, q. d. Ne præter meritum *proximi*, ne sine urgente causa, socium vel amicum tuum, objecto temere crimine vel contumelia, seu apud judicem, seu apud concives traducas et accusas. *Nec* econtra *lactes quemquam*, seu aduleris cuipiam, *labiis tuis:* et mulus mulum scabas, ut sequitur.

℣. 32. *Quod cum vidissem*, nempe pessimos socordiæ, otii et voluptatum sensualium fructus, *posui in corde meo*, id est, animo diligenter expendi et appendi, *et exemplo didici disciplinam* — id est, tam infelix exemplum derivavi ad mores meos componendos. LXX vertunt, *postea ego pœnitentiam egi, aspexi ad eligendam disciplinam*, q. d. Dum viderem animum meum, adinstar agri silvescentis; innumeris vitiis horrescere, cepit me pœnitudo vitæ anteactæ, ac plane resipiscens ad bonam frugem me recepi. Ex quibus S. Hieronymus [3] colligit, Salomonem post senectutis suæ peccata pœnitentiam egisse. De quo vide Pinedam, Delrium [4] et alios.

(1) Supra 20, vers. 22.
(2) Alex. lib. 2 Genial., cap. 19; Petr. Greg. in Syntagmat. Juris l. 6, c. 15; lib. 8, cap. 8; lib. 36, cap. 12; Cælius lib. 4, cap. 3; Spieger. in Lexico Juris; Pineda in Job 31, vers. 27; Salazar hic.
(3) In cap. 43 Ezech.
(4) Pineda in Salomone prævio; Delrio præfat. in Cantic.

CAPUT XXV.

In quo sita gloria Dei et regnum.
Pietas sectanda, et humilitas, et aliæ virtutes quæ variis metaphoris adumbrantur.

1. Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.

2. Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem.

3. Cælum sursum, et terra deorsum, et cor regum inscrutabile.

4. Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.

5. Aufer [1] impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus.

6. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris.

7. Melius est enim ut dicatur tibi: Ascende huc; quam ut humilieris coram principe.

8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.

9. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles:

10. Ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset.

Gratia et amicitia liberant: quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.

11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

12. Inauris aurea, et margari-

℣. 1. *Transtulerunt* — LXX et Chaldæus, *descripserunt*, nempe ex variis schedis seu libris, quibus olim [2] tria millia parabolarum Salomonis continebantur, inquit Cajetanus: vel, ut Salazar, ex calce libri hujus huc transtulerunt, ut dicam initio c. 30.

℣. 2. *Gloria Dei est celare verbum*, id est, gloriosum Deo est, si quæ per suos Prophetas enuntiat mysteria, vel documenta, obscurioribus allegoriis aut ænigmatibus involvat: ut nempe fit in sequentium capitum parabolis, inquit Hugo et Salazar. Item, spectat ad gloriam Dei, sic sua intimare mysteria et præcepta, ut tamen rationes subinde occultentur. Decet enim, non modo voluntates, sed et mentes ac judicia hominum, Deo prorsus substerni et ad nutum obsequi. Sed *gloria regum*, vicariorum Dei, est *investigare sermonem* ejusmodi Dei, id est, retegere et evolvere quæ Deus sic occultavit, eorumque arcanos sensus in lucem proferre: sed præ omnibus, actutum eisdem obsequi, suoque exemplo alios ad obsequendum pertrahere. Unde LXX vertunt, *gloria regum honorat præcepta*, vel *res ejus*, scilicet Dei.

℣. 3. *Cælum sursum, et terra deorsum*, id est, sicut nemo potest certo metiri altitudinem virtutesque cælorum, aut rimari profunditatem et abscondita terræ; sic decet etiam *regum cor*, id est, consilia et rationes secretas esse, quæ a nemine *perscrutari*, id est, indagari vel deprehendi possint, alioquin irritæ cadent, et a malevolis evertentur.

℣. 11. *Mala aurea*, v. g. cydonia, *in lectis argenteis*, non tam incumbentium, quam mensæ accumbentium: hebraice, *in cælaturis*; LXX, *in monili sardii*, Chaldæus, *in imaginibus*; Pagninus, *in picturis*, quia ejusmodi lectuli seu thori cælati erant, et monilibus ac picturis ornati, de quibus vide Fulvium Ursinum [3]. De iisdem mentio fit Esther 1: *Lectuli quoque aurei et argenti super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide.* Porro solebant in ejusmodi lectulos, dum convivæ iis insiderent, flores

(1) " Vers. 5. *Impietatem.* Chald. *Impium.* LXX *Impios;* quasi dicat: Si rex sit pius, vel si impios a se abjiciat, seu puniat. Sa. "

(2) 3 Reg. 4.
(3) In Triclinio Rom.

tum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem.

13. Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.

14. Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens.

15. Patientia lenietur princeps, [1] et lingua mollis confringet duritiam.

16. Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.

17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.

18. Jaculum, et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.

19. Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.

20. Et amittit pallium in die frigoris.

Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.

omne genus inspergere, et inter flores etiam mala, præsertim cydonia, melina, citria: tum ad oculos oblectandos, tum ad caput odoribus istis adversus ebrietatem roborandum. Unde illa, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* seu inebrior [2]. Et ille apud Athenæum [3]: *Multa mala cydonia mittebant in thorum regi, multaque myrti folia, rosarumque ac violarum elegantes orbes.*

Verbum dictum in tempore suo — id est, congruens loco, tempori, personis præsentibus: Chaldæus et Vatablus, *dictum opportune*, hebraice, *in* vel cum *rotis suis;* Pagninus, *cum modis suis*, nempe concinne adaptatum omnibus circumstantiis, sicut rota aptata orbitæ suæ. Salazar per *rotas*, quæ tormenti genus erant, utdixi c. 20, v. 26, intelligit obscuriores parabolas et gryphos convivales, seu ænigmata, teste Platone, Plutarcho, Athenæo, inter epulas mensis inspergi solita, ut ebrietati et crapulæ obviaretur. Hæc enim perurgebant, et instar rotæ torquebant et cruciabant convivarum ingenia: simul et sobrios conservabant, ne mens ad disceptandum et ænigma solvendum, et præmium quod solventi proponebatur auferendum, nimio vino vel cibo minus idonea redderetur.

℣. 16. *Mel invenisti*, id est, gratiam apud amicum, inquit Beda, Strabo, Cajetanus, qui illud cum proximo versu connectunt: vel laudes humanas, ut sanctus Bernardus [4]; alii divitias et fortunas: Origenes, Clemens, Gregorius [5], et rursum Beda, rerum divinarum contemplationem et fruitionem intelligunt, conformiter v. 27 infra. Sed potest *mellis* nomine omnis omnino voluptas et deliciæ, et quidquid dulcedine sua appetitum invitat, commode intelligi. De omnibus enim hic generaliter monemur, *Comede quod sufficit tibi*, id est, tantumdem ex his carpe, quantum ad honesta solatia hujus vitæ satis esse videatur: *ne forte* plus æquo *satiatus evomas illud* — Sicut enim mel, teste Galeno, ventriculum calore suo distendit, inflat, et flatus creat, et si plusculum sumatur, in bilem et amaritudinem transit: sic et deliciæ omnes immoderatæ animum inflant, et in mœrorem convertuntur, inquit S. Jo. Chrysostomus [6].

℣. 20. *Acetum in nitro*, id est, cum alumine, seu cum sale permixtum (nam salis ac nitri, quod et *sal petræ* vocatur, vicina valde natura est, et proprietates consimiles), si in aures instilletur, licet acrimonia sua mordeat, tamen earumdem sordes et purulentiam expurgat, tinnitus sonitusque sanat, ut ex Galeno, Dioscoride et aliis docet Franc. Valesius [7]: et, teste Plinio [8], etiam vitiligines sanat, (quæ maculæ sunt per totum corpus respersæ, deformes admodum et turpes): serpentum morsibus, et ulceribus medetur: ictericos curat: lassitudines mem-

(1) Supra 15, vers. 1.
(2) Cant. 2.
(3) Stesichorus apud Athenæum l. 3.
(4) In serm. quodam ex parvulis.
(5) Origen. in Isaiam, hom. 2; Clem. lib. 1 Pædag., cap 11; Greg. lib. 15 Mor., cap. 3.
(6) Hom. 2 in Marcum.
(7) De S. Philos., c. 60. (8) Lib. 31, cap. 10.

21. [1] Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere:

22. Prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi.

23. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.

24. [2] Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi.

25. Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua.

26. Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio.

27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: [3] sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.

28. Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

brorum depellit. Sic *qui cantat carmina cordi pessimo* — id est, sic vir prudens verbis suis industrie et artificiose compositis medetur cordi quantumcumque male affecto, et pessime constituto: verbis consolatoriis occurrit afflicto; lætis, tristi; acribus et austeris pravo et ad scelera propenso: dubium confirmat, anhelum roborat, inverecundum corripit, obstinatum emollit.

℣. 24. De *angulo domatis*, etc. dixi cap. 21, vers. 9. Denique

℣. 26. *Fons turbatus pede*, jam cœno commoto non amplius est pro speculo intuentibus, nec emittit claras et salubres aquas: *et vena corrupta*, id est, aquæductus hinc inde seu infectus, seu confractus, non transmittit aquam ad os fontis, vel nonnisi aquam corruptam: sic *justus cadens coram impio* in aliquod delictum, seu peccatum, non jam amplius prodest, sed potius obest corrupto et pravo exemplo suo. Quod maxime locum habet in principibus et judicibus, quando publice contingit *cadere coram impio*; hebraice, *inclinare se ad facies impii*, id est, in gratiam ejus a jure et justitia deflectere: ita fere Lyranus. Sed Rodolphus, Jansenius et alii id exponunt de casu justi in miseriam, in quam ab impiis præcipitatur: et pro exemplo proferunt Joannem Baptistam pede saltatricis exturbatum, non alium ob finem, quam ut *vena* illa *vitæ, os justi*, et aurea libertas tum ad pœnitentiam omnes vocandi, tum regem ob sua scelera corripiendi, gladio dissecaretur, et de medio tolleretur.

(1) Ad Rom. 12, v. 20. (2) Supra 21, vers. 9. (3) Eccl. 3, vers. 22.

CAPUT XXVI.

Ne stultum exaltes, ne cures calumniam, ne cum stulto stultescas, ne pigritiæ indulgeas, ne inepto conferas honores, ne tibi sapias, ne sis bilinguis, ne adulatoribus auscultes.

1. Quomodo nix in æstate, et pluviæ in messe: sic indecens est stulto gloria.

2. Sicut avis ad alia transvolans, et passer quo libet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.

3. Flagellum equo, et camus a-

℣. 2. *Sicut avis ad alia* orbis loca, seu ad alias regiones, hieme urgente, *transvolans*, et nominatim *passer*: hebraice, *hirundo* (ut Cajetanus, Vatablus, Pagninus, Montanus et alii hebraizantes vertunt) *quolibet* potius *vadens*, quam ut in frigidis regionibus maneat; sed ubi ver iterum intepescit, ad pristinas remigrat terras: *sic maledictum*, seu convitium, contumelia, probrum, vel aliud injuriæ genus, *frustra*, id est, temere, sine justa causa, sine merito, *prolatum in*

sino, et virga in dorso imprudentium.

4. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

5. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.

6. Claudus pedibus, et iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.

7. Quomodo pulcras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.

8. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem.

9. Quomodo si spina nascatur in

quempiam amicum, cum jam amicitia et benevolentia per simultatem aliquam frigescit, etsi cum absentante se, et ad tempus dissimulante, videatur avolare vel emori: post paullo tamen, cum calidior redibit aura, vel fervor iræ amici, vel, si mavis, redintegratio amoris pristini, tum *superveniet* super eum qui protulit, nempe quando condignas pœnas dabit, vel saltem pœnitentia factæ amico injuriæ illum anget et torquebit.

℣. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*, spurca et probrosa quæ effudit in ipsum regendo, inquit Cajetanus, Jansenius, Rodolphus: vel, ut S. Cyprianus [1] et Salazar, nihil omnino responde, nempe verbis, quia quantumcumque bonis rationibus et limatis verbis usus fueris, frustra omne erit, et tu oleum et operam perdens, similis ei videberis, nempe etiam stultus et fatuus esse. Sed tamen *responde stulto juxta* meritum *stultitiæ suæ*, et loco verborum repone illi verbera, id est, corripe, puni illum, coerce petulantem linguam, etiamsi opus virga et compedibus, ne forte impunitas illum audaciorem ac deteriorem reddat. Hac enim ratione respondendum esse stulto docuit etiam v. præced.

℣. 6. *Qui verba*, seu magni momenti mandata, perferenda *mittit per nuntium stultum*, vel non sat sapientem, duplex incommodum patietur: unum *tarditatis*, cum optas accelerationem: neque enim plus accelerabit talis legatus, suis vacans commodis et nugis, quam si *claudus* esset ac *pedibus* captus. Alterum *legationis perperam actæ*, nam præ insipientia effutiet multa contra mentem et rem domini sui, nec tamen advertet errata sua; sed quantumvis crassa et fœda, sine sensu,

immo cum voluptate devorabit, *bibens iniquitatem* [2] quasi aquam, id est, avide, cum delectatione, sine sensu aut gustu mali: stultorum enim maxime proprium est errare, et suos errores non sentire, immo delectari illis et gloriari.

℣. 8. *Qui tribuit insipienti honorem*, id est, qui homini stupido, imperito ac bardo magistratum vel imperium confert, perinde facit atque *qui lapidem mittit in acervum*, Hieronymus addit, *Mercurii*— Hebraice enim tantum est, *in lapidationem*, vel *in cumulum lapidum*; LXX, *qui alligat lapidem in funda*. Chaldæus, *fragmentum laminæ in funda*. Parabolicæ omnes locutiones, sed unum idemque designantes, nempe, instrumentum subministrari stulto quo alios lædat. Hieronymus enim alludit ad acervos lapidum, quos Gentiles olim Mercurio viarum duci in triviis haud procul ab ejus statuis accumulabant, ut in honorem Dei istius vias ab offendiculis expurgarent, et ad iter agendum commodiores redderent. Ejusmodi acervos Græci vocant ἕρμακας, Hebræi *margemah* [3]. De quibus Nicander, Hesychius, Alciatus et Joannes Drusus [4], et fere Rabbini [5]. Sed iidem cumuli serviebant etiam lapidandis reis, et ea morte plectendis: serviebant et rixantibus et latrocinantibus, ut haberent ad manum quo alios ferirent. Qui ergo cumulum talem injectu novorum lapidum adaugebat, etsi videretur cultui idoli et commodo viarum studere; tamen eadem opera subministrabat etiam instrumenta in aliorum perniciem: sic qui magistratus honorem stulto vel inepto confert, nocet evidenter reip. armans illum gladio quo ipsam feriat. Idem significat *lapis* vel *fragmentum laminæ* commissum fundæ,

(1) Epist. ad Demetrium; item libro de Singularitate Clericor.

(2) Job 15, vers. 16, et 34, vers. 7.

(3) מרגמה.

(4) Nicand. in Theriacis: Alciat. in Emblem. § *Deus;* Drusus clas. 1 prov., lib. 2 et 3.

(5) R. Elias in Tisbi; R. Nathan in Lexico Juris Hebræorum; R. Ismael in Gemara.

manu temulenti: sic parabola in ore stultorum.

10. Judicium determinat causas: et qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

11. [1] Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.

12. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.

13. Dicit piger: Leo est in via, et leæna in itineribus:

14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.

15. [2] Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum eam converterit.

16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

17. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius.

18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, et lanceas in mortem:

19. Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: et cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.

20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto, jurgia conquiescent.

21. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, [3] sic homo iracundus suscitat rixas.

22. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris.

23. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.

24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos.

25. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.

26. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in [4] concilio.

27. Qui fodit foveam, incidet in

qua stultus obvios diverberet, ita fere S. Ambrosius, Hugo, Jansenius et Erasmus Roterodamus [5].

℣. 12. *Insipiens*, indoctus, stolidus, adde et improbus, sed qui se talem agnoscit, nec refugit instrui, *magis spem habet* melioris aliquando frugis, seu sperandum melius de illo, quam de sapiente et probo, qui *sibi* talis *videtur*, et de sua sapientia et probitate superbe effertur. Exemplosit Pharisæus et Publicanus, Lucæ 18. Unde et Apostolus monet [6]: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Ita S. Jo. Chry-ostomus [7], qui et rationem addit: *Quia in uno stultitia tantum est, mantisque hebetudo: in altero etiam fatuitas cum furore: stultus sibi ipsi malus est, elatus etiam aliis pestis est. Hic hydropisi* laborat; *ille* sola *crapula.*

℣. 15. De *manu pigri sub ascella* dixi c. 19, v. 24. Sicut v. 22 de *verbis susurronis*, egi c. 18, v. 8.

℣. 23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile*; hebraice, *argentum scoriarum obductum super testam*; Chaldæus, *argentum fœculentum quo opertum est vas fictile.* Solent enim vasa testacea plumbo, stanno, vel stibio (quæ sunt argenti sordes seu excrementa), exterius vel interius imbui [8], ut ita candorem firmitatemque argenti mentiantur: manent tamen intus vere testacea, vilia et fragilia: immo perfricto elutoque vel delabente argento, mox sordida testa retegitur. Ita *labia* hypocritæ *tumentia*, seu fastuosa, sed candorem, simplicitatem et amorem ostentantia, atque ita dolos et perversas animi affectiones celantia, tegere possunt ad tempus *cor pessimum*, sed diu et solide tegere, vel ut probum sit efficere non possunt; immo ex ipsismet verbis quæ imprudenti subinde excidunt, facile est prudenti et oculato viro dolosum hypocritæ animum et fraudes aucupari, ut dicitur v. seq.

℣. 27. *Qui foveam*, seu scrobem, more venatorum alteri *fodit*, ut in eam incidat, et sic pereat vel capiatur, ipsemet.

(1) 2 Petr. 2, vers. 22. (2) Supra 19, vers. 24.
(3) Supra 15, vers. 18.
(4) „ Vers. 26. Vox *concilio* pro cetu per *c* potius quam per *s*. Brugens. „
(5) Ambr. ep. 7 ad Simplic.; Erasmus in Adag.
(6) Ad Rom. 12, vers. 16.
(7) Hom. 39 ad pop.
(8) Vide Georgium Agricolam lib. 9.

eam: et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

28. Lingua fallax non amat veritatem: et os lubricum operatur ruinas.

incidet in eam — id est, insidiator suismet dolis insidiisque capietur, et iisdem artibus, quibus alteri nocere parat, sibimet perniciem consciscet. Quod alia mox similitudine volventis vel projicientis in altum lapidem, sed in auctorem mox deciduum, clarius confirmat, tum hic, tum alibi [1]. Et probat Petrus Chrysologus [2] exemplo Herodis et Amanis.

℣. 28. *Lingua* adulatoris *fallax* quærit molles lentosque homines, qui suis laudibus valde delectantur, et falli gaudent: sed *non amat*, nec quærit *veritatem*, seu amatores veritatis, rigidos et austeros censores, quos laudes propriæ non deliniunt, nec emolliunt. Et qui hoc præ se fert, facili negotio adulatores a se fugabit et propellet. Mox subjicit Sapiens, *Os lubricum operatur ruinas* — Hebraice, *os blandum*: et ita vertit Vatablus; Chaldæus, *os bifidum*; LXX, *os non tectum*; Aquila, Symmachus, Theodotion, *os lævigatum*. Quæ omnia ori adulatorio ad amussim quadrant, quo quam multi, quam magni in ruinam pertracti sint, nullæ non clamant historiæ.

(1) Eccl. 10, v. 8, et Eccli. 27, v. 28; Ps. 7, v. 16.

(2) Serm. 152.

CAPUT XXVII.

Ne procrastines, ne vane te laudes: iram fuge: amicitiam fove: adulationem devita: mansuetudine iram compesce: curam tuorum gere.

1. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.

2. Laudet te alienus, et non os tuum: extraneus, et non labia tua.

3. [1] Grave est saxum, et onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior.

4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: et impetum concitati ferre quis poterit?

5. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.

6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

7. [2] Anima saturata calcabit favum: et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

8. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.

9. Unguento et variis odoribus delectatur cor: et bonis amici consiliis anima dulcoratur.

10. Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris: et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.

Melior est vicinus juxta, quam frater procul.

℣. 1. *Ne glorieris in crastinum*; hebraice, *in crastino*, seu de crastino opere, de crastina felicitate seu fortuna. *Nescis enim quid pariet dies:* ita hebraice. Sed Hieronymus addidit, *superventura* — Nam omnia quæ in crastinum pendent, valde incerta sunt, inquit S. Jacobus c. 4 suæ epistolæ: et Seneca [3] pluribus locis. Et quotidie videmus rerum futurarum successus inopinatis casibus præpediri, non minus quam naturales partus solent abortibus frustrari. Chaldæus pro *superventura* posuit, *hodiernam diem*, q. d. frustra tibi in crastinum aliquid temere promittis, cum nec scias, quid sis demum vel hodierna die facturus. Quare ne vel ad horam differ quod actutum possis peragere.

℣. 10. *Amicum tuum*, qui et ante fuit *amicus patris tui*, cujus amicitiam ne

(1) Eccli. 22, vers. 18. (2) Job 6, vers. 7.

(3) Epist. 1 et 101.

11. Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor meum: ut possis exprobranti respondere sermonem.

12. Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

13. [1] Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo: et pro alienis aufer ei pignus.

14. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens maledicenti similis erit.

15. [2] Tecta perstillantia [3] in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur:

16. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, et oleum dexteræ suæ vocabit.

mors quidem dissolvit, ne umquam deseras aut dimittas, sed pro viribus complectere, et arctius tibi obstringe, et fove qua potes.

Et in die afflictionis tuæ; hebraice, *in die exitii* vel *subversionis tuæ*; LXX, *improspere agens*; domum talis amici, longa tibi experientia jam probati potius adeas, opis et consilii et solatii causa, quam *domum fratris tui*, vel alterius sanguine juncti. Istius enim et fides certior, et gratia promptior, et subsidium opportunius erit, ut dixit etiam cap. 18, vers. 24.

Melior est vicinus juxta, seu prope te habitans, *quam frater procul* degens, et longe dissitus, quem loci distantia et intercapedo non corpore solum, sed et animo a te distraxit. Naturale enim hoc absentiæ ac distantiæ vitium, vicinitatis vero bonum comprobat experientia quotidiana: et pulcre describit S. Jo. Chrysostomus, itemque Athenæus [4]. Unde Cato et S. Augustinus [5] serio monent, *id agendum ut diligant te vicini*.

℣. 12. De *astuto et parvulo* idem dicit quod cap. 22, vers. 3 de *callido et innocente*.

℣. 14. *Qui benedicit proximo suo*, id est, bene precatur, laudat, extollit, *voce grandi*, id est, immodico clamore et laude, *de nocte consurgens* [6], id est, intempestive, *similis* est *maledicenti* — id est, vituperanti. Alludit enim ad importunos salutatores, qui antelucano tempore ad fores potentium versabantur, et elata ac prægrandi voce solemnes salutandi ac bene precandi formas confuso clamore ingeminabant, *Ave, Salve*, etc. de quibus Columella, Symmachus et Seneca [7]: et ad quos etiam Sapiens respicit supra c. 8, vers. 34, et libri Sapientiæ cap. 16, v. 28, et David Psal. 87, v. 14, et Isaias c. 26, vers. 9. Et hi pro officio atque obsequio, quasi pro bono omine vel augurio sportulam referebant aut stipem. His enim similes sunt adulatores, quia non ex amore aut gratia, sed vilis lucri causa laudes tuas ingeminant, animo ceteroquin a te alienissimi: qui proinde judicio sapientium potius te vituperant, utpote quem produnt sectatorem esse humanarum laudum, et inanis gloriæ vanum captatorem, etiam intempestive et cum tuo incommodo. Unde Euripides in Oreste, *Onus est laudari nimis*, et Ecclesiasticus c. 41, monet cavendum *a salutantibus de silentio*, id est, inter noctis silentia, id est, intempestive, ut quidam exponunt.

℣. 16. *Qui retinet* mulierem rixosam, id est, qui uxorem fastu turgidam, difficilem et morosam, per vim et severitatem continere et coercere velit: ei adsimilis est, qui ventum fugacem et lubricum comprimere, et instar opilionis pedo suo moderari et regere, aut cum Æolo intra terræ viscera abscondere et concludere tentet. Nempe quo majore mole premes, coercebis et exercebis, eo violentius erumpet, et majore impetu domum familiamque omnem concutiet atque evertet. Ergo si emollitam velis, et marito morigeram, *oleum dexteræ* mariti, id est, blanditiæ [8], poppysmi, laudes, honores etiam dextri lateris ultro delati, et similia delinimenta, *vocent* ipsam; id est, invitent, alliciant et trahant. Hoc alia similitudine docent hic LXX, *Aquilo du-*

(1) Supra 20, vers. 16. (2) Sup. 19, vers. 13.
(3) [a] Vers. 15. *Tecta perstillantia*. Cave *perstillantia*, quod est perfluentia, mutes in pestilentia, id est pestem adferentia. Rom. Corr. „
(4) Chrysost. hom. 77; Athen. in l. 3, c. 2.
(5) Cato de Re rustica, c. 4, et apud Plin. l. 18, c. 7; Aug. serm. 1 de Temp.
(6) Eccl. 10, vers 16, et Isa 5, vers. 11.
(7) Columella de Re rustica l. 1; Simmach. l. 8, epist. 4; Sen. l. 6 de Beneficiis.
(8) Psalm. 140, vers. 5; Prov. 5, vers. 3; Ps. 54, vers. 22.

17. Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui.

18. Qui servat ficum, comedet fructus ejus: et qui custos est domini sui, glorificabitur.

19. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

20. Infernus et perditio numquam implentur: similiter et [1] oculi hominum insatiabiles.

21. [2] Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.

Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.

22. Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:

24. Non enim habebis jugiter po-

rus ventus, nomine autem dexter vocatur, nempe *ab iis qui flatu illius* in mediis solis ardoribus *refrigerantur*, inquit S. Hieronymus [3], id est, ab iis qui ad meridiem vergunt; q. d. Uxoris rigor et morositas accidit quidem dura marito ac permolesta, sed tamen æquo feret illam animo, si expenderit, temperari hac via æstum superbiæ atque elationis animi sui, et ardorem aliorum pravorum seu morum seu habituum, quibus alioquin obnoxius est.

℣. 17. *Ferrum ferro*; hebraice, *barzel* [4], id est, chalybe, *exacuitur:* nempe chalybs ferro permixtus, durus lento, ad gladios concinnandos et aciem acuendam accommodatissimus est: si tamen ignis accedat quo [in unum conflentur. Ita *homo exacuit faciem amici sui* — id est, generaliter, si durus quispiam et severus totusque chalybeus, alteri ferreo, id est, lento ac flexibili, firmo amore ac amicitia copuletur, par inde exsurget ad omnia ardua difficiliaque seu agenda, seu ferenda. Specialiter vero, si maritus lenitate et mansuetudine sua, instar ferri lentum et flexibilem se exhibeat uxori chalybis in morem rigidiori ac duriori, felix tamen par conjugum conflabit accedens utrinque amor: ita fere Salazar. Beda vero, Lyranus, Hugo, Cajetanus, Jansenius, Arboreus, Dionysius et quidam alii, mutuam hic amicorum collationem commendari existimant, qua conferendo, disputando, bona exempla præbendo, invicem animando, exacuunt alii alios. LXX de *ira* id exponunt: nam vertunt, *vir* iratus *irritat faciem amici sui.*

℣. 19. *Quomodo in aquis*, quæ naturæ specula vocantur ab Aristotele et Seneca [5], si mundæ fuerint, quietæ et imperturbatæ, *resplendent prospicientium vultus*, quales revera in se sunt: secus quam in speculis factitiis, quibus sæpe inest dolus et fraus, teste Plinio et sancto Augustino [6], et quidem ita resplendent, ut nihil eorum, sive pulcrum, sive deforme fuerit, lateat prospicientes: *Sic corda hominum manifesta* et comperta *sunt prudentibus* — corda, inquam, tum propria, tum aliena: nam ex propria experientia et suimet excussione de aliis facile statuere possunt: et etiam in singulorum vultu, gestu, verbis, omnique motu corporis, quasi in aqua speculari vident et legunt affectus singulorum: ita fere Lyranus, Hugo, Arboreus, Dionysius.

℣. 23. *Diligenter agnosce;* hebraice, agnoscendo agnosce, *vultum pecoris tui* — id est, seriam illius curam ac [7] providentiam suscipe. Quod sane omni œconomo diligentissime curandum, si velit inde ditescere: nam pastoritiam vitam hic commendari volunt Lyran., Bannez, Jansenius, Vatablus et Clarius. Sed præ omnibus, populorum præsidibus seu Ecclesiasticis, seu politicis, in id incumbendum, docent Beda, Hugo, Dionysius, Salonius, Arboreus. Quia principes sunt pastores populorum, ut Plato, Xenophon et Philo docent.

℣. 24. *Non enim habebis jugiter po-*

(1) Eccli. 14, vers. 9. (2) Supra 17, vers. 3.
(3) In cap. 31 Jeremiæ, et in c. 2 Sophoniæ.
(4) ברזל.
(5) Aristot. in Physicis; Seneca Natural. quæst. lib. 1, cap. 17.
(6) Plin. lib. 33, cap. 9; Aug. epist. 150 ad Nebridium.
(7) Prov. 12, vers. 10, et c. 29, v. 7, et Ps. 36, vers. 18, et Psalm. 1, vers. 6.

testatem: sed corona tribuetur in generationem et generationem.

25. Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fœna de montibus.

26. [1] Agni ad vestimentum tuum: et hœdi ad agri pretium.

27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuæ, et ad victum ancillis tuis.

testatem curandi illius tui gregis, sed vel viribus collabentibus, vel subtracto magistratu, cogeris manum aliquando tollere. Interea si sedulam ante curam gesseris, *corona* tibi *tribuetur*, non laudis tantum, sed et mercedis et gloriæ, *in generationem et generationem* — id est, perennis, æterna, et *immarcescibilis*, 1 Petri 5, vers. 4, ubi in Græco est *amarantina:* nam *amarantus* flos symbolum est *immortalitatis*, ut Clemens docet [2].

℣. 25. *Aperta sunt prata*, etc. — Facilitatem innuit, qua et pastores pecori suo, et principes subditis suis de omni re necessaria prospicere possunt, si velint: nempe æstate prata se sponte aperiunt et gramina subministrant: hyeme fœnum siccum sufficit. Sic subditi solo opificiorum suorum et mercaturæ libero pacificoque exercitio, et principum sola verborum lenitate et humanitate, quæ sponte proveniunt, et officiis atque honoribus exiguis, quæ nullo principibus pretio constant, contenti vivunt.

℣. 26. *Agni*, seu lanigera pecora, *ad vestimentum tuum* vellera tibi suggerent: *et hœdi* etiam *ad agri pretium*, si de novo coemere velis, exsolvendum sufficient; q. d. Ex solis gregibus colliges affatim non modo ad vitam tuendam necessaria, sed etiam ad possessiones ampliandas redundantia. Et princeps ex annuis vectigalibus, quæ subditi sponte pendunt, si norit bene uti, non modo aulam suam fovere, et regnum acceptum tueri, sed etiam imperium latius paullatim extendere ac propagare poterit. Ut opus non sit *deglubere oves* aut *expilare*, ut [3] bene *Tiberius* monebat *Æmilium* Ægypti præfectum.

(1) 1 ad Tim. 6, vers. 8.
(2) In Pædag., lib. 2, cap. 8.
(3) Apud Dionysium Nicæum.

CAPUT XXVIII.

Ne paveas citra necessitatem: ne publica crimina sint impunita: ne pauper pauperem opprimas: ne usuris vel aliis malis artibus opes adaugeas: ne homicidis, ne furibus admiscearis: nec invitis parentibus quid subtrahas.

1. Fugit impius, nemine persequente: justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.

2. Propter peccata terræ multi principes ejus: et propter hominis sapientiam, et horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.

3. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.

4. Qui derelinquunt legem, lau-

℣. 2. *Propter peccata terræ;* id est, ob gravia crimina, quæ in regno aliquo regibus conniventibus impune patrantur, fit ut *multi* sint *principes* illius regni, aliis in locum cito demortui succedentibus: neque enim sinet Deus diu tales reges imperare, sed facit ut ocyus extinctis illis alii atque alii succedant in locum, magno regni cum incommodo ac dispendio. Quod si princeps sapiat, et ea *quæ dicuntur*, id est, publica fama sciuntur, crimina puniat, coerceat et eliminet, *vita* talis *ducis longior erit* — adde, et felicior. Unde et reipublicæ majus commodum et emolumentum. Id clarissime patuit in posteris David piis regibus Juda comparatione impiorum regum Israel. Et sic futurum promiserat Deus Deuter. 17, vers. 20.

℣. 3. *Pauper calumnians pauperem*, vel damna ei inferens, vel in jus trahens, facile alius alium evertet, sicut *imber vehementior*, terram impluens, ipsam eradere, abripere, et recens sata denudare atque evellere solet. Nam cum census pauperum sint tenues, quævis etiam exi-

dant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum.

5. Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.

6. [1] Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus.

7. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.

8. Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

9. [2] Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

10. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet: et simplices possidebunt bona ejus.

11. Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum.

12. In exultatione justorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum.

13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14. Beatus homo, qui semper est pavidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum.

15. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus.

17. Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.

18. Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel.

gua vis illos exhaurit, et ad extremam famem pauperiemque compellit. Quod si in ullis pauperibus, certe in agricolis et rusticis usuvenit, e quorum litigantium cessatione contingit non raro etiam civitatum annonam diminui [3]. Unde prudenter veteres statuere, ut controversiæ inter agricolas subnatæ mox a vicinis et contribulibus arbitris dirimerentur.

℣. 8. *Qui coacervat divitias usuris*, et iniquis fœnorum lucris, nequaquam illis perfruetur; sed congestas ab ipso opes Deus occulta sua providentia transferet ad alium qui easdem liberaliter profundet in pauperes: ita LXX et Chaldæus.

℣. 10. *Qui decipit justos*, seu simplices et doli expertes fallit, *in via mala*, id est, actione fraudulenta, nempe ut bona illorum contra jus fasque sibi usurpet, is *in interitu suo corruet* — Hebraice, *in foveam suam ipse cadet*, de quo dixi c. 26, v. 27, nam versa vice Deus disponet ut justi simplices potiantur fortunis impii ac dolosi. An non id patuit in Amane et Mardochæo?

℣. 11. *Dives* avarus et ad opes anhelus, *videtur sibi sapiens*, quia augendarum opum industriam et artem, optimam maximeque nobilem sapientiæ partem esse putat. *Pauper autem prudens*, id est, pauper spiritu (hic enim vere sapit et prudens est), *scrutabitur eum* primo, instar æmuli et solertis antagonistæ, convincendo illum manifesti erroris, et præmium palmamque veræ sapientiæ, quæ in divitiarum contemptu sita est, etiam Gentilibus [4] id agnoscentibus, ei præripiendo: ita Rodolphus et fere Rabbini. Secundo, *scrutabitur eum*, sagacis judicis instar, inquirendo, quo jure, quo titulo quidque possideat, et deprehensum in injustitia redarguet, damnabit, bonis spoliabit, pœnis mulctabit, tum in hoc seculo (ut sæpissime contingit) tum in futuro, ubi pauperes divitum judices futuros Christus ipse prædixit, et sancti Ambr. ac Greg. [5] pulcre demonstrant: ita Salazar.

℣. 17. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem:* hebraice, qui per

(1) Supra 19, vers. 1.
(2) " Vers. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem.* Quia noluit intelligere ut bene ageret. Psalm. 35, vers. 4. „

(3) Ita ex Platone scribit Postilla, in lib. de Rep. Turcarum, et Dionys. Halicarnass. lib. 2.
(4) Seneca epist. 119.
(5) Matth. 19, vers. 28, et Luc. 16, vers. 9; Ambros. l. 1 Offic., cap. 11; Greg. hom. 40 in Evang.

19. [1] Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

20. Vir fidelis multum laudabitur: [2] qui autem festinat ditari, non erit innocens.

21. Qui cognoscit in judicio faciem, non benefacit: iste et pro buccella panis deserit veritatem.

22. Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.

23. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

24. Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre: et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

25. Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat: qui vero sperat in Domino, sanabitur.

26. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.

27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

28. Cum surrexerint impii, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur justi.

calumniam opprimit, et *sanguinem* in quo est *anima*, seu vita, injuste profundit, sive actor fuerit, sive testis, sive judex; *si* ex desperatione, vel furiarum agitatione *usque ad lacum* præcipitii *fugerit*, ut violenta morte vitam invisam abrumpat, *nemo sustinet*, id est, nemo detinebit, nemo impediet. Adeo omnibus odiosum est homicidium: LXX, *profugus erit, et non in securitate.* Nam crimen homicidii vix celari permittit Deus. *Hirundines* [3] Bessum, *grues* [4] Ibici, *canes* [5] Pyrrhi et Hesiodi interfectores prodiderunt. Alii aliis miraculis [6] detecti. De Caino vide Ambrosium et Chrysostomum.

℣. 20. De eo *qui festinat ditari*, dixi c. 20, v. 21.

℣. 24. Filius *qui subtrahit aliquid a patre et a matre*, id est, qui parentum suorum fortunas clanculum suffuratur, quasi id sibi liceat, *nec* sit *peccatum*; fallitur toto cælo: nam revera *particeps est homicidæ* — id est, socius est, et officio fungitur prædonum ac latronum, qui alios injuste spoliant. Licet enim filius, ut pars quædam seu membrum parentum, consors [7] sit fortunarum eorumdem: quia tamen est pars adhuc subjecta, nondum habet utendi libertatem, nisi dependenter a nutu parentum, unde si illis invitis fortunas subtrahit, nihil differt a latrone et deprædatore, qui in aliena bona manus mittit. Immo ex una parte majus videtur filii furacis crimen, quatenus nempe a parentibus aufert propria bona, quibus ipse etiam sua debebat: ita Salazar.

(1) Sup. 12, vers. 11; Eccli. 20, vers. 30.
(2) Supra 13, vers. 11, et 20, vers. 21.
(3) Plut. de fera vindicta Dei.
(4) Auson. *Ibycus ut perit vindex fuit altivolans grus.*
(5) Plut. supra et Plinius lib. 8, cap. 4.
(6) Greg. Tolosas l. 40 syntagmat. Juris, c. 10; Ambr. I, 2 de Cain, c. 9; Chrysost. hom. 15 in Genesin.
(7) Glossa in cap. *Adrianus* 63 dist., et in c. fin. 24, quæst. 1.

CAPUT XXIX.

Correptio diligenda: justitia curanda: ira et adulatio cavenda: paupertas non contemnenda: religio fovenda: circumspectio in verbis observanda: furi non patrocinandum, etc.

1. Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: et eum sanitas non sequetur.

2. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus: cum impii sumpserint principatum, gemet populus.

3. Vir, qui amat sapientiam lætificat patrem suum: [1] qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.

4. Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.

6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus: et justus laudabit atque gaudebit.

7. Novit justus causam pauperum; impius ignorat scientiam.

8. Homines pestilentes dissipant civitatem: sapientes vero avertunt furorem.

9. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.

10. Viri sanguinum oderunt simplicem: justi autem quærunt animam ejus.

11. Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, et reservat in posterum.

12. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.

13. [2] Pauper et creditor obviaverunt sibi: utriusque illuminator est Dominus.

14. Rex qui judicat in veritate

℣. 5. *Qui blandis sermonibus loquitur*, seu sermonum blanditiis assentatur amico cum eumdem deberet corripere et objurgare, ante pedes *ejus* spargit *rete*, ut maculis ejus implicatus corruat; q. d. Non est amicus illi, sed juratus hostis: facitque sicut venatores, qui fistulis imitantur eas avium voces, quibus tunc, cum amoribus indulgent, ad socias evocandas uti solent: his interim sic evocatis retia instruunt, quibus ubi devolarint, implicentur et pereant. Similia tradunt Plato, Seneca, Plutarchus [3]. LXX habent, *qui præparat amico rete, circumdat illud suis pedibus:* nempe technæ et insidiæ, quantumvis versutissime celentur, seipsas fere produnt, et auctori exitium creant. Huic consonant sequentia.

℣. 6. *Laqueus*, seu rete, quod perfidus amicus sub blandis et delicatis verbis amico sparsit ad incautum captandum et evertendum, ipsummet *iniquum peccantem involvet*, patefactis amico dolis et insidiis; qui periculo eductus *laudabit* Deum liberatorem suum et vindicem impiorum, et de insperato beneficio mirifice gaudebit: ita Rodolphus.

℣. 7. Quomodo *justus norit causam pauperum*, dixi c. 27, v. 23.

℣. 10. *Viri sanguinum*, id est, sicarii seu homicidæ, usque eo *oderunt simplicem*, pium ac innocentem, ut ipsum etiam neci dare non dubitent. Sed *justi* judices *quærunt animam* [4] occisi, id est, mortem ipsi injuste illatam ulciscuntur et puniunt, etiam præmiis indici vel vindici propositis; ut ira Dei sic deliniatur, inquit Phocylides et Menander [5].

℣. 11. *Stultus* ex qualibet causa *profert* in apertum *totum spiritum suum*, nihil intus arcanum, nihil secretum servans, inquit Cajetanus, Rodolphus et quidam alii: sed Chaldæus et LXX de *ira* et *furore* id exponunt; q. d. Stupidi et stolidi hominis est, ex quavis causa subito ira et furore inardescere. *Sapiens* autem *reservat in posterum* — id est, differt in opportunum tempus, motus interim coercendo, et ulciscendi libidinem refrenando. Neque vero commodius aut efficacius sedandæ iræ remedium esse, quam dilationem, docent tum Aristoteles, Seneca, Plutarchus [6], Stobæus variis exemplis: tum ipsa experientia.

℣. 13. *Pauper et creditor* pauperis, dives quispiam qui pauperem divexat vel opprimit, quamvis dispar sit utriusque conditio et mores, *utriusque* tamen *illuminator est Dominus* — id est, utriusque lucis [7] usuram, vitam et spiritum donat Deus. Est enim idem quod c. 22, v. 2 dixerat, *Utriusque operator est Dominus.*

(1) Luc. 15, vers. 13. (2) Supra 22, vers. 2.
(3) Plato in Gorgia; Sen. Natur. quæst., cap. 4 præfatione; Plut. lib. de Adulatoris et amici discrimine.
(4) Psalm. 141, vers. 5; Ezech. 3, vers. 18; Baruch 6, vers. 6.
(5) Phocylid. in carm.; Menand. apud Stobæum serm. de Justitia.
(6) Sen. lib. 3 de Ira, cap. 1, et 2; Arist. a Lipsio ibidem citatus; Plut. in Moralibus.
(7) Job 38, vers. 15, et cap. 33, vers. 30.

pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.

15. [1] Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ confundit matrem suam.

16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: et justi ruinas eorum videbunt.

17. Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ.

18. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.

19. Servus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit.

20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio.

21. Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.

22. Vir iracundus provocat rixas: et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

23. [2] Superbum sequitur humilitas: et humilem spiritu suscipiet gloria.

24. Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem audit et non indicat.

25. Qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in Domino, sublevabitur.

26. Multi requirunt faciem principis: et judicium a Domino egreditur singulorum.

27. Abominantur justi virum impium: et abominantur impii eos qui in recta sunt via.

Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

℣. 18. *Cum prophetia defecerit*, id est, cum in aliquo populo desierit religio, quæ lege divina continetur et explicatur, id est, si religiosus divini Numinis cultus e medio tollatur, continuo *populus* ille *dissipabitur*, in factiones abibit, in varios errores atque hæreses dissecabitur, ludibrio et prædæ hostibus erit, et levi negotio excidetur: ita fere Hugo, Cajetanus, Jansenius, et Rodolphus. Quod S. Augustinus, et Thomas Bozius [3] plurimis exemplis confirmant.

℣. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum*, qui priusquam probe instructus fuerit, et de re proposita edoctus, ad alios docendos prorumpit; *stultitia magis speranda*, seu expectanda, *est*, *quam illius correptio*, seu sententiæ in melius mutatio. Hebraice *spes stulti præ illo*; et sic vertunt etiam LXX et Chaldæus, quod item est cum eo quod dixerat cap. 26, v. 12 *insipientem* præ *sapiente spem habere*, id est, meliorem longe conditionem esse hominis insipientis, qui præ stoliditate obmutescit et alios audit, quam ejus qui sapientem se esse ratus, temere de re non sat cognita pronuntiat: ita Rodolphus et Salazar.

℣. 24. *Qui adjurantem audit*, id est, qui a publico magistratu legitime quæsitus et juramento rogatus, furtum quod novit alterum admisisse, celat aut negat, *cum fure partitur*, id est, consors furti efficitur, et *odit animam suam* — gravissimo perjurii crimine illam saucians, et vitam quoque suam in discrimen adducens, nam si perjurii convictus fuerit, cum fure simul publico judicio emori cogetur: ita fere Jansenius et Lyranus.

℣. 26. *Multi requirunt faciem principis*, id est, gratiam magistratuum aucupantur non modo diligentia et studio, sed et obsequiis, muneribus ac donis, nempe ne illos in ferendis sententiis severos experiantur. Nec curant miseri Deum sibi demereri, ejusque gratiam lucrari a quo tamen sciunt, omne *judicium*, hebraice, *sortem singulorum* pendere utpote supremo omnium judice, cui tam magistratus, quam qui magistratus donis demereri contendit, subjici certo debebit.

(1) " Vers. 15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Præfertur vox *correptio* derivata a corripis voci, *correctio* a corrigo. Brugens. „

(2) Job 22, vers. 29.

(3) Aug. lib. 3 de Civ., cap. 34; Thom. Boz. de Signis Ecclesiæ.

CAPUT XXX.

Fundamentum sapientiæ, scire se nihil scire: Dei enim majestas inscrutabilis est, et eloquium ejus infallibile: quatuor pessima vitia, quatuor insatiabilia, quatuor celerrime transeuntia, quatuor orbem turbantia, quatuor animalcula sapientissima, quatuor feliciter gradientia, quatuor maxime cavenda.

1. Verba Congregantis filii Vomentis.

Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus, ait:

2. Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.

3. Non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum.

4. Quis ascendit in cælum atque

℣. 1. *Verba Congregantis filii Vomentis* — Hebraice et chaldaice, *verba Agur filii Jakeh* [1], est enim nomen proprium convivæ, quem Salomon in hoc sapientiæ epulo, cum regina sileret, loquentem inducit, ut dixi initio hujus libri. Sed solet Latinus [2] interpres nomina propria Hebraica latinitate donare, cum emphasim aliquam habent, uti hæc habent. Nam *congregans* significat eum, qui multam sapientiam, et multas doctas sententias partim proprio studio, partim usu et experientia, partim revelatione divina collegerat. *Filius vomens*, seu vomitus, saturum designat et epulis affatim expletum: nempe divinis illustrationibus adeo plenum, ut eas eructet et in aliorum usus evomere cogatur. Quæ quam vere, quam apte quadrent in Salomonem, nemo non palpat: ita R. Levi, Cajetanus, Beda, Lyranus, Arboreus et Salazar.

Visio, seu *prophetia* (ut est in Hebræo, sed *prophetia* vocatur etiam quævis sententia [3] gravis): *quam* protulit *vir* non vino obrutus, sed *Deo* plenus; non ex crapula titubans, sed a *Deo confortatus* et erectus. LXX habent, *hæc dicit vir credentibus Deo*, et ideo mihi quoque Prophetæ Dei fidem plenam habituris: *et quiesco*, seu finio, id est, absoluto sic libro, feriabor ab isto labore. Unde et venustiora schemata et acriores sententias in hanc orationis suæ extremam partem conjecit ut auditorum animis tenacius inhæreant.

℣. 2. *Stultissimus sum virorum* — Rabbini et Lyranus, Arboreus, Hugo et Pineda [4], volunt hæc verba esse Salomonis jam pœnitentis, et ex libidinum atque idololatriæ voragine reducti. Sed potuit etiam ante lapsum ex vera humilitate atque animi demissione verissime pronuntiare, *Stultissimus sum*, si me, si mea, si quæ ex me, habeo, si quæ proprio studio collegi, secluso Deo spectes. Unde mox subdit, *Sapientia hominum*, seu more aliorum hominum parta, *non est mecum*, nec proprio studio, vel meo marte obtinui *sapientiam* vel *scientiam sanctorum*, qualis solet sanctis prophetis instillari, sed si quid nactus sum scientiæ, seu humanæ, seu divinæ, id omne a Deo didici et accepi, inquiunt LXX. Potest secundo, comparative dixisse, *stultissimus sum*, si cum aliis conferar, qui in cognitione sui et Dei, longe me præcellunt, saltem practice. Sic S. Paulus, se *minimum sanctorum*. Sanctus Franciscus se *pessimum mortalium* affirmabat. Rursum, si *sapientiam meam*, etiamsi maximam, conferam cum *mea ignorantia*, vel cum *divina sapientia*, cum infinite ab illa distet, merito me stultum potius, quam sapientem venditabo. Simili fere modo rogatus aliquando Socrates, quid sciret? respondit, *Hoc unum scio, quod nihil sciam*. Quod audiens alius; *Immo*, inquit, *ne hoc quidem scio*. Voluit ergo Salomon primo loco inculcare, veram sapientiam in humili de se sensu sitam esse.

℣. 4. *Quis ascendit in cælum*, et omnia ibi scrutatur ac regit nutu suo? *At-*

(1) אגור בן יקה.
(2) Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 17.
(3) Mart. Delrio lib. 4 Magiæ, c. 1, q. 1, et Pradus in Ezech. 28.
(4) In suo prævio Salomone lib. 8, c. 1.

descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?

5. [1] Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se:

6. [2] Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax.

7. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar.

8. Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me.

Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria:

9. Ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.

10. Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, et corruas.

11. Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.

12. Generatio, quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis.

13. Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ.

14. [3] Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit mola-

que descendit etiam ad ima terræ, brachiis providentiæ suæ complexus omnia? *Quis continuit spiritum*, seu ventum, *in manibus suis?* Hebraice, *in pugillis*; LXX, *in sinu*, seu internis pectoris recessibus, hauriens et attrahens quando et quantum vult, rursumque expirans pro libito? *Quis aquas*, seu nubium, seu maris, *colligavit quasi in vestimento* seu panno, quem aquis infusum et irroratum, exinde pro placito contorquet et comprimit et exprimit? *Quis suscitavit*; hebraice et Aquila, *quis constituit, omnes terminos terræ*, seu oras et littora, in quibus terra desinit, et mare initium capit?

Quod nomen est ejus — id est, quæ est ista persona [4]? quis iste tam potens? Et quis *filius ejus?* Ubi manifeste pluralitatem personarum indicat in divinis, sed nulla naturalis ingenii vi perceptibilem a creaturis. Porro *filii* potius meminit quam *Spiritus sancti* (licet et hunc nomine venti hic adumbrarit), quia cum vellet multas pravæ generationis species proferre, primo loco æternam Filii generationem optimam nobilissimamque præmittit. Vide S. Hieronymum, Augustinum, S. Thomam [5]. Mox a Verbo ex Patre genito dilabitur ad verbum vocale exterius a Deo dictatum et revelatum, de quo dicit:

℣. 5. *Omnis sermo Dei ignitus*, nempe quidquid ex Dei afflatu vates effundunt, repurgatum [6], defæcatum, ad purum excoctum est, omni ex parte verum, sibique constans: *clypeus sperantibus in se:* scilicet Prophetis ipsis, et quicumque adimpletionem ejus expectant, pro *clypeo*, est adversus omnes obloquentium calumnias: nam revera implebitur aliquando, et fidem Prophetæ liberabit. Quare *ne addas quidquam* de tuo *verbis illius*, neque de tua conjectura inspergas aliquid divinis vaticiniis, ne *arguaris* falsi, fallente eventu, *et mendax inveniaris* — Quo ipso insinuat Salomon, se toto hoc libro nihil ex suo cerebro, sed ex solo Dei afflatu omnia protulisse.

℣. 11. *Generatio* — supple, quadruplex ex malorum filiorum, et omnes perversissimæ, et maxime execrabiles. Prima, ingratorum, quos hoc versu tangit, et maledicit v. 17. Secunda, hypocritarum arrogantium sibi sanctitatem, de quibus vv. 12, 18 et 19. Tertia, fastuosorum, de quibus vv. 13 et 21. Quarta, omnium pessima, opprimentium pauperes, de quibus vv. 14 et 15. Et singulas fuse explicant Beda, Hugo, Arboreus, Jansenius et Salazar.

Notat vero Mercerus ex Aben-Esra, Salomonem toto hoc cap. *quaternariis* præter morem delectari et ludere, et ex

(1) Psalm. 11, vers. 7.
(2) Deut. 4, vers. 2, et 12, vers. 32.
(3) " Vers. 14. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Hebr. *Et molares velut enses.* "
(4) Psalm. 19, v. 2, et Psalm. 73, vv. 18 et 21.
(5) Aug. in lib. de Trin.; S. Thom. in 1 p. de Trin.
(6) Psalm. 11, vers. 7.

ribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.

15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer.

Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod numquam dicit: Sufficit.

16. Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua; ignis vero numquam dicit: Sufficit.

17. Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.

18. Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro:

19. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.

20. Talis est et via mulieris adulteræ, quæ comedit, et tergens os suum dicit: Non sum operata malum.

21. Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere:

quatuor rebus inter se collatis quartum reliquis anteponere.

℣. 15. *Sanguisugæ* matris *duæ sunt filiæ*, matri per omnia insatiabilitate similes. Ergo tres sunt sanguisugæ, ut habent LXX. Quod clarius etiam Noster mox explicat, cum dicit, *Tria sunt insaturabilia: et quartum* — id est, immo quatuor sunt insaturabiles hirundines. Quas S. Augustinus, Chrysostomus, Nazianzenus, Isidorus [1] et alii has enumerant: primam, *iram;* secundam, *luxuriam;* tertiam, *avaritiam;* quartam, et omnium pessimam, minimeque saturabilem, *ambitionem.* Quas mox v. 16 comparat eodem ordine quatuor aliis rebus insatiabilibus, nempe *iram infernali* supplicio, *luxuriam ori vulvæ*, LXX amori mulierum: *avaritiam terræ* exsuccæ et bibulæ, *quæ* instar hydropis *non satiatur aqua: ambitionem igni:* nam quo plures ac digniores magistratus corripit ac tenet, eo acrius inflammatur: ita Hugo, Jansenius et Salazar, qui ex sancto Ambrosio, immo ex Seneca, Plutarcho et aliis id fuse demonstrat.

℣. 19. *Viam viri in adolescentia* — Ita etiam LXX vertunt: nam *ghalmah* [2] non solum *adolescentulam*, seu puellam innuptam et virginem (quomodo legendum hic putant Jansenius, Lyranus et alii recentiores), sed etiam *adolescentiam* seu juvenilem ætatem significat. Sic Psalmo 47, v. 1 *galmoth* [3] vertunt recentiores Hebræi, *in adolescentiis.* Sensus ergo est, sicut *aquila, serpens* et *navis* lenissime ac sine strepitu, per varios gyros et anfractus, celerrime simul et occultissime, nec ullo relicto sui vestigio feruntur: ita et adolescens dissolutus et intemperans, cujus affectus in vitia proni, per mille meandros tendunt in optatas cupedias, quantumcumque occulte et subdole eis vacet, non diu tamen vacat: nam velocissime transilit et transvolat ille flos ætatis, corpore per nimium luxum ac venerem misere tabescente, formamque omnem ac pulcritudinem deperdente: ita fere Salazar. Allegorice, Beda, Hugo, Dionysius et Lyranus, ex R. Haccados [4], per *viam aquilæ*, Christi ascensionem: per *viam colubri*, ejus resurrectionem: per *viam navis in mari*, conversationem in mundo: per *viam viri in adolescentula*, nativitatem ex illibata Virgine, in cujus utero *vir* fuit ab initio conceptionis plane perfectus, non modo potentiis animæ, sed et membris corporis. Similia fere habet S. Ambrosius [5].

℣. 20. *Talis est et via adulteræ* — q. d. Ita accidit non solis adolescentibus et solutis, sed et nuptis adulteris, quæ in luxum profusæ cito perdunt pristinæ formæ, elegantiæ ac roboris vestigia: quæ quamvis sollicite, solerter et industrie conentur tegere sordes suas, et *comedendo*, seu deliciose victitando, *et os suum tergendo*, id est, faciem pigmentis vel medicamentis fucando, studeant succulentæ et venustæ comparere, et sic sua scelera tegere; tamen vel ipsa corporis macies, vel subrepentes morbi, vel scabies, vel luridus pallor, totiusque formæ ac pristini vigoris jactura, quæ ex veneris usu accidere solet, rem statim prodet.

℣. 21. *Per tria movetur terra* — Hebraice, *tremit;* LXX, *concutitur*, id est,

(1) Aug. lib. 14 de Civ., c. 15; Chrys. in cap. 6 Matth.; Nazianz. in Jambico de avaritia; Isidor. lib. 12 Origin, cap. 5.

(2) עלמה. (3) עלמות.

(4) R. Haccad. apud Galazinum lib. 7, cap. 15.

(5) Lib. de Salom., cap. 2.

22. Per servum cum regnaverit: per stultum cum saturatus fuerit cibo:

23. Per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta: et per ancillam cum fuerit heres dominæ suæ.

24. Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus:

25. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi:

26. Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum:

27. Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas:

28. Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis.

29. Tria sunt, quæ bene gradiuntur, et quartum, quod incedit feliciter:

30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum:

31. Gallus succinctus lumbos: et aries, nec est rex, qui resistat ei.

32. Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime; si enim intellexisset ori suo imposuisset manum.

33. Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: et qui vehementer emungit, elicit sanguinem: et qui provocat iras, producit discordias.

turbæ et contentiones maximæ per ea cientur.

℣. 24. *Quatuor sunt minima terræ* animalcula, *et* tamen *ipsa sunt sapientiora sapientibus* — nempe aliis animantibus majoribus, quæ sapientia naturali pollere existimantur, vel etiam plerisque hominibus prudentiali instinctu antecellunt. Hebraice nulla est comparatio, sed dicuntur esse *sapientia sapienter edocta*, nempe a matre natura. Vult autem Salomon his quatuor animalculis instruere quatuor status hominum quibus respublica constat. Primo, *formicis*, agricolas et rusticanos homines, ut assiduo et indefesso labore comparent quæ victui necessaria sunt. Secundo, *lepusculo* [1], seu cuniculo, cives in urbe degentes, opificio vel mercaturæ intentos, et a bello abhorrentes, ut insudent domui sui firmandæ, locupletandæ et augendæ, instar *cuniculorum*, qui et Plinio [2] teste, nomine leporum designari solent, et, quia timidi atque invalidi, tutissimas petras catulis suis tutandis perfodiunt, ac de omnibus necessariis maxima cura prospiciuntur. Tertio, *locusta* milites instruit, nam et locustarum formam galeatos milites referre docet Marcellinus, et quamvis duce ac *rege* careant, nihilominus instructis agminibus et aciebus catervatim ad agros depopulandos convolare constat ex Plinio, et S. Scriptura [3] passim: et adversus scorpiones aliosque serpentes bellum feliciter gerere, idem Plinius [4] et Aristoteles, docent: unde locustam *scorpiomachum* Aristoteles, alii *ophiomachum* vocant. Quarto, *stellione* magistratus et aulicos omnes commonefacit. *Stellio* enim animalculum est *lucertæ* adsimile, sed longe minus, depictum lucentibus guttis tamquam stellis [5]. Hinc nomen Latinum traxit: Romani *tarantulam* vocant, Græci ἀσκάλαβον vel ἀσκαλαβώτης, Aristoteles καλαβώτης. Sed mendose in Regiis, Complutens. et aliis LXX editionibus ponitur καλαμώτης *piscis* sat ignobilis, nec regibus notus. At *stellio in* palatiis *regum moratur*, circa aularum fores, et forium cardines, et parietum rimas, maxime in novis ædibus, inquit Marcellinus, nec tamen *nititur* nisi *manibus*. Sic strenuis ac fidis manibus servitiisque principes suos demereri debent, et præclaris virtutibus splendere quicumque in aulis et magistratibus degunt. Chaldæus et quidam recentiores pro stellione *araneam*, vertunt: alii, *simiam*, alludentes ad Hebræum *semamith* [6], alii, *hirundinem*.

(1) Vide Psalm. 103, vers. 18, § *Erinaceus*.
(2) Lib. 8, cap. 55.
(3) Plin. lib. 11, cap. 29; Judith 2, vers. 11, et Jerem. 46, vers. 23; Amos 7, v. 1; Nahum 3, vv. 15 et 17.
(4) Supra, cap. 89.
(5) Plin. lib. 8, cap. 31, et lib. 30, cap. 10.
(6) שממית.

CAPUT XXXI.

Ex ore matris monet primo, vitandam libidinem; secundo, crapulam; tertio, justitiam omnibus, maxime pauperibus, reddendam. Dein occasione matris subnectit encomium mulieris fortis et excellentis, quod per 22 versus, juxta 22 litteras Hebræorum, a qualibet littera singulos versus inchoando prosequitur: ita Cajetanus et Jansenius et Salazar. Nempe ut significet, talem demum mulierem omnibus litteris, id est, omnibus numeris (nam litteræ numerorum notæ sunt) absolutam esse, et omnes litteras, quotiescumque et quomodocumque combinatas, tali heroinæ laudandæ non sufficere.

1. Verba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua.

2. Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid, dilecte votorum meorum?

3. Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges.

4. Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas:

5. Et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.

6. Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo:

7. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.

8. Aperi os tuum muto, et causis omnium filiorum qui pertranseunt:

9. Aperi os tuum, decerne quod

℣. 1. *Verba Lamuelis regis* — Sic vocat tertium sacri epuli interlocutorem, ut dixi initio hujus libri. *Lamuel* vero, seu *Lemuel* [1], hebraice, idem est, quod *ipsius Deus*, vel *in quo Deus:* quod proprie *Christo* convenit, cujus figura et typus erat *Salomon.*

Visio, id est, doctrina prophetica a Spiritu sancto per revelationem accepta, *qua* filium suum Salomonem adhuc tenerum *erudivit mater* — nempe Bethsabee. Talibus monitis decet pias matres adblandiri filiis, inquit Hugo Cardinalis et Salazar: qui hinc una cum Jansenio et Pineda [2] colligit, heroinam illam prophetiæ dono collustratam, periculum prævidisse futurorum olim Salomonis turpium amorum et luxuum; ac proinde conatam, illum jam inde a puero adversus eas pestes salutaribus monitis præmunire.

℣. 2. *Quid dilecte mi?* Blandientis est et excitantis ad audiendum, q. d. *Hem*, vel *heus* dilecte. Chaldæus putavit minantis esse, et aliquid mali ominantis, unde vertit: *Quale væ fili mi! væ! væ!*

Dilecte votorum meorum — id est, in quem unum omnia mea vota et desideria intendunt, inquit Jansenius. Vel, ut Pineda [3], quem perpetuis votis ac precibus quotidie rursum gigno, unde LXX legunt, *Quid fili mearum orationum?*

℣. 3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam* — id est, divitias, ut LXX vertunt: et robur seu fortitudinem, ut Cajetanus et Jansenius cum Chaldæo: nempe intemperanti veneris usu corpus conficiendo, et vires labefactando. Item, ne te fatiges, nec tua exhaurias *ad delendos reges*, seu bello conterendos tibi vicinos principes: sed paci stude et quieti, ut verus *Salomon*, id est, *pacificus*, audias.

℣. 8. *Aperi os tuum*, id est patrocinare, tuere, defende, modis omnibus adsis *muto* — id est, qui instar muti pro semetipso eloqui non audet præ verecundia, vel non potest præ imperitia.

Et causis omnium filiorum qui pertranseunt — id est, omnium hominum mundi, inquit Pagninus: maxime vero peregrinorum et advenarum, atque eorum qui e lauta fortuna transierunt ad inopiam et egestatem: quorum et major miseria, et sors deterior, quam qui numquam felices fuerunt.

(1) למואל.

(2) In Salomone lib. 1, cap. 6.
(3) Supra.

justum est, [1] et judica inopem et pauperem.

10. Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.

11. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.

12. Reddet ei bonum et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

13. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.

14. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.

15. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.

16. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam.

17. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.

18. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus.

19. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.

20. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.

21. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.

22. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum ejus.

℣. 10. *Mulierem fortem*, vel fortitudinis; LXX ἀνδρείαν, id est, virilem; vel, ut alii, *industriam:* sed Luisius Legionensis vult ea voce, virtutum omnium cumulum, et plenam perfectionem notari, nempe quæ cum eximia pietate, pudicitiam, magnanimitatem, industriam, diligentiam, constantiam, ceterasque virtutes componit. Allegorice, est Ecclesia Christi, inquit sanctus Augustinus, Gregorius [2], Beda et Salonius. Tropologice, anima sancta, sed speciatim B. Virgo, ut S. Bernardus [3] pulcherrime demonstrat: uti et Salazar, quem consule etiam pro sequentibus versiculis.

Procul, et de ultimis finibus terræ (unde rarissimæ et pretiosissimæ margaritæ advehi solent) *pretium ejus* — supple, merito accersendum, ut talis uxor viro coemi possit; q. d. Quovis pretio coemenda est, quia pretium ejus omnium, etiam pretiosissimarum rerum pretium et æstimationem superat. Allegorice, Beda vult hic insinuari, Ecclesiam Christi etiam de ultimis finibus congregandam.

℣. 11. *Spoliis non indigebit* — Hoc nomine vestes [4] scutulatæ, monilia, et alia mundi muliebris ornamenta aptissime intelliguntur. Sicut enim turres [5] solent clypeis et umbonibus deauratis victoriarum monimentis undique præcingi, sic fœminæ suis monilibus et vestibus; q. d. Talis uxor non opus habebit pretiosa veste aut monilibus, ut arrideat viro suo, et cor illius rapiat.

℣. 15. *De nocte*, id est, valde mane, non stertens in altam lucem: *dedit prædam* — LXX βρώματα, id est, escas seu cibos, non quovis modo partos, sed labore ac sudore, quasi vi deprædatos; catachresi desumpta a feris, quarum omnis esca est præda.

℣. 18. *Gustavit, et vidit*, id est, usu atque experientia didicit *negotiationem*, seu exercitationem et laborem suum esse *bonum*, id est, quæstuosum et frugiferum; adde, et salubrem: atque ideo tam sedulo operi incubuit suo, ut non dies solos, sed et noctes, saltem magnam illarum partem, laborando falleret, nempe in multam noctem vigilans, et summo mane evigilans: adeo *ut lucerna ejus*, vel numquam, vel non nisi exiguo intervallo *extingueretur*.

℣. 22. *Stragulatam vestem* — id est, variæ texturæ, uti sunt stragula et tapetia, quibus lectus insternitur, et parietes ornantur, quorum mentio frequens in Jure [6], et apud Ciceronem [7], q. d. Non

(1) [a] Vers. 9. *Et judica inopem et pauperem.* Non mutes judica in vindica, quamquam hoc illius expositio sit. Rom. Corr.

(2) Aug. serm. 45 de Div.; Greg. l. 33 Mor., c. 22.

(3) Serm. 2 super *Missus.*

(4) Plin. lib. 38, cap. 8, et Juvenalis satyra 2.

(5) Ezech. 27, vers. 10, et Josephus lib. 25 Antiq., cap. 14.

(6) Lib. *Cum tunicam* ff. de auro et argento, et lib. *quæ situm est*, § *si fundus*, ff. de fundo, et lib. *instratam*, de verb. significatione, et Alciatus ibid.

(7) Orat. 3 et 4 in Verrem.

23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.

24. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.

25. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.

26. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.

27. Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.

28. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam.

29. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.

30. Fallax gratia, et vana est pulcritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

31. Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.

modo rudiora manibus suis parabat vestimenta servis et ancillis suis, sed etiam multam vestem stragulam sibi elaborabat ad lectos sternendos, et aulæa tapetiaque ad reliquam domum ornandam; denique et pretiosas sibi vestes ex *bysso* [1] et *purpura:* ita Rodolphus et Jansenius.

℣. 24. *Sindonem;* hebraice, *linteum,* puta subtilioris operis: *et cingulum,* id est, zonas perelegantes acu pulcre pictas, et floribus tum aureis, tum purpureis, tum byssinis intextas, venundabat *Chananæo,* id est, institori, vel vendendas *tradebat.* Quia enim gens Chananæa mercaturæ erat apprime dedita, ut ex Tyriis patet, Judæi non item; hinc nomine *Chananæi* sæpe pro *mercatore* utebantur, ut alibi [2] dixi. Commendatur ergo strenua femina, quod non rudiores solum telas, sed etiam subtilissimas ac tenuissimas texere soleret: nec eas exiguo numero, solis usibus domesticis et ornandæ familiæ necessarias, sed maxima copia, utpote quarum venditione compararet sibi non modicos thesauros.

℣. 25. *Fortitudo et decor indumentum ejus,* q. d. Elegantiora ista, puta sindones subtiliores et zonas elaboratas, non aptabat ipsa sibi: nam ipsi pro *cingulo,* erat *fortitudo,* qua *succinxit lumbos* [3] *suos*: pro veste eleganti et pretiosa erat nativus decor et genuina pulcritudo, quæ putidis istis et indecoris ornamentis non eget. Vide hac de re Tertullianum, Clementem Alexandrinum et Chrysostomum [4], qui in philocosmas et molles illas acriter invehuntur.

Et talis *ridebit;* LXX, *lætata est, in die novissimo* — id est, in senectute, cum ad laborandum inepta poterit secure otiari, deliciari, et partis olim bonis læte perfrui.

℣. 26. *Os suum,* silentio plerumque clausum, quoties loquendum esset, cum *sapientia* prudentiaque reserabat, non absona vel inconcinna garrulitate, sed decenti circumspectione.

Et lex clementiæ in lingua ejus — nempe ad imperium clementiæ, quasi dominæ suæ, promebat sua verba, non mordacia, non acerba, non dura, sed lenia, sed mitia, sed suavia. Chaldæus, *lex gratiæ in lingua ejus,* præscribens blandiloqua et lepida subinde verba, et sale conditos sermones.

℣. 31. *Date ei* laudi *de fructu manuum suarum* — id est, propria facinora, q. d. Quicumque talis heroinæ laudes vultis decantare, commemorate res ab ipsamet gestas, et aliena omittite. Quid enim opus patriam, parentes, clientelam, et majorum encomia celebrare, ubi tanta suppetunt, et tam propria ipsiusmet facinora laude digna?

Et laudent eam in portis [5] *opera ejus* — id est, laudetur non tantum intra domesticos parietes, sed etiam in foris et theatris, et celeberrimis civium ac magistratuum conventibus.

(1) Exod. 25, vers. 4, et Ezech. 16, vers. 10.
(2) Josue 16, vers. 10; Isaiæ 23, vers. 8, et Zachar. 14, vers. 21.
(3) Supra vers. 17.
(4) Tertull. lib. de Habitu feminarum; Clem. lib. 2 Pædag., cap. 10; Chrysost. hom. 21 ad pop., et hom. 41 in Gen., et in Psalm. 44, et orat. de paralytico.
(5) Deut. 17, vers. 8, et Job 5, vers. 4.

ECCLESIASTES

Sic græce inscribitur hic liber, hebraice *coheleth* (1), id est, *convocator* vel *concionator*. Nam toto hoc libro concionatur Salomon de mundi, mundanarumque rerum vanitate, ut quæ nec solidæ sint, nec constantes, nec animam satient, sed distrahant, affligant et crucient, quia plenæ defectibus, molestiis et curis. Itaque suadet omnium contemptum, et unius Dei (2) assiduum cultum. Conscripsit vero Salomon hunc librum pro adultis jam in virtute, et ad perfectionem progredi conantibus, ut ex S. Hieronymo dixi in procœmio Proverbiorum. Qui idem ait, conscriptum a Salomone post tot libidines et idololatrias jam resipiscente ac pœnitente. In quam sententiam, præter Hebræos citat Pineda (3) 24 gravissimos auctores: et variis pulcrisque rationibus confirmat.

CAPUT I.

Terræ et elementorum omnium mutationes; rerum sublunarium generationes et corruptiones: cœlorum et siderum irrequietæ circuitiones: ex quorum cognitiones nulla tranquillitas humano animo; ex usu nulla satietas sensibus; ex experientia nulla sapienti voluptas; sed ubique difficultas, ubique labor, ubique afflictio: o vanitas!

1. Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.

2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, et omnia vanitas.

3. Quid habet amplius homo de

℣. 2. *Vanitas vanitatum* — id est: vanissima, maxima vanitas. Quo nomine designatur hic proprie *mutabilitas* [4], agitatio, defectus rerum omnium creatarum, qua per se instabiles tendunt in aliud continuo atque aliud esse; adeoque in interitum, et in nihilum, nisi potenti manu Dei contineantur et conserventur. Solus vero *Deus* plena, et omnimoda est *veritas*, id est, stabilitas, constantia, perfectio, beatitudo tum sua, tum aliarum rerum omnium. Nihil enim præter unum Deum, potest immensam nostram inanitatem complere, intellectus capacitatem satiare, appetitus sitim restinguere. Ut de singulis creaturis ordine deinceps probabit toto hoc libro Salomon, qui id a Davide patre suo hauserat, Ps. 38 [5], *Universa vanitas omnis homo vivens*. Et ex utroque Gentiles Philosophi, e quibus Aristoteles *hominem* definit esse *exemplum temporis, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem, invidiæ et calamitatis trutinam, reliquum pituitam et bilem*. Similia Lucianus [6] et alii.

℣. 3. *Quid habet amplius homo* quam vanitatem, *de* et ex *universo labore suo?* q. d. Nihil speres, te posse vel amplum, vel eximium tuo labore, studio et industria elicere ex omnibus quæ *sub sole* sunt — Quid enim præter vanitatem elicias ex vanissima vanitate? ita Dionysius et Pineda. Et hæc est clausula libri totius. Chaldæus legit: *quid reliquum est*

(1) קוהלת.
(2) Patet ex cap ult., vers. 13.
(3) In Salom. prævio lib. 8, cap. 1, lect. 5 et 7.
(4) Proleg. de Idiotismis Hebr., n. 60.
(5) Psal. 38, 6, et Psal. 61, 10, et Psal. 143, 4.
(6) In Icaromenippo, seu Hypernephilo.

universo labore suo, quo laborat sub sole?

4. Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.

5. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens,

6. Gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.

7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.

homini, postquam mortuus fuerit, de omni labore suo? nempe, præter vanitatem, et sic etiam accipit S. Hieronymus, Nyssenus, et Olympiodorus, Lyranus, Osorius. Nullum enim aliud a mundo stipendium, quam vanitas, Ps. 75, v. 6, *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt.* Sap. 5, vers. 8, *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia?*

℣. 4. *Generatio*, tum hominum, tum bestiarum, tum metallorum, tum elementorum, *præterit et advenit*, non eadem numero, sed specie, uno moriente, succedit alius. *Terra autem*, theatrum omnis hujus vicissitudinis, in qua ludi exhibentur, *in æternum stat* — id est, stabilis manet et immota: alia omnia decurrunt. Etiam sol, etsi incorruptibilis, tamen loco movetur perpetuo (et eadem est ratio ceterorum siderum et cælorum), et sic instabilis est: nam

℣. 5. *oritur et occidit*, totus in eundo, totus in redeundo. *Et ad locum suum*, id est, ad orientalem plagam (in qua creatum solem affirmat Severianus et alii plures), *revertitur*, Chaldæus, *anhelat*, id est, velut cursu anhelus et labore æstuans, concitatissime fertur, ut inde rursum redeat in orbem. Nec solum ex oriente graditur versus occidentem cursu quotidiano, sed et annuo motu *gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem*, obliquo accessu et recessu suo inter tropicos cancri et capricorni, nunc signa meridionalia seu æstiva percurrens, nunc aquilonaria seu hiemalia: ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Theophilus Alexandrinus [1], Cajetanus et recentiores.

℣. 6. *Pergit spiritus*, id est, ventus. Ita transfert Symmachus, et plerique recentiores. Et vero inter causas generationis et corruptionis sublunarium, quas hic Salomon recenset, itemque inter errabunda et inconstantia universi, non ultimum locum tenent venti: qui nec ipsi quiescunt umquam, nec aerem, nec aquam, nec terram sinunt quiescere, sed acri suo flatu, subinde et pestilenti, plurimis locis perniciem afferunt et ruinam. Sed et *in circulos suos revertuntur* — nam ex 12 ventis respondentibus 12 cæli terræque plagis, quot veteres distinxerunt, vel ex 36 quot recentiores, numquam non aliquis aliquam mundi plagam perflat, teste Plinio [2] et experientia.

℣. 7. *Ad locum, unde exeunt flumina* — id est, ad mare et mari conterminam abyssum aquarum, quæ jam inde a mundi exordio est in terræ visceribus, sicut in corpore humano maxima sanguinis copia est in hepate et in corde; inquit Plato, Seneca, Philo, Plinius [3], indeque per innumeros cuniculos quasi per venas disperguntur aquæ per omnes partes terræ, et certis locis jam colatæ erumpunt in fontes, vel in flumina. Id insinuatur Eccli. 24, vv. 39, 40 et 41, et hic in Chaldæo. Et ita sentit S. Hieronymus, Basilius, Isidorus, Damascenus, Albertus Magnus, S. Thomas, Franciscus Valesius, Tostatus, Conimbricenses, a Lapide [4] et alii. Quorum quidam æstum maris, velut magnæ matris respirationem, item flatus subterraneos volunt per ejusmodi terræ venas sursum adigere aquas, etiam ad summa montium quorumdam fastigia. Quidam vim attrahendi terræ innatam, ut matrici vel mammis in muliebri corpore: vel saltem vim sugendi, qualis est in panno (qui licet vix extrema sui parte aquas contingat, paullatim tamen totus humectabitur), putant ascensionis istius aquarum causam esse. Ut ut est, divina

(1) Theoph. ep. 3 Pasch. t. 1 Bibl. SS. Patrum.
(2) Lib. 2. c. 7, 38, 46.
(3) Plato in Phædone; Seneca lib. 3 Natur. q. c. 15; Philo lib. de Mundi opif.; Plin. lib. 2, c. 65.
(4) Basil. lib. 4 Hexameron; Isidor. lib. 3 Orig. c. 20; Damasc. lib. 2 Fidei c. 9; Albert. 2 Meth. tract. 2, cap. 11; S. Thom. 2 Sent. dist. 14, q. 1; Vales. cap. 63 Sac. Philos.; Tostat. et a Lapide in Genes.; Conimbr. tract. 9, in Meteor. cap. 4.

8. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est; quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.

12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem,

13. Et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.

14. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.

15. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.

16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem: et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici.

17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam: et agnovi quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus:

18. Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio: et [1] qui addit scientiam, addit et laborem.

providentia (inquit Theodoretus [2]), ad commodiores usus mortalium, providit ut scaturirent omnes ex interiori illa abysso rursumque per suos alveos in mare, indeque in eamdem abyssum relaberentur, atque ita perpetuo motui, mutationi et instabilitati obnoxiæ essent, ut hic Sapiens affirmat.

¥. 10. *Nihil sub sole novum* — scilicet in naturali cursu rerum, puta cælorum, elementorum, ventorum, hominum, animalium, fluminum: item in scientiis et artibus quibus natura indiget, v. g. fabrili, agricultura, scientia philosophica, theologica, etc. Secus est, de curiosis et extraordinariis rebus, itemque prodigiis, monstris et miraculis. Vult insinuare Sapiens non esse quod nos superflua rerum naturæ secretarum indagatione, vel opum, voluptatum, dignitatum conquisitione torqueamus: nihil enim nobis eximium conferent, sicut videmus non contulisse iis qui ante nos se illis indagandis et colligendis totos immerserunt.

(1) " Vers. 18. *Qui addit scientiam, addit et laborem.* Alii legunt *dolorem* pro *laborem:* sed quamvis doloris significatio magis hebræo, et græco conveniat, conjicit tamen Epanorthotes ex antiquis libris suis Interpretem de industria posuisse laborem, qui dolor quidam est. Brugens. "

(2) Theod. sect. 2, de Providentia.

CAPUT II.

Sapientiæ studio propter molestias seposito, transfert se ad corporis voluptates consectandas. Sed nec ibi reperto vado, redit ad sapientiam cum voluptatibus conciliandam; sed frustra: unde utroque fastidito, tradit se vanissimæ sollicitudini corradendarum undique opum, non tam sibi, quam heredibus adhuc ignotis profuturarum.

1. [1] Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

(1) " Vers. 1. *Dixi ego in corde meo.* Non mutes pronomen ego in conjunctionem *ergo.* "

2. Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

3. Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas,

5. Feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus,

6. Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium:

7. Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem:

8. Coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias regum, ac provinciarum: feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda:

9. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.

10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaveram: et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.

12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque et stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum?)

℣. 2. *Risum* ex insolenti gaudio et voluptate profusiorem, ut bene expendi, *reputavi errorem*; Chaldæus, *derisionem*; alii, *insaniam*. Derident enim nos terrenæ voluptates, quod animi tranquillitatem felicitatemque in re tam vili, tam fluxa, quæramus. Unde merito errones, immo insani audimus: maxime cum experientia didicerimus, *extrema gaudii luctum occupare*. Unde vano *gaudio dixi, Quid frustra deciperis*, cum nullo solido aut vero bono nitaris? nec hac via me quietum aut beatum reddere valeas? unde et te decipis, et me.

℣. 3. *Abstrahere a vino carnem*, est abstinere a lautioribus epulis [1], a voluptate [2], a lascivia.

Quo facto opus est — id est, quo se occupare homines debeant ex rectæ rationis præscripto. Item, quid e re hominum sit, in quo multum operæ, studii, sollicitudinis merito ponendum. Nempe, ut *quærant* [3] *regnum Dei*.

℣. 9. *Sapientia quoque perseveravit mecum*, dum has omnes delicias mihi compararem, suggerebatque mihi modos et rationes conquirendi illas et fovendi, jucundoque experimento iisdem fruendi, inquit Nyssenus et Richardus. Unde plerique hinc colligunt, Salomonem etiam tot libidinibus et idololatriis immersum non fuisse spoliatum sapientia sibi ante cælitus infusa, ut dixi 3 Regum 11, v. 7. Rabbi Haccados per *sapientiam* intelligit *studium sapientiæ*, q. d. Salomon, se una cum lautitiis corporis, etiam sapientiæ studio et cultui incubuisse, ut mentem sanam retineret inter tot rerum externarum irritamenta, et beatus evaderet simul animo et corpore. Sed falsus est miser: nam etsi retinuerit sapientiam speculativam, certe practice illi diu obsecutus non est, *videns meliora probansque deteriora sequens*.

℣. 12. *Quid est homo?* quam stultus est! quantum errat, quum sibi persuadet se posse Deum creatorem suum et rerum omnium consequi, seu assequi in obtinenda hic plena beatitudine et perfecta felicitate! Ut sibi persuadebat ille Tyriorum rex, qui dicebat, *Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris* [4],

(1) Sap. 2, v. 7 Isa. 5, v. 12.
(2) Prov. 20, v. 1; Eph. 5, v. 18; Apoc. 27, v. 3.
(3) Matth. 6, v. 33 etc.
(4) Ezech. 28, vers. 2.

13. Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.

14. [1] Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat: et didici quod unus utriusque esset interitus.

15. Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, et futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus.

17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.

18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me,

19. Quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui; et est quidquam tam vanum?

20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

21. Nam cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsita dimit-

(q. d. Non minus ego tutus et munitus in hac mea insula, quam Deus muris cælestibus) *dedi cor* meum, *quasi cor Dei*, id est, ausus fui etiam divina tentare, et me Deo æquare sapientia, decore, deliciis, thesauris. Sic quoque hic Salomon se insignis stultitiæ arguit, quod majora viribus humanis, et soli Deo propria tentarit, assequi nempe divinam felicitatem, quærendo plenam animi tranquillitatem, et quidem mediis ab illa remotissimis, vino, crapula, libidinibus, divitiis, ædificiis, etc. quæ non nisi sordes sunt, et impedimenta potius, quam adjumenta.

℣. 14. *Sapientis oculi in capite* [2] *ejus* — q. d. Sapientiæ beneficio homo assequitur, ut oculis mentis utatur ad eum finem, ad quem in vertice locati sunt, nempe ut veluti speculatores ex loco altissimo procul prævideant quid agendum, quo eundum, quid sequendum, quid fugiendum, et sic universæ vitæ cursum moderentur, nec ubi contingat impingere, hærere vel labi. Unde Chaldæus, *sapiens contemplatur in principio quod futurum est in fine*. Sic Poetæ *Janum*, ut designent sapientissimum fuisse, bifrontem fingunt, ut qui et antecedentia et sequentia tempora perspiciat.

Stultus autem *in tenebris* non modo versatur, destitutus internæ lucis beneficio, sed et *ambulat* [3], actus variis cupiditatibus et vanis desideriis ac passionibus, nunc amoris, nunc odii, nunc iræ, nunc aliis, ubique [4] impingens, ubique se lædens et alios, ac tandem præceps in exitium ruens, subinde et alios secum trahens. Quia oculos non habet in capite sed vel in manibus, temere quidvis amplectens; vel in pedibus, quocumque fert impetus ruens, ut pulcre S. Ambros. [5] exponit.

Unus utriusque interitus — id est, pari modo moriendum utrique, q. d. Ut in aliis sunt valde dissimiles sapiens et stultus, ita in humanis eventibus, maximeque in morte, sunt prorsus pares. Unde si casibus iisdem obnoxii sunt, neque potest me sapientia ab humanis ærumnis et casibus eripere, et me beatum hic efficere.

℣. 15. *Quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam*, et sapientiæ luce præcelluerim reliquis mortalibus? Sane, *hoc quoque vanitas*, id est, status quoque sapientis, quia iisdem cum stulto casibus humanis obnoxius, inter vana computandus est, quia non reddit hominem plene tranquillum, saturum, stabilem, undequaque beatum, et omnibus partibus perfectum. Quod maxime verum est de sapientia humanarum rerum de qua etiam mox subjungit, v. 16, *Non erit memoria*, etc. — Prisca enim dogmata, quantumcumque excellentia, et priscæ administrandæ reipublicæ ratio-

(1) Prov. 17, v. 24. Infr. 8, v. 1.
(2) Prov. 17, v. 24.
(3) Prov. 7, v. 9.
(4) Psal. 34, v. 6; Deut. 28, v. 28; Job 5, v. 14, et c. 12, v. 25; Isaiæ 59, v. 10; Prov. 14, v. 8.
(5) Lib. 6 Hexam., cap. 9.

tit; et hoc ergo vanitas, et magnum malum.

22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

23. Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: et hoc nonne vanitas est?

24. Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? et hoc de manu Dei est.

25. Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego?

26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo: sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis.

nes, apud posterioris seculi homines putidæ erunt, et ut vilia veteramenta negligentur et oblivione sepelientur: ita fere Bonaventura, Cajetanus, Titelmannus, Campensis, Osorius, Arboreus, Ferus, Montanus et Pineda.

℣. 24. *Nonne melius est comedere et bibere*, id est, frui partis et concessis a Deo, nec avare et imprudenter illa alteri recondere? *Et hoc* donum Dei *est*, nempe naturale, utpote naturalis prudentiæ, et liciti se liberalis amoris erga seipsum, *de manu Dei*, id est, a Deo auctore naturæ datum et inditum: ita Nyssenus, Olympiodorus, Neocæsariensis et alii plerique.

℣. 25. *Quis ita devorabit* — id est, comedet, fruetur? q. d. Quis meliore jure absumet opes, et deliciis fruetur, quam is ipse qui illas multo labore et sollicitudine paravit? ita fere Pagninus et Pineda ex codice Veneto.

CAPUT III.

Ex vicissitudine, mutatione, et instabilitate atque interitu rerum omnium sublunarium, cum tempore fluentium et difluentium, colligit nullam in his sitam esse hominis felicitatem. Sed ex stabilitate divinorum operum, divinœque providentiæ suum cuique rei tempus præfinientis, hortatur omnes ad vitam tranquille agendam, curasque præposteras aut præproperas abjiciendas.

1. Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo.

2. Tempus nascendi, et tempus moriendi.

Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.

3. Tempus occidendi, et tempus sanandi.

Tempus destruendi, et tempus ædificandi.

4. Tempus flendi, et tempus ridendi.

Tempus plangendi, et tempus saltandi.

5. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi.

℣. 1. *Omnia tempus* suum *habent* — Symmachus, *omnis negotii ac ministerii hora est*, supple, constituta et determinata a Deo. Mox subjicit quatuordena exemplorum paria. Sed ex paucis istis relinquit cuique similiter de aliis omnibus philosophandum. Ex quibus concludi vult, virum sapientem, comperta rerum omnium vanitate et instabilitate, debere animo omnibus superiorem evadere, omnes calcare, omnes seu prosperas, seu adversas æquanimiter et fortiter ferre, nec frustraneo labore aut cura illis devitandis, quæ toti generi humano indiscriminatim obvenire solent, insudare aut se excruciare: sed tranquillo corde, et animo quieto, atque in omne Dei beneplacitum resignato totum se dare pietatis divinique cultus studio sine vicissitudine aut intermissione. Hic enim scopus est hujus cap. Alioquin, ut mox dicit:

Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.

6. Tempus acquirendi, et tempus [1] perdendi.

Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi.

7. Tempus scindendi, et tempus consuendi.

Tempus tacendi, et tempus loquendi.

8. Tempus dilectionis, et tempus odii.

Tempus belli, et tempus pacis.

9. Quid habet amplius homo de labore suo?

10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.

11. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

12. Et cognovi quod non esset melius nisi lætari, et facere bene in vita sua.

13. Omnis enim homo, qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, jam fuerunt: et Deus instaurat quod abiit.

16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem.

℣. 9. *Quid habet amplius homo de labore suo?* — Id est, quem alium fructum percipiat aut speret homo ex universis curis et molestiis, quas circa res tam fluxas, tam instabiles, tam mutuo contrarias, tam difficiles, tam laboriosas continuo subit? q. d. Frustra alioqui se fatigabit, torquebit, cruciabit, nullo alio fructu, nullo emolumento.

℣. 11. *Deus mundum*, in quo tot contraria, tot vana, tot molesta, *tradidit disputationi* hominum, id est, examini, ratiocinationi, consultationi, inquisitioni etiam experimentali, et quæ inde consequitur, liberæ electioni. Hebraice enim est, *dedit ad cor eorum*, quod hæc omnia complecti potest. Et alibi aliis verbis dicitur, *reliquisse* hominem *in manu consilii sui*. Indaget ergo homo, quamdiu et quantum volet; non tamen obtinebit, ut *inveniat opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem*[2] — id est, opus undequaque perfectum, seu rem omnibus numeris absolutam, quod nos dicimus, *a capite usque ad calcem*: Plautus et Cicero [3], *ab unguiculo ad capillum summum*, q. d. Non reperiet quidquam, cui tamquam rei perfectæ et stabili, possit animus adfigi et inhærere.

℣. 14. *Omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum* — id est, quæ Deus peculiari providentia et benevolentia confert homini, non spiritualia modo sed et temporalia, quamvis natura sua sint fluxa et caduca; tamen a tam potenti manu, supra vel præter naturam et conditionem suam, accipiunt stabilitatem, constantiam et firmitatem. Sic Christus, Joan. 16, v. 22, dicebat Apostolis: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. Sic, Job 36, v. 7, *Reges* justos *in solio collocat in perpetuum*. Idem dici potest de divitiis, honoribus, pace, tranquillitate, si quando ea Deus amicis suis ad vitam jucunde transigendam subinde largiri decrevit. Huic enim divino decreto nihil humana seu diligentia seu malitia vel addi potest vel detrahi, ut hic dicitur.

℣. 15. *Quod* semel *factum*, seu decretum, *est* a Deo, quantumcumque ab antiquo, adhuc tamen *permanet*, et fiet suo tempore: et omnia *quæ* adhuc *futura sunt, jam* sic decreta *fuerunt* ab æterno. Semper intelligendo de *donis Dei*, de quibus solis hic agitur. Et hunc suum sanctæ et immutabilis providentiæ pristinum morem atque tenorem quotidie *instaurat*, et semper servat Deus, ita Neocæsariensis, Hugo Victorinus, Campensis, Cajetanus, Pineda.

(1) " Vers. 6. *Perdendi*, idest expendendi *Abjiciendi*, scilicet ut solet in tempestate. *Scindendi*, idest lacerandi vestes ut fit in luctu. Sa. "

(2) Eccli. 15, v, 14, et seq., et Sap. 1, v. 12.

(3) Plautus in Epid. act. 5, scena 1; Cicero pro Roscio.

17. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis.

19. Idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati:

20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.

21. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?

22. Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

℣. 17. *Tunc*, nempe in judicio divino, *erit tempus omnis rei* [ex æquo et justo dijudicandæ et remunerandæ, q. d. Præjudicent homines quantum possunt et lubet, non effugiet tamen quidquam supremi judicis justissimum examen.

℣. 18. *Ut probaret eos Deus* — Hebraice, *ad seligere*; LXX, *ut discernat*, q. d. Si nulla esset hominibus exspectatio judicii sinceri divini, et futurorum bonorum, nihil differrent a jumentis in ratione et conditione naturæ. Sed judicium divinum probabit contrarium. Monet ergo Ecclesiastes, ut animum a terrenis, præsentibus et visibilibus avocemus, et ad futura, ad cælestia, ad divina transferamus, ita fere Olympiodorus, Lyranus, Bonav. et auctor Catenæ Græcæ.

℣. 19. *Idcirco*, quia similes corpore sunt bestiis, *unus* idemque *interitus est hominis et jumentorum*. Quod ad corpus enim attinet, neutri melioris sunt conditionis: pari modo dolent, ægrotant, cadunt, algent, æstuant, esuriunt, sitiunt, spirant, vivunt, moriuntur. *Et omnia pergunt ad unum locum*, nempe quoad corpus *in terram*, ut sequitur, *ex* qua *facta sunt* — Unde patet, nullam hic mentionem fieri *animæ rationalis*, quia hæc *facta* non est *de terra:* ita S. Hieronymus, Bonaventura, Albinus et fere Latini, contra plerosque Græcos, D. Thomam et S. Gregorium [1], qui putant Salomonem hic loqui ex mente et verbis atheorum.

℣. 21. *Quis novit*, nempe notitia sensuum, seu experimentali, an *spiritus filiorum Adam*, seu hominum, *ascendat sursum*, id est, superstes maneat, et immortalis: *et spiritus jumentorum descendat deorsum* — id est, penitus cum corpore dissolvatur et intereat: ita Hugo Victorinus et Pineda. Qui contra Cajetanum, Scotum [2], Vatablum, Campensem, Ferum et Julium Scaligerum [3] bene probat cum S. Jo. Chrysostomo et Suarez [4], ratione naturali certo convinci ac demonstrari posse, animam hominis esse immortalem. Neque hoc Salomon hic negare, patet ex vers. 17 supra citato et aliis [5] locis hujus libri.

℣. 22. *Nihil melius quam lætari hominem in opere suo* — Simile supra c. 2, v. 24, q. d. Ex bonis corporeis si quid ad beatitudinem aliquam et tranquillitatem animi velis elicere, ne te crucient, vel cor arrodant superfluæ de futuris sollicitudines et inanes curæ: sed nec opprimant corpus nimiæ voluptates, quibus et caro extenuatur, et animus obbrutescit, ut pulcre docet Plutarchus [6]; sed frugaliter simul ac liberaliter utere jam partis, et tibi primum, deín et proximo tuo cum lætitia benefacias. Et quæ sic impenderis, scias esse partem et portionem hereditariam tuam: nam quibus non uteris, non tua, sed tuorum heredum pars erit.

Quis enim hominem *adducet* ad eam notitiam, *ut post se futura cognoscat?* nempe qualem sit habiturus heredem, an sapientem, an stultum; an prodigum, an frugi: ita S. Hieronymus, Lyranus, Dionysius, Arbor., Victor., et editio Arab.

(1) S. Th. 1 p., q. 75, a. 6 ad 1; Greg. lib. 4 Dial., c. 4.
(2) Scot. 4, dist. 43, q. 2.
(3) De Subtilit. exercit. 307, cap. 4.
(4) Chrys. ho. 4, de provid. Suarez in Metaph.
(5) Eccl. 11, v. 9, c. 12, v. 7, et v. 14.
(6) Lib. de Epicuri decretis.

CAPUT IV.

Pergit demonstrare rerum humanarum vanitatem, maxime in honorum et primatus ambitione, in qua multa sunt quæ tranquillitatem animi perturbant, puta calumniæ egenorum, tyrannis potentiorum, aliorum invidia, infida amicitia, et id genus alia: quibus medetur divinæ providentiæ timor, et religiosus cultus cum precibus ad Deum.

1. Verti me ad alia, et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2. Et laudavi magis mortuos, quam viventes:

3. Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi: et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.

5. Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens:

6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, [1] et afflictione animi.

7. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole:

8. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.

9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ:

10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur; væ soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.

℣. 3. *Feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est* — Quomodo id verum sit, et an præoptare liceat, vide Job 3, v. 2 et D. Thomam [2] et Scholasticos.

℣. 4. *Cura superflua* — Hebraice, *afflictio spiritus*, q. d. Nihil tam præclarum, tam splendidum, quod non pariat auctori invidiam. Unde Themistocles [3]: *Sicut cantharides*, inquit, *tritico maxime vegeto, et floribus virentibus innascuntur, sic invidia maxime illustres invadit.* Et Periander [4]: *Morbum amicitiæ* esse dixit *invidiam.* Unde Cleobulus [5] *duo* monebat *cavenda, amicorum invidiam, inimicorum insidias.* Sed major adhuc est stultorum vanitas.

℣. 5. *Stultus complicat manus suas*, dans se sordidæ inertiæ, ne pateat aliorum invidiæ: *et comedit carnes suas* — conficiendo se extrema fame et inopia, et melancholia, vel etiam invidia alieni boni. Solent enim pigri suis omnibus absumptis, non solum inopia et mœrore contabescere, sed etiam aliorum divitum fortunis et prosperis successibus invidere, etiam cum maximo detrimento salutis propriæ, tum corporalis, tum spiritualis: ita Salonius. Accedit, quod fere nemo divitum compati velit otioso et desidi, et ne vel buccella subinde donare, ut dicitur Prov. 20, v. 4. Unde nihil illi reliquum quam *ut comedat carnes suas.*

℣. 9. *Melius est ergo duos esse simul, quam unum* — Per *unum* intelligitur solitarius natura, opibus abundans, sed avarus, de quo vers. præced. Suadet huic Sapiens, ut pro filio, vel fratre, quibus caret, adsciscat sibi socios, et *amicos faciat de mammona iniquitatis* [6]. Idque propter varia *emolumenta* et ingentia commoda, quorum aliqua mox subnectit. Cum hac sententia congruit Hebræum

(1) " Vers. 6. *Et afflictione animi.* Hebr. *cogitatione* seu *libidine animi.* "
(2) S. Tho. 1. 2. q. 83, art. 1. (3) Apud. Plutarch.
(4) Apud Stobeum serm. de invidia.
(5) Apud Max. ser. 54.
(6) Luc. 16, v. 9.

11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo: unus quomodo calefiet?

12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur.

13. Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum.

14. Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: et alius natus in regno, inopia consumatur.

15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum: et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo; sed et hoc vanitas et afflictio spiritus.

17. Custodi pedem tuum ingre-

adagium, *Unus vir, nullus vir. Aut societas, aut mors.* Et Alciati emblema [1]: *Si unus; aut juvenis, et deest prudentia: aut senex, nec erunt vires: junge utrumque, et sapies.*

℣. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur* — q. d. Filum per se tenue, facile rumpitur, sed plura simul juncta, non facile. Sic si plures tibi amicos conciliaris, eris facile resistendo cuivis violentiæ: eris et offendendo et perrumpendo, instar cunei bene uniti. Simili fere symbolo Scilurus apud Plutarchum [2] docebat filios suos invictam concordiæ vim fasciculo telorum, quæ singula facillime, juncta simul frangi nullo modo poterant. Sic Poetæ fingebant *Charites* seu *Gratias* numero ternario, quod paucioribus amicitia vix coalescere, sapere, foveri et conservari posse videretur. Allegorice, S. Ambrosius et Gregorius [3] id adaptant Ss. Trinitati indissolubili: S. Hieron. [4], tropologice, tribus virtutibus theologicis: S. Bernardus [5] societati virtutum mentis, oris, et operum.

℣. 13. *Rex senex et stultus nescit prævidere in posterum* — nempe pericula et adversos casus qui possint obrepere.

℣. 14. *Quod*, v. g. *quis natus in regno*, post diuturnam et pacificam paternæ hereditatis possessionem, variante subinde fortuna, regno exturbetur, et *inopia consumatur* — Tales tibi suggerent plurimos Plutarchus, Ammianus, Valerius Maximus, Tacitus, Florus, Polybius, Ausonius, Tzetzius, Bisciola et Scribanius [6].

℣. 15. *Vidi cunctos cum adolescente secundo* — q. d. Etsi rex senex non extrudatur regno, tamen aliud patitur non raro probri genus, quod sentiat populares suos omnes a se dilabi, et ad principis adolescentioris, successuri in regnum, gratiam captandam, tamquam ad orientem solem converti. Id certe viderat Salomon in Absalomo, et Adonia, tempore Davidis. Forsan et in suo Roboamo idem jam sentiebat, *luxuria et idololatria sua factus abominabilis populo suo; et contemptui etiam servis suis*, inquit S. Thomas [7].

℣. 16. *Qui fuerunt ante eum* — q. d. Etsi omnes qui tum vivunt in regno, applaudant, adhæreant juniori illi principi, et deserto contemptoque patre delicientur cum filio, id tamen non est futurum perpetuum, subinde nec diuturnum. Nam lapsu temporis suborta nescio unde simultate vel morbo, vel morte illius principis, non conceditur ultra ex eo *lætitia* iis *qui* tum *futuri sunt*. Et subinde coguntur tunc non sine pudore redire ad seniorem principem suum quem deseruerant; ut in Absalomi et Adoniæ asseclis contigit.

℣. 17. *Ingrediens domum Dei*, seu templum, *custodi pedem tuum*, q. d. Cave ne sinistro eo contendas, sed dextro pede, id est, non alio fine aut affectu, quam audiendi verbum Dei, ejusque legi, quæ ibidem explicatur, obediendi. Nam si vel ex curiositate, vel ex hypocrisi, vel ut sanctior videaris, vel etiam ut sacrificium offeras solo externo ritu, neglecta devotione interna, et cura obsequendi mandatis Dei, ingrediaris; non tu sapiens

(1) Embl. 41. (2) In Apophteg.
(3) Amb. l. 4, epist. 17; Gregor. 13; Moral. c. 12.
(4) Hic.
(5) Serm. 16 in Cant. et serm. de Annuntiat.
(6) Plutarch. in Paral. et Apophteg.; Ammian. lib. 14; Valer. lib. 2, cap. 7, et lib. 6, cap. 9; Tacitus lib. 6, Annal.; Flor. lib. 2, c. 19; Polyb. lib. 8, hist.; Auson. epigram. 8, et in ludo septem Sapientum in Solone; Tzetzes in sua historia chil. 4; Læl. Biciol. lib. 1 Horar. subsec. cap. 1; Car. Scrib. in Amore div.
(7) Lib. 3, Regim. princ., cap. 8.

diens domum Dei, et appropinqua ut audias. [1] Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

eris, sed e stultis unus, *qui nesciunt*, sed neque curant, *quid faciunt* — sive bonum sit, sive malum, sive gratum, sive ingratum Deo: nec reflectunt, eos qui sceleribus suis inhærent, et sic litant Deo, non colere, sed ridere Deum, et odio atque abominationi [2] esse Deo: ita Chaldæus, et alii quos citat Aben-Esra.

(1) 1 Reg. 15, vers. 22; Osee 6, vers. 6.

(2) Prov. 15, vv. 9, 21, 26, et Eccli. 34, vv. 23, 24; Isaiæ 1, vv. 11, 12, 13; Jer. 6, v. 20; Amos 5, v. 22.

CAPUT V.

Quatuor alia vera religionis capita inculcat, nempe prudenter orandum, vota statim solvenda, Dei providentiam submisse colendam, carnis rebelles impetus comprimendos. Interserit quædam de angelis et vanis insomniis. Suadet, vitata avaritia, frugalem et jucundum divitiarum usum.

1. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.

2. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia.

3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde:

4. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.

5. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri: tu vero Deum time.

℣. 1. *Ne temere* — LXX, *ne festinanter*, cum perturbatione aut præcipitatione, sine debita gravitate et maturitate. Sed neque *velociter*, impræmeditate, præpropere ad Deum preces effundas.

Deus enim in cælo est tamquam in specula, unde facile te orantem videt et audit, *et tu super terram* quasi super theatrum, oculis et auribus divinis plane patens.

Idcirco sint pauci sermones tui — id est, non opus est multis, prolixis, aut compositis verbis, utpote apud scientem et videntem omnia, et ipsa quoque nuda cordis desideria penetrantem: ita Olympiodorus, Gregorius Nyssenus, S. Augustinus et alii. Similia monet et Christus Matth. 6, v. 7, et etiam Gentilis Seneca, Persius et Martialis [1]. Non ergo prohibet hic prolixiores preces quæ ex ingenti affectu promanant (nam et Christus [2] erat pernoctans in oratione): sed inane *multiloquium*, et superfluam verborum profusionem, quam Græci ab inepto Poeta *Batto*, voces sine sensu inaniter repetente, *Battologiam* vocarunt, quæ, ut definit Gregorius Nyssenus [3], est *linguæ volubilitas et vanus sermo: aut melius, mentis effervescentia, atque effutitio; deliramenta et nugæ.*

℣. 5. *Ne dederis os tuum*, id est, ne umquam os aperias ad temere, impræmeditate, imprudenter loquendum, atque omnium minime ad aliquid sic effutiendum quo velis emissum a te votum (de quo versibus præcedentibus) male excusare, subterfugere vel violare. Idque metu ne *peccare facias carnem tuam*, id est, teipsum, q. d. Ne sic loquendo, te novo peccato obstringas, et consequenter, te

(1) Seneca de Benef. lib. 2, cap. 1; Persius satyra 2; Martial. lib. 1, epigr. 33.

(2) Luc. 6, v. 12.
(3) Orat. 1, de Orat. Dom.

7. Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii,

8. Et insuper universæ terræ rex imperat servienti.

9. [1] Avarus non implebitur pecunia: et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: et hoc ergo vanitas.

10. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

11. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.

12. [2] Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui.

13. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium, qui in summa egestate erit.

14. [3] Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ co-

novi supplicii reum constituas, peccatum peccato superaddendo: ita Vatablus, Campensis et Isidorus. Ac nominatim, *ne dicas coram angelo*, nempe *Custode* tuo, ut est in antiquis Bibliis Venetis. Vel, ut alii, coram quocumque demum angelo, qui vota tua nuper emissa detulit in conspectum Dei [4], de quo Ezechiel c. 9, v. 2. Vel *coram angelo*, id est, coram sacerdote, qui Malachiæ 2, v. 7, *angelus Domini exercituum* vocatur: ita Lyranus, Dionysius et Pineda. Coram hoc *angelo* cave dixeris, *Non est providentia* — id est, non sat provide, nec deliberate, sed per errorem et imprudentiam [5] vovi. Hebraice, *quia ignorantia est*, LXX, Aquila, Vatablus et Mercerus, *spontaneum non est*, q. d. Ne te vane excuses, excusatione non sincera, vel legitima, nam ut homines fallas, non falles Deum, qui violati voti justus vindex aderit, et te et tua omnia maledictione [6] sua perdet: ita Olympiodorus, Campensis, Isidorus, Clarius, et Pineda. Quidam tamen, quos citat Olympiodorus, id exponunt de divina providentia, q. d. Ne dicas, Deum non curare res humanas, ac proinde nec vota tua, nec peccata.

℣. 7. *Non mireris* — Hebraice, *ne obstupescas* subverti justitiam in regno per inferiores judices: id enim in orbe vulgatissimum, et jam pridem notum tum Deo, tum regibus. Graves tamen ob causas tolerantur ejusmodi judices, etiam ad longum subinde tempus, neque tamen desperes propterea de remedio: cum sint altiora tribunalia, ad quæ provocare vel appellare liceat. Quod si nec ab his quidem extorqueri possit justitia, recursus semper patet ad *Regem* regum, cui subjecta *servit universa terra*, qui sine ullo dubio justam feret sententiam, sed suo tempore: ita S. Hieronymus, Bonaventura, Albinus, Lyranus, Hugo et recentiores.

℣. 12. *Divitiæ conservatæ in malum domini sui* — Ob illas enim affligitur animo, dum timet amittere vel imminuere: cruciatur curis, dum servandis augendisque incumbit. Vexatur litibus, inquit Hieronymus; raptorum et grassatorum insidiis, Olympiodorus: mortem incurrit non raro, seu a domesticis, seu a latronibus, seu a judicibus, inquiunt Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Titelmannus. Et *sexcentæ* sunt illi *malorum occasiones*, inquit Gregorius Thaumaturgus.

℣. 13. *Pereunt in*, seu cum, *afflictione pessima* possessoris sui; adeo ut etiam filius ejus, et alii qui sperarant se fore heredes, extrema penuria et *egestate* dispereant.

℣. 16. *Comedit* avarus *in tenebris* —

(1) « Vers. 9. *Avarus non implebitur*. Multa hic et reliquo capite de malo et bono usu divitiarum: ac demum vers. 19, concludit ex bono divitiarum usu hoc etiam provenire, ut homo vitæ suæ tædia ferat facilius. Cordon. »

(2) Job 20, v. 20
(3) Job 1, v. 21, 1; Tim. 6, v. 7.
(4) Tob. 12, vers. 12.
(5) Lev. 4, vers. 2, et Num. 15, vers. 25.
(6) Lev. 26, vv. 16, 17, 18; Deut. 28, vv. 15, 16, etc.

medit in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia.

17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: et hæc est pars illius.

18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et lætetur de labore suo: hoc est donum Dei.

19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.

id est, clam, secreto, solitarie, q. d. Tam parce, tam sordide victitat, ut non audeat palam, et coram aliis cibum sumere, sed furtive, et, ut dici solet, e manu comedit: tantum abest splendida convivia instituat, et opes cum amicis partiatur; ita Chaldæus, Bonaventura et Titelmannus. Alii, *in tenebris*, id est, misere, in luctu, in mœrore, sine lætitia, etc.

℣. 17. *Fruatur lætitia* — De hoc et seq. vers. vide supra cap. 2, v. 24.

℣. 19. *Non enim satis recordabitur dierum* miserorum *vitæ suæ*. Loquitur de liberali divite, cui ex Dei dono obtingit, quod honeste fruatur opibus suis, *et cor ejus occupetur deliciis* — id est, amœnis et jucundis cogitationibus ac studiis, non vero anxiis curis et tristibus phantasiis avarorum. Unde non torquet se, neque valde cogitat de vita sua, vitæque variis casibus ac periculis, seu transactis, seu imminentibus: sed libero solutoque animo conquiescit in divina providentia, studetque illi uni placere: ita fere Cajetanus, Vatablus, Campensis et Osorius.

CAPUT VI.

Pergit insectari calamitosam avari divitis conditionem et miseriam.

1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines:

2. [1] Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, et miseria magna est.

3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus.

4. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus.

5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali:

6. Etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus

℣. 3. *Anima illius non utatur bonis substantiæ suæ* — Hæc prima res est, in qua longævi et divitis avari conditio deterior est abortivo, quia abortivus non potuit uti quibus caruit; sed avarus non caruit bonis, nec tamen usus est. Secundo, *sepultura caret* abortivus, nempe splendida et honorifica: sed hanc nec mereri, nec procurare sibi potuit: potuit avarus et debuit, more gentis suæ, et neglexit. Quod cum extremæ ignominiæ fuerit apud Hebræos, Romanos, et plerasque alias nationes, et illa pœna multari soliti sint soli facinorosi, patriæ vel parentibus rebelles, vel qui sibi violentas manus intulissent, ut Diodorus, Petrus Faber, Marcellus, Neracius, Hegesippus et Casellius [2] testantur, conse-

(1) " Vers. 2. *Vir cui dedit Deus divitias.* Rursus ad divitias, neque exagitare cessat radicem omnium malorum avaritiam, *quam quidam appetentes*, teste Paulo I. ad Tim. VI, 10, *erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis;* quæ Salomon fuse commemorat. Bossuet. „

(2) Diodor. lib. 2; Petr. Faber lib. 2 Semestr., cap. 9; Marcellus in lib. 35 ff. de Rel. et sumptib., Neracius in lib. *Liberorum*, ff. de his qui notantur infamiæ; Hegesippus lib. de Excidio Jeros., c. 17; Casellius lib. 2 Variarum, cap. 3.

bonis: nonne ad unum locum properant omnia?

7. Omnis labor hominis in ore ejus: sed anima ejus non implebitur.

8. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?

9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias; sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus.

10. [1] Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus: et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in judicio contendere.

11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

quens est, divitem avarum, dum sui sepulcri curam sordide negligit, seipsum extremæ improbitatis, et scelerum jam dictorum ultro damnare. Tertio, abortivus *frustra venit*, id est, suo fine caret, sed simul eximitur omnibus miseriis: avarus vero et frustra natus est, et miseriis maximis seipsum involvit. Quarto, abortivus *non videt solem, et necdum natus pergit ad tenebras* mortis: neque aliud potuit; potuit avarus jucunda vitæ et lucis usura frui: maluit in tenebris marcescere, de quibus c. 5, v. 16. Quinto, *oblivione delebitur nomen* abortivi: sed nec nomen habuit, nec potuit præclaris factis inclarescere, potuit avarus, et noluit. Sexto, *non cognovit distantiam boni et mali*, id est, caruit molestiis et doloribus abortivus, neque expertus est quantum boni sit in una re, quantum mali in alia; sed avarus mille ærumnis et cruciatibus se ipse conficit. Septimo, abortivus vix pauculis horis vel diebus aliquid incommodi subiit, fere sine sensu: avarus *multos annos, et plures dies ætatis* miserrimus vixit, *et si duobus millibus annis vixerit*, totidem quoque annis miser et ærumnosus vivet. Octavo, abortivus vix nomen filii meretur, vix hominis nomen: avarus *centum liberorum* pater, nihil voluptatis hausit ex ipsis, nihil utilitatis derivavit in ipsos. Nono, *ad unum locum properat* uterque: nempe mortis, sepulcri et inferni, seu *gehennæ*, inquit Chaldæus: sed abortivus nulla sua culpa, nullo scelere gravis, nullis pœnis torquendus; avarus plurimis, gravissimis, æternis.

℣. 7. *Omnis labor hominis*, nempe talis avari divitis, versatur *in ore ejus*, id est, ut victui sibi parando studeat, subaudi et vestitui et ceteris vitæ fovendæ necessariis, nil aliud cogitat, nil aliud loquitur, nil aliud curat. Interim *anima ejus non implebitur*, id est, seipsum numquam satiat, victu quotidiano se defraudans, genio numquam indulgens, fame sese enecans. Id S. Hieronymus et Gregorius Tropologice, accommodant iis qui solum student eleganter dicere, sed anima jejuna manent.

℣. 8. *Quid habet amplius pauper sapiens*, præ divite *stulto* avaro, *nisi ut pergat illuc ubi est vita?* — id est, nisi ut laboret victui parando, quo vitam suam sustentet, et jucunde et hilariter foveat? Quod etsi laborando manibus, vel etiam mendicando facere cogatur, eo tamen felicior ac beatior est divite avaro: quod pauper saltem labore partis utatur jucunde, sibique inde benefaciat: dives avarus laboret perpetuo, et quantumvis abundet, non tamen utatur, sed etiam quotidiano dimenso sese defraudet.

℣. 10. *Qui*, pro quicumque, *futurus est*, quantumcumque dives et præsumptuosus, *jam vocatum est nomen ejus*, nempe *Adam* [2] ab *adamah* [3], id est, pulveritius, seu ex pulvere rubro compactus, q. d. Ex tunc scitur futurum terrenum, et mox iterum morte resolvendum in terram. Et quantascumque congerat opes, quantamcumque potentiam; certum tamen quod nil poterit *contra fortiorem se* — id est, contra Deum, supremum omnium dominum, invictum regem, incorruptum judicem qui nullis muneribus corrumpi, nullis blanditiis deliniri, nullis fraudibus falli potest.

℣. 11. *Verba sunt plurima*, quibus possit quis cum Deo contendere, inquit Clarius et Campensis sed frustra et in *vanum* erit illi ejusmodi *disputatio*, et nihil profutura obmurmuratio. Vatablus, possent multa alia verba, et argumenta, etiam Philosophorum, in eamdem rem proferri, sed quæ nihil prodessent, quam ad augendam vanitatem rei sane vanissimæ, nempe sordidæ et stultæ avaritiæ.

(1) 1 Reg. 13, vers. 14, et 3 Reg. 13, vers. 2.

(2) אדם. (3) אדמה.

CAPUT VII.

Brevitatem vitæ humanæ inculcat: quæ bona sectanda, ac præ aliis seligenda docet: denique ad bonam ac felicem mortem disponit.

1. Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit?

2. [1] Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa: et dies mortis die nativitatis.

3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

4. Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

5. Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.

6. [2] Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi;

7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed et hoc vanitas.

8. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius.

9. Melior est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante.

10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

11. Ne dicas: Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.

℣. 1. *Majora se quærere,* id est, ampliora, magnificentiora et plura, quam pro hominis statu vel indigentia: ita Olympiodorus. His studendum non esse probat, primo, ex eo quod homo ignoret, an quæ appetit, vere sibi conducibilia sint. Secundo, quod brevissimum vitæ nostræ tempus expediat impendere non futuris, incertis, superfluis vel alienis, sed propriis, utilibus, certis ac præsentibus, ut etiam Gentilis Seneca [3] prudenter monet. Tertio, quia incertum, *quid post* se *futurum sub sole* — seu quibus usibus servitura sint ea quæ tanto studio paras, forsan exitio tibi tuisque futura, ut dixit cap. 5, v. 12.

℣. 2. *Melius est dies mortis die nativitatis* — Quia cum nascimur, ingredimur carcerem corporis, stadium miseriarum, myriadem periculorum, laborum, dolorum: cum vero morimur, evadimus hæc omnia pleni meritis, pleni virtutibus, æternitatis jam et beatitudinis candidati. Unde funebres laudationes in morte, non apud Hebræos modo, sed et Romanos [4] et Christianos: ita S. Jo. Chrysostomus, et Olympiodorus.

℣. 4. *Melior est ira risu* — id est, melius est irasci et indignari male agentibus, quam arridere. Sermo enim hic est de solo risu malo.

℣. 5. *Cor sapientium ubi tristitia* — id est, propendet, et gaudet sapiens reprehendi de erratis et corripi, etiam tristi et gravi vultu, et asperioribus verbis. Stultus non delectatur nisi lætis et blandis adulantium verbis ac vultibus. Patet ex versu sequenti.

℣. 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla,* quæ tantum crepant, nec diuturnam flammam subministrant, sed copiosum fumum; nec carnes coquunt, sed oculos et aures offendunt adstantium; *sic risus stulti* — puta adulatoris; de quo pulcre sanctus Hieronymus, Dio, et Persius [5].

(1) Prov. 22, vers. 1.

(2) " Vers. 6. *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Hebr. *Melius est corripi præ viro audiente canticum* (id est blanditias), *stultorum.* Mariana. „

(3) De Brevit. vitæ, c. 15, 16, 17.

(4) Polybius lib. 6; Dionysius lib. 5; Plutarchus in Valerio; Plin. Junior. l. 2, epist. 1.

(5) Hier. epist. ad Rusticum; Dio orat. 31 Rhodiaca; Persius Satyra 1.

12. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem.

13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.

15. In die bona fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.

17. Noli esse justus multum: neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.

18. Ne impie agas multum: et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19. Bonum est te sustentare ju-

℣. 13. *Eruditio et sapientia vitam tribuunt possessori suo* — nempe spirituales animi opes atque delicias, et veram, solidam, æternam felicitatem. Hæc enim omnia nomine *vitæ* designantur in Scripturis. Simile habes Proverb. 3, v. 16.

℣. 14. *Considera;* Symmachus et Hieronymus, *disce*, quædam esse *opera Dei*, quæ homo sua sapientia vel viribus mutare vel corrigere non potest: sed ad ea corrigenda opus est recursu ad Deum, qui solus illis malis mederi potest. Talis vero est, *quem Deus despexit*, seu deseruit; hunc enim *nemo* hominum *corrigere;* hebraice, *reconcinnare*, *potest* — Hoc Chaldæus et S. Hieronymus accipit de *defectibus naturalibus*, et citant pro exemplo *cæcum et claudum*. Sed potest cum Theologis etiam extendi ad defectus spirituales excæcatorum et obduratorum in malo, quos Deus *despicere* [1] ac *deserere* dicitur, non omnino et ex toto (nam numquam negat eis sufficientia auxilia ad resipiscendum) sed ex parte, et respectu aliorum quibus longe plura, nobiliora et efficaciora subsidia largitur. Hos tales, quamdiu tales sunt, nullus hominum ulla arte, ingenio, labore corrigere potest: potest tamen Deus; q. d. Noli ergo solis humanis remediis frustra adhibendis te fatigare, sed ad Deum recurre, illi supplica, illi commenda: ita S. Gregorius et plerique Scholastici [2]. Interim

℣. 15. *Malam diem præcave*, id est, tempestive dispice qua ratione possis tempus quod instat ærumnosum vel evadere, vel commodissime transigere. Voluit enim Deus alternis, nunc prosperitate, nunc adversitate, hominem in hac vita perpetuo excercere, cum alias ob causas, tum *ut non inveniat homo contra eum justas querimonias* — id est, ne queri possit seu justus, seu injustus, de perpetuo aliquo et constanti rerum statu, qui et fatigationem et nauseam, et contemptum parere solet: ita Symmachus, Hieronymus, Vatablus et Cajetanus.

℣. 17. *Noli esse justus multum* — id est, nimium; nempe in expostulando cum divina providentia, et in tua justitia, vel aliorum justorum acrius vindicanda. Noli item *nimium sapere* in his perscrutandis v. g. Cur tam citus, tam subitus, tam severus ultor erratorum justi etiam levium: ad scelerum vero gravissimorum hominis injusti ultionem tam serus, tam lentus, tam mitis? ut dixerat ℣. præc.: ita fere S. Hieronymus, Olympiodorus et Pineda. Quamquam etiam in genere de *omni justitia* monere liceat, *Noli esse justus nimis*. In punitiva seu correctiva noli esse nimius inquisitor, exactor, censor, vel ultor: sed suus epiikiæ sit locus. In distributiva cave, tantopere metuas conferre indigno præmia, ut deneges etiam digno. In commutativa, ne sic alterius lucro studeas, ut tibi vel tuæ familiæ damnum crees. Pulcre hæc exequitur S. Hieronymus, et Salonius, et Fernandus Carthaginensis Diaconus et Franciscus Valesius [3]. Qui in genere omnem virtutem in medio consistere, vitium in nimio esse docent.

℣. 19. *Sed et ab illo*, nempe stulto, vel impio, *ne subtrahas manum* — sed juva

(1) Vide dicta Gen. 45.
(2) S. Greg. lib. 11 Moral., cap. 5; Scholast. de Gratia.
(3) Fern. Diac. regula 6 sui parænetici ad Regin.; Vales. Sac. Phil., c. 66.

stum, sed et ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.

21. [1] Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.

22. Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias servum tuum maledicentem tibi;

23. Scit enim conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis.

24. Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: et ipsa longius recessit a me.

25. Multo magis quam erat: et alta profunditas, quis inveniet eam?

26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam, et rationem: et ut cognoscerem impietatem stulti, et errorem imprudentium:

27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum et alterum, ut invenirem rationem,

29. Quam adhuc quærit anima

et fove qua potes; q. d. Quibuscumque potes benefac, etiam improbis, etiam hostibus tuis propter Deum, ut monet sanctus Paulus ad Galatas 6, *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei:* ita S. Hieronymus, Bonaventura, Lyranus et fere Latini.

℣. 20. *Sapientia confortavit,* seu fortem et præstantem tum consilio, tum rerum externarum administratione reddidit, *sapientem super decem principes civitatis* — id est, præ toto magistratu, qui forte constabat decem principibus apud Hebræos, ut colligi videtur ex c. 4 libri Ruth, ubi Booz convocat *decem viros* judices *de senioribus civitatis*, ut Fevardentius ibidem et Hugo exponunt. Licet Josephus et Sigonius [2] nonnisi septenos in singulis urbibus principes agnoscant, de quo vide Bertramum [3]. Et hæc tanta utilitas quæ ex sapiente uno obvenit reipublicæ, causa est, cur jubeat hic Salomon v. 19 singulari ope foveri et sustentari sapientes. Neque huic officere debet, quod sapiens interdum cespitet, labatur et peccet, cum ex omni hominum, etiam justissimorum, numero

℣. 21. nemo sit *in terra, qui faciat* ita *bonum*, ut *non* aliquando *peccet* et desipiat, et labatur, saltem in levioribus. Apage vero hinc stultam Lutheri, Calvini et Melanchthonis conclusionem, nullum esse opus justorum quod non sit peccatum, et quidem mortale. Quod Salomoni numquam in mentem venit, ut ex verbis patet, et optime demonstrat Bellarminus [4] et alii Doctores.

℣. 24. *Cuncta tentavi in sapientia* — id est, quæcumque potui, tentavi sensu et experientia probare, ut non speculative solum, sed et practice scirem, quid boni et commodi, quid mali et molestiæ in quaque re inesset, ut sic complete et perfecte *sapiens* redderer, et sapientissimus mortalium efficerer. Sed falsus fui: nam *ipsa* sapientia per illa experimenta rerum sensibilium, et consuetudinem atque assiduitatem voluptatum, non solum non aucta fuit, sed etiam imminuta, obscurata et hebetata, maxime per usum feminarum, quo quasi obbrutescit animus. Hinc factum, ut longius a me fugeret sapientia, seseque magis mihi occultaret, quasi in altissimis ac profundissimis latebris.

℣. 28. *Ecce* post multum inquirendi laborem, tandem *hoc inveni*, seu reipsa certissimum esse comperi, nempe *unum*, quod jamjam dixi de captionibus, tendiculis et illecebris feminarum: *et alterum*, quod mox dicam, nimirum, multo difficiliorem esse inventu probram et prudentem *feminam*, quam *virum:* nam ex millenis ne quidem unam reperi. Forte alludit ad 700 uxores, et 300 concubinas suas, quas lepide perstringit. Sed *rationem* tantæ infirmitatis, tantæque paucitatis prudentium feminarum, etsi dili-

(1) 3 Reg. 8, vers. 46; 2 Par. 6, vers. 36; Prov. 20, vers. 9; 1 Joan. 1, vers. 8.
(2) De Hebr. rep. l. 7, c. 7.
(3) De politia Judaica, c. 7.
(4) Lib. 4 de Justificatione.

mea, et non inveni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

30. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? et quis cognovit solutionem verbi?

gentissime quæsierim, hucusque *non* dum *inveni:* ita S. Hieronymus, Chrysostomus et auctor Imperfecti [1].

℣. 30. *Solum hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum* — id est, integrum, perfectum tam quoad animam, quam quoad corpus, de qua rectitudine dixi Gen. 3, v. 7, q. d. *Deus* non est auctor tanti mali, sed *homo ipse,* qui cum *rectus* esset, expers omnium *quæstionum,* seu jurgiorum, pugnarum, seditionum, rebellionum intus et foris, ultro sese implicuit infinitis talibus quæstionibus, ut nil jam in eo purum pacatumque reperire sit, sed omnia confusa, perturbata et corrupta.

Quis talis ut sapiens est? — Id est, quis sapiens est (ut Chaldæus vertit), q. d. Utinam quis reperiatur tam sapiens, qui *verbi,* seu quæstionis a me jam propositæ, de ratione tantæ paucitatis prudentium feminarum, aptiorem *solutionem* norit et in medium proferat? ita fere S. Hieronymus et Albinus.

(1) Chrysost. homil. 32; Auct. Imperf. hom. 54 in Matth. 2.

CAPUT VIII.

In vultu elucet sapientia: cujus mox laudes prosequitur, et alias proprias notas enumerat: ut et alia quædam minutiorum vanitatum genera, quibus sapientia medetur.

1. Sapientia hominis lucet [1] in vultu ejus, et potentissimus faciem illius commutabit.

2. Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei.

3. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo: quia omne, quod voluerit, faciet:

4. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?

℣. 1. *In vultu,* id est, oris et faciei lineamentis, adeoque universi corporis habitu, *lucet sapientia* — nempe lumine quodam modestiæ, gravitatis, hilaritatis, gratiositatis in vultu, in sermone, in incessu, in omnibus motibus, moribus et operibus. Simile habes Prov. 17, v. 24, et Eccli. 9, v. 26. Comites enim sapientiæ sunt maturitas, modestia, etc.

Potentissimus Deus *faciem illius commutabit* — id est, commutare solet, ut pro variis temporum et rerum necessitatibus varios induat vultus, nunc ridentis et consolantis, nunc flentis et compatientis, nunc objurgantis et corripientis: sed quemcumque vultum induat, semper in eo reluceat sapientia, semper amabilem se præbeat et gratum: ita Dionysius.

℣. 2. *Ego os regis observo* — Loquitur Salomon in persona prudentis ministri aulæ; q. d. Si tuo loco essem, sic me gererem. Vel cum Pagnino et aliis hebraizantibus, subaudi, *Suadeo tibi, moneo te,* nempe *os regis observa,* ut est in Hebræo, Chaldæo et LXX. Id est, totus pendeas ex vultu, verbis et nutu regis tui: et quidquid jnnuerit, exacte compleas omni cura et sollicitudine, ne quid elabatur aut omittatur. Est enim hoc *præceptum Dei,* quod juramento regi tuo præstito spopondisti te completurum: ita Cajetanus, Isidorus, Campensis, Victorinus ex S. Hieronymo. Qui tamen putat, per regem hic posse etiam Deum intelligi, regum omnium Regem, e cujus nutu et præceptis juramento confirmatis, omnes pendemus.

(1) Supra 2, vers. 14.

5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit.

6. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio :

7. Quia ignorat præterita, et futura nullo scire potest nuntio.

8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere, ingruente bello : neque salvabit impietas impium.

9. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

10. Vidi impios sepultos : qui etiam, cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum ; sed et hoc vanitas est.

11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.

14. Est et alia vanitas, quæ fit super terram : [1] sunt justi, quibus

℣. 5. *Tempus et responsionem,* id est, tempus respondendi, itemque modum et substantiam responsionis, *intelligit cor sapientis* — nempe quando vel subito rogatur et consulitur, vel ratio reddenda est gestorum vel gerendorum. Nam, ut sequitur,

℣. 6. *multa est hominis afflictio,* seu molestia et labor in captanda opportunitate agendi cum principe, et optima ac saluberrima responsione deligenda : idque propter *ignorationem* multorum *præteritorum et futurorum.* Quæ si certo cognoscerentur, sæpe consilia et responsa mutaremus.

℣. 8. *Non* potest homo *prohibere spiritum* — nempe vitalem, ne exeat e corpore, ut habet Chaldæus, Hieronymus, Vatablus et posteriores. Et patet ex sequentibus.

Nec finitur quiescere, ingruente bello — id est, nemo dimittitur, nemo emittitur e castris, instante conflictu : necesse est in prælio vel vincere, vel mori. Porro hostis hic est *mors,* inquit Hieronymus, Isidorus, Campensis et Titelmannus, secundum illud Jobi 18 : *Calcet super eum, quasi rex, interitus.* Vel est ipse *diabolus,* qui sub extremum vitæ potissimum

nos oppugnat, ut S. Jo. Chrysostomus, Ephrem, Basilius, Justinus, Eusebius, Gregorius, Sulpitius [2] fuse describunt.

℣. 9. *Interdum dominatur homo homini in malum suum* — nempe *imperantis,* ut Rabbi Salomon, Bonaventura, Lyranus, Dionysius et Guarinus, qui legit *in malum sibi.* Citanturque pro exemplis Pharao, Sennacherib, Nabuchodonosor, Anthiochus, Herodes et alii. Sed Chaldæus, Syriacus et Arabicus textus referunt ad *malum subditorum.* Et ita exponunt Cajetanus, Campensis, Osorius, Thaumaturgus, Olympiod. et fere Græci. Cum enim reges multa gratiæ, multa odiis, multa privatis commodis indulgent, maxima subditis mala creant, ut bene ostendit Guilielmus Berclajus [3] ex Tacito, Claudiano et aliis.

℣. 12. *Ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum* — q. d. Vel ex hoc quoque quod Deus tam lentus est ad puniendum improbos, tam celer ad pios, et iam leviter delinquentes, castigandos, certo colligere possum, longe melius fore piis et justis, maxime in morte et post mortem : quia cum in vita simulatque peccarunt exerciti fuerint variis peccatorum suorum pœnis ac suppliciis, atque aliis

(1) " Vers. 14. *Sunt justi, quibus mala proveniunt.* Pro *mala* multi boni libri scribunt *multa* quod est plurima. Lectionum varietas. "

(2) Chrysost. hom. 54 in Matth. 14, et hom. 2 de Lazaro ; Ephrem cap. 3, serm. in eos qui in Christo obdormierunt ; Justin. in dialog. ad illud Ps. 30, *In manus tuas comm.* ; Euseb. de Demonstr. Evang. l. 10, c. 8 ; Greg. hom. 39 in Evang. ; Sulpit. in Vita S. Martini.

(3) Lib. 1 de Regno.

mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant; sed et hoc vanissimum judico.

15. Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, et biberet, atque gauderet: et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.

16. Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distentionem quæ versatur in terra: est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis.

17. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

ærumnis, nihil vel parum in morte supererit expiandum. Impios vero manent adhuc integra supplicia, ut dicitur 2 Machab. 6, vers. 13, et 1 Petri 4, v. 17.

℣. 16. *Distentio* est quidquid animum distinet et anxia sollicitudine exercet, v. g. curæ rerum temporalium, ait Olympiodorus et Campensis: curiositas cognoscendi incerta et occulta divinæ providentiæ, inquit S. Hieronymus: denique quævis molestia, ut in Hebræo est et LXX.

CAPUT IX.

Varii rerum humanarum eventus, ratione quorum ad Dei potentiam providentiamque recurrendum, eique acquiescendum: de reliquo, honestæ jucunditati, studio sapientiæ, licet vulgo despectæ, et piis operibus sedulo incumbendum.

1. Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem: Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit:

2. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque

℣. 1. *Opera eorum in manu Dei sunt* — id est, in scientia et memoria divina, in qua tamquam in manu vel charta conclusa, occulta tenentur opera justorum, ne cuiquam pateant. Sicut alibi dicitur, *In manibus abscondit lucem* [1]. Cum vero cum homine aliquid communicat, tunc dicitur *aperire manum suam:* ita Hugo, Dionysius, Victorinus, et favet Chaldæus. Ergo quantumcumque quis sit justus,

Tamen nescit, utrum odio an amore dignus sit — nempe certa et infallibili scientia, et quæ excludat omnem formidinem de opposito. Nam talis sine peculiari revelatione non habetur in hac vita; ut definit Concilium Tridentinum [2]. Conjecturalem vero certitudinem ex interno spei robore, et virtutum exercitiis, quæ anxietatem excludat, a justis obtineri posse, pulcre docet S. Cyprianus, Augustinus, Leo Papa, Gregorius, Bernardus et Valentia, Vasquez [3] et alii Doctores. Hebraice est, *etiam amorem, etiam odium nescit homo: omnia ante eos sunt,* ut vertit Pagninus, Cajetanus et Vatablus, pro quo Noster Interpres clarius dixit, *omnia in futurum servantur incerta:* quia quod *ante nos* seu a fronte est, videtur nos exspectare quasi eo adventuros, uti S. Hieronymus in suo commentario, Symmachum secutus, exponit. Nam *in fine* demum *hominis, denudatio* fiet *operum illius,* Eccli. 11.

℣. 2. *Eo quod universa æque eveniant justo et impio* — Rationem dat, licet non prorsus adæquatam, cur nemo ordinaria

(1) Job 36, vers. 32.
(2) Trid. Sess 10, cap. 9 et 16.
(3) Cypr. l. de Immortalitate, et l. advers. Demetrianum; August. in Psalm. 149; Leo serm. 8 de Epiphania; Greg. l. 6 Registri, c. 187; Bern. serm. 69; Valent. 1. 2. disp. 8, q. 4; Vasquez 1. 2. q. 112, a. 6, disp. 201, c. 4.

eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic et peccator: ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat.

3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; unde et corda filiorum hominum implentur malitia, et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducentur.

4. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo.

5. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum.

6. Amor quoque, et odium, et invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, et in opere quod sub sole geritur.

7. Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere [1] vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, et in labore tuo, quo laboras sub sole.

10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

via certus esse potuit de propria justitia, q. d. Si quis de eo certus esse posset, maxime id constaret ex divinis erga eum beneficiis aliisve eventibus, seu prosperis, seu adversis; sed ex his nihil certi colligi potest, utpote quæ tam injustis quam justis communia sunt: ergo. Sic Euripides apud Lucianum conqueritur, nullum esse signum, quo pravi a bonis dignoscantur.

℣. 4. *Melior est canis vivus leone mortuo* — Proverbium est, quo designatur, vitam meliorem esse morte, et vitæ commoditates ad resipiscendum et promerendum anteponi statui mortuorum, in quo nulla amplius facultas seu mutandi consilii, seu proficiendi in melius. Licet ob alia quædam vitæ incommoda, mors subinde præoptari possit, ut dixi Job 3 et hic c. 7, v. 2.

℣. 5. *Mortui nihil noverunt amplius* — nempe ex quo possint aliquid novi emolumenti sibi comparare, vel nova præmia mereri, vel resipiscere aut resilire a malo. Patet ex seqq. Non ergo negatur hic, mortuos scire posse, revelante Deo, vel angelis, ea quæ in terris geruntur, ut fuse probat S. Thomas et alii Theologi [2].

Viventes vero *sciunt*, et perpetuo, si sapiunt, meminisse debent, *se morituros esse* — unde a vitiis et sordibus se continent, ad virtutes se impellunt, nec perituris hisce rebus abduci se sinunt a cura cælestium, præmiis illis et pœnis æternis assiduo exstimulati ad vitam honeste traducendam, et mortem sancte obeundam. Talibus ergo dicit mox Sapiens:

℣. 7. *Comede in lætitia panem tuum* — id est, vive lætus, et fruere concessis tibi bonis.

℣. 8. *Sint vestimenta candida*, id est, festiva et læta et nitida et splendida pro statu tuo.

Et oleo quoque, seu ungendo, more patriæ, ne parcas, ut nitere, et suavi fragrantia redolere possis. De quibus vide Plutarchum, Athenæum, Plinium et Stuckium [3]. Suadet nempe Sapiens hilarem cum pietate vitam, et victum cum moderatione lautum ac liberalem, qui puri et innocentis animi index esse solet. Idem suaserat etiam c. 2, v. 24, et c. 3, v. 22, et alibi sæpius.

℣. 10. *Nec opus*, seu tempus operandi, *nec ratio:* hebraice et græce *æstimatio*, seu computatio; q. d. Apud inferos (quo

(1) " Vers. 9. *Vita.* Chald. *Vita bona.* „

(2) S. Thom. 3 p., q. 10, a. 2, et 2. 2. q. 83, a. 4, et Scholastici ibid.

(3) Plutarch. Symposiacis, l. 3; Athen. lib. 15; Plin. l. 16, c. 1; Stuck. l. 3 Conjugal., c. 16.

11. Verti me ad aliud, et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus.

12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, et probavi maximam:

14. Civitas parva, et pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.

15. Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita?

17. Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.

18. Melior est sapientia, quam arma bellica: et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

tum omnes, etiam justi descendebant), nulla erit occasio quidquam meritorium exercendi: et post subductos et signatos semel in morte calculos, nulla supererit ineunda de novo ratio dati vel accepti, sed solummodo mercedis acceptæ perfruitio, vel debiti exactio et persolutio. Nec *sapientia*, ad bene, industrie, callide aliquid in rem tuam agendum; nec *scientia* seu experientia, ad prudenter tibi consulendum, istic juvabit. Quare dum in vivis adhuc agis, et potes his omnibus tibi pro omni æternitate prospicere, cave negligas, cave differas, cave indormias.

℣. 11. *Tempus, casusque in omnibus* — nempe plurimum valet, puta in omnium hominum genere, mercatorum veloci cursu, militum forti militia, principum divite imperio, magistratuum lucroso studio, artificum necessario opificio. Neque enim optimi vel præstantissimi semper referunt prima præmia, seu honoris seu gratiæ, seu lucri; sed voluit supremus rerum arbiter ea sæpe pendere a variis fortunæ et subitorum eventuum casibus. Idque ut assuescat humanus animus sursum sese ad divinam providentiam attollere, quæ domina est omnis fortunæ, et moderatrix omnium eventuum.

℣. 18. *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet* — q. d. Etsi sapiens toti subinde urbi jam desperatæ salutem afferat: tantaque sit ejus dignitas et æstimatio et efficacia, ut ejus voci quantumcumque leni et moderatæ, silentio et obsequio summo plus deferatur, quam strepitosis clamoribus, minis et imperiis principum ac magistratuum: potest tamen etiam ipse sapiens plurima subinde tum sibi, tum reipublicæ damna causare, si vel semel, seu facto, seu consilio, deflectat tantillum a rectæ rationis vel sapientiæ præceptis.

CAPUT X.

Pergit laudare sapientiam, detestari stultitiam, nominatim ambitiosorum hominum: docet interim non detrahendum magistratibus, neque illorum imperio repugnandum.

1. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia et gloria, parva et ad tempus stultitia.

℣. 1. *Muscæ morientes* sua spurcitia et immunditia *perdunt suavitatem unguenti* cum quo commiscentur. Sic vitium etiam minimum a sapiente admissum, in-

2. Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.

3. Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis:

6. Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.

7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos.

8. [1] Qui fodit foveam, incidet in eam: et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

9. Qui transfert lapides, affligetur in eis: et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

10. Si retusum fuerit ferrum, et

ficit, obscurat, corrumpit bonam famam, nomen et gloriam illius. Hac enim comparatione probare contendit quod in fine præcedentis capitis dixerat, cavendum sapienti ne alicubi impingat. S. August. [2], per muscas hæreticos vult designari, tum propter jam dicta, tum propter improbitatem nesciam repulsæ, aviditatem rei semel degustatæ, morsus acerbitatem, originem immundam, gustum putidum et obscœnum, etc. Sed hoc allegoricum est: litterale quod dixi; nam mox applicat et explicat id Salomon sequenti hemistichio: nempe sicut musca unguentum corrumpit, sic *parva et ad tempus stultitia*, seu error admissus a sapiente, quantumvis levis et brevis, *pretiosior est* omni ipsius *sapientia et gloria*, quantumvis excellenti ante et eximia: id est, in vulgi opinione potior est, pluris æstimatur, majus pondus habet, nam fœdat et commaculat nomen, æstimationem, gloriam omnem illius. Ita construendum patet ex Hebræo, et vertunt Pagninus, Vatablus, Isidorus, Montanus, Cajetanus et Campensis. E quibus patet, quam interdum sit iniquum et præposterum vulgi judicium: et quam serio cavendum etiam a levissimo lapsu.

℣. 2. *Cor sapientis in dextera* [3] *ejus*, id est, mens, attentio, cura, vigilantia semper incumbit dexteræ, id est, ut melioribus intendat, perfectiora semper sectetur, sicut *cor stulti* est *in sinistra illius* — id est, intendit vilioribus et deterioribus rebus; q. d. Sic sapiens obtinebit, ne facile impingat, etiam in re minima. Ceterum non esse hic mentionem de materiali corde corporis, vel inde certum est, quod istud uniformiter omnibus hominibus non in dextera, sed in medio sit thoracis, nonnihil ad lævam vergens, ob rationes quas Aristoteles, Galenus, Avicenna, et ex iis Vesalius, Carolus Stephanus et Andreas Laurentius [4] et alii Anatomici fuse prosequuntur.

℣. 4. *Si spiritus potestatem habentis*; hebraice, *dominantis*, id est, principis vel magistratus, *super te ascenderit*, id est, si eveharis in principem, vel magistratui admovearis, *locum tuum ne dimiseris*, id est, ne pristinam in loquendo, conversando, vivendo modestiam, humilitatem, comitatem abjicias, quod alibi [5] dicit, *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Secundo, ne desere locum in quo nunc es, ne desis muneri et officio tuo, invigila commisso tibi gregi, cura ne quid cuipiam desit, ne quis suis quoque partibus desit: *quia* talis *curatio cessare faciet peccata maxima*, alioqui committenda: ita fere S. Hieronymus et Cajetanus.

℣. 9. *Qui transfert lapides*, dimovendo eos et suffurando ex aliena maceria, *affligetur in eis* ipsemet: nam unico subinde extracto lapide, toto labente acervo obruitur. Nam quatuor his proverbiis aperte docet Sapiens, quando quis alteri damnum seu vi, seu dolo parat, gravissimo, eodemque reciprocante supplicio ipsummet lædentem lædi, sic exigente divina justitia, vel humana indignatione ex damno accepto irritata vicem rependente.

(1) Prov. 26, vers. 27; Eccli. 27, vers. 29.
(2) Lib. contra Fulgentium Donatistam, art. 14.
(3) Prov. 4, vers. 27.
(4) Arist. l. 1, de Hist. animal., c. 12, et l. 3 de Partib., c. 4; Galen. l. 6 et 9 de Usu par., cap. 2; Avicenna l. 3, sen. 10, tract. 1; Vesal. lib. 6, c. 9; Steph. l. 2 Anatom., c. 31; Laurent. l. 9, q. 10.
(5) Eccli. 32, vers. 1.

hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia.

11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

12. Verba oris sapientis gratia: et labia insipientis præcipitabunt eum:

13. Initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius [1] error pessimus.

14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit: et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

16. Væ tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt!

17. Beata terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.

18. In pigritiis humiliabitur contignatio: et in infirmitate manuum perstillabit domus.

19. In risum faciunt panem, et vinum ut epulentur viventes: et pecuniæ obediunt omnia.

℣. 12. *Verba sapientis gratia,* id est, omnibus grata, jucunda, utilia. At *labia detractoris,* molesta, ingrata, perniciosa non aliis modo, sed et ipsimet: ita Hugo Cardinalis, Dionysius, Moringus, Campensis.

℣. 15. *Labor stultorum affliget eos,* seu frustra fatigabit et torquebit in arduis et implexis quæstionibus enodandis, quales occurrunt in gubernatione reipublicæ, in tractatione rerum divinarum, in curatione salutis animarum, etc. Quomodo enim his sese expedient miseri, *qui nesciunt in urbem pergere?* — id est, qui etiam vulgares et faciles res ignorant, qualis est *viam ad urbem* demonstrare, quod etiam pueris notissimum est: ita Aben-Esra, Vatablus et Osorius. Vel simplicius, cum Chaldæo, Mercero et Delrio, q. d. Frustra desudat stultus impius bene ac feliciter res suas exequi, quia veram viam, id est, sapientiam et pietatem, vel ignorat, vel saltem non tenet. Sicut dux itineris non deducet in urbem, qui viam eo ducentem ignorat, vel sequi negligit. Anagogice, via in cælum est virtus, et maxime recta intentio: ita fere Hieronymus, Olympiodorus et Neocæsariensis.

℣. 17. *Beata terra, cujus rex nobilis est* — id est, et generis prosapia illustris, et proba educatione, candidis moribus et principe dignis virtutibus splendens. Opponitur enim hæc *nobilitas, puritiæ* regiæ, non ætatis (nam illi prospici potest matura prudentia gubernatorum, ut patuit in Charilao [2] Spartæ, et Joanne [3] Castellæ regibus), sed morum et vitiorum, maxime vero gulositati et comessandi libidini: unde supina deinde omnium voluptatum indulgentia, et publici officii negligentia: ita Lyranus, Dionysius, Hugo, Titelmannus et Osorius.

℣. 18. *In infirmitate manuum;* hebraice, in *dejectione,* seu remissione; LXX, *segnitie* manuum, *perstillabit domus* — et regnum, licet firmissimum, paullatim corrumpetur, tandemque etiam corruet. Pergit enim insectari desides et luxui deditos principes ac magistratus.

℣. 19. *In risum faciunt panem et vinum* — id est, *propter risum,* ut vertunt Pagninus et Guarinus; seu *ad voluptatem,* ut Tigurini; perpetuo comessantur et helluantur securi, nempe, dum incuria illorum fatiscit et labascit regnum: ita S. Hieronymus et Græci in Catena: *Pigri abdomini vacant, inhiantque pecuniæ ad solam voluptatem.*

Et pecuniæ obediunt [4] *omnia* — Hebraice, *pecunia exaudit omnia;* Mercerus, *annuit omnibus;* Guarinus, *respondet omnibus;* Vatablus, *facit respondere omnia.* Nempe, reginam pecuniam omnia deprecantur, omnia prompta sese offerunt ubi illa adest et annuit. Porro insinuatur his verbis, gulosos illos magistratus, ne quid umquam desit suo luxui, totos esse in corradendis pecuniis, et muneribus captandis, quorum intuitu venalia habent omnia, jus, justitiam, honorem, dignitatem, vitam et animam et æterni-

(1) " Vers. 13. *Error pessimus.* Hebr. *Insania mala.* "

(2) Plutarch. orat. 2 de Alexandri fortuna.

(3) Mariana lib. 19, cap. 15, et Ribadeneira de Principe Christiano, l. 1, c. 10.

(4) Oseæ 2, vers. 21.

20. In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia et aves cæli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.

tatem: ita Olympiodorus et Neocæsariensis.

℣. 20. *Qui habet pennas* — id est, avis. Hyperbole ista significat, rem etiam occultissime a te dictam, occulto quopiam modo perferendam ad eum de quo dixisti. Unde maxime cavendum ne regi detrahas vel magistratui, quantumvis suo desint officio, nam multos habent et oculos et aures. Ad litteram, aves cæli, nempe grues, ibyci cædem et sicarios, prodiderunt, ut narrat Plutarchus [1]: ita S. Hieronymus et Olympiodorus.

(1) Lib. de Garrulitate post med.

CAPUT XI.

Pro avaritia et vana voluptate suadet beneficentiam et bonorum operum assiduitatem, ex fiducia in Dei providentiam, ex vitæ præsentis vanitate, ex mortis memoria, ex præmio vel supplicio futuro: quæ morborum omnium animi, et præsertim avaritiæ, præsens medicina sunt.

1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum.

2. Da partem septem, necnon et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

℣. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes* [1] *aquas*, id est, liberalis sis et munificus, non in eos solum, a quibus gratiam referendam speres, sed et in eos quos putes vel beneficii immemores fore propter ingratitudinem, vel non potentes reddere propter inopiam: ut videaris quasi in aquas tua abjicere. Certus enim esto, quod iterato tua *invenies*, et quidem cum fœnore, etiam centuplo, saltem *post multa tempora*, seu in hac, seu in futura vita: ut solent reffluentes aquæ ligna et alia quæ secum volvunt, in littus rejicere. Simile habes Eccli. 29, vers. 13; ita Neocæsariensis et Nazienzenus [2]. Pineda in verbo *mitte* notat commendari hic primo, largam in eleemosyna liberalitatem; secundo, celeritatem et promptitudinem; tertio, hilaritatem et libentiam tum animi, tum vultus in dando; quarto, ultroneam largitionem non jam petenti, sed nec cogitanti quidem, sed et absenti. Per *panem* intelligit omnia ad vitam necessaria. Per *tuum* non ex alieno [3], sed ex proprio dandam eleemosynam. Per *aquas transeuntes*, secreto, et sine jactatione [4] vel ostentatione donandam. Plura de eleemosyna vide Tobiæ 4, v. 7, et apud nostrum Peltanum [5].

℣. 2. *Da partem septem, nec non et octo* [6] — supple egenis, nam dativi casus esse patet ex Hebræo et Græco, q. d. Ex facultatibus tuis partem liberaliter da *septem*, id est, plurimis egenis immo *octo*, id est, omnibus quibus potes, etiamsi innumeri sint qui accurrant. Juxta illud [7] Christi, *Omni petenti te, tribue*: ita Neocæsariensis, Vatablus, Campensis, Titelmannus, Victorinus, et alii recentiores. Ad hunc locum alludit S. Ambrosius [8] cum ait: *Mandatum accipis, octo illis partem dare fortasse benedictionibus*, et tropologice, exponit de perfectione virtutum; anagogice, de gloria cælesti.

Quia ignoras quid super terram futurum sit mali, seu culpæ, seu pœnæ, ab hostibus, a fortuna, a Deo, a dæmonibus tibi, tuis, toti reipublicæ aliquando infligendæ. A quibus omnibus liberari poteris per eleemosynam, quæ tibi perpe-

(1) 2 Reg. 14, vers. 14.
(2) Orat. 19 ad matrem Nonnam.
(3) Eccli. 34, vers. 21. (4) Marci 12, vers. 41.
(5) De Eleemosyna. (6) Michææ 5, vers. 5.
(7) Lucæ 6, vers 30.
(8) L. 5 in c. 6 Lucæ.

3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, numquam metet.

5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud, et si utrumque simul, melius erit.

7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.

tuo comes et propugnatrix aderit; ut variis exemplis Pineda et Peltanus demonstrant [1].

℣. 3. *Si repletæ fuerint nubes* vaporibus et humoribus e terra marique collectis, *imbrem* liberaliter *effundent super* justos et injustos: ita dives corrasis undique opibus et charitate gravidus, arentes famelicorum animas effusa ubertim eleemosyna irrigat et exsaturat.

Si ceciderit lignum ad austrum, id est, si homo moriens reperiatur in statu gratiæ et salutis: *aut ad aquilonem*, in statu peccati et damnationis; *ibi erit* æternum. Quare curandum, ut arbor, prius quam excidatur, inclinet et prona per eleemosynas pendeat versus *austrum*: neque enim post mortem locus erit ulli pœnitentiæ, inquit S. Hieronymus, Olympiodorus, Gregorius, Bernardus, D. Thomas [2] et alii. Sed nota, sub *austro* tunc etiam comprehendi Purgatorium, ut olim comprehendebatur limbus sanctorum patrum, quia quicumque in hæc loca concedunt, sunt in statu gratiæ et salutis.

℣. 4. *Qui observat ventum et nubes*, id est, qui ab eleemosyna facienda, aliisve virtutibus exercendis terretur ob dubios eventus, v. gr. ob annonæ caritatem, bellum forte imminens, etc. *non seminat*, id est, negligit omnes lucri æterni occasiones: unde etiam *numquam metet* — nihil mercedis a Deo accipiet, neque in hac, neque in altera vita.

℣. 5. *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus*, id est, animæ vivificantis inductio in embryonem, sordidam illam et mortuam materiam: *sic nescis opera Dei* miranda et stupenda, quæ circa divites et pauperes non raro operatur, verb. gr. irritos reddit labores divitum [3], benedicit conatibus pauperum: divitum spoliis condecorat [4] pauperes, quos e sordibus [5] provehit ad solium: divites dejicit [6] in terram, etc. q. d. Innitendum igitur divinæ providentiæ, et illi fidendum: non vero anxie observandi venti et nubes.

℣. 6. *Mane et vespere semina*, id est, semper, sine intermissione studeas benefacere aliis: *quia nescis quid magis oriatur* — id est, quid majores melioresve fructus procreabit seu accipienti, seu danti: fieri enim potest, ut posterior eleemosyna magis necessaria, magis utilis petenti, magis meritoria danti, magis grata Deo existat, quam prior: ita fere S. Jo. Chrysostomus [7], Osorius et Pineda.

℣. 7. *Dulce lumen*, etc. — q. d. Dulcis et grata est vitæ hujus usura; tamen moriendum est homini, et coram tribunali judicis comparendum, ubi ratio reddenda omnium factorum, omnium neglectorum. Itaque dum vita, dum opes, dum mille occasiones adsunt, strenue iis utendum ad fructus quam plurimos, quam optimos in id tempus colligendos. Incipit enim hic peroratio seu conclusio totius hujus disputationis de vanitate rerum omnium, et unica hominis felicitate: quam docet positam esse in Dei timore et cultu, et sobrio ac moderato usu rerum a Deo con-

(1) Verum P. Martin explic. locor. Script. difficil., p. 1, pag. 310, *septem, nec non et octo* ad partes (panis, de quo superiore versiculo) refert, ut in Hebræo in dandi casu non sit, nempe et apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos, aliasque gentes pani quadra imprimebantur, immo et plures lineæ, quæ totidem portiones designabant. Itaque sensus est, non singulis egenis singulas fracti panis portiones distribuendas, sed integrum panem, etsi in septem, aut octo portiones dividi poterat.

(2) Greg. 12 Moral., c. 15; Bern. serm. 43 et 49 inter parvus; D. Thom. 2. 2. q. 13, a. 44.

(3) Eccl. 11, vers. 11.

(4) Prov. 8, vers. 8.

(5) Eccli. 23.

(6) Jac. 1, vers. 11; Eccli. 18, vers. 25.

(7) Hom. 65 super Matth.

8. Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

9. Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.

10. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

cessarum: fuga vero turpium voluptatum, quæ animum enervant, et corpus corrumpunt.

℣. 9. *Lætare ergo juvenis* — Chaldæus, LXX et R. Haccados, item Olympiodorus, Isidorus, Arboreus, Dionysius, Moringus, Ferus et Thuanus putant, serio a Salomone suaderi moderatam animi lætitiam florenti juvenum ætati propriam, sed mortis semper memorem et instantis judicii, ita enim supra sæpius suasisse audivimus. Sed verisimilius putant reliqui Hebræi, et Bonaventura, Lyranus, Cajetanus, Vatablus, Victorinus, Montanus et Osorius, ironicam esse permissionem, ut familiare esse Scripturis demonstrat S. Hieronymus et Cantipratensis [1].

(1) Hieron in Amos 4; Cantipr. lib. 5 Hypo., cap. 4, et l. 10, c. 1.

CAPUT XII.

Vitæ emendatio non differenda usque in molestam senectutem, cujus plurima gravissimaque incommoda, et finis amara mors. Assidua Dei creatoris et judicis conservanda memoria, et timori ac cultui divino sedulo incumbendum.

1. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent:

2. Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam:

3. Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri for-

℣. 1. *Tempus afflictionis* — Graphice describit hic senium, inquit S. Hieronymus, Chaldæus, Emissenus [1], Lyranus et Cajetanus. Quæ captivitati Babylonicæ et Romanæ accommodant Rabb. Allegorice, extremo judicio Gregorius Neocæsariensis, Olympiodorus, Cyrillus [2] Jeros. et sanctus Hieronymus.

℣. 2. *Tenebrescat sol* — Non proprie et in seipso, sed in oculis senum caligantibus, quia quasi per tenebras vident solem, uti et aliud quodvis *lumen*, seu sublunare, seu cæleste.

Revertantur nubes post pluviam — id est, post catarrhos delabentes succedant alii caliginosi vapores ex calore jam debilitato, qui mox etiam resolventur in novos catarrhos, depluentque per oculos, per nares, per os, per reliquum corpus: ita Valesius.

(1) Hom. 22 Dominicæ post Pentecosten.

℣. 3. *Commovebuntur* et alterabuntur *custodes domus*, id est, oculi et organa reliquorum sensuum. *Et nutabunt viri fortissimi* — id est, vacillabunt crura, fortissima pars hominis; quibus tamquam fortissimis bajulis corpus innititur: ita Lyranus et Valesius.

Otiosæ erunt molentes — id est, dentes: nam propter inappetentiam, dejectis ventriculi viribus, desinent prorsus commolere.

Videntes per foramina — id est, pupillæ, quæ per corneam tunicam fenestratam prospiciunt: vel simplicius, anima per oculos prospiciens, tenebrescet, defectu spirituum, qui cum lucidi sint, *si non adsint, squalidum et sine splendore obtutum* relinquunt, ut dicebat Hippocrates. Addit Valesius, senibus partim siccitate, partim excrementorum conge-

(2) Catechesi 15.

tissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina:

4. Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis.

5. Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes.

6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam,

stione crassescere succos oculorum, et membranas durescere ac corrugari: multis etiam nervos opticos et meatus obturari.

℣. 4. *Claudent ostia in platea* — id est, oculos, os, aures, nares reddent ineptas vitæ usibus, perinde ac si prorsus essent occlusæ. *Platea* vero dicitur facies hominis aperta et conspicua, pluribus sensuum quasi ostiis et officinis distincta.

In humilitate, id est, ob tenuitatem et submissum sonum *vocis molentis* — Cujus causa est tum paucitas molentium, seu dentium: tum debilitas pulmonum et arteriarum.

Consurgent ad vocem volucris — id est, ægre dormient. Nam senes, frigescente sanguine, et siccato humore, quibus sopor fovetur, ad levissimum sonum aviculæ solent evigilare: ita S. Hieronymus, Olympiodorus et alii.

Obsurdescent filiæ carminis — id est, aures, inquit S. Hieronymus. Vel, ut Cajetanus et Mercerus, ipsa carmina: sicut filius hominis, est homo. Per *carmina* vero intellige omnem concentum: qui per hypallagem dicitur obsurdescere (sicut *sol*, v. 2 dicebatur tenebrescere), puta non in seipso, sed in auribus senum: ita Valesius.

℣. 5. *Excelsa* viarum *timebunt* — Hebraice, *ab excelsis*; Vatablus, *a re eminente*. Nimirum, fessis poplitibus etiam plana via difficilis et molesta est.

Florebit amygdalus — id est, caput canescet. Nam amygdalus omnium arborum prima candescit floribus.

Impinguabitur locusta — id est, crura tumebunt, quin et corpus totum pituita et aqua intercute, et chiragræ et podagræ tumoribus inflatum erit instar ventrosæ locustæ: ita fere Chaldæus et sanctus Hieronymus.

(1) Avicen. lib. 2, cap. 102; Plin. lib. 13, c. 23, et lib. 19, cap. 8; Vales. c. 66 Sac. Philos.; Ruell. de Stirpibus, lib. 2, c. 10.

Dissipabitur (Vatablus, *exstinguetur*) *capparis* — id est, appetentia cibi et veneris: nam utramque excitat *capparis*, ut Avicenna, Plinius, Valesius et Ruellius [1] docent. Unde Chaldæus vertit, *prohibeberis a concubitu*; Campensis, *peribit appetitus*.

Domum æternitatis — Periphrasis est *sepulcri*, vel potius futuræ vitæ. Simile Isaiæ 14, v. 18.

In platea plangentes amici moribundi, vel præficæ.

℣. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus* — Supple ex v. 1, *Memento Creatoris tui*. Per *funiculum* hunc intelligunt Hebræi omnes (inquit Mercerus) sacram spinam dorsi, quæ 18 junctiuris seu nodis constat: et *argentea* vocatur, quia tam os, quam medulla ossis albo et argenteo colore est: quæ dum *rumpitur*, resolvitur aut laxatur, fit homo paralyticus, vel moritur, ut docent Valesius et alii medici.

Et recurrat a cranio *vitta aurea* — id est, meninx seu membrana tenuis, quæ cerebri est involucrum, et quasi vitta illud cingit et continet: ita Chaldæus, Vatablus, Isidorus, Valesius, Delrio [2] et Thuanus. Dicitur *aurea*, quia rufa, ut aurum, et quia pretiosissima, instar auri. Nam, læsa meninge, mori hominem necesse est. Immo, teste Valesio, multi medici putant, ad illam potius quam ad cerebrum pertinere vim primam sentiendi nervorum. Saltem indissolubiliter adhæret cerebro, et hoc siccato vel imminuto, ut fit in senibus, etiam ipsa contrahitur et corrugatur, et recedit a cranio. Unde et cranium arescit et calvescit: sicut et herbæ arefacta terra.

Et conteratur hydria super, seu juxta, *fontem* — *Hydria* venæ sunt, *fons* jecur, a quo ut fonte hauriunt omnes sangui-

(2) In Adagiis.

7. Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.

9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quæ fecerat: et investigans composuit parabolas multas.

10. Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11. Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.

12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est.

13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo:

14. Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium [1] pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

nem. Hic fons conteritur, cum vel lapidescit jecur, unde aqua intercus, at alii morbi: vel vulneratur vel finditur, unde mors.

Et confringatur rota super cisternam — *Rota* est vis attractiva venarum, et circumvolutio facultatum nutritivarum, quæ continua attractione ex magno illo receptaculo sanguinis circa cor; vel si lubet, ex stomacho, tamquam ex *cisterna*, hauriunt sibi necessaria. Hæc *rota* confringi dicitur, cum vel tollitur omnino, vel præpeditur. Vide plura apud Pinedam.

℣. 11. *A pastore uno* — id est, a Deo: quem ideo *pastorem* vocat, ut persistat in metaphora *stimulorum*, quibus pastores pecora stimulant et propellunt: ita Gregorius, Neocæsariensis et S. Hieronymus.

℣. 12. *His amplius ne requiras* — id est, sapientiæ divinæ, et sapientum virorum præceptis et consiliis contentus esto, neque alia aliunde, utpote vana et inutilia, conquiras. Nam licet infiniti prostent libri, non omnes tamen utiles sunt: et plus sæpe *afflictionis*, id est, defatigationis seu lassitudinis, quam lucri vel commodi, inde hauries.

℣. 13. *Hoc*, nempe timor et cultus Dei, *est omnis homo* — id est, integer, perfectus et omnibus numeris absolutus. Nam perfectio hominis ex conformitate cum suo archetypo, seu cum voluntate divina desumitur, ut idem velit quod vult Deus, et oderit ac fugiat quæ prohibet Deus: ita fere S. Hieronymus, Olympiodorus, Bonaventura, Lyranus et Moringus. Crebra vero est Hebræis enallage totius universalis pro toto integrante, *omnis* pro *integro*, pro *perfecto*.

(1) " Vers. 14. *Pro omni errato*, quidam antiqui libri scribunt *erratu* sed spurium est, quod nonnulli transpositis primis litteris, scribunt *reatu*. Porro *abscondito* quod habent alii, altera interpretatio est. Rom. Corr. "

CANTICUM CANTICORUM [1]

SALOMONIS

Id est, nobilissimum Canticum, quod est spirituale colloquium inter *Christum* verum Deum et hominem, et ejus *Ecclesiam*, et quamcumque *piam animam*, quæ membrum est Ecclesiæ, et sponsa Christi. Porro *Christus* duplicem hic gerit personam, et duplex obit munus: unum sapientissimi *magistri*, sublimem fidei, morumque et sanctitatis doctrinam suæ tradentis discipulæ: alterum amantissimi *sponsi*, miris laudibus, gratiis, donis ac favoribus suam carissimam sponsam prosequentis eamdemque extollentis, ornantis et ditantis. *Ecclesia* vicissim, et quævis *anima pia* duplicem simili modo, vel potius triplicem, personam sustinet; primam, *discipulæ*; secundam, *sponsæ* erga Christum; tertiam, *magistræ* vel *sociæ* erga reliquas animas, quas solet *adolescentulas* vel *filias Jerusalem* nuncupare. Argumentum colloquii, ut tales colloquentes decebat, admodum sublime, jucundum, utile ac varium est. Quidquid enim seu Prophetæ, seu Evangelistæ, seu Apostoli nobis de mysteriis fidei, de sanctitate morum, de perfectione vitæ tam contemplativæ, quam activæ tradiderunt, hoc Cantico vel exprimitur, vel insinuatur. Unde et pro perfectis a Salomone concinnatum fuisse, dixi supra in procœmio Proverbiorum.

Stylus Cantici hujus amatorius est, et metaphoræ ac similitudines pene omnes a nuptiis carnalibus desumuntur: nihil tamen hic carnale, nihil mundanum, nihil profanum. Facessat Rabbinicum commentum de amoribus Abisag Sunamitidis, vel filiæ Pharaonis. Nullæ hic Veneres, nulli Cupidines. Amores sunt, faces sunt: sed ab igne cælesti, quo ardent Seraphini, quem Christus venit in terras mittere, et quo sanctiores animæ ad Eliæ modum abripiuntur in cælum.

Porro ex decursu Commentarii videbis, optime Lector, me præcipue deflectere ad moralem seu tropologicam expositionem hujus Cantici, et animæ piæ ac Deo devotæ pene omnia aptare. Quod ideo maxime feci, quod hac via major ad nos utilitas proveniet, et quod putem, hoc primario a Spiritu sancto intentum fuisse: ac proinde litteralem sensum debere censeri. Allegoricum tamen et anagogicum sensum non raro etiam attingam, ut videbis. Quamquam facillimum sit ex tropologico sensu reliquos omnes colligere. Nam quidquid animæ piæ convenit, id toti Ecclesiæ adscribi potest, et nominatim nobilissimo membro illius Virgini Deiparæ. Ex humanitate Christi facile derivabis omnia ad Ss. Eucharistiam, adeoque et ad ipsam ejus divinitatem.

Solet vero hoc Canticum, quod octo capitibus constat, ab Interpretibus in tres, vel quinque actus dividi. Sed videntur duo priora capita (ut bene notat Lud. de Ponte) breviarium quoddam esse omnium mysteriorum, quæ reliquis sex capitibus continentur, et novis metaphoris ac similitudinibus fusius explicantur. Unde eadem est peroratio, seu coronis secundi capitis, quæ octavi. Quæ ad artificium et dispositionem rhetoricam spectant, in hoc Cantico quæri semper non debent. Omnia enim plena sunt affectibus, qui ut animum, sic et linguam amantium nunc huc, nunc illuc rapiunt. In iis tamen affectibus suus non deest concinnus ordo, ut supra dixi, et ex sequentibus planum fiet.

(1) " Fusius noster Tirinus in hoc toto Canticorum libro, cui titulus germanus est *Canticum* numero singulari, non plurali *Cantica*. Romana Corr.„

exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol:

præcepta, consilia, heroica exempla tua: ita Nyssenus et Bernardus [1].

In odorem unguentorum tuorum — id est, allectæ et inductæ cælestibus illustrationibus, consolationibus et piis devotionis affectibus, qui quasi cælestes odores signum sunt divinæ præsentiæ et invitationis tuæ; et sunt quasi illecebra, qua animas trahis, inquit S. Basilius [2], et explicat exemplo columbæ cicuris alas habentis unguento odorifero perunctas, cujus fragrantia aliæ agrestes columbæ ad columbarium pertrahuntur. Mart. de Roa [3], hæc pulcre exponit de tractione ad nuptias, q. d. sponsa: Duc me tandem aliquando uxorem in domum tuam: lubens enim cum meo virginum comitatu sequar te, unguentis tuis illecta.

Introduxit me rex; q. d. Simulatque votum expresseram meum, voti compotem me fecit dilectus meus: neque contentus innumeris osculis me excepisse, suoque divino pectori adpressisse, insuper secum abduxit attraxitque *in cellaria sua*; LXX, *in cubiculum suum*. Nempe in interiora et abdita, nec cuivis patentia penetralia, in quibus vel annona recondi, vel thesauri [4] adservari solent. Et ne putes pauca hæc fuisse, vel non adeo pretiosa, memento dilectum meum, *regem* esse, et regum omnium Regem, ac proinde omnia ejus repositoria plena fuisse immensis divitiis ac thesauris. Neque ad hæc solum spectanda, sed et ad eadem degustanda me introduxit rex, splendidum inde mihi convivium, meisque sodalibus instruens. Hac metaphora adumbrat sponsa, gratiam et donum supernaturalis contemplationis rerum cælestium, et mysteriorum fidei, et aliorum arcanorum Dei sibi concessum fuisse. Et vero tam accurata dispositio videbatur nobile hoc munus deposcere, quo posset promovendæ saluti et perfectioni suæ suarumque sociarum facilius, suavius ac fructuosius sese impendere. Unde mox gratulatur sibi suisque de tanto bono:

Exultabimus et lætabimur, non amplius in terrenis sordibus, in creatis deliciis, sed *in te* solo, uno et summo bono, *memores uberum tuorum*, id est, amorum et blanditiarum, quas e tuo divino pectore hausimus, *super vinum*, symposia, delicias omnes alias longe dulciores et gratiores. Quamvis enim convivium ipsum quo nos recreas, non sit perpetuum sed *rara hora, brevis mora*: tamen memoriam haustarum inde deliciarum decet esse perpetuam: hoc enim justum est et summe debitum. Unde quicumque *recti* sunt; LXX, *rectitudo*; hebraice, *rectitudines*, id est, illi qui ita sunt recti, ut ipsa rectitudo esse videantur, et omnes rectitudinis gradus sunt assecuti (nempe rectitudinem primo, judicii; secundo, intentionis; tertio, affectus; quarto, locutionis; quinto, operis): hi ex toto corde *diligunt te* — non solo habitu charitatis continuo, sed et actu sæpissime renovato.

℣. 4. *Nigra sum*. Inter alia, quæ sponsa in cellariis Dei contemplando didicerat, duo depromit et sociabus exponit. Primo, nigredinem propriam, quam vel ex corrupta natura, vel ex malitia seu hominum, seu dæmonum, contraxit, v. g. peccatum originale, fomitem concupiscentiæ, peccata actualia, pœnas peccatorum, afflictiones, tentationes, aliasque miserias. Secundo, *formositatem*, seu pulcritudinem spiritualem, quam ex divina gratia et favore obtinet, secundum supra dicta. Prima hæc lectio est primæ Veritatis, agnitio propriæ vilitatis, immo nihilitatis: et confessio ac grata recognitio magnitudinis divinorum erga se beneficiorum, quibus egregie ornamur, *sicut tabernacula*, seu tentoria, *Cedar* [5], id est, posterorum Cedar filii Ismaelis, puta Nomadum in Arabia: et *sicut pelles Salomonis*, campestria ejus tentoria operientes: quæ foris quidem nigra erant, ardore solis exusta, pulvere et sordibus obsita, sed intus elegantissima, auroque et margaritis et miro artificio ornatissima: ita Origenes, Nyssenus et Bern. [6].

℣. 5. *Nolite* ergo tam *considerare quod*

(1) G. Nyss. de Vita Moysis; Bern. serm. 21 in Cant.
(2) Epist. 175.
(3) L. 2 Singul. c. 21.
(4) Isa. 39, vers. 2.
(5) Ps. 119, vers. 5.
(6) Orig. hom. 2 ex quatuor; Nyss. hom. 2; Bern. serm. 28 in Cant.

filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post

fusca sim deforis, quam quod formosa ab intus. Quin et fuscedo ista, si bene advertitis, non est mihi naturalis aut perpetua, sed temporanea et ex meris accidentibus, puta ab æstu et ardore *solis*, qui *me decoloravit* ac denigravit; LXX, *despexit*, seu desuper inspexit pleno suo lumine et radiis directis: unde Aquila vertit, *quia me sol combussit*; Theodotion, *torrefecit*. Sol enim ob diversas proprietates et effectus nunc prodest, nunc nocet. Unde veteres *Phœbum* depingebant una manu citharam et Carites gestantem, altera pharetram et sagittas. Porro *solis* nomine vel divina providentia potest intelligi, vel quævis causa extrinseca damnum vel nocumentum inferens. Sic Apoc. 7: *Non cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Sed quid opus erat, te radiis et injuriis solis exponi?

Filii matris meæ pugnaverunt contra me — q. d. Vellem, nollem, prodeundum mihi fuit in apertum solem, in arenam, in pugnam; et quidem, quod minime suspicaremini, adversus fratres meos, ejusdem stirpis et familiæ, eadem mecum natura, eadem fide, eadem societate conjunctos. Et sunt hi, hostes omnes nostri tum externi, tum interni, v. g. sensus et appetitus sensitivi. Et quæ causa hujus civilis ac domestici belli?

Posuerunt me custodem in vineis — id est, præfecerunt me culturæ et custodiæ vinearum, id est, regimini animarum; q. d. Non permiserunt me quietam contemplationi vacare intra regis sponsi mei cellaria; sed jusserunt, Deo sic volente, in villis et vineis curam haberem necessariæ œconomiæ et disciplinæ, ut nihil cuipiam deesset seu pabuli, seu tegminis, seu rerum aliarum necessariarum. His ego dum consultum eo, dum suum cuique domesticorum consigno dimensum, sua cuique gregi pascua decerno; pigros excito, desides exstimulo, dyscolos compesco; ecce tibi et deforis vicinos sodales mihi subito hostes, et abintus domesticos omnes rebelles, et in me consurgentes, calumniis, contumeliis omnia miscentes: me stupidam, me stultam, me omnibus injuriam, nimium his, nimis parum istis, maligne aliis prospicere, jactantes: hinc jurgia, hinc pugnæ, hinc sordes, hinc discolor vultus. Et vero pertæsa tantarum molestiarum, victa tædio tam gravis, tam ingrati muneris, deserui, fateor, stationem meam, et custodiam vineæ mihi commissæ: et ad te,

℣. 6. *quem* unice *diligit anima mea*, pro solatio, pro consilio, pro ope recurro, æstuans et anhela. Et quidem si votis meis obsequerer, omni prorsus aliena cura eximi peterem. Sed quia tibi id minus placere videtur, saltem doce me modum quo id possim sine tanto dolore et damno meo peragere.

Indica mihi non solo verbo, sed et reipsa, et quasi digito demonstra, *ubi pascas* tu te tuosque omnes, et *ubi* simul *cubes* plena et peramœna quiete, qualis *in meridie* captari solet, id est, in pleno lumine et æstu tum amoris interni, tum persecutionis et tribulationis externæ, ut fere S. Gregorius, Cassiodorus et Beda exponunt. Deposcit enim hic sponsa donum assiduæ contemplationis, et perfectissimæ dilectionis Dei, quo possit simul cum Christo in sinu æterni Patris continuo cubare, et nihilominus exemplo et ope illius, sine suo detrimento pascere quoque commissos sibi greges.

Ne rursus maximo meo dolore et damno, *vagari incipiam* anxia et anhela, consilii, solatii, vel auxilii emendicandi causa, *post greges sodalium tuorum* — nullo vel exiguo meo fructu, nempe dum illi vel ignari, vel aliis distenti non possunt, vel invidi nolunt aut negligunt me juvare; vel si quid subinde præstent, parce admodum et avare id faciunt (et sunt hi sodales, creaturæ omnes, quarum ope instruimur et juvamur). Tu vero, mi dilecte, sine ullo dispendio tuo, et cum summo commodo meo potes mihi et gregibus meis de optimo pastu prospicere, et simul me in cubili tuo perpetua tecum quiete, pace, deliciis beare. Hactenus sponsa. Quid jam ad hæc sponsus?

℣. 7. *Si ignoras te.* Hebraismo potest dici idem valere atque *non ignoras te*,

exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol:

præcepta, consilia, heroica exempla tua: ita Nyssenus et Bernardus [1].

In odorem unguentorum tuorum — id est, allectæ et inductæ cælestibus illustrationibus, consolationibus et piis devotionis affectibus, qui quasi cælestes odores signum sunt divinæ præsentiæ et invitationis tuæ; et sunt quasi illecebra, qua animas trahis, inquit S. Basilius [2], et explicat exemplo columbæ cicuris alas habentis unguento odorifero perunctas, cujus fragrantia aliæ agrestes columbæ ad columbarium pertrahuntur. Mart. de Roa [3], hæc pulcre exponit de tractione ad nuptias, q. d. sponsa: Duc me tandem aliquando uxorem in domum tuam: lubens enim cum meo virginum comitatu sequar te, unguentis tuis illecta.

Introduxit me rex; q. d. Simulatque votum expresseram meum, voti compotem me fecit dilectus meus: neque contentus innumeris osculis me excepisse, suoque divino pectori adpressisse, insuper secum abduxit attraxitque *in cellaria sua*; LXX, *in cubiculum suum*. Nempe in interiora et abdita, nec cuivis patentia penetralia, in quibus vel annona recondi, vel thesauri [4] adservari solent. Et ne putes pauca hæc fuisse, vel non adeo pretiosa, memento dilectum meum, *regem* esse, et regum omnium Regem, ac proinde omnia ejus repositoria plena fuisse immensis divitiis ac thesauris. Neque ad hæc solum spectanda, sed et ad eadem degustanda me introduxit rex, splendidum inde mihi convivium, meisque sodalibus instruens. Hac metaphora adumbrat sponsa, gratiam et donum supernaturalis contemplationis rerum cælestium, et mysteriorum fidei, et aliorum arcanorum Dei sibi concessum fuisse. Et vero tam accurata dispositio videbatur nobile hoc munus deposcere, quo posset promovendæ saluti et perfectioni suæ suarumque sociarum facilius, suavius ac fructuosius sese impendere. Unde mox gratulatur sibi suisque de tanto bono:

Exultabimus et lætabimur, non amplius in terrenis sordibus, in creatis deliciis, sed *in te* solo, uno et summo bono, *memores uberum tuorum*, id est, amorum et blanditiarum, quas e tuo divino pectore hausimus, *super vinum*, symposia, delicias omnes alias longe dulciores et gratiores. Quamvis enim convivium ipsum quo nos recreas, non sit perpetuum sed *rara hora, brevis mora*: tamen memoriam haustarum inde deliciarum decet esse perpetuam: hoc enim justum est et summe debitum. Unde quicumque *recti* sunt; LXX, *rectitudo*; hebraice, *rectitudines*, id est, illi qui ita sunt recti, ut ipsa rectitudo esse videantur, et omnes rectitudinis gradus sunt assecuti (nempe rectitudinem primo, judicii; secundo, intentionis; tertio, affectus; quarto, locutionis; quinto, operis): hi ex toto corde *diligunt te* — non solo habitu charitatis continuo, sed et actu sæpissime renovato.

℣. 4. *Nigra sum*. Inter alia, quæ sponsa in cellariis Dei contemplando didicerat, duo depromit et sociabus exponit. Primo, nigredinem propriam, quam vel ex corrupta natura, vel ex malitia seu hominum, seu dæmonum, contraxit, v. g. peccatum originale, fomitem concupiscentiæ, peccata actualia, pœnas peccatorum, afflictiones, tentationes, aliasque miserias. Secundo, *formositatem*, seu pulcritudinem spiritualem, quam ex divina gratia et favore obtinet, secundum supra dicta. Prima hæc lectio est primæ Veritatis, agnitio propriæ vilitatis, immo nihilitatis: et confessio ac grata recognitio magnitudinis divinorum erga se beneficiorum, quibus egregie ornamur, *sicut tabernacula*, seu tentoria, *Cedar* [5], id est, posterorum Cedar filii Ismaelis, puta Nomadum in Arabia: et *sicut pelles Salomonis*, campestria ejus tentoria operientes: quæ foris quidem nigra erant, ardore solis exusta, pulvere et sordibus obsita, sed intus elegantissima, auroque et margaritis et miro artificio ornatissima: ita Origenes, Nyssenus et Bern. [6].

℣. 5. *Nolite* ergo tam *considerare quod*

(1) G. Nyss. de Vita Moysis; Bern. serm. 21 in Cant.
(2) Epist. 175.
(3) L. 2 Singul. c. 21.
(4) Isa. 39, vers. 2.
(5) Ps. 119, vers. 5.
(6) Orig. hom. 2 ex quatuor; Nyss. hom. 2; Bern. serm. 28 in Cant.

filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post

fusca sim deforis, quam quod formosa ab intus. Quin et fuscedo ista, si bene advertitis, non est mihi naturalis aut perpetua, sed temporanea et ex meris accidentibus, puta ab æstu et ardore *solis*, qui *me decoloravit* ac denigravit; LXX, *despexit*, seu desuper inspexit pleno suo lumine et radiis directis: unde Aquila vertit, *quia me sol combussit*; Theodotion, *torrefecit*. Sol enim ob diversas proprietates et effectus nunc prodest, nunc nocet. Unde veteres *Phœbum* depingebant una manu citharam et Carites gestantem, altera pharetram et sagittas. Porro *solis* nomine vel divina providentia potest intelligi, vel quævis causa extrinseca damnum vel nocumentum inferens. Sic Apoc. 7: *Non cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Sed quid opus erat, te radiis et injuriis solis exponi?

Filii matris meæ pugnaverunt contra me — q. d. Vellem, nollem, prodeundum mihi fuit in apertum solem, in arenam, in pugnam; et quidem, quod minime suspicaremini, adversus fratres meos, ejusdem stirpis et familiæ, eadem mecum natura, eadem fide, eadem societate conjunctos. Et sunt hi, hostes omnes nostri tum externi, tum interni, v. g. sensus et appetitus sensitivi. Et quæ causa hujus civilis ac domestici belli?

Posuerunt me custodem in vineis — id est, præfecerunt me culturæ et custodiæ vinearum, id est, regimini animarum; q. d. Non permiserunt me quietam contemplationi vacare intra regis sponsi mei cellaria; sed jusserunt, Deo sic volente, in villis et vineis curam haberem necessariæ œconomiæ et disciplinæ, ut nihil cuipiam deesset seu pabuli, seu tegminis, seu rerum aliarum necessariarum. His ego dum consultum eo, dum suum cuique domesticorum consigno dimensum, sua cuique gregi pascua decerno; pigros excito, desides exstimulo, dyscolos compesco; ecce tibi et deforis vicinos sodales mihi subito hostes, et abintus domesticos omnes rebelles, et in me consurgentes, calumniis, contumeliis omnia miscentes: me stupidam, me stultam, me omnibus injuriam, nimium his, nimis parum istis, maligne aliis prospicere, jactantes: hinc jurgia, hinc pugnæ, hinc sordes, hinc discolor vultus. Et vero pertæsa tantarum molestiarum, victa tædio tam gravis, tam ingrati muneris, deserui, fateor, stationem meam, et custodiam vineæ mihi commissæ: et ad te,

℣. 6. *quem* unice *diligit anima mea*, pro solatio, pro consilio, pro ope recurro, æstuans et anhela. Et quidem si votis meis obsequerer, omni prorsus aliena cura eximi peterem. Sed quia tibi id minus placere videtur, saltem doce me modum quo id possim sine tanto dolore et damno meo peragere.

Indica mihi non solo verbo, sed et reipsa, et quasi digito demonstra, *ubi pascas* tu te tuosque omnes, et *ubi* simul *cubes* plena et peramœna quiete, qualis *in meridie* captari solet, id est, in pleno lumine et æstu tum amoris interni, tum persecutionis et tribulationis externæ, ut fere S. Gregorius, Cassiodorus et Beda exponunt. Deposcit enim hic sponsa donum assiduæ contemplationis, et perfectissimæ dilectionis Dei, quo possit simul cum Christo in sinu æterni Patris continuo cubare, et nihilominus exemplo et ope illius, sine suo detrimento pascere quoque commissos sibi greges.

Ne rursus maximo meo dolore et damno, *vagari incipiam* anxia et anhela, consilii, solatii, vel auxilii emendicandi causa, *post greges sodalium tuorum* — nullo vel exiguo meo fructu, nempe dum illi vel ignari, vel aliis distenti non possunt, vel invidi nolunt aut negligunt me juvare; vel si quid subinde præstent, parce admodum et avare id faciunt (et sunt hi sodales, creaturæ omnes, quarum ope instruimur et juvamur). Tu vero, mi dilecte, sine ullo dispendio tuo, et cum summo commodo meo potes mihi et gregibus meis de optimo pastu prospicere, et simul me in cubili tuo perpetua tecum quiete, pace, deliciis beare. Hactenus sponsa. Quid jam ad hæc sponsus?

℣. 7. *Si ignoras te.* Hebraismo potest dici idem valere atque *non ignoras te,*

vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.

8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

ut in simili dixi Judic. 5, v. 8. Vel (quod eodem redit) dic esse admirantis ac stupentis, et supple, *si ignoras te*, valde mirer et stupeam, est enim istud *si* nota admirantis tum apud Hebræos, ut alibi [1] dixi: tum apud alias gentes. *O pulcherrima inter mulieres* — q. d. Fierine potest, cum scias te tantis a me gratiis ornatam, quantas mox deprædicabas, ut adhuc ignores te sat a me roboris et industriæ et opis accepisse ad alios quoque regendos et pascendos? Aut forsan ignoras, gratiam divinam non ad solum ornatum, sed etiam ad corroborationem, instructionem et eruditionem conferri? An ignoras, te, licet ex te possis nihil, per me tamen et mecum omnia posse? An ignoras, te non tibi uni, sed et mihi, sed et reipublicæ natam? An ignoras, te nec utilius quippiam, nec tibi gloriosius, nec mihi gratius præstare posse, quam in animarum salute procuranda mihi cooperari? At durum est negotium, et labore et odio et obloquio et tædio et dolore plenum; an ignoras, te tuis peccatis talia sæpe promeritam, et me justas ob causas, et quidem in bonum, tam tuum particulare, quam commune omnium, talem ordinem rerum delegisse, in quo alii ab aliis infestarentur? Sed mei amore desideras numquam distrahi, numquam divagari, quo arctius mihi innectaris, meisque ulnis et osculis indivulsa inhæreas, et mecum in sinu æterni Patris continuo et inoffensa delicieris; an ignoras, te, quæ supra statum tuum et conditionem humanam sunt, præpropere petere? Belli jam tempus est, non pacis: victoria prius curanda, tum demum aderit triumphus: at bellum non detrectas, nec pastoris onus, dummodo pascua mea frequentes, et pascendo pecora, a cubili meo, ab accubitu meo non arcearis; an ignoras, te, cum *in cellaria* mea inducereris, id jam a me, quantum quidem ex me est, impetrasse? Et si hoc tibi non sufficit, en tibi pascua mea *sub arbore malo*, et in *cella vinaria, et inter lilia*, de quibus c. 2, vv. 3, 4 et 16; cubile vero meum in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ibid. vers. 14. Age ergo et huc advola, et voti compos eris, atque inter ardentissimos tum curarum, tum afflictionum æstus, eris in refrigerio sub umbra alarum mearum. Surge et magnis animis *egredere* ex ulnis meis in agrum; ad obeundum munus tibi a me injunctum, *[et si amas me, pasce agnos meos, pasce oves meas, abi post vestigia gregum* et meorum et tuorum, rege illos et sedulo cura: *quod infirmum, consolida; quod ægrotum, sana; quod confractum, alliga; quod abjectum, reduc; quod periit, quære* [2]. Neque agnos modo vel oves solas, sed et *hœdos* fœtentes, dyscolos et molestos, omni cura et sedulitate *pasce*, quia *tuos*, quia meos et amore mei. Quod si adhuc vel de loco pascuorum, vel de modo pascendi dubites aut hæsites, habes *tabernacula pastorum* [3] Ecclesiæ meæ, jam pridem doctrina, sanctitate, virtute prælustrium; habes monita, consilia, exempla Prophetarum, Apostolorum, et tot Episcoporum, qui sanctissime felicissimeque rexerunt gregem meum: *juxta* illorum placita pasce et tu gregem tibi commissum: ita S. Ambrosius, Bernardus et Richardus [4].

℣. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te* — q. d. Non est quod timeas, aut cadas animo, ego te usque eo roboravi, ut similis sis *equitatui meo*, puta nobiliori parti cælestis exercitus mei, *in curribus*, seu inter currus *Pharaonis*, id est, omnes currus Pharaonis in mari Rubro debellantis et destruentis: ita Philo, Origenes, Ambros., Nyssenus [5], et fere antiquiores. Sic infra c. 6, *Terribilis* dicitur *sicut castrorum acies ordinata*, et cap. 7, *Chori castrorum*. En quanta virtus, quantum robur, *quanta acies*, inquit S. Bernardus [6], *in una anima tam sancta, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantus in zelo terror, quanta conflictuum assiduitas*, quanta denique

(1) In Proleg. de Idiotism. Hebr., n. 13.
(2) Ezech. 34, vers. 4. (3) Jerem. 6, vers. 16.
(4) Ambr. lib. 1 Offic., cap. 43; Bern. epist. 73; Richard. de S. Victore lib. 1 de Præparat. ad contemplat., cap. 4.
(5) Phil. l. 2 Allegoriar. legis; Orig. hom. 1 ex duabus in Cant., et hom. 2 ex quatuor; Ambr. l. de Isaac et anima; Greg. Nyss. hom. 3.
(6) Serm. 39 in Cant.

9. Pulcræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

11. Dum esset rex in accubitu

numerositas triumphorum! Sed ad hos obtinendos necessarium prorsus sponsæ, ut instar equitatus bene instructi, ad rectorem et ducem suum continuo attendat, hunc unum audiat, et ad minimum freni motum, immo nutum, se in omnem partem inflectat, inquit Origenes.

Ad has sponsi partim increpationes, partim effusas laudes sponsa tota erubuit, sed erubescendo longe venustior apparuit. Unde sponsus de novo laudat eam tum ob modestiam in silendo, tum ob animi demissionem in se despiciendo, tum ob promptitudinem in parendo, neque enim vel verbulo commutato, detrectavit quidquam eorum quæ sponsus deposcerat. Unde

℣. 9. *Pulcræ sunt genæ tuæ*; LXX, *quam speciosæ factæ sunt genæ tuæ*; *sicut turturis* — quæ avis est pudica, solitaria, et mortuo compare, perpetuo casta, pro cantu gemitum edens: ita communiter SS. Patres. Sed Hebræum *thor* [1] etiam femineum ornamentum designat a capite dependens, et circa genas involitans, ex aureis catenulis, margaritis ac gemmis in speciem turturis efformatum, quod ideo etiam *turtur* vocatur, inquit Ludovicus Legionensis.

Collum tuum pulcrum est *sicut monilia* — nempe nativo colore tam speciosum, ut nullis egeat externis ornamentis, sed ipsum vincat omnia etiam nobilissima monilia. Hoc illi defert sponsus novum encomium, propter celerem, promptam et humilem illius obedientiam in acceptando imposito sibi jugo (quod collo bajulatur) et nutibus sponsi complendis. Origen. et Bernard. [2]. Allegorice, collum Ecclesiæ sunt Pastores et Doctores, ut pulcre Lud. de Ponte [3] demonstrat.

℣. 10. *Murenulas aureas* — Ornamentum est muliebre, ad similitudinem murenæ piscis, opere vermiculato confectum, frustulis vel lineis argenti tessellato artificio, gemmis et auro intersectis, et variis figuras vermium vel avium repræsentantibus, a collo puellari ad pectus, ut vult S. Hieronymus et ex eo Cassiodorus, Beda, Rupertus: vel, ut Bernardus et Anselmus, ex auribus dependens. Significat ornamenta spiritualia ex auro charitatis et obedientiæ, argento pudicitiæ et humilitatis, et gemmis donorum Spiritus sancti miro ordine et arte a Deo fabricata: quibus sponsa ut humilior, et aliis virtutibus auctior, et ad omnes functiones tam activæ quam contemplativæ vitæ promptior; ita et in se sanctior, et pulcrior, et omnibus gratior evasit: ita Patres et Doctores jam citati. Porro novis his laudibus et donis exstimulata sponsa, quo gratam se tam munifico sponso exhibeat, mox operam dat ut omnia a Deo accepta dona in nobilissimos actus deducantur, in gratiam et honorem sponsi sui, ad illum oblectandum et exhilarandum.

℣. 11. *Dum esset rex in accubitu suo* seu mensali, seu nuptiali, *nardus mea* virtutum donorumque omnium, quæ ab illo accepi, *dedit odorem suum* — id est, redolere cœpit quam maxime, quam optime, instar perpetui suffitus et suavissimi thymiamatis delati ex ara cordis mei per continuos actus et exercitia virtutum omnis generis, ad sponsum meum in thalamo suo oblectandum. Porro thalami seu accubitus sponsi multiplices sunt. Primus, est æternus in sinu cælestis Patris. Secundus, temporaneus in utero B. Virginis, cum Verbum caro factum fuit, inquit sanctus Ambrosius, Cassiodorus et Beda. Tertius, in præsepio Bethlehemitico. Quartus, in cruce et sepulcro. Quintus, ad dexteram Patris in cælo empyreo. Sextus, in Ss. Eucharistia. Septimus, in anima quavis pia et sancta, in qua per gratiam requiescit et deliciatur, inquit Nyssenus, Anselmus et alii Patres. In omni hoc sponsi accubitu diligentissime curabat sponsa oblectare sponsum nardo sua odorifera; quæ herba est aromatica suavissimum efflans odorem, et vim habens calefaciendi, exsiccandi, et varios morbos sanandi. Ex illa fit unguentum odoratissimum et magni pretii: maxime ex spicis, in quas nardus desinit; quod Marci 14, vers. 3, vocatur *nardi spicati*

(1) תור.

(2) Orig. sup. hom. 2; Bern. serm. 41 in Cant.

(3) Lib 3 in Cant., exhort. 27.

suo, nardus mea dedit odorem suum.

12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

14. Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es, oculi tui columbarum.

pretiosi, quo in conviviis olim convivæ perfundi solebant. Et hic symbolum est gratiæ et virtutum nobis infusarum: quæ tum maxime spirant odorem suum, quando producunt actus et effectus suos. Sic Paulus ajebat, *Christi bonus odor sumus Deo* [1]. Sic oratio cum devote instituitur, diffundit odorem fidei, spei, charitatis, religionis, etc. Eleemosyna seu spiritualis seu corporalis, odorem charitatis Dei et proximi, etc.

℣. 12. *Fasciculus myrrhæ*, ex frondibus et floribus arbusculæ myrrhæ, *dilectus*; LXX, *fratruelis, meus mihi:* id est sponsus meus, qui sibi fuit perpetuus fascis afflictionum, dolorum et laborum, myrrhæ amarissimæ quidem, sed suavissime olentis, et a corruptione omnia vindicantis; hanc mihi gratiam præstat, ut et mihi sit saltem *fasciculus myrrhæ*, per communicationem aliquorum similium laborum et dolorum, seu ab ipso immissorum, seu studio mortificandi et abnegandi meipsum in functionibus vitæ activæ ultro susceptorum, quos amore ipsius et in honorem ipsius libentissime fero, accepto, et ambabus ulnis amplector, et instar rei pretiosissimæ mihique carissimæ ac saluberrimæ, *inter ubera mea* repono, ut in intimo penetrali cordis mei perpetuo, *commorentur* et asserventur: neque enim alium nosse volo *Jesum*, quam *crucifixum*. Hæc myrrha me purgabit ab omni vitiorum contagione, et præservabit a corruptione, et redolere faciet coram Deo et hominibus, et me sponso meo acceptissimam reddet.

℣. 13. *Botrus cypri* — Hebræum, *copher* [2], et balsamum significat, quæ arbor est instar vitis, teste Plinio, et botros instar vitis quodammodo profert certe odoratissimos. Et etiam arborem designat, quæ proprie dicitur cyprus, latine ligustrum, ait idem Plinius [3], et flosculi ejus odoratissimi, instar uvarum in botros coeunt, et unguentum reddunt nobilissimum, quod cyprinum dicitur. Utraque vero arbor frequens est *in vineis Engaddi*, amœnissima et fertilissima regione tribus Juda, prope lacum Asphaltiten, seu mare Mortuum. Et de altera harum arborum odoriferarum loqui hic sponsam censent S. Hieronymus, Ambrosius, Beda et Theophrastus [4]. Sed potest etiam simpliciter dici locuta de proprie dicto *botro* vitis, non quovis, sed excellentissimo, quales sunt *botri* insulæ *Cypri*, inquit Plinius [5], qui in vineta Engaddi transferri potuit, vel Cyprios similitudine et suavitate referre. Sic jam cum nobilissimas uvas designare volumus *botros muscatellinos* vocamus ex optimis vinetis decerptos. Porro hac metaphora significat sponsa tenerum sponsi sui erga se affectum, et cor non solum paternum, sed etiam vere maternum, utpote cui velit esse non solum fasciculus myrrhæ per amaros actus vitæ activæ: sed etiam vinum nobilissimum ex suavissimis botris vitæ contemplativæ. Tantum decerpat hos botros e septuplici vineto, ubi crescere eos vidimus vers. 11; decerpat, inquam, et exprimat divinum liquorem, et cælesti nectare sese exhilaret, pascat et inebriet. Porro in hac utraque vita sponsus præcellere vult dilectam suam: unde et mox ex operibus utriusque simul junctis mirifice de novo illam commendat, cum subdit:

℣. 14. *Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es* — q. d. Gemina hæc pulcritudo tua tanta est, ut et me et omnes alios in stuporem rapiat. Et vero rara est, valdeque mirabilis unio utriusque pulcritudinis, quæ sublimem contemplationem cum strenua actione conjungit, ut notat Cassianus [6].

Oculi tui bini, sunt sicut oculi *columbarum* — non impuri, non elati, non gyrovagi, non duplices aut simulati, sicut oculi vulpium, quæ in unum latus videntur aspicere, et ad aliud oppositum aciem dirigunt: sed casti, sed humiles, sed simplices, sed sinceri. Et designant intelle-

(1) 2 ad Cor. 2, vers. 15.
(2) כפר.
(3) Lib. 12, cap. 24.
(4) Hieron. in Epitaphio Paulæ, epist. 27 ad Eustochium; Theophrast. lib. 9, cap. 6.
(5) Lib. 14, cap. 2 et 7. (6) Collat. 19, cap. 9.

15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus:

16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

ctum sponsæ cælesti lumine fidei et sapientiæ perfusum: intellectum, inquam, et speculativum, et practicum, inquit S. Ambrosius et S. Thomas [1]. Ille videt mystica, et contemplando penetrat arcana Dei: hic moralia et agenda ordinat, ac voluntati proponit, ut ea intendat et prosequatur. Addit Ludovicus Legionensis et Delrio, columbas Syriæ oculos habere perspicacissimos, coloris ac splendoris eximii: et sponsum ad ea quoque alludere. Et S. Bernardus [2] dicit, sponsum, dum sponsam nominat bis pulcram, et oculos attribuit columbarum, hoc ipso suo dicto, geminatam illam pulcritudinem, et oculorum simplicitatem ac perspicuitatem ei de facto donare: *Ipse* enim *dixit, et facta sunt.* Unde mox sponsa perspicacissimis his oculis facile vidit, illas pulcritudinis perfectæ laudes longe potiori jure competere sponso: unde acceptas statim regerit et refundit in ipsum laudatorem.

℣. 15. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus* — Ego ex me nigra sum, pulcra non sum, nisi dono tuo; et quantacumque per te splendeam pulcritudine, comparatione tui nihil sum. Guttulam accepi ex immenso oceano, radium ex splendidissimo sole: umbra tua sum, et vix repræsentans imago, nec aliud. Tu vero, dilecte mi, revera pulcher es, immo solus pulcher, qui secundum divinitatem tuam splendor es gloriæ Patris, candor lucis æternæ: omnem pulcritudinis rationem et perfectionem infinitam a te ipso, et vi tuæ essentiæ ab æterno possides, sine ulla seu diminutione, seu variatione: qui exemplar, prototypon et fons et causa es omnium pulcritudinum creatarum vel possibilium: ita S. Dionysius [3]. Secundum humanitatem vero, licet subinde non videretur tibi *species* esse *neque decor* [4], semper tamen propter perpetuam unionem ad Verbum, et visionem beatificam, et inexhaustos gratiarum torrentes, *speciosus forma* [5] fuisti et es *præ* omnibus *filiis hominum*, immo fons et scaturigo omnis pulcritudinis quæ est in filiis hominum, seu in terris, seu in cælis: ita S. Augustinus et Bernardus [6]. Ergo pulcritudinem omnem, quam in me deprædicas, tibi acceptam fero, a cujus manu illam accepi. Neque solum tibi uni debetur, quod in me ipsa vel intra me ipsam ego pulcra sim, sed et quod omnia nostra utensilia, tentoria et palatia tam concinne ornata, tam odorifera, tam firma sint: quod *lectulus noster*, seu mensalis, seu nuptialis, *floridus*, id est, mens nostra, in qua tamquam in gratissimo thalamo mecum una requiescis, pulcherrimis virtuosarum actionum et desideriorum atque intentionum flosculis ornata sit et redoleat. Nam unde hæc mihi, nisi ex fasciculo myrrhæ, et ex botro flosculisque cypri tuæ? Quin et a te uno est, quod

℣. 16. *tigna domorum nostrarum cedrina* — id est, virtutes fidei, spei, charitatis, et aliæ ad salutem necessariæ, inquit S. Bernardus, quibus tamquam trabibus et tignis fulciuntur domus [7] nostræ, nempe intellectus, voluntas, memoria, in quibus Deus una nobiscum, ut in templis et domibus suis inhabitat; *cedrinæ* sint, id est, instar cedrinarum trabium solidæ, firmæ, vermium et corruptionis nesciæ;

Et *laquearia nostra*, id est, virtutes supererogationis, ut sunt consilia Evangelica, salubria perfectionis monita, et gratiæ gratis datæ, quæ serviunt ad ornandam animam, *cypressina* sint; id est, ex simili notæ venustatis et firmitudinis ligno, non aspera, non hiulca, non cariosa, non fœtida, sed odorifera et fragrantia: ita S. Bernardus [8]. De conditionibus cedri et cypressi vide Plinium, Dioscoridem [9] et alios.

(1) S. Thom. 1 p., q. 79, a. 11 et 12, et 1 et 12, et 1. 2. q. 12, a. 1.
(2) Serm. 45 in Cant.
(3) De Div. nom., cap. 4, p. 1.
(4) Isa. 53, vers. 2.
(5) Psalm. 44, vers. 3.
(6) August. in Psalm. 127; Bern. sup.
(7) 1 ad Cor. 3, vers. 16, et c. 6, vers. 19.
(8) Serm. 46 in Cant.
(9) Plin. lib. 24, cap. 6; Dioscor. l. 1, c. 89.

CAPUT II.

De singulari præcellentia sponsi et sponsæ super ceteros homines: de supremo gradu contemplationis et amoris Dei, ad quem sponsa evehitur per sponsum: de multiplici adventu Dei, et præsentia inter homines; et de signis quæ quemque præcedunt et comitantur: de vocatione Dei ad diversos virtutum gradus et status: de persecutoribus sponsæ, seu Ecclesiæ; et hujus felici progressu usque ad finem seculi.

1. Ego flos campi, et lilium convallium.

2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo.

℣. 1. *Ego flos campi* — cujus etiam Isaias meminit, *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* [1], flos, inquam, non solius horti Judaici, nec agri vomere prosulcati, vel aratro proscissi, sed *campi*, totius mundi decus et gloria, sine manuum adminiculo vel humana industria sponte prognatus, aeri palam expositus et libidini cujusvis me decerpere, me conterere, me in usus suos convertere volentis: ita S. Ambrosius [2], August., Cyrillus, Gregorius, Bernardus, quasi dicat, Merito mihi adscribis nitorem et suaveolentiam lectuli nostri floridi, quia *flos* ille *ego* sum, qui omnia *florida* facio et odorata: flos florum omnium perfectionem in me concludens: flos qui etiam succisus odorem reservo, et contritus accumulo. Nec tamen volo solis lectuli contemplatorii (ad quem me invitas) angustiis et domo deliciarum cedrina vel cypressina concludi; sed in patenti campo vitæ activæ, totius mundi bono et saluti me totum impendere, verbo et exemplo omnes instruere et exhilarare. Et nosse vis, qualis *flos* sim? verbo uno, *flos regius* sum, pulcherrimus et odoratissimus omnium florum.

Lilium convallium — ab altissimo cælorum throno in infimam mundi vallem delapsus, humana natura candidus, divina aureus, odoriferus prædicatione, expansus charitate, recurvus humilitate [3]. Lilium infinitæ virtutis, cujus splendore fugantur tenebræ, cujus contactu sanantur leprosi, curantur languidi, cujus odore mortui suscitantur, spinæ confixæ revelluntur, virtutes inseruntur, inquit sanctus Hieronymus [4]. Et ut hoc mihi ex meipso est et naturale, ita dono meo participative convenit etiam meæ sponsæ [5].

℣. 2. *Sicut lilium inter spinas*, seu adnascentes, seu adpositas, tutum et illæsum: *sic amica mea inter filias*, seu reliquas creaturas, quæ nonnisi *spinæ* sunt, nunc laudum et adulationum, nunc vituperiorum et obloquiorum, nunc aliarum injuriarum, difficultatum, tentationum, tribulationum, quæ tum a carne, tum a diabolo et mundo subnasci solent. Sed ne timeas, o candens lilium, nihil tibi spinæ nocebunt, proderunt potius, et pro vallo, seu septo tibi erunt adversus inertiam et vanam gloriam, et alia subtiliora vitia, quæ tibi insidiantur. Quin et ex spinarum comparatione pulcrior nitidiorque apparebis, et mihi magis magisque assimilaberis; quæ tibi summa laus est: ita S. Bernardus [6].

℣. 3. *Sicut malus*, seu pomus, *inter ligna silvarum*, seu silvestria: id est, quantum arbor florida, odorata et fructifera præstat lignis silvestribus, tantum

(1) Isa. 11, vers. 1.
(2) Serm. 5 in Psalm. 118, et lib. de Isaac, c. 4.
(3) Pierius lib. 55, cap. de lilio.
(4) In Joel. 3, vers. 18, et in Apologia ad Pammachium.
(5) " Non tamen lilium apud nos vulgatum, sed lilium Persicum, quod circa Susas olim persici regni metropolim adnascebatur; unde et Hebræis *Susan*, Turcis *Tusai*. Confer Soucieti dissertationem de postica parte quorumdam Herodis I. Numismatum p. 157 seqq. „
(6) Serm. 48 in Cant.

4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.

5. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

præstat sponsus meus aliis omnibus hominibus. Porro comparat illum potius *malo*, humili arbori, quam cedro, cypresso, platano vel palmæ proceris arboribus, quia vult insinuare jucundum et dulcem sponsi amorem in se et in omnes homines: arbor vero malus hieroglyphicum est *amoris*, teste Pierio [1]; quia sub ea edere et lusitare solent amantes, et malis se mutuo impetere, ac donare. Unde paullo post sponsa *stipari* vult *malis*: et sponsus affirmat se *suscitasse*, id est amare cœpisse, sponsam *sub arbore malo* [2].

Sub umbra illius sedi — q. d. Experientia comperi qualis arbor sit dilectus meus. Nam quieta, secura et læta diu permansi *sub umbra* fidei et obscuræ contemplationis, tum divinitatis, tum carnis ipsius, quæ est umbra divinitatis: ita S. Bernardus, ex Origene et S. Gregorio [3]. O quam illa umbra diversa ab umbris arborum mundi hujus, quæ non defendunt ab æstu concupiscentiarum, sed ardorem augent: non præstant quietem, sed bella: non refrigerant, non satiant, non durant; sed torquent, sed fugiunt, sed evanescunt! Quanto etiam nobilior umbris antiqui Testamenti sterilibus et infructiferis, quæ gratiam designabant et promittebant, non præstabant! At sub umbra Christi *fructum* multiplicem collegi, o quam *dulcem gutturi meo!* Primo, ablationem culpæ; secundo, gratiam sanctificantem cum omnibus donis et fructibus Spiritus sancti; tertio, jus ad gloriam et hereditatem æternam; quarto, quietem, patientiam, gaudium in tribulationibus, etc.; quinto, conversationem cælestem cum angelis et ipso Deo opt. max. per meditationem, per contemplationem, per continuum complexum: ita fere S. Ambrosius, Gregorius et alii supra citati. Neque contentus sponsus, me tam gratis fructibus pavisse, etiam potum addidit, et

℣. 4. *introduxit me in cellam vinariam* — quæ inter *cellaria*, quorum meminit c. 1, v. 3, jucundissimus locus est: ubi præbuit mihi vinum devotionis et amoris, non ex cratere, vel cum certa mensura aut moderatione, ut fit in mensa Sacramentorum, et ordinariæ orationis; sed ex ipsismet doliis humanitatis et divinitatis suæ, e quibus bibi non modo ad satietatem, sed et ad ebrietatem, ad exstasin, ad languorem, ad somnum usque, ut sequitur. Licet hæc amoris ebrietas et somnus spiritualis libertatem hominis, et judicium rationis et mentem non evertat; sed ad divina elevet, et multa quæ vires hominis excedunt detegat, sensusque externos, et passiones internas quasi sopitas relinquat. Largitur ergo hic sponsus sponsæ suæ donum supremæ contemplationis, non tantum intellectivæ ad modum Cherubim, qui scientiæ plenitudine fulgent; sed etiam affectivæ instar Seraphim, qui amore toti ardent, et extra se rapiuntur in Deum: ita S. Bernardus [4] et alii.

Ordinavit in me charitatem — quasi instructa acie militari. Unde in Hebræo est, *vexillum ejus super me charitas.* Cum enim acies militaris ordinatur, elevatur vexillum quod milites sequantur. Porro utriusque *charitatis* aciem *ordinavit in me*, puta et suæ erga me, qua me sibi subjiceret: et meæ erga se, qua me meaque omnia in se raperet ac transferret. Prior est ipsa contemplationis essentia et radix: posterior, potissimus illius fructus. In priore acie coeunt omnia Dei attributa et perfectiones, divina beneficia tum generalia, tum particularia, internæ collustrationes et excitationes, etc. In posteriore, sub vexillo charitatis collectæ virtutes omnes, et vires animi et corporis certant optimis quibusque actibus, artibus et modis hominem totum et omnia creata in Deum transferre, Deum demereri, Deum oblectare: et quidem tanto studio, contentione et pertinacia amoris, ut etiam languidæ, exhaustæ et enervatæ nolint tamen vel tantillum remittere. Nam audi sponsam ex lucta, ex vulnere anhelam et refocillari optantem:

℣. 5. *Fulcite me floribus*; LXX, *unguentis*, nempe ex odoratis floribus et

(1) L. 54, c. de malo.
(2) Cant. 2, vers. 5, et cap. 8, vers. 5.
(3) Bern. sup. et serm. 20; Orig. hom. 3 in Cant.; Greg. hom. 14 in Ezech.
(4) Supra, et serm. 16.

6. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.
7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

aromatibus confectis: *stipate me malis*, seu pomis, alii legunt, *consternite mihi thorum pomis*, de quo [1] alibi, *quia amore langueo* — LXX, *vulnerata sum*, sagittis divini Cupidinis. De quibus pulcre sanctus Basilius, Origenes et Gregorius Nyssenus [2], et regius Propheta, *Sagittæ tuæ acutæ* [3], *populi sub te cadent*, etc. Et sunt inspirationes vehementiores, et subitæ illustrationes, aliaque incentiva, quæ feriunt, penetrant et sauciant cor amantis. Nempe experta fuerat non semel sponsa vim et efficaciam pomorum dilecti sui, de quibus vv. 2 et 3; nempe dulciores fructus et opera amoris divini: unde et eadem nunc remedia inclamat. Sed pro aliis remediis, en tibi sponsum ipsum ad sponsæ deliquium accurrentem, et pro thoro floribus ac pomis instructo ulnas sponsi apertas ac sinum, quibus sponsam anhelam et sauciam excipit, novisque blanditiis delinit et recreat.

℣. 6. *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* — Per *lævam* Cassianus [4], adversa hujus vitæ, per *dexteram*, prospera: sed melius Origenes, Bernardus [5] et alii Patres per *lævam* intelligunt humanitatem Christi, et quæcumque pro nobis in carne seu egit, seu passus est, quibus anima solide sustentatur, fulcitur et erigitur, ne cadat: per *dexteram* vero ejusdem divinitatem, et omnia quæ ad ejus gloriam et majestatem spectant: quibus suavissime tegitur, protegitur et recreatur anima, atque ita cum amante unitur, ut ipsum intra sua viscera recipiat; vel potius a seipsa divulsa, tota in Deum abeat, et tota sit intra Deum, unum quid cum ipso effecta, et ceterorum omnium oblita, in ipso uno requiescat, ipsum unum intuens, unum diligens, ipso uno fruens. Et tunc suboritur *somnus* ille divinus, quem sibi optabat sponsa c. 1, v. 6, et hic demum illi ultro obtingit a benigna et liberali manu sponsi. Neque tamen existimandum, animam in hoc *somno* prorsus sopitam jacere et otiari, nihilque intelligere, aut mente percipere: nam miras tunc illustrationes, excitationes et affectiones recipit a Deo, non suo studio vel conatu, sed potentia solius Dei, anima vitaliter quidem, sed passive se habente, seu patiente divina, ut de D. Hierotheo dicit sanctus Dionysius, de sancto Ignatio Ribadeneira, Balthasar Alvarez de seipso, et alii de aliis. Omnis enim unio, amplexus, somnus, raptus, exstasis aut suspensio, in qua mens intus nihil divinum percipit, vana et inanis est, neque a Deo procedit, sed vel a malo spiritu, vel ex animi deliquio, vel ex debili corporis complexione nascitur. Quia Deus numquam motus corporis et actiones sensuum externorum suspendit, nisi ut abintus mentem facilius, melius et tranquillius illuminet et ad se rapiat. Ut bene ex SS. Patribus demonstrat Lud. de Ponte, Jacobus de Paz, et alii mystici Doctores. Somno correpta sponsa sponsi amica adjuratione jubetur non inquietari per *filias Jerusalem*, per concives ejusdem urbis dictæ *visio pacis*: qui proinde *pacis* merito studiosi esse debebant, sed subinde vel ex ignoratione, vel ex zelo indiscreto promovendæ vitæ activæ, improbant quietem vitæ contemplativæ, ut videre est in Martha, Lucæ 10: ita sanctus Gregorius et Bernardus. Quibus proinde sponsus:

℣. 7. *Adjuro vos per capreas cervosque camporum*. Quæ animalia quia præ ceteris blanda, pulcra et grata venatoribus ac pastoribus, proverbio [6] apud Judæos usurpabantur pro omni re quæ cuique jucundissima gratissimaque accideret. Allegorice, hic designant Prophetas, Patriarchas, Apostolos, aliosque Sanctos Ecclesiæ, inquit Origenes [7], vel beatas animas et angelos, ut Bernardus [8], Moraliter virtutes et dona cælestia. Per quæ, quia carissima civibus *pacis*, adjurat eos, ne quietem sponsæ interrumpant, turbando illius pacem, seu externam, seu internam, *quoad usque ipsa velit* — vel ultro expergefiat: nempe

(1) Prov. 25, vers. 11.
(2) Basil. regula 2 ex fusis; Orig. hom. 2 ex duabus; Nyss. hom. 4 in Cant.
(3) Psalm. 44, vers. 6.
(4) Collat. 6, c. 2.
(5) Supra.
(6) Infra vers. 9, et Prov. 5, vers. 19.
(7) Hom. 2 ex duabus.
(8) Serm. 52 in Cant.

8. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles:

9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum; en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge: propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

cum recta ratio et charitas dictabit, a somno et tractatione cum Deo exsurgendum subinde ad opem proximo ferendam: ita sanctus Gregorius et Bernardus.

℣. 8. *Vox dilecti mei* — supple audiri cœpit. Nempe, abierat paulisper dilectus, et sponsam reliquerat: sed mox celerrime recurrens, vocem, seu sonum, reditus sui a longe exaudiri facit. Videndum quoque se præbet, non tamen ut in se est, sed sub alienis figuris et similitudinibus, *capreæ hinnulique cervorum*, puta rerum pulcherrimarum et gratissimarum: nec tamen constanter et permanenter, sed per saltus, et interrupte. Quibus omnibus designatur, quam modica, quam obscura, quam instabilis sit in hac vita mortali, nostra divinæ majestatis contemplatio, inquit Gregorius Nyssenus [1]. Designantur secundo, multiplices voces et signa adventus sponsi tum in mundum, tum in animam. Primum ejus adventum, in carnem et uterum Virginis præcesserunt tot figuræ, tot oracula, tot suspiria patrum, ac præcipue Joannis Baptistæ vocis clamantis in deserto. Secundum adventum, in Pentecoste, ventus vehemens et linguæ igneæ. Tertium, in sacramentum Eucharistiæ, per voces consecrationis. Quartum, in animam hominis, per justificationem, *vox Domini præparantis cervos* [2], etc. Quintum adventum ad judicium particulare, præcedent signa quæ c. ult. Ecclesiastæ describuntur. Ad judicium vero extremum et generale, præcedent *signa in sole et luna*, etc. Denique designantur diversi saltus mystici, seu eximia opera quæ sponsus noster in singulis suis adventibus egit: quæ quia valde sublimia erant, ideo super montes et colles peracta dicuntur. Sic, ut notant SS. Ambrosius et Gregorius [3], de cælo saliit in Virginis uterum, de utero in præsepe, de præsepi in Jordane, de Jordane in crucem, de cruce in tumulum, de tumulo rediit in cælum. Et similes saltus etiam in aliis Christi adventibus notare licebit. Et hactenus quidem vidit sponsa salientem sponsum, et saliendo propinquantem: nunc etiam præsentem videt, aliisque quasi digito demonstrat.

℣. 9. *En ipse stat post parietem nostrum*, nempe Verbum divinum obscure se manifestat per carnem assumptam, per Ss. Eucharistiam, per cælos, per alias creaturas: ita sanctus Augustinus, Gregorius, Bernardus [4], Anselmus, Beda et alii. Unde ab Isaia vocatur *Deus absconditus* [5]. Non tamen ita absconditus, quin adverti possit: nam prospicit *per fenestras*, et fenestrarum *cancellos* — Ambrosius cum S. Hieronymo *retia* legit. Sunt vero hæ fenestræ retiatæ seu cancelli creaturæ omnes, et S. Scripturæ, et imagines rerum spiritualium, per quas ipse se prospiciendum exhibet, inquit S. Ambrosius, Bernardus et sanctus Thomas [6], et Cosmus Damianus Abbas pulcre deducit.

℣. 10. *En dilectus meus loquitur mihi*, nempe propius et pressius et articulatius, cubantem et dormientem excitans: *Surge, propera et veni* ad me, et quocumque te ducam, puta ad summum perfectionis gradum. *Surge* ergo ab omni affectu ad creaturas, ab omni eo in quo es dissimilis mihi, attollere ad præcelsa et magnifica ad quæ te voco. Sed cave sis nectens moras: omnis dilatio nocet. *Propera*, ne cesses, donec mihi prorsus similis, mecumque unum quid fias. In Hebræo est, *Surge tibi, propera tibi, veni tibi*, id est, tuo maximo commodo et bono.

Amica mea — singulari amoris vinculo non carni, non dæmoni, non mundo,

(1) Hom. 5 in Cant.
(2) Psalm. 28, vers. 9.
(3) Ambros. serm. 6 in Psalm. 118; Gregor. hom. 29 in Evang.
(4) S. Augustinus l. 2 de Visitat. infirmorum, cap. 2; Gregorius hic et hom. 13 in Ezech.; Bernardus serm. 56.
(5) Isa. 45, vers. 15.
(6) Ambr. sup.; Bern. serm. 32 in Cant.; S. Th. 2 p, q. 8.

11. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit.

12. Flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra:

13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem

sed mihi astricta, pretio mei sanguinis mihi comparata.

Columba mea, mihi assimilanda, mihi associanda, simplici intentione, innocentia vitæ, conversatione mansueta, spirituali prole fœcunda, mihi sponso tuo fida. *Formosa mea* — quia sanguine meo mundata, quia splendore gratiæ meæ et virtutum omnium ornata: quæ licet hominibus nigra et deformia sint, tamen in oculis meis maxime splendent. Porro dicere Dei, facere est. Sed an hæc dona frustra, vel tibi soli concessi? aut talenta, quæ tibi ad lucrandos alios distribui, abscondes in terra? Si, *amica mea* es, cur non lucri mei sollicita? Si *mea columba*, cur non mihi fecunda? Si *mea formosa*, cur foras non progrederis, ut videant opera tua bona, et glorificent Patrem tuum qui in cælis est? Quod si cum *Rachele* solum satagas ut pulcra sis et formosa, et negligas fecunda esse cum Lia, etiam Rachelis pulcritudinem amittes [1]. Nonne *columbæ* est, ubi grana collegerit in agris, ad pullos suos remigrare, quos alat, nutriat, foveat, corroboret? et quæ fœcunda fuisti in prole gignenda, sis etiam sollicita et festina in ea educanda et roborandæ: ita sanctus Bernardus, Cassiodorus, Beda et Anselmus. Addit Basilius [2], columbam Christi jam pridem ab illo cicuratam, et odoriferis unguentis alas in contemplatione perfusam, e columbario in agrum evocari, ut conjuncta columbis agrestibus, sua fragrantia illas ad idem columbarium attraheat, et Christo lucrifaciat.

℣. 11. *Jam enim hiems transiit, imber abiit*, etc. — q. d. Ne dubites, ne tardes egredi; tempus est maxime opportunum, aura verna, tepida, serena et amœna, et impedimenta atque incommoda, quæ terrere possent, jam sublata sunt. Nam *hiems* tentationum, ariditatum et ærumnarum internarum hujus vitæ *transiit: imber* persecutionum externarum abiit et recessit: ita S. Bernardus. Neque jam soli tribuli et spinæ, sed et *flores* pulcherrimi *apparent in terra nostra* — Flos, inquam, campi Christus, cum tot sapientiæ et sanctitatis flosculis quos eructavit. Flos quoque Deipara, et tot alii Sancti. Flores denique virtutum et piorum propositorum ac desideriorum, quibus tam multi tam ferventer suæ inhiant saluti, et tuam opem implorant: ita S. Gregorius [3], Honorius et Carthusianus.

℣. 12. *Tempus putationis advenit* — qua palmites inutiles resecentur, frugiferi purgentur, *ut fructum plus afferant:* ita Origen. et Beda [4]. Sed Nyssenus et Psellus [5] id de floribus, quos dixerat e terra emersisse, carpendis et legendis accipiunt.

Vox turturis audita est — Aliud ineuntis veris indicium. Nam *turtur*, hirundinum more, teste Jeremia [6], *hieme calidiora petit loca, sub vernum tempore redit, hieme muta, vere vocalis*, ait Plinius et Cicero [7]. Præ aliis vero avibus vere cantillantibus meminit solius *turturis*, quia hieroglyphicum est gemitus, solitudinis, pœnitentiæ, pudicitiæ, aliarumque virtutum, quas hic insinuat in agro Christi frequentari cœpisse.

℣. 13. *Ficus*, quæ ut infructuosa jussa [8] fuerat excidi, jam *protulit grossos suos* — id est, primos fructus, qui simul cum foliis erumpunt, et citius ad maturitatem deveniunt: unde ficus primi temporis et præcoces vocantur, et quia dulciores, magis expetuntur, et in deliciis habentur, de quibus Michæas [9], *Præcoquas ficus desideravit anima mea.* Designant vero primitivos Ecclesiæ fructus, Apostolos, Martyres, Doctores, Religionum patriarchas, etc.: ita fere Epiphanius, Ambrosius, Gregorius [10]. Sed Origenes [11] exponit de 12 fructibus Spiritus sancti.

Vineæ florentes dederunt odorem

(1) Gen. 29, vers. 16
(2) Epist. 175 ad Julittam.
(3) Lib. 12 Moral., cap. 24.
(4) Orig. hom. 4; Beda lib. 3.
(5) Nyss. hom. 5 in Cant.; Psellus apud Theod.
(6) Cap. 8, vers. 7.
(7) Cic. lib. 2 de Finibus; Plin. lib. 10 Nat. hist. cap. 35.
(8) Lucæ 13, vers. 8. (9) Mich. 7, vers. 1.
(10) Epiph. l. 2 contra hæres., c. 64; Ambros. serm. 6 in Psalm. 118, vers. 3; Greg. hic.
(11) Hom. 4.

suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni.

14. Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

suum — illæ, illæ vineæ, quibus custodiendis custos es adhibita, c. 1, v. 5, de quibus pene desperabas, jam florent, et primulos racemos jaciunt una cum floribus, qui fragrantiam spargunt tam suavem, tam potentem, ut, si S. Bernardo [1] credimus, *omne venenatum reptile* cogatur *cedere loco, nec* possit *novorum florum ferre odorem.* Designantur vero tum particulares Ecclesiæ et conventus, ut S. Hieronymus, Ambrosius [2], Gregorius, Bernardus et Anselmus volunt: tum singulæ animæ, ut Origenes exponit.

Surge, amica mea, etc. Irritamentis omnium sensuum provocarat sponsus sponsam suam e latibulis suis in agrum Dominicum, pulcritudine florum visum: fragrantia eorumdem olfactum: cantu turturum auditum: ficubus gustum: calore et suavitate veris tactum recrearat, jam novis illecebris eamdem provocat, nempe amœnitate et suavitate loci ad quem evocatur, nempe ad *foramina petræ,* ad *cavernam maceriæ* — Hebraice est, *in illis foraminibus, in illa caverna,* nempe quam tu probe nosti: ita SS. Patres fere omnes, qui per hæc designari volunt vulnera manuum, pedum et lateris, adeoque totius corporis Christi. Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Cyrillus, Nyssenus [3]. Sed S. Bernardus [4] etiam attributa seu perfectiones divinas in Christo, foramina petræ vocat, per quæ ad divinam majestatem prorepimus. Idem rursus cum Cassiodoro et Beda, angelorum præsidia quibus vineæ cinguntur, intelligit. Possunt et SS. Scripturæ, possunt et quævis creaturæ intelligi, per quas ad cælestia, ad divina contendimus. Apud LXX est, *veni in tegmine petræ juxta promurale,* q. d. Non evoco te, ut perpetuo sub dio verseris in agro, in vineis, in continuo labore et æstu, etiam istic tibi prospexi de commoda quiete, de amœno refrigerio, de securis latebris. Ecce in agro, in vinea sunt multa foramina petræ, multæ cavernæ maceriæ, in quibus pro placito, pro voto te abscondes, et una mecum conquiesces, et a periculis, ab insidiis, a strepitu libera, optatæ contemplationi vacabis. Neque enim velim, ita te proximorum negotiis totam immergi, ut non super omnia tibi ipsi vaces: neque aliter actioni insistas, quam ut mox ad contemplationem te recipias. Ergo non in agrum modo, sed et in hæc mea foramina et cavernas te invito: hic sublato omni velamine ignorantiæ, malitiæ [5], erubescentiæ [6], metus, sinistræ intentionis, etc., *ostende mihi faciem tuam* — facie semper ad me conversa, me tibi continuo præsentem, teque tuaque complectentem intuearis. Verbo uno, *ambula* [7] *coram me, et esto perfecta.*

℣. 14. *Sonet vox tua in auribus meis* — Vox confessionis miseriæ tuæ, et peccatorum tuorum: vox confessionis et laudis Dei: vox orationis et suspiriorum ad me: vox prædicationis ad populum, et instructionis fraternæ. His vocibus oblector et recreor, ut quam maxime. Sed omnem vocem superat clamor ardentis affectus et amoris erga me in meditatione et in contemplatione tua, cujus pro libito exerendi plena facultas tibi erit in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ad quam te invito: ita cum Origene [8] communiter SS. Patres, qui faciem hic et vocem sponsæ a sponso expeti censent: Gregorius tamen Nyssenus, Psellus [9] et alii quidam Doctores non improbabilius putant hæc sponsæ verba esse, quæ vehementer desideret sponsi faciem videre, et vocem audire, q. d. Invitas me ad flores videndos, ad turtures audiendos, etc.; tu interim fugis procul a me ad montes, ad colles cælestes, ego vero protestor, numquam mihi per te factum iri satis, nisi quando mihi exhibebis optatissimam faciem tuam et vocem tuam,

(1) Serm. 60 in Cant.
(2) Hieron. lib. 1 contr. Jovinian.; Ambros. sup. et alii sup.
(3) Hieron. in Zach. 3, vers. 9; Aug. serm. 9 de Temp.; Isid., Cyrill., Nyss. apud Lipoman. in Catena; Exod. 17, vers. 9.
(4) Serm. 61.
(5) Ad Rom. 1, vers. 18, et 1 Petr. 2, vers. 16.
(6) Lucæ 9, vers. 26, et Marci 9, vers. 38.
(7) Gen. 17, vers. 1.
(8) Hom. 4.
(9) Supra.

15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia:

17. Donec aspiret dies, et incli-

non humanæ tantum, sed et divinæ naturæ tuæ; non jam per cancellos et fenestras creaturarum, non per ænigmata et figuras, sed *facie ad faciem*; nihil enim *dulce* æstimo nisi hanc *vocem*: nihil *pulcrum* nisi hanc *faciem tuam*.

℣. 15. *Capite nobis vulpes parvulas* — quarum ingenium et studium est cunctas demoliri vineas, ne et nostram demoliantur quæ jam floruit. Sunt hæ vulpes triplicis generis, diaboli, mundani homines, et carnis concupiscentiæ, seu passiones. Quæ licet impiis et imbellibus leones, pardi, lupi, dracones videantur, ut eos subinde vocat S. Scriptura: tamen Deum amantibus non sunt nisi vulpeculæ, subdolæ quidem et versipelles, sed imbelles. Has, dum adhuc in nidulis et parvulæ sunt, jubet *sponsa* capi, ut quidam Rabbini et Doctores exponunt; vel, ut alii, *sponsus*, q. d. Hoc ante omnia curandum, nam nisi capiantur, capient et carpent omnes fructus vineæ. Cura vero has vulpeculas capiendi demandatur primo, angelis Custodibus; secundo, Prælatis, prædicatoribus, confessariis, magistris; tertio, singulis fidelibus, quibus suæ cuique vineæ custodia curæ et cordi tempestive esse debet, nec *sero medicina paranda*. Verum, cur dicit, *Capite nobis*, non vero *occidite?* Nempe non venit Filius hominis animas perdere, sed salvare; et mavult incentiva vitiorum in usum virtutum commutari, quam extingui vel absumi, inquit S. Gregorius [1].

Dum vero capiendis, vinciendis et constringendis his vulpeculis, et vineis et agris pro officio suo excolendis sponsa cum suis tota distinetur; en tibi sponsum in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, juxta condictum sponsam primum præstolantem, dein et advocantem, tertio introducentem, denique amplexantem et blandientem. Unde illa mox amore saucia,

℣. 16. *Dilectus meus mihi* — supple, unicus est sponsus, unice dilectus. Ita plerique SS. Patres. S. Bernardus [2]: *Mihi* singulariter intendit, attendit, curam gerit. S. Franciscus [3]: *Mihi est omnia; est creator, magister, dominus, pastor, pater, sponsus: est mihi* [4] *via, veritas et vita: est mihi* [5] *redemptio, sanctificatio, justitia, sapientia: est mihi spes, salus, gaudium, beatitudo suprema.* S. Cyprianus et Ambrosius [6]: Totis sensibus sum ipsius solius: et ipse *est mihi mea portio, mea hereditas, mea possessio. Ipse solus mihi sufficit, quia in illo omnia bona possideo. Et ego illi portio et possessio sua sum, et quasi omnia ipsi, sufficio ipsi, qui præter me nihil aliud requirit a me. Et ego honori, nutui, lucro illius tota intendo: sponsa illius unice ipsi dilecta.* Joannes Mariana: Ipse *mihi et ego illi*, id est, bene inter nos convenit, mutuo contenti sumus. Et quidni contenta sim illo, *qui pascitur inter lilia* et vernantes rosas, instar apiculæ dulcissimum inde mel mihi colligens, quo me deinde pascat? Nam LXX habent, *qui pascit in liliis*. Lilia hæc sunt SS. Scriptura, Sacramenta, virtutes omne genus, divina attributa et mysteria, inquit S. Bernardus, Nyssenus et Jansenius [7]; nam his omnibus et *pascitur* ipse, id est, oblectatur; et nos pascit, nutrit, impinguat, oblectat.

℣. 17. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* — LXX, *amoveantur umbræ*. Id est, dilectio hæc, et pastus continuo crescent incremento, ab aurora ad plenam meridiem, quando umbræ evanescunt, id est, ad summam usque perfectionem. *Justorum* enim *semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem* [8]. *Dies* ergo hic mystice significat gratiam, fervorem spiritus, perfectionem Evangelicam: *umbræ* peccata, imperfectiones, carnis noxias affectiones et inordinatas passiones: quæ quo magis crescit gratia, fervor et perfectio, eo magis decrescunt, inquit

(1) Lib. 3 Mor., cap. 19.
(2) Serm. 67. (3) In vita S. Francisci.
(4) Joan. 14, vers. 6. (5) 1 ad Cor. 1, v. 30.
(6) Cypr. serm. de Ascens.; Ambr. serm. 8 et 12 in Psalm. 118.
(7) S. Bern. serm. 70; Nyssen. hom. 5 in Cant.; Jansen. in Prov. 6, vers. 8.
(8) Prov. 4, vers. 18.

nentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.

S. Augustinus [1]. Sed Nyssenus per *diem*, intelligit lucem et scientiam a Spiritu sancto infusam: per *umbras* ignorantiam et errores. Potest etiam cum S. Gregorio [2] et aliis Patribus intelligi *dies* æternitatis: vel cum S. Ambrosio [3], *dies* hujus vitæ: per *umbras* vero quidquid vanum, caducum, transitorium est in vita. Porro quia perspectum habebat sponsa, sponsum perpetua gaudere vicissitudine, et nunc accedere, nunc recedere; nunc hos, nunc illos invisere, nihilque ei gratius accidere, quam salutem aliorum, maxime nobis commissorum, quacumque possumus via promovere; hoc zelo accensa, et ut nutibus sponsi per omnia se conformet, summa reverentia atque animi submissione proponit sponso, ut a se ad alios quoque deflectat:

Revertere, dilecte mi, super montes Bether, id est, divisionis, id est, multis vallibus et *concavitatibus* divisos, ut vertunt LXX, quos infra c. 8, v. ult. vocat *montes aromatum;* quia aromaticis arboribus abundabant. Petit ergo sponsa, ut sponsus iis donis, quibus se cumulabat, etiam alios donet, et præ omnibus

(1) Lib. 83 Quæst., q. 6, tom. 4.
(2) Supra.

greges sibi commissos, a quibus suo forsan vitio illum fugarat, jam postliminio revisat, cælesti pabulo pascat, peccatores convertat, tristes soletur, infirmos roboret, excitet tepidos, auxilietur afflictis, calcar addat currentibus, omnibus omnia necessaria, omnia utilia impertiat, ut omnibus una cum ipsa dicere ex animo liceat, *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Et hæc est *vox* illa sponsæ, quam sponso, ut *in auribus* suis *resonet*, petenti gratissimam reddit primo et ultimo loco: ita fere Beda et Lud. de Ponte. Alii id exponunt de reditu Christi e morte ad vitam, e limbo in terram, e terra in cælum, e cælo in Eucharistiam, in animas piorum, in vallem Josaphat, et peracto judicio rursus in cælum empyreum. Sed rogat sponsa, ut in sua reversione sponsus *similem* se præbeat *capreæ hinnuloque cervorum* — id est, primo, celerrime currendo ac properando; secundo, oculos identidem post tergum, subinde et gressus iterum ad se vertendo; tertio, speciosum, hilarem, delectabilem omnibus sese exhibendo, abundantia gratiæ et donorum Spiritus sancti omnes oblectando.

(3) Serm. 6 in Psalm. 118.

CAPUT III.

De variis et miris modis quibus Deus quæritur et invenitur in hac vita: de multiplici profectu spirituali per opera vitæ, tum activæ, tum contemplativæ: de plena perfectione curanda, et sibi et proximo: de contemplatione diadematis Christi, seu mysteriorum et perfectionum ipsius. Quæ enim duobus primis capitibus quasi compendio perstrinxit, eadem sex sequentibus capitibus uberius, subtilius ac dilucidius, novis subinde metaphoris et similitudinibus illustrat, ut dixi in præfatione.

1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.

¶. 1. *Quæsivi quem diligit anima mea:* utpote summum bonum et ultimum finem meum. Qua quæsitione nihil in hac vita sublimius, nihil utilius, nihil jucundius. Sed quæsivi *per noctes*, non plenæ ignorantiæ, aut malitiæ: nam lumine fidei et splendore gratiæ jam illuminata eram; sed afflictionis, desolationis, ariditatis, Deo lucem devotionis et contemplationis ad tempus subtrahente. Ergo quasi in tenebris palpans, quæsivi primum *in lectulo meo*, id est, pigre et desidiose, nimium mihi indulgens, meæ unius studens quieti, tranquillitati, delectationi, etiam in oratione, meditatione et virtutum stu-

2. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.

3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis?

4. Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec in-

dio, *quæsivi illum, et non inveni.* Nam lectulum meum occupabat solus mei ipsius proprius amor: divinus vero amor quærendus in lectulo ipsiusmet Dei, et loco quieti et deliciis ipsius deputato, nempe *lectulo florido* strenuis virtutum actibus, sanctis et puris intentionibus, inflammatis desideriis, de quibus cap. 1, v. 15. Ergo frustrata spe mea, ad alterum deflexi extremum, dicens:

℣. 2. *Surgam, et circuibo,* etc. — Id est, neglecto orandi studio, totam me negotiis externis immergam, non profanis, sed honestis, sed religiosis, et in bonum proximi mei. Sed neque hic illum *inveni.* Nam externæ occupationes immoderatius, et plures quam par est, assumptæ, non consociant animum Deo, sed abstrahunt, dilacerant, lædunt, terræ et tuo ipsius amori affigunt. Quot enim sunt occupationes inordinatæ, tot sunt spinæ, tot sunt ambitionis flabella, tot sunt distractionis ac turbationis incentiva, cor in varias et vanas curas dissecantia: ita S. Bernardus et Bonaventura ex S. Gregorio [1] et aliis.

℣. 3. *Invenerunt me vigiles* qui custodiendæ ac gubernandæ tum Ecclesiæ, tum animæ cujusque nostrum a Deo præpositi sunt, nempe angeli tutelares (de quibus S. Ambrosius et Nyssenus hæc intelligunt), item Prophetæ, Apostoli, Pastores, Doctores, Prælati, confessarii, consiliarii; de quibus Gregorius Magnus, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Richardus et alii. Hi vigiles vel ex divina inspiratione, vel ex SS. Scripturis, vel ex dictamine rectæ rationis, docuerunt me viam qua possem reperire dilectum meum, et dona cælestia ad tempus subtracta recuperare. Docuerunt enim me primo, pro virili incumbere orationi, non meæ quietis aut oblectationis causa, sed ut divinæ per omnia voluntati obsecundem. Secundo, externis occupationibus cum magna discretione me dare, neque altius me immergere, quam vel propria utilitas, vel proximi necessitas exigat: non solatiola ex eis emendicando, sed propter Deum pure omnes suscipiendo et obeundo. Tertio, cum omnia fecissem mihi possibilia, patienter tum præstolari de manu Domini quidquid illi placuerit donare, indignam me arbitrando vel minimo munusculo, dignissimam vero maximis pœnis, tormentis ac miseriis.

His similibusque monitis in praxim redigendis ut primum me dedi, et *paululum pertransivi* hos vigiles, nempe divina sponsi vocatione me paullo altius attollente (nam singulare Dei donum est; neque sola vel hominum, vel angelorum instructione aut proprio conatu obtineri potest), *inveni quem* diligebam, et in eo veram pacem, solidam tranquillitatem, plenum gaudium. Quæ animam ita pro eo temporis articulo satiant, ut licet sciat se non comprehendisse summum bonum, sed neque ut id est vidisse, vel sensisse; putet tamen et sentiat se pro statu hujus vitæ illo abunde frui, et ita voti compotem se factam, ut plene in illo conquiescere possit ac debeat. Unde mox subdit:

℣. 4. *Tenui eum; nec dimittam* — Tenui crebra cogitatione, meditatione, contemplatione et continuo amore, similitudine vitæ et morum imitatione, perpetuo obsequio voluntati et nutui ipsius. His enim velut osculis et amplexibus illum mihi adstrictum et intime unitum teneo, immo unum quid cum illo me efficio. Sicut enim vehemens calor ignis liquefacit glaciem, eamque quasi a propria natura dimovet, facitque diffluere et commisceri terræ, intra eam imbibi, et cum illa quasi unum fieri: sic vehemens Dei amor liquefacit animam, et facit eam a se quasi diffluere, et totam ita absorberi atque imbibi a Deo, ut ex duobus unum effici penitus videatur. Hinc subinde oritur *extasis* animæ, *oblivio* sui, et *transgressio* in Deum, *raptus, volatus, somnus et liquefactio* animæ, cujus supra [2] memini, et infra [3] mentio recur-

(1) Bern. lib. 1 de Considerat.; Bonav. de Sex aliis, cap. 7; Greg. in 2 p. Pastoral., cap. 7, et l. 18 Moral., cap. 15.

(2) Cap. 2, vers. 6.
(3) Cap. 5, vers. 6.

troducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.

5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel:

ret. Et sic mystici dicunt, animam *deficere* in se, *perdere* seipsam, *in nihilum redigi, intrare in abyssum* divinitatis, *converti et transformari in Deum*, et in illud *Esse increatum et ideale æternum*, et similia, quibus sæpe utitur Richardus, Rusbrochius, Taulerus, Harphius, Blosius et alii; et optime explicant Ludovicus de Ponte, Jacobus de Paz, Maximilianus Sandæus [1].

Tenui ergo sic dilectum meum, nec sivi me divelli ab ejus amplexibus: immo firmiter animo statui *non dimittere* illum, *donec introducam in domum matris meæ*, id est, meam: sed *matris* vocat, ob honestatem, inquit Mariana. Est vero domus et cubiculum hoc, ut explicat Nyssenus, cor meum, mens mea; Ambrosius [2], internum secretum naturæ meæ; alii, centrum cordis mei, pars superior ac nobilior animæ, ubi resident virtutes theologicæ, dona Spiritus sancti, ceteræque virtutes internæ. Ibi intimam vult fovere cum Deo familiaritatem, et spirituales cum eo nuptias contrahere, illo perpetuo præsente frui, colloquiis ejus pasci, arcana discere, et optatis complexibus secura gaudere. Et quidem obtinuit mox quod optavit: unde et rapta in exstasim contemplationis et amoris, suavissimo indulget somno, gaudente probanteque sponso, et illam interpellari vetante, prorsus pari modo quo supra c. 2, v. 7. Non decuit eam, quæ tanta contentione sponsum quæsierat, et invenerat, promiseratque se numquam illum dimissuram, et jam bona noctis parte in ulnis ipsius conquieverat, nihil aliud operando, etiam interdiu domi desidere, sponso foras properante: decuit simul in agrum et rus exire, et sponsum ad greges abeuntem comitari. Quam jam egressam conspicatæ sodales, novam mirantur sponsæ formam, gestus, incessum gracilem, jucundum, modestum, fragrantiam vesti-

(1) De Ponte in Duce spirituali, tract. 3; De Paz tom. 3 de Orat.; Sandæus lib. de Contempl.
(2) Nyssen. et Ambros. supra.

mentorum, etc. unde præ admiratione et stupore rogant:

℣. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* quæ inter tot mundanas sordes, tot spinas, tot vepres, inter *cubilia draconum, et pascua struthionum*, inter *onocentauros et pilosos* [3]; inter ursos et leones, nec vi, nec dolo, nec inertia, nec metu detinetur; sed generosa desertione omnium terrenorum, et sui quoque ipsius, igne divini amoris sursum acta, *ascendit* velocissimo et rectissimo filo ad cælum, ad thronum, ad sinum æterni Patris: *sicut virgula fumi*, instar thymiamatis confecti *ex aromatibus myrrhæ* abnegationis sui, mortificationis, et molestiarum vitæ activæ: *et thuris* orationis ac contemplationis: *et universi pulveris pigmentarii* virtutum simul omnium; per modum perpetui holocausti, charitatis igne succensi et absumpti, summa fragrantia sursum ascendit, non sparso hinc inde ad latera fumo, per sinistras intentiones; sed recta *virgula fumi* in altum tendente, unico purissimoque uni Deo placendi colendique desiderio, inquit S. Gregorius et Cassiodorus [4]. En primos fructus ex sponsi thalamo. Sequuntur alii. Illa, quæ aliquando fuit cubile ferarum et fœdarum passionum, etc. nunc est castissimus

℣. 7. *lectulus Salomonis* pacati et pacifici regis, nullis jam vallatus spinis antiquorum scelerum, vepribus curarum anxiarum, tumultibus obstrepentium passionum; sed tranquilla pace cinctus, auro, argento et gemmis cælestium gratiarum ornatus, et omnigenis virtutibus *floridus:* in quo tamquam in loco sibi gratissimo cælestis Salomon, princeps et auctor veræ pacis, perpetuo conquiescit, et cum illo anima orationi et contemplationi vacans jucunde deliciatur. Neque est quod sibi timeat a *timoribus nocturnis*, seu qui solent piis animabus nocturno tempore, id est, in tenebris hujus seculi,

(3) Isa. 34, vers. 13.
(4) Greg. hom. 22 in Ezech.; Cassiod. in Cant. 3.

8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:

10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.

11. Egredimini et videte, filiæ

timorem incutere, puta dæmones, mundus, caro. Nam sicut terreni regis Salomonis thalamum custodiunt continuo 60 armati, ex omnibus tribubus quini fortissimi: ita cælestis Salomonis lectulum tuentur 60, id est innumeri, custodes, partim externi, de quibus vers. 3, partim interni, puta virtutes, in suum singulæ contrarium vitium armatæ: et heroica proposita, generosæque cogitationes et affectiones, quæ ex meditatione vel contemplatione promanant, et diu post adhuc durant: quibus vix ulla est vigilantior potentiorque animæ custodia: ita fere Cassiodorus, Gregorius, Beda, Ludov. a Ponte [2]. Nec tamen solius *lectuli* floridi et amœni laudem tribuunt sponsæ, sed et *ferculi* gestatorii cælestis Salomonis, quo, sicut terrenus rex in publico deferebatur maxima pompa, minima succussione, simul quiescens et iter faciens; ita cælestis rex deferri vult in totius mundi notitiam, idque per illosmet in quorum cordibus per charitatem et alia dona sua conquiescit: deferri, inquam, sed sine quietis suæ turbatione, vel bajulorum suorum concussione aut detrimento. Ergo

℣. 9. *ferculum*, seu lecticam gestatoriam, *fecit sibi rex Salomon* — opus regia magnificentia et immensa sapientia sua dignum: cui construendo pretiosissima quæque adhibuit: *lignum Libani*, naturam generosam, animam bonam, ingenium nobile, talenta omnia eximia.

℣. 10. *Columnas ejus argenteas*, septem dona Spiritus sancti, et virtutes theologales et cardinales, quibus simul unitis nihil fortius, nihil splendidius, *nihil utilius in vita hominibus*. In ferculo *reclinatorium aureum* est pars animæ superior [3], meditatione et contemplatione rerum divinarum tamquam auro instructa, qua et Deus in anima requiescit, et ipsa anima in Deo requiescit, et a Deo

refocillatur, ac spiritum haurit ad alios docendos; et ipsi qui docentur, requiem per illam adipiscuntur, inquit S. Greg. [4]. Adjecit *ascensum purpureum* — id est, gradus per quos in lecticam ascenditur, purpureis tapetibus seu carmesinis holosericis instratos, nempe patienti mortificatione carnis, et forti tribulationum tolerantia, quæ animum vere regium et Regi regum crucifixo similem faciunt: ita sanctus Cyprianus et Beda [5].

Media, id est, partes intermedias, puta quæ inter ascensum et reclinatorium seu sedile sunt, item pavimentum lecticæ, *constravit charitate*, id est, re omnibus carissima, nempe gemmis et monilibus; LXX, *intimum ejus constructum lapidibus*, nimirum pretiosis. Hebræum enim *ratsuph* [6] carbonem ignitum, vel lapidem splendentem significat, unde pro *carbunculo*, et etiam pro *charitate* usurpatur; quia hæc præ omnibus virtutibus et ardet et splendet, quin et splendorem et ardorem aliis impertit, quo si ipsa abesset, prorsus carerent. Unde aptissime additur, *media* hæc stravisse charitate *propter filias Jerusalem*, id est, ut hoc ferculo tamquam divini Salomonis instrumento et ministro, charitas in alias quoque animas pacis amantes invehatur, ut illas similiter inflammet, et virtutibus splendere faciat: ita fere Hugo de S. Victore, et Ludov. de Ponte [7]. Et hæc est summa animæ dignitas, cooperari Deo in animarum aliarum salute procuranda.

Sed concionem jam sponsæ audiamus, qua fideles omnes evocat et allicit ad videndum, amandum, colendum cælestem sponsum suum:

℣. 11. *Egredimini, filiæ Sion* — id est, e cubiculis, e domibus, e vitiorum antris exite, o animæ cælesti civitati inscriptæ: abjicite quæ vos a studio curandæ salutis et perfectionis remorantur: vale fa-

(1) [a] Vers. 8. *Bella* scilicet spiritualia. *Timores nocturnos*. Chald. *Dæmones qui ambulant in nocte*. Sa.

(2) Greg. lib. 7 Mor., cap. 8; Ludov. a Ponte sup. tract. 4.

(3) Sap. 8, vers. 7.

(4) Hom. 15 in Ezech.

(5) Serm. de Bono patientiæ.

(6) רצוף.

(7) Hugo lib. 1 de Erudit. Theolog. ex Miscellaneorum tit. 60; De Ponte tom. 4 de Perfectione Christiana.

Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

cite pravis operibus, concupiscentiis et curis: vacate animis, et rei longe nobiliori, longe splendidiori et jucundiori attendite;

Videte regem cæli et terræ, regem vestrum, et, si vultis, etiam sponsum vestrum. *Salomonem in* regio *diademate*, id est, omnibus perfectionibus suis tum divinis, tum humanis, quas diversis temporibus diversas orbi manifestavit, nam *in capite ejus diademata multa* [1]: quibus *coronavit illum mater sua in die desponsationis illius* — In *die* æternitatis, coronavit illum divina fecunditas divinitate sua. In *die* incarnationis, coronavit illum et virgo Mater, et cælestis Pater humanitate sua, cum tanta sapientiæ ac gratiarum plenitudine. In *die* passionis, mater Synagoga coronavit eum spinea corona, cum tot flagellis, vulneribus et probris. In *die* resurrectionis, cinxit eum divina justitia diademate gloriæ.

In *die* conversionis animarum, Ecclesia militans cingit illum corona seu cœtu fidelium in terris, et Ecclesia triumphans corona Sanctorum in cælis: qui sane maxima sunt gloria et decus æternum regis cælestis, ipsomet per Isaiam testante [2], *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui*, et rursus: *Omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Et Christus apud Matthæum [3] affirmat, se pro *matre* sua habiturum quicumque voluntati et nutui divino in salute animarum curanda obsecutus fuerit. Ad hæc spectacula digna vobis et grata et jucunda Deo *egredimini, filiæ Sion.* Nullæ aliæ tam commodæ illecebræ, tam potentes machinæ, quibus animæ generosæ a cupediis hujus seculi ad amplexus cælestis sponsi pertrahantur.

(1) Apoc. 19, vers. 12.

(2) Isa. 62, vers. 3, et cap. 49, vers. 18.
(3) Matth. 12, vers. 50.

CAPUT IV.

Encomia sponsæ, et singularium ejus partium, quibus illam sponsus provocat ad sublimiora, et ad gloriosiorem coronam invitat, maxime ad salutem proximorum curandam, et labores ac dolores pro Christo exsorbendos. Ubi nota, multis variisque metaphoris sæpe unum et idem inculcari tum in hoc, tum in aliis hujus Cantici capitibus: cum enim nulla una metaphora vel similitudo reperiri possit, qua res de qua agitur, plene explicetur, idcirco pluribus et variis, quæ per partes id præstent, Scriptura uti consuevit.

1. Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

Exhortatio sponsæ qua reliquas filias Sion conabatur in amorem sponsi pertrahere, adeo placuit sponso, ut mox admirabundus in has laudes erumperet:

℣. 1. *O quam pulcra es! quam pulcra es!* — Pulcra contemplatione, pulcra et actione.

Oculi tui columbarum. De hoc egi c. I, v. 14. *Absque eo quod intrinsecus latet* — id est, præter affluentiam cælestium gratiarum, quas intus a me recipis ob nobilissimum affectum tuum, et affectum columbinum. Sicut enim affectus tuus et zelus internus nullis limitibus constringitur, sed tamen homines latet: ita præmium quoque, quo illa remunero, licet mensuram vulgarem excedat, latet tamen intus in occulto, neque ulli patet, ne quidem tibi ipsi. Sunt enim *arcana, quæ non licet homini loqui* [1]: ita S. Ambrosius et Gregorius [2]. LXX vertunt, *extra taciturnitatem tuam*, vel silentium

(1) 2 ad Cor. 12, vers. 4.

(2) Ambr. de Instituend. virgin., cap. 1; Greg. in Cant. 4.

2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas:

3. Sicut vitta coccinea, labia tua: et eloquium tuum, dulce. [1] Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

tuum quo retices lingua, quod clamas corde et desiderio et gemitu. Quo silentio nihil clamosius, nihil vocalius, nihil potentius: de quo Jeremias Thren. 3: *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se*, et Apoc. 8: *Factum est silentium in cælo*, seu in anima conversante in cælis, *quasi media hora*; de quo vide S. Gregorium [2] et Philonem Carpathium, et Justum Origelitanum.

Capilli capitis *tui*, id est, cogitationes et affectiones, quæ ab animo procedunt, ut sunt multæ, variæ, pulcræ et fecundæ, ita maxima cura a te ordinantur et diriguntur ad unum finem gloriæ Dei, *sicut greges caprarum*, quæ licet natura sua petulcæ sint, et liberius cursitent ac saltitent, tamen vigili pastoris cura continentur et coercentur, idque in pascuis uberrimis et saluberrimis, qualia sunt in valle et *monte* altissimo *Galaad*, id est, acervi testimonii, puta SS. Scripturis, in quibus omnia coacervantur testimonia de Deo, de Christo, de omnibus fidei mysteriis, circa quæ continuo cogitationes et affectiones Sanctorum versari debent, ut veros Nazaræos generent et roborent et ornent *candidiores nive, et sapphiro pulcriores;* ita fere S. Gregorius, Beda [3] et alii.

℣. 2. *Dentes tui*, instrumenta ad mandendum et loquendum, nempe studium, meditatio et oratio, sunt *sicut greges tonsarum* et bene *lotarum* ovium, candida, munda, nihil habentia sordium aut fœditatis, concinna, polita, contigua sibi mutuo, fortia, fecunda, *gemellis* omnia *fetibus*, in intellectu veram cognitionem, in voluntate ardentem amorem, in proximo solidam virtutem generantia: ita S. Bernardus [4].

℣. 3. *Labia tua*, instrumenta ad osculandum et loquendum, nempe interna conversatio cum Deo, et externa tractatio de Deo, nil fuscum habent, nil lividum, nil turpe, sed pulcra sunt per omnia, et rosea, et corallina, velut ex coccino ignescente. Designant fida et ardentia amoris interni signa, et externum *eloquium dulce*, concinnum, gratum, spirans sanguinem Christi et amorem divinum. Talia labia decent concionatores, confessarios et alios Ecclesiæ ministros, inquit Gregorius, Anselmus, Beda. His enim convenit, *vitta coccinea* Deum attrahere et alligare non sibi solis per intimam cum eo unionem et familiaritatem, sed et proximo suo per exhortationem, instructionem, vulnerum obligationem, scelerum remissionem, etc. ita Richardus a S. Victore et alii.

Genæ tuæ, sedes pudoris, nempe pudica castitas, modesta verecundia, discreta conversatio, sunt *sicut fragmen;* LXX, *sicut corteæ, mali punici* — id est, partim candidæ, partim rubicundæ et purpureo colore venustæ, granis medicis, et succo suavissimo ac saluberrimo plenæ, licet cortice exteriore insipido, austero et duro, propter rigorem mortificationis et pœnitentiæ, quibus solis castitas tuta conservatur.

Absque eo quod intrinsecus; hebraice, *quod intra velum tuum: latet*, quod omnia encomia, omnes laudes excedit, ut dixi vers. 1.

℣. 4. *Collum tuum*, instrumentum ad jugum bajulandum, nempe obedientia, quæ, ut dixi cap. 1, vers. 9, pulcra est ut monilia, est etiam recta, procera, constans, rotunda, fortis, et spoliis et armis omne genus instructa, ad similitudinem *turris* quam David rex ædificavit in monte Sion, quæ in Scripturis vocatur arx Sion [5], et serviebat partim pro specula ad omnia circumlustranda; partim pro munimine urbis ad hostem repellendum: unde et *propugnacula* varia habebat, et *clypeos*, et enses, et *mille* alia arma, id est, innumera, e muris propendentia, quæ vel pro spoliis et ornamento erant, vel pro exercitu armando, cum necessitas ingrue-

(1) " Vers. 3. *Sicut fragmen mali punici.* Hebr. *inter comam tuam*, ut supr. v. 1. "
(2) Hom. 14 in Ezech.
(3) Greg. lib. 2 Mor., cap. 26; Beda lib. 3.
(4) Serm. 63 ex parvis, et Serm. 5 de Quadrag.
(5) 2 Reg. 5, vers. 9; 2 Esdr. 3, vers. 27.

5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis;

6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem, myrrhæ, et ad collem thuris.

7. Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.

8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis

ret, quæ omnia obedientiæ applicant Origenes, Theodoretus, Bernardus et alii.

℣. 5. *Duo ubera tua,* symbola amorum et blanditiarum, ut alibi [1] dixi, sunt venusta, nitida, tumentia, succulenta, *sicut duo hinnuli capreæ;* id est, sicut duo hœduli *gemelli, qui pascuntur in liliis* — id est, pascuis amœnis, pinguibus et odoriferis: qualia pascua fere sunt in humidis vallibus ubi lilia germinant. Nam in talibus pascuis pasti hœdi solent esse succulenti, pingues, fecundi, nitidi et aspectu gratissimi. Sunt vero duo sponsæ ubera charitas Dei, et charitas proximi, quæ pastæ liliis candidissimis et pulcherrimis divinorum mysteriorum, intumescunt et increscunt ad vicem reddendam quibuscumque possint modis, tum Deo, tum proximo propter Deum, ita Richardus, Bernardus et alii.

℣. 6. *Donec aspiret dies,* etc. explicui cap. 2, vers. 17.

Vadam ad montem myrrhæ, etc. Hector Pintus cum Almonaziro putat hæc esse verba sponsæ, quæ cum tot tantasque laudes suas a sponso audiret, rubens præ humilitate dixerit, se sibi deligere quod securius, quodque utilius est. Sed omnes SS. Patres ea verba sponso tribuunt invitanti per ea sponsam, ut, relicto propriæ voluptatis et privati commodi monte *Libano,* transeat secum ad altissimum *myrrhæ* mortificationis, tribulationis, afflictionis montem, et simul *ad collem thuris,* id est, orationis et contemplationis, q. d. Meum hoc omne studium erit, velim sit etiam tuum. Hebraice et græce est, *ibo mihi* [2], quo etiam indicat sponsus, si sponsa velit eo comitari sponsum, debere id facere purissima intentione, nihil ibi suum quærendo, sed solius sponsi beneplacitum et gloriam: vide S. Gregor., Anselmum et Hugonem [3].

℣. 7. *Tota pulcra es,* q. d. Non in iis solis membris, quæ recensui, pulcritudo elucet, sed et in reliquis omnibus totius corporis, maxime cum mecum ascendis *in montem myrrhæ,* ubi jugi mortificatione abigis a te quidquid fœdum est, unde *macula non est in te* voluntarii alicujus peccati: sed *tota pulcra es* corpore, anima et mente [4]. Et augetur continuo hæc pulcritudo *in colle thuris,* ubi per familiarem mecum conversationem acquiris quantum vis ornatus et gratiæ: ita Ambrosius, Hieronymus, Augustinus [5], Theodoretus, Gregorius, Anselmus et Beda.

℣. 8. *Veni, veni, veni,* id est, citissime, celerrime veni *de Libano* propriæ voluntatis et privati commodi, et *veni mecum* (sic verti potest ex hebræo) ad fastigium *montis myrrhæ,* et ad verticem *collis thuris,* ut omnes in supremo gradu apprehendas virtutes, tam quæ ad tui perfectam abnegationem, quam quæ ad Dei cultum, et proximi instructionem spectant. Veni ergo, *sponsa mea,* ex millenis millibus unica mihi summe dilecta; unde novo titulo *sponsam* te voco *meam,* ut novos addam stimulos, novos amores, et ut memineris quotidie te spiritualem prolem mihi gignere debere. Quod ubi feceris, spondeo, *coronaberis* corona tum pulcherrimorum filiorum, tum præclarissimorum donorum [6] et gratiarum in hac vita: in altera, corona gloriæ, non qualicumque, sed excellentissima utraque et nobilissima: ita S. Ambros., Nyssenus [7], Cassiodorus, Catena trium Patrum apud Theodoretum, Gregorius et Beda. Mox explicat, unde carpendi sint flores, e quibus hæ coronæ texantur.

Coronaberis de capite, seu vertice montium, *Amana, Sanir et Hermon* — id est, floribus collectis e vertice inaccesso et incalcato trium istorum montium sibi contiguorum, qui simul constituunt montem *Libanum:* nam jugum quodquam Libani præcelsius vocatur *A-*

(1) Prov. 7, vers. 8.
(2) Zach. 7, vers. 5.
(3) Lib. de Amore sponsi ad sponsam.
(4) 1 ad Thess. 5, vers. 23.
(5) Ambr. lib. 1 de Virginib.; Hieron. lib. 8 in Ezech.; August. lib. 1 Retract., c. 19, et de Bapt., cap. 5 contr. Donat.
(6) Psalm. 102, vers. 4.
(7) Ambr. lib. de Isaac, cap. 5; Nyss. hom. 6 in Cant.

de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

10. Quam pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulcriora sunt ubera tua vino, et odor un-

mana in libro Josue [1], aliud *Sanir* vel Sarion, tertium *Hermon* in Deuteron. [2]. Libanus vero symbolum est superbiæ. *Amana* significat *celsitudinem*, quam superbi omnes ambiunt. *Sanir*, id est, lucerna, designat montem vanæ scientiæ, et splendorem nominis. *Hermon*, id est, consecrare, devovere, significat montem voluptatis carnalis, cui mundani homines se totos consecrant et devovent, q. d. Hos omnes montes et eorum incolas pia prece tua, probo tuo exemplo, instructione, exhortatione subjicies mihi et tibi, et de omnibus triumphum referes et coronam, juxta illud Isaiæ: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron* [3]. Nec de communi solum plebe, aut de infirmis et imbecillibus, sed et de *leonibus et pardis*, id est, de fortissimis et astutissimis et ferocissimis hujus seculi: ita fere S. Gregorius, Bernardus [4] et Delrio.

℣. 9. *Vulnerasti cor meum*, nempe amore tui; Symmachus vertit, *excitasti cor meum;* Nyssenus [5], *indidisti nobis cor.* LXX, *abstulisti nobis cor.* Nam ut Plato ajebat, *Amans animus mortuus est in proprio corpore, et vivit in alieno.* Quinta translatio habet, *fidere me fecisti*, q. d. Eximia specie et pulcritudine tua et præ omnibus prompta tua et celeri obedientia, qua mihi te ad nova certamina vocanti obsequeris; præbuisti mihi animum et fiduciam, ut audacter in te et per te ardua quæque aggrediar, difficillimis te adversus leones et pardos certaminibus, luctis, periculis exponam, et gravissima regni mei negotia tuto tibi committam. Magna profecto laus, talem se præbere Deo, ut ardua quæque seu agenda, seu patienda, tuto illi committi possint, et jaculis amoris usque eo ferire cor Dei, ut quasi cogatur committere. Et hæc forte causa est, cur novo rursus et hactenus inusitato nomine dilectam suam Christus compellet, nempe *sororem* suam, quo insinuat, eam non solum ejusdem secum divinæ naturæ factam consortem: sed etiam una secum in iis quæ cælestis

(1) Josue 12, v. 7, etc. (2) Deut. 3, vers. 9.
(3) Isa. 35, vv. 2 et 6. (4) Serm. 4 de Ascens.

Patris sunt, perpetuo deinceps, quasi sororem cum fratre, occupatum iri, nempe in paterna hereditate augenda, ampliandа, ornanda; in communibus hostibus debellandis; in victoriis prosequendis: vide S. Bernardum. Et habes quid simile Esthere 15, v. 12, ubi rex Assuerus maritus Esthere se vocat *fratrem* ipsius. Sed unde tanta in hanc sponsam fiducia, unde tantus affectus in eam quam necdum opere vel reipsa probasti? Respondet sponsus,

In uno oculorum tuorum, vulnerasti me, q. d. Sufficit ocellus unus, ut integrum cor meum rapiatur: ocellus, inquam, puræ, indivisæ et simplicis intentionis: nam hæc propria est castissimo et perfectissimo amori, qui in solum Deum collimat, et non in dona Dei, nisi ut in ipsum referuntur, inquit S. Ambrosius [6]. Quin et *crinis unus* ad id mihi sufficit, id est, cogitatio una, et affectio generosa collum ornans divinæ subjectum voluntati et jugo. Quanto ergo magis inflammabunt et vulnerabunt me virtutes simul omnes in te junctæ, et virtutum omnium innumeri actus et effectus? Mavult tamen S. Gregorius, Beda, et quidam alii per *unum* hic non *unicum* intelligere, sed *unionem:* q. d. Vulnerasti me in unione et colligatione quam inter se habent oculi tui, oculus mysticus et moralis, oculus speculativus et practicus, contemplatio et actio. Item unione crinium, id est, cogitationum omnium et affectionum tuarum in illo uno ad quod omnia dirigis, nempe in Deo. Sed aliud est, quod præ ceteris in præsenti commendandum habeo, et ad rem de qua nunc agitur, maxime facit.

℣. 10. *Quam pulcræ sunt mammæ tuæ*, seu ubera, quibus pascis spirituales filios meos et tuos! de quibus mammis supra vers. 5. Nam materna charitatis ubera proximis suis exhibere, et dulci ac mellito sermone eos pascere, ut mihi super omnia gratissimum, ita tibi maxime honorificum est, nec quidquam in te habes in quo mihi magis assimileris. Unde et

(5) Hom. 8 in Cant.
(6) Serm. 11 in Psalm. 118, vers. 2.

guentorum tuorum super omnia aromata.

11. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

14. Nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis

iisdem verbis, quibus tu mea nuper ubera extollebas, extollo et ego jam tua.

Pulcriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata — Vide cap. 1, vv. 1 et 2. Per *unguenta* virtutes internas intelligit Beda: per *vestimenta* vers. seq. virtutes externas, quæ instar thuris [1] lucidissimi redolent, et ad unius Dei cultum et gloriam continuo offeruntur, inquit Nyssenus et Ambrosius [2]. Internæ vero superant *omnia aromata*, etiam thymiama, quod apud Judæos [3] præstantissimum, maximeque odoriferum erat.

℣. 11. *Favus distillans labia tua.* In Hebræo, Chaldæo et Græco, *favum distillant labia tua*, id est, oratio tua melliflua est, et verba dulcissima; nec tamen minus utilia, quam dulcia: neque enim solum *mel*, sed *et lac sub lingua tua*, seu in promptu tibi est, et sicut illud gustui, sic istud nutritioni servit. Neque est tantum *in lingua*, vel *super lingua*, sed *sub lingua tua*, quasi in fida cella promptuaria, in qua perpetuo maximam illius liquoris copiam adservas, et inde quando et quantum opus, in proximi commodum depromis. Ita S. Ambros. [4] et S. Gregorius. Tandem laudes omnes sponsæ suæ concludit sponsus:

℣. 12. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus* — q. d. Paradisus es spiritualis, aquis tuis dulcissimis et fructibus optimis oblectans Deum et homines. Sed quid juvaret his abundasse, si furibus aut belluis ad omnia pateret accessus? hos ergo ut arceas, prudentissime conclusum tenes hortum tuum, et quidem duplici septo, nempe *muro* [5] et *antemurali*, nempe firma in Deum fiducia, et altissima humilitate: ita fere S. Hieronymus et Gregorius et Bernardus [6]. *Fontem* quoque tuum *obsignatum* servas sigillis perpetuis prudentiæ seu discretionis, et *timoris Domini*, nec ulli patet ad illum fontem accessus nisi Deo, et propter Deum, quia illius solius est, neque bibent ex eo alieni. Porro

℣. 13. *emissiones*, seu propagines et fructus hujus *paradisi*, id est, horti amœnissimi, mox duodecim enumerat, qui possunt exponi de 12 fructibus Spiritus sancti, quos S. Paulus [7] recenset; vel de fructibus 12 mensium in Apocalypsi [8], vel de octo beatitudinibus et quatuor virtutibus cardinalibus. Vel, si lubet sigillatim exponi, per *mala punica*, intellige fructus charitatis, pacis ac unionis fraternæ. Per *poma*, quæ gratissimi sunt saporis et odoris fructus divini amoris et cultus. *Cyprus*, planta odoratior et calidior, sit contemplatio rerum divinarum: de qua cap. 1, v. 13.

℣. 14. *Nardus*, quæ bis hic repetitur, sit spes de Deo, diffidentia de seipso. *Crocus*, fides. *Fistula*, calamus, odoratus et suavis, prudentia. *Cinnamomum*, calidæ et fortis naturæ, justitia. *Myrrha et aloe*, quæ morbos curant, et a corruptione vindicant, fortitudo et temperantia. *Universa ligna Libani*, reliquæ omnes virtutes. *Omnia prima* seu pretiosissima, *unguenta*, virtutum actus et effectus, qui semper supradictis actibus jam dictarum virtutum conjunguntur, ut fuse docent Nyssenus, Ambrosius [9], Rupertus, S. Thomas [10] et alii. O quantum differunt hi fructus a spinis et vepribus, tribulis et urticis hortorum [11] diaboli, mundi et carnis! Atque hactenus de fructibus horti; jam de aquis *fontis signati*.

(1) Exod. 20, vers. 34, et Lev. 24, vers. 3.
(2) Nyss. hom. 2 in Cant.; Ambr. lib. 1 de Virginib. post med.
(3) Exod. 30, vv. 23 et 34.
(4) Serm. 14 in Psalm. 118.
(5) Isaiæ 25, vers. 1.
(6) Hier. ep. ad Celantiam; Greg. hic et hom. 7 in Evang.; Bern. lib. de Ordine vitæ et ep. 42.
(7) Ad Gal. 5, vers 22. (8) Apoc. 22, vers. 2.
(9) Lib. de Isaac, cap. 5.
(10) In tota 2. 2.
(11) Isaiæ 1, vers. 29, et ad Rom. 6, vers. 21.

Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.

15. Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

16. Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

℣. 15. *Fons hortorum*, id est, pluribus simul hortis irrigandis sufficiens, quia aquas emittit non mortuas, non corruptas, non infectas, non fœtidas; sed viventes, sed limpidas, sed perpetuo ebullientes, et salientes in viam æternam. Aquas, inquam, cælestis [1] sapientiæ, et divinæ [2] gratiæ, aquas purissimas, et nitidissimas, infallibilis veritatis et indefectibiles, utpote quæ ex cælesti et perenni scaturigine, puta monte *Libano*, id est, candido, seu a sede Dei et Agni, ad hunc fontem, seu puteum, continuo defluunt per tubos SS. Scripturarum et Sacramentorum, inquit S. Ambrosius et Gregor. [3], et *defluunt* summo *impetu*, maxima copia, summa celeritate, et altissimo rejectamento: nam tanto sublimius exsilit aqua viva in altum, quanto sublimior est locus seu sinus unde descendit. Sed horto tam nobili tam amœno fovendo, fecundando, promovendoque non sufficit supradicta custodia, vel sigilla, nisi superne accedat divini favoris aspiratio, et frequens exercendarum virium virtutumque occasio. Unde mox subdit sponsus:

℣. 16. *Surge, aquilo*, id est, exsurge tribulatio, tentatio, desolatio interna, persecutio externa. Sed adsis una cum *austro*, id est Spiritu sancto, et illius aspiratione per omnigena dona et gratias. His enim duobus ventis simul hortum perflantibus, uberrime *fluent aromata illius*, quæ alias vel non fluerent, vel non tanta copia fluerent, vel saltem non innotescerent, inquit S. Gregorius [4], Anselmus, Richardus, Aponius et alii: qui et sponso hæc verba adscribunt, sed S. Ambrosius, Augustinus, Nyssenus [5], et apud Theodor. Catena trium Patrum eadem sponsæ attribuunt, et ab illis verbis inchoant sequens cap. 5.

(1) Eccl. 2, vers. 5. (2) Joan. 4, vv. 10 et 13.
(3) Ambros. sup. cap. 4; Greg. hic.
(4) In Prol. Mor., cap. 12.
(5) Ambr. in Psalm. 1, et lib. de iis qui initiantur, cap. 9; Aug. epist. 120 ad Honoratum, c. 2; Nyss. hom. 10 in Cant.

CAPUT V.

Invitatio et adventus sponsi in hortum suum: mystica messio et dulce convivium: somnus sponsæ, et manifestatio eorum quæ obveniunt animæ, cum sponsus spiritaliter pulsat januam ejus. Potissimæ notæ, quibus sponsus dignosci, et ab aliis quoque quæri possit: id enim videtur sponsa hic potissimum intendere, cum inter convivandum narrat adolescentulis suis et sodalibus errores suos præcedentis ætatis, et varios casus ac fortunas, quæ olim in sponso quærendo sibi obvenerant.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle

℣. 1. *Veniat dilectus.* Flante aquilone, et aspirante austro, fluxerant uberrime aromata in horto sponsæ, clauso omnibus præterquam uni sponso. Igitur in signum grati animi, ut sponsum oblectet et recreet, evocat et invitat sponsum ad degustandos fructus horti sui: simulque rogat ut optatissima præsentia sua et novis supernaturalibus gratiis impleat paradisum [1] suum. Vix vocatus sponsus, adest extemplo. *Clamabis* [2], *et dicet, Adsum.* Jam *veni* et adsum *in horto meo*,

(1) Simile Psalm. 79, vers. 16.
(2) Isa. 58, vers. 9.

meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.

2. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea,

mea manu consito, meo sanguine coempto et irrigato: ut *comedam de fructu pomorum* meorum, mea gratia procreatorum, et in mei gratiam et honorem productorum, id est, ut opera omnia, actus, affectus et virtutes mihi accipiam, intra me recondam, *in abscondito* [1] *faciei meæ*, intra viscera et cor meum, et omnia in meam substantiam convertam, quasi deificando illa, et tamquam pignora ac merita perfectioris unionis mei cum anima per præsentem gratiam, et futuram gloriam acceptando: ita fere Nyssenus, Ambrosius [2] et tres Patres apud Theod. Sed quibus, putas, fructibus et lautitiis maxime oblectatur divinus sponsus? in quid primo omnium extendit manum?

Messui myrrham meam. Mortificatione enim, tribulatione et afflictione nostra mirum quantum oblectetur Deus, inquit S. Ambrosius. Et ecce tam gratæ herbæ non decerpit solum fasciculum vel manipulum unum, sed falce adhibita demetit quantum potest, etiam integra inde horrea sua repleturus, si posset. Vix vero sapiunt cælesti palato virtutum aromata vel fructus, nisi pro condimento adsit bona copia myrrhæ, non cujuscumque, sed Christi, id est, pro honore et dilectione Christi susceptæ. Sed en mirabilem statim metamorphosin: *myrrha* amarissima fit *favus* dulcissimus et *vinum* sapidissimum: dum germinat et excrescit tribulatio, *myrrha* est; sed falce divini amoris myrrha demessa fit *favus*; LXX, *panis*, id est, cibus delicatissimus, et palato animæ gratissimus, nec jam amplius torquet sua amaritudine, sed recreat et inebriat instar generosissimi vini. Et absque hoc ferculo et hoc nectare convivium, quod sponso tuo instruis, muliebre vel puerile esse potest, ubi lac, mel, et saccarum, et crocus, et cinnamomum et similia aromata adsint: sed virile, generosum, regium non erit, ubi solidus deest cibus, et forte ac nobile vinum, quod exhilarat Deum et homines. Tale ergo convivium instruit hic sponsus, ut doceat sponsam, quali convivio maxime oblectari etiam ipsa debeat, et alios quoscumque in posterum invitabit, oblectare. Sicut sponsus hic jam facit, dum sodales sponsæ, id est, fideles omnes, ad hæc fercula invitat, dicens:

Comedite, amici ex favo et melle meo, seria meditatione mysteriorum fidei, et exercitatione virtutum omnium, maxime erga proximum: *et bibite* vinum meum cum lacte meo, per quietam contemplationem et ardentem amorem, et si mihi vultis haberi *carissimi*, etiam amoribus *inebriamini* — id est, toti adimplemini, ut nihil in vobis vivat aut vigeat quam amor Dei, nihil operemini, nihil loquamini, nihil optetis, nihil cogitetis quam quod idem amor præscribit: ita fere sanctus Gregorius et alii tres Patres apud Theodoretum, et Richardus de S. Victore, Genebrardus, Delrio et de Ponte. Sponsa hoc melle et lacte cælesti bene pasta, hoc vino spirituali ebria, mox in somnum incidit et altissimam quietem.

℣. 2. *Ego dormio*, externis omnibus negotiis tantisper sepositis, et sensibus erga creata sopitis, totam me quietæ contemplationi permisi. Non tamen tota dormio, sed *cor meum*, seu pars animæ superior, perpetuo *vigilat*, cælestium et divinarum rerum tractationi vacans, inquit uterque Gregorius, Magnus et Nyssenus [3]. Ita quiesco ut tamen audiam: otium meum non servit nutriendæ desidiæ, sed hauriendæ sapientiæ, ait S. Augustinus [4]. De hoc somno fusius egi c. 2, vers. 6.

Vox dilecti mei pulsantis, fugiente somno reddita sibi sponsa, quo suaviori et utiliori colloquio pascat sodales, quæ invitatæ a sponso partim jam mensæ assidebant, et cælesti epulo pascebantur, partim aliis distentæ negotiis et curis, accedere tardabant et negligebant; ut has alliciat, illas reficiat, insigni lepore enarrat hic publice alium olim somnum suum et præcedentis vitæ negligentiam, simulque sponsi perpetuam vigilantiam, qua non prius cessavit quærendo, vocando, pulsando, quam ipsam in suos casses pertraxerit. Cum ergo in ignaviæ et peccatorum somno pene sepulta jacerem,

(1) Ps. 30, vers. 21.
(2) Nyss. supr.; Ambr. de Bono mortis, c. 5.
(3) Greg. hom. 14 in Ezech.; Nyss. sup.
(4) Tract. 57 in Joan.

columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter

ecce tibi in mediis tenebris ignorantiæ et errorum meorum, *vox dilecti mei*, prodigam et perditam me sollicite quærentis, sæpiuscule vocantis, blanda et suavi voce, ac tandem etiam vehementi collustratione intellectus et motione cordis, ostium meum *pulsantis*, et acriter me exhortantis, *Aperi mihi*, q. d. Toties aperuisti januam cordis tui diabolo, mundo, carni, hostibus tuis juratis; mihi creatori, redemptori, protectori tuo non aperies? aperuisti furibus, lupis, tyrannis, sordidis adulteris; mihi fratri, amico, domino, sponso tuo aperire detrectabis?

Aperi mihi, facta jam pridem per baptismum *soror mea*: per charitatem *amica mea:* per infusionem Spiritus sancti *columba mea:* per emundationem ab omni peccato, tum originali, tum actuali, *immaculata mea*. Quæ dona licet jam per nova scelera perdideris, adsum tamen paratus cuncta tibi reddere etiam cum fœnore, si modo per seriam pœnitentiam mihi aperire, et aditum ad cor tuum concedere volueris. Quod si dona mea non tanti facis, nec bono tuo consulere curas; at saltem compatere mihi fratri, amico, domino, sponso tuo, cui ex diuturna præ foribus tuis mora *caput plenum est rore, et cincinni guttis noctium* — Sum enim in mundo velut in altissima et frigidissima nocte, in qua qui me suis sceleribus lacessunt, congerunt rorem, gelu et grandinem super caput meum, dum me infrigidant, et efficiunt ne eos amem, sed oderim: sicut e contra qui piis operibus me refocillant, prunas ignis super caput meum coacervant, dum meum erga se amorem magis magisque accendunt, et cogunt amplius diligere. Sed augetur sponsi querela, si per sponsum hic Christum fores animæ pulsantem intelligamus. Hujus enim caput revera gravatum fuit frigido rore et guttis omnium scelerum nostrorum, omnium ærumnarum, probrorum, blasphemiarum, sputorum, tormentorum, quæ nostri causa innocentissimus agnus sustinuit. *Vere* enim *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* [1]. Aperi ergo mihi, soror mea sponsa, tui causa tantis miseriis gravato: aperi cor tuum mihi sponso tuo, ut madidum, læsum et lacerum caput in sinu tuo nonnihil reclinem ac refocillem: ita S. Ambrosius, Hieronymus et Augustinus [2]. Sed frustra preces, frustra monitiones: detinebat me pigritia, horrebam vitæ sanctioris asperitatem.

℣. 3. *Expoliavi me tunica mea:* tunica filiorum Dei, tunica gratiæ, charitatis, ceterarumque virtutum: tunica bonorum operum, et maxime actuum pœnitentiæ et mortificationis. Molestum nimis esset, iterum illa me induere, suaviter indormio voluptatibus ac deliciis mundanis, illis contegor, illis immersa jaceo, illis jam incalui, *quomodo* excutiam illas? quomodo subibo novos labores erigendi pigros artus, et induendi me rursus priore tunica mea? quomodo e molli et calido strato prosiliam in asperum et frigidum aerem? Quin et *pedes meos lavi*, ut solent molliculi et voluptuosi: *quomodo* rursus *inquinabo illos*, et luto ac pavimenti sordibus inficiam? Assuevi jam rebus delicatis et suavibus; nolo sordidis et austeris pœnitentiæ operibus iterum me dare. En schema hominis egregie pigri ac voluptuosi, ne tantillas deserat carnis illecebras, ne tantillas subeat novæ vitæ molestias; mavult sponsum suum foribus exclusum detinere, quam reducto levi digiti motu pessulo januam illi reserare, a quo tamen omnis vita, salus, honos et substantia ipsius dependet. Sed audi immensam Dei benignitatem. Cum posset omni jure tam ingratam, tam inurbanam animam æternum deserere, mavult alia atque alia rursum via pigram et oscitantem excitare, atque ad virtutis studium provocare.

℣. 4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, seu rimam ostii, nempe ut vel me stertentem pulsaret, vel certe ut pessulum reduceret, id est, nimis inordinatum amorem erga crea-

(1) Isaiæ 53, vers. 4.

(2) Ambr. lib. de Isaac, cap. 6; Hieron. ep. 22 ad Eustochium post med.; Aug. tract. 57 in Joan

meus intremuit ad tactum ejus.

5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.

6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi.

7. Invenerunt me custodes qui

turas tolleret a me, atque ita ostium animæ aperiret. Nempe tribulationibus, morbis, aliisque ærumnis per sensus immissis me concutere cœpit. Sic Job 2, v. 5, *Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem:* ita Theodoretus, Aponius et Rupertus. Et vero *vexatio dedit intellectum:* nam *ad tactum ejus intremuit,* Theodotion, *calefactus est;* LXX, *turbatus est venter meus* — timore primum, dein pœnitentia, denique amore Dei et zelo vindictæ contra propria scelera. Unde mox excusso veterno, prosilui e strato et

℣. 5. *surrexi ut aperirem dilecto meo,* id est, vocanti obsecundarem, firmo animi decreto non ei amplius resistendi. Interim ex attactu sponsi mei, *manus meæ stillaverunt myrrham;* illam nempe myrrham qua me recens perfuderat, cum *mitteret manum suam per foramen:* nempe cruciabar doloribus, opprimebar ærumnis, angebar, affligebar; neque cruciabar solum in corde, seu in interioribus animi, sed et in *manibus*, id est, exterioribus rebus et operibus, *et digiti mei pleni myrrha probatissima,* id est, optima, amarissima, odoratissima et maxime efficaci. In Hebræo, Chaldæo et Græco additur, etiam supra manubria pessuli myrrham stillasse, q. d. Nullum erat mihi membrum, nullum opus ad quod vel digitum extenderem, nulla res quantumvis parva qua me occuparem, quin inde continuo perciperem incredibilem molestiam, dolorem et afflictionem. Sed ingens eo ipso beneficium mihi conferebas, dilecte animæ meæ: nam hac amaritudine me extrahebas e sordidarum voluptatum cœno: ex ægra et languida valentem et vegetam, ex putrida et olida robustam et simul bene olentem reddebas. Ergo alacris et festina lecto exsilii, ad ostium accurri, *pessulum* deduxi, fores reseravi *dilecto meo* — Sed en novam mihi myrrham, novam calamitatem. In prioris meæ tergiversationis et torporis pœnam, dilectus meus

℣. 6. jam *declinaverat* ab ostio *atque transierat* — Nempe, lucem illam spiritualem extraordinariam qua jam cœperat me collustrare, et vehementiorem inspirationem qua me torpentem e lecto excusserat, rursus mihi subtraxit, desolatam me prorsus et afflictam, nec nisi myrrha perfusam relinquens: non tamen odio personæ meæ, sed solius ignaviæ et inurbanitatis meæ qua erga illum usa fueram, et ut alias cautior evaderem: simulque ut absentia sui desiderium meum magis inflammaret, cogeretque ardentius amare, avidius quærere, inventum studiosius conservare, inquit S. Augustinus et Bernardus [1].

Porro cum dilectus meus sic *locutus est* subito suo recessu et fuga, quæ vicem habuit altissimæ vocis arguentis et increpantis torporem et tarditatem meam, enimvero *anima mea* tota *liquefacta est* — id est, mœrore, dolore, stupore extra me facta, et quasi deliquium passa sum. Neque tamen mœror hic et dolor diffidentiam in me aut remoram invexit, aut vires abstulit ad prosequendum et quærendum dilectum meum: auxit potius animos et vires, et stimulos subdidit. Ergo foras prorumpens

Quæsivi illum quaquaversum, sed *non inveni:* precibus et votis, et operibus piis *vocavi* et inclamavi absentem, sed *non respondit mihi* — Non jam in calidum et molle redibam stratum pristinarum deliciarum, sed per plateas lutosas, et frigidum aerem, et densas tenebras discursabam flens, ejulans, vociferans. At ille *mutatus mihi* quasi *in crudelem* [2], nec vocanti respondebat, nec quærenti faciebat copiam sui. Voluit nimirum reipsa me docere, diu in quærendo et vocando perseverandum ei esse, quæ Deum ipsum, dum illam quæreret et vocaret, nimis inurbane fecit quam diutissime expectare.

℣. 7. *Invenerunt me* oberrantem per vicos et plateas, ut supra c. 3, v. 3, *cu-*

(1) Aug. in Scala Paradisi, tom. 9; Bernard. in Scala claustralium.

(2) Job 30, vers. 22.

circumeunt civitatem: percusserunt me, et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

stodes qui circumeunt civitatem. Puta, Angeli Custodes, vel Doctores Ecclesiæ et Prælati mei, ut ibid. dixi. Hi moti eodem zelo quo sponsus meus, etiam ipsi *percusserunt me*, vulnerarunt et expoliarunt, nempe variis pœnitentiis, mortificationibus et afflictionibus me pro suo officio egregie exercentes. Vel, si metaphorice malis intelligere, *percusserunt* primum, gladio verbi divini et acrioris increpationis castigantes priorem inertiam, pigritiam et imprudentiam meam. *Vulneraverunt* deinde *me*, ardentibus amoris divini sagittis cor meum sauciantes et ad quærendum pure Deum acrius excitantes. Denique et *pallium meum mihi sustulerunt*, id est, peplum, seu muliebre velum et tegmen, id est, prætextus omnes sinistros in quærendo meo sponso. Nempe docebant me, nudo affectu amoris quærere dilectum meum: abjicere impedimenta et obstacula omnia perfectionis: et ne meæ voluptatis aut oblectationis causa, sed sponsi solius, ipsum quærererem: ne dona ipsius potius quam personam expeterem. Ita fere S. Ambr., Greg., Cassiodorus, Beda et Richardus [1]. Sic excepta, sic instructa, perrexi quærere: cum quærenti occurrunt *filiæ Jerusalem*, concives et sodales meæ, de quibus c. 2, v. 7. Has *adjuro*,

℣. 8. *Si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* — Idem dixit cap. 2, v. 5. Nempe non suffecit amanti et anhelæ sponsæ instructio Doctorum, sed interpellat quoque quos novit Sanctos tum in cælo, tum in terris, ut pro se apud sponsum intercedant, exponentes ei ardentissimum suum desiderium potiendi optatis ejus amplexibus quos ultro paulo ante obtulerat; sed ipsa incauta, inurbana, ingrata neglexerat, fastidierat, repudiarat; sed tanto jam vehementiori affectu ad eosdem anhelabat et accurrebat: ita fere Rupertus et Aponius, et alii. Sed quid ad hæc filiæ Jerusalem?

(1) Ambr. et alii supr.

9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

10. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.

℣. 9. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* — Nempe Verbum divinum genitum ex Patre cælesti, inquiunt SS. Patres. Sed hebraice, verti potest, *dilectus præ dilectis* aliis, q. d. Quid in tuo dilecto tam eximium est præ omnibus aliis dilectis, quod te tam perdite rapit in ejus amorem? Porro de prærogativis seu præcellentiis dilecti ejus tam sollicite quærunt: primo, ut illi præbeant occasionem laudandi dilectum, et ejus encomia propalandi. Secundo, ut vehementiorem ex commemoratione singularum sponsi perfectionum, flammam amoris in corde sponsæ accendant. Tertio, ut seipsas quoque, quæ eumdem sponsum sibi exoptant, commemoratione illa et auditione laudum ipsius oblectent, et in ejusdem amorem magis magisque inflamment. Quarto, ut cognito tam nobili sponso, possint etiam ipsæ eumdem quærere, et eodem frui. Rogant vero bis continuo, *qualis* sit *dilectus*; quia duplex est in Christo natura, divina et humana: et optant utriusque naturæ singularia privilegia sibi exponi, quod et sponsa mox aggreditur.

℣. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus* — Secundum divinam suam naturam *candor est lucis æternæ*: et *splendor gloriæ* Patris [2]: simul rubens amore, dum divinum una cum Patre spirat amorem Spiritum sanctum. Secundum humanam vero naturam candidus est sua innocentia, rubicundus, sanguine tum proprio corporis sui, tum alieno nostrorum peccatorum, et sanguinea victoria ex subacto dæmone, carne, mundo, peccato gloriosissime parta: ita S. Hieronymus et Gregorius [3], Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus. Vel candidus virginitate, rubicundus martyrio, non in se modo, sed et in membris suis, inquit alibi idem Hieronymus [4].

Electus ex millibus — LXX, *ex decem*

(2) Sap. 7, vers. 20, et ad Hebr. 1, vers. 3.
(3) Hieron. in Isa. 53; Greg. hic et in 4 Psalm. pœnitent. (4) Epist. 27 ad Eustoch.

11. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.

millibus, id est, in hoc candore et rubore suo præcellit omnibus seu angelis, seu hominibus, ita iidem et S. Bernardus [1]. Et hæc de colore. Si vero de statura ejus quæratis, supereminet omnibus creaturis, et quidem cum admirabili partium omnium proportione ac pulcritudine. Nam ut ordiar a summo vertice,

℣. 11. *Caput ejus* secundum divinam naturam *Deus est*, inquit S. Paulus [2]: secundum humanam naturam, *mens* Christi, seu pars animæ superior, in qua est imago Dei. Utrumque in Christo caput, *aurum* est *optimum* — quia super omnia nobilissimum, pretiosissimum ac sublimissimum, quo nihil majus, jucundius, ornatius excogitari potest. Quod verissimum est tum de capite Christi in se spectato secundum suam substantiam: tum de corona nobilissimarum perfectionum cingente caput Christi: tum denique de capite mystico Ecclesiæ, cui id S. Ambrosius [3] et alii non pauci adaptant. Ex quo capite aureo omnes nobis spiritus vitæ, gratiæ et virtutum, omnis sapientia, potentia, charitas, pulcritudo perpetuo promanat.

Comæ capitis *ejus*, sive ut Deus est, sive ut homo, puta attributa ipsius et perfectiones, ut volunt tres Patres apud Theodoretum: vel, ut alii, mirabiles ejus cogitationes, judicia et consilia, immo beneficia et opera quæ ad nos derivantur; sunt *sicut elatæ* [4], seu elevatiores ac teneriores ramusculi in culmine *palmarum*, vel involucra quibus palmæ fructus continentur priusquam maturescant, quæ et *spathæ* vocantur, et *nigro* sunt colore, ut Galeno et Dioscoridi [5] placet, numero quasi infinitæ, sed versus truncum et ad inferiora dependentes. Omnes enim perfectiones Christi (idem dico de aliis omnibus ejus comis) ut innumeræ, ita et celsissimæ sunt et eminentissimæ, sed omnes ab uno trunco et radice deitatis exortæ, deorsum ad creaturas propendent, ut iis se communicent. Et sunt *elatæ palmarum*, symbolum partæ victoriæ de omnibus hostibus.

Sed *nigræ quasi corvus* — Nigri enim capilli apud Judæos commendabantur in viris, ut animi masculi et florentis ætatis (qualis hic sponsus depingitur) indices. Quando enim Scriptura tamquam senem repræsentat nobis Deum, neque ut sponsum, sed ut judicem, ut in Apocalypsi et apud Danielem [6], tunc *capillos* ei tribuit *albos* instar *lanæ* et *nivis*, inquit S. Dionysius [7]. Porro *nigredo* hæc capillorum præter elegantiam, designat etiam rigorem ac severitatem, qua sponsus subinde uti cogitur: et denique obscuritatem cogitationum ac judiciorum divinorum, quia profundissima et investigabilia nobis sunt.

℣. 12. *Oculi ejus* divini, nempe sapientia, et providentia: humani, scientia ejus superexcellens, et prudentia. Hi *oculi*, propter multiplicem eorum virtutem et effectum, apud Zachariam et in Apocalypsi [8], *septem* numero dicuntur, et *tamquam* [9] *flamma ignis*, nempe ardere charitate, et splendere lumine, tum in se, tum in nobis, in quibus, pulso frigore et tenebris, ignem accendunt et lumen fidei, spei, charitatis ceterarumque virtutum. Hic vero iidem *oculi* dicuntur esse *sicut columbæ*, quia pulcri, candidi, deargentati, puri, simplices, casti, sed fecundi, sine felle amaritudinis, sine odio, sine dolo. Et quia *pleni* sunt *gratiæ et veritatis* (quæ in Scripturis *aquæ* [10] assimilantur), ideo hic vocantur *columbæ* residentes *super*, id est prope, *rivulos et fluenta aquarum*. Nam Christus fons ille est aquarum viventium, de cujus plenitudine nos omnes accipimus. *Et lacte lotæ*, id est, ita pingues, mundæ, candidæ, ac si in plenissimo lactis rivulo lotæ seu maceratæ essent. Quibus oculorum sponsi nostri dulcedo, candor, et pingues fructus denotantur: ita fere san-

(1) Serm 28 in Cant.
(2) 1 ad Cor. 11. v. 3.
(3) Serm. 20 in Psalm. 118.
(4) ἐλάται.
(5) Galen. l. 8 de Simplicibus; Diosc. l. 1, c. 116.
(6) Apoc. 1, vers. 14; Dan. 7, vers. 9.
(7) De Divin. nom., c. 10.
(8) Zach. 3, v. 9, et c. 4, v. 10; Apoc. 5, v. 6.
(9) Apoc. 1, vers. 14.
(10) Eccli. 15, vers. 3, et Joan. 4.

13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

15. Crura illius columnæ marctus Hieronymus, Ambrosius [1], tres Patres apud Theodoretum, Cassiodorus, Beda et Rupertus. De oculis sponsæ vide dicta c. 1, v. 14. Sic

℣. 13. *Genæ illius* divinæ, puta perfectiones essentiales: et humanæ, nempe compositio virtutum in interiori et exteriori homine, sunt *sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis* — id est, pubescunt prima lanugine, et fragrant suavissimo odore, quasi floribus aromaticis pulcro ordine manu periti artificis per areolas dispositis, ut fit in hortis magnatum. Et in hoc barbæ ornamento, ac virilis fortitudinis symbolo differunt *genæ sponsi* a *genis sponsæ*, c. 4, v. 3.

Labia ejus, id est, eloquium, doctrina, halitus et oscula ejus, sunt candida, venusta, odorifera, fragrantia, sicut *lilia*, quæ etiam Salomonis gloriam excedunt, et sicut *myrrha prima*, seu optima, qua nihil fragrantius et salubrius in vita spirituali. Ita iidem Patres supra citati v. 12, et plura de labiis dixi c. 4, v. 3. Simili modo

℣. 14. *Manus illius* divinæ sunt Verbum et Spiritus sanctus; vel ut Theodoretus, vis effectrix et conservatrix omnium creaturarum. Humanæ, studium virtutum, et potentia miraculorum, ob incredibilem operandi facilitatem, celeritatem et perfectiones. Hæ manus sunt *tornatiles*, non passive, sed active, ut fere Patres accipiunt. Quia sine ullo impedimento, nulla mora, unico verbo, summa perfectione, *quæcumque* vult facit, *in cælo et in terra*. Sed unde *manus* istæ ita *tornatiles?* Profecto quia *aureæ*, nempe vel *divinæ*, vel *divino-humanæ* seu theandricæ, et *plenæ hyacinthis* aerei et cælici coloris lapidibus pretiosis, tamquam unguibus et gemmis distinctæ. Est autem hyacinthus misericordiæ symbolum, nam ut ex Solino et S. Isidoro refert Alcazar [2], nebuloso cælo turbatur ejus color, quasi mœrente cælo mœreat: sereno vero cælo rutilat et hilarescit. Quod proprium est misericordiæ. Neque minus in nos pauperes protensæ sunt misericordes Christi manus, quam ad cælestia sublatæ, in Dei gloriam omnia patrantes, ad cælum omnes rapientes: ita fere Cassiodorus, Philo Carpathius et Beda.

Venter ejus, concoctionis, digestionis et generationis sedes, quæ in animantibus tenerrima maximeque infirma pars corporis esse solet, in Christo est solidissima et fortissima, quippe *eburneus* ex solido ebore, osse elephantis robustissimi, *distinctus sapphiris*; LXX legunt, *venter ejus pyxis eburnea*; Hieronymus, *tabula eburnea, super lapidem sapphirum*, supple, posita, vel fundata, id est, super personam Filii Dei, qui verus est sapphirus, sereni cæli colorem per omnia referens, aureis punctis collucens, symbolum imperii, et principatus, ut probat Alcazar [3]. Unde et modo Pontificibus et Cardinalibus, dum principes Ecclesiæ creantur, sapphirus donatur. Ergo sapphiro divinæ personæ innixa tabella vel pyxis eburnea humanitatis Christi, *distincta* et ipsa, seu intertexta, suis sapphiris, thesauros omnes cælestes in nos transfundit: ita S. Hieronymus, Nyssenus, tres Patres apud Theodoretum et alii.

℣. 15. *Crura illius*, ad ambulandum et currendum instrumenta, sunt veluti *columnæ marmoreæ*, candidæ, solidæ, fortes, pingues. Designant vero omnia itinera et gressus, seu actiones Christi. *Quæ fundatæ sunt super bases* seu pedes, non luteos (ut statua Nabuchodonosoris) sed *aureos*, id est, pulcros, pretiosos, fortes simul et facile mobiles, sicut aurum aliis metallis fortius, nobilius, pretiosius simul et ductilius est etiam laminis tenuissimis. Porro per has *aureas bases* intellige geminam charitatem, Dei et proximi: vel misericordiam et justitiam, super quibus omnes actiones Christi fundabantur, inquit Rupertus post Augustinum. Porro quod Christo non solum caput tribuatur aureum, sed et manus et pedes, indicat Christi majestatem, pulcritudinem, et potentiam, ceteraque attri-

(1) Serm. 16 in Psalm. 118.
(2) In cap. 21 Apoc., annot. 30 et 36.
(3) Supr. annot. 9.

moreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. [1] Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis: talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.

buta, nulla ex parte umquam imminutum iri, neque minus pretiosa et splendida fore in fine, quam in principio: immo regni ejus, quod totum est aureum, numquam futurum finem. Hactenus de singulis sponsi membris: jam de omnibus simul junctis:

Species ejus ut Libani. Id est, habitus et forma totius corporis, compositio omnium membrorum, motuum, morum, operum, virtutum, similis est virenti, florido, excelso, amœno monti *Libano*, innumeris arboribus fructiferis, herbis aromaticis, floribus pulcherrimis convestito. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron* [2]. Et quia inter omnes *Libani* arbores, celsitudine, fragrantia et incorruptione præeminent *cedri*, hinc staturam sponsi dicit *electam* esse *ut cedri*; immo *cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei* [3], nempe angelis quoque longissime supereminet. Denique v. 16 *guttur illius suavissimum* in loquendo, in canendo, in clamando, in gustando, et (quod omnium forte minimum censeri possit), etiam in halitu seu attrahendo, seu emittendo; etiam cum myrrham exhalat, et acriter reprehendit ac punit, semper redolet suavitatem, et spirat dulcedinem. Verbo uno, dilectus meus quantus quantus, est *totus desiderabilis*; LXX, *totus desiderium*; quia sive consideretur ut Deus, sive ut homo, totus summe desiderabilis, amabilis, delectabilis est, quia totus pulcher, totus sanctus, totus bonus, totus jucundus, nec quidquam in eo est quod fastidium generare possit, vel non debeat optari et amari: et ipse est *desideratus cunctis Gentibus*; et *desiderium collium æternorum* [4]. Concludit tandem sponsa omnem suam orationem his verbis: *Talis est dilectus meus*, qualem vobis hactenus a capite usque ad pedes delineavi, et, ne miremini me in laudibus ejus adeo luxuriari, atque in eo quærendo tantopere desudare; *ipse est amicus meus*, id est, ipsum toto corde amo, et ipse vicissim me ex animo diligit.

℣. 17. *Quo abiit dilectus tuus?* Profusis laudibus sponsi, quas *filiæ Jerusalem* hauserant ex ore sponsæ, jam totæ flagrabant desiderio potiundi fruendique eodem sponso, unde viam, modum et media ex ea quærunt quibus inveniri possit. *Quo abiit? quo declinavit?* quo putas vel suspicaris declinasse dilectum tuum? *et quæremus eum tecum* — Sed huic posteriori quæstioni respondet sponsa initio cap. seq.

(1) " Vers. 16. *Guttur illius*, idest halitus seu vox. *Suavissimus*. Hebr. *Dulcedines*, idest dulcissimum. *Et totus desiderabilis*. Hebr. *Et totus ipse desideria*, id est desiderabilis. *Et ipse est*. Gotthic. *Et ipse est*. Hebr. *Et hic est*, pro, talis est amicus meus. Mariana. "

(2) Isa. 35, vers. 2.
(3) Ezech. 31, vers. 8. (4) Aggæi 2, vers. 8.

CAPUT VI.

Locus ubi quærendus et inveniendus est sponsus; nova sponsæ encomia partim a sponso, partim a sodalibus sponsæ: lucta et prælium sponsæ cum hostibus domesticis et externis, et præclara de utrisque victoria ac triumphus.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

℣. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum*, q. d. Non procul abiit, sed in vicinia descendit in suum hortum quo solet se recipere. Hic hortus, ex senten-

2. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3. Pulcra es, amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata. 4. Averte oculos tuos a me, quia

tia omnium SS. Patrum, est Ecclesia Catholica, in qua sola reperitur Christus: in qua sola sunt *areolæ aromatum*; LXX, *phialæ aromatum*, nempe vera Sacramenta: et *horti* minores fructiferi, libri sacræ Scripturæ: et *lilia* verarum virtutum. Sed potest nihilominus hic hortus etiam de anima cujusvis justi commode exponi [1]: in qua si Christum reperire volumus, descendendum cum eo in fundum cordis, in quo tamquam paradiso suo deliciatur Christus: ubi *areolæ aromatum* plenæ, potentiæ animæ, intellectus, memoria, voluntas[2], odoriferis herbis, et floribus piorum desideriorum atque exercitiorum refertissimæ, sed myrrha præ omnibus vitæ activæ, et thure contemplativæ. Hic etiam sunt horti multi particulares singularum virtutum theologicarum et moralium, quarum fructibus pascitur Christus, *et lilia colligit*, id est, pulcriora quæque et nobiliora sibi decerpit et vindicat. Huc huc altissima charitate, profundissimaque humilitate descendi, inquit sponsa. Hic post tot anfractus et mæandros, reperto quem quæsieram,

℣. 2. *ego dilecto meo* jam præsens et in oculis et in ulnis, me totam illi trado: sicut vicissim *dilectus meus* [3] se totum tradit *mihi* — Hic portum, hic quietem, hic omne bonum inveni. Sed qui me tum recens conversam excepit in parvis hortis et areolis *myrrhæ et thuris*, post paulo cum robustior evasi, provocavit me ad altissimum *montem myrrhæ, et* integrum *collem thuris*, de quo cap. 3, vers. 6.

Hucusque inter epulas c. 5, v. 1 inchoatas sponsa miro lepore recensebat et suos errores, et concivium labores, et felicem scenæ catastrophen, monens convivas omnes et astantes, ut si et ipsi suo exemplo, vel saltem imitatione priorum istorum concivium, velint pari studio et contentione quærere sponsum in suo singuli horto, reperturos haud dubie, et votorum compotes futuros. Et placuit sane sponso hic zelus, hoc ardens studium sponsæ, quo tanta dexteritate conabatur sodales et socias suas ad sponsum pellicere. Hinc miris illam laudibus efferre incipit palam:

℣. 3. *Pulcra es, amica mea*, et gratiosa in oculis sponsi tui. Addit ex Hebræo Legionensis et quidam alii, pulcram dici *ut Thirsa*, quæ erat urbs regia regum Samariæ, situ et amœnitate loci spectatissima 3 Reg. 14, vers. 17. Pro *Thirsa* vero noster Vulgatus vertit, *suavis*; sequitur, *et decora*, id est, venusta in oculis omnium hominum, *sicut Jerusalem*: id est visio pacis, *urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ* [3]; urbs, teste Plinio [4], *totius Orientis clarissima*. De qua per Isaiam [5] Dominus: *Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas*, etc. Omnem enim pulcritudinem excedit anima, quæ serio perfectioni tum suæ, tum proximorum suorum promovendæ incumbit: neque pulcra solum est coram Deo, et extreme decora coram hominibus; sed insuper adversus suos et dilecti sui hostes *terribilis* ac fortis est *ut castrorum acies ordinata* [6]; hebraice, *vexillata*, seu vexillis, labaris et armis præfulgida. Nam si quæstio sit de multitudine militum, eorumque varietate; tot habet et tales, quot et quales virtutes, si de unione et concordia singulorum: sub uno sponsi labaro charitatis militant omnes, si de robore ac fortitudine; ea est angelica, et quasi divina, ut dixi c. 1, v. 8, et egregie probat S. Basilius, Nyssenus et Gregor. Magnus [7]. Sed parum est quod impiis et impuris hostibus terrorem et pavorem incutias; mihi quoque *terribilis* es, quia jaculis pulcritudinis tuæ, et sagittis oculorum tuorum (per quos contemplatio designatur) configis et expugnas cor meum, tibique subjugas tamquam captivum. Sic cap. 4, v. 9 dixerat, *Vulnerasti cor meum*, etc. Ergo victus sponsus inducias petit, ut tantisper donec respiret, oculos seu tegat, seu alio deflectat: ita Rikelius [8] et alii.

℣. 4. *Averte oculos tuos a me, quia*

(1) Cap. 4, vers. 12.
(2) Cap. 2, vers. 16.
(3) Thren. 2, vers. 15.
(4) Lib. 5, cap. 14.
(5) Isa. 54, vers. 11.
(6) Cap. 1, vers. 8.
(7) Basil. de Constit. Monast., cap. 19; Nyss. hic; Greg. hom. 8 in Ezech.
(8) Art. 19.

ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam.

ipsi me avolare fecerunt extra me, et deliquium pati: qua hyperbole designat incomprehensibilem sponsæ pulcritudinem. Simul tamen insinuat, caute et circumspecte semper utendum contemplationis dono, cavendumque ne diuturniore mora vel proximo desimus, vel inaniter efferamur, vel curiositati obsequamur, vel denique valetudinem lædamus, ut notant SS. Ambros., Gregor. et Bernard. [1]. His enim ni prospicias, Deum a te avolare facies, cui ejusmodi indiscretio vel incuria valde displicet.

Mox excurrit sponsus in laudem *capillorum, dentium* et *genarum* sponsæ, iisdem verbis quibus supra c. 4, vv. 2 et 3 eadèm illa membra laudarat.

℣. 7. *Sexaginta sunt reginæ* in familia regis Salomonis, uxores ejus primariæ, non solius thori regii, sed et reginis domus et bonorum mariti participes. Neque vero plures habebat Salomon reginas sub initium regni sui, licet, cum senesceret, auxerit earum numerum ad septingentas [2]; *concubinæ* autem, seu secundariæ uxores, solius thori consortes, sunt *octoginta*. Sed *adolescentularum*, quæ vel domi inserviunt, vel gynæceum, e quo reginæ vel concubinæ desumantur, constituunt, *non est numerus*. Porro *adolescentulæ* in familia Christi, seu *Ecclesia*, sunt qui renati per baptismum vel pœnitentiam, incipiunt servire Deo: quales plurimos reperias. *Concubinæ*, qui constanter virtutum studio insistunt, et proficiunt in dies: qui pauciores sunt. *Reginæ*, qui perfectionem charitatis ceterarumque virtutum jam adepti sunt: et hi, pro dolor! paucissimi sunt si cum reliquis comparantur: ita S. Augustinus, Bernard. et D. Thomas [3]. Sed et inter perfectos sunt aliqui singularissima et præcellentissima charitate fulgentes, quos Christus extreme caros habet, et de quorum singulis hic dicit:

℣. 8. *Una est columba mea, perfecta mea*, unice mihi dilecta, sicut *unica* [4] filia est valde cara *matri suæ*, et *electa* ac dilecta *genitrici suæ* — q. d. Ita illam diligo, ac si nullam aliam haberem. Nam et ipsa sic mihi soli placere studet, ac si mecum solo ipsa sola esset in rerum natura: seipsam et creata omnia ad me unum reducit: mei unius gloriam, nutum et cultum curat: me uno et solo pascitur, gaudet et oblectatur: me unum in corde, in memoria, in ore gestat.

Viderunt eam filiæ adolescentulæ tam speciosam, tam ornatam, tam sponso caram, et reliquis ab ipso prælatam: nec tamen exinde contristatæ sunt, nec invidia vel livore in transversum actæ, detraxerunt illi aliquid: nec ira vel furore percitæ adversus illam insurrexerunt. Hoc enim *stultorum et insanorum est*, inquit S. Jo. Chrysost. [5]: immo *basiliscorum*, ut vult S. Bernardus [6], vel potius *diabolorum*, ut S. Ephrem. [7]. Sed numquid tacuerunt saltem, et tanta sponsæ dona, tanta encomia dissimularunt? Minime: nam tali casu tacere, quodammodo invidere esset. Omnes ergo de domo pacifici Salomonis, unicæ columbæ et sponsæ ipsius decorem simulatque columbinis oculis *viderunt*, bonum illius tamquam suum reputantes (quod proprium est charitatis) ex animo illi congratulari voluerunt, et immensis laudibus in cælum efferre studuerunt: *et beatissimam prædicaverunt. Multæ filiæ* multas *congregaverunt divitias*, multam gratiam, multum splendorem,

(1) Ambr. lib. de Isaac, c. 7; Greg. lib. 5 Moral., cap. 4; Bern. serm. 4 in Psalm. *Qui habitat.*
(2) 3 Reg. 11.
(3) Aug. tr. 5 in cap. 1 Joan.; Bernard. ad fratres de monte Dei; D. Thom. 2. 2. q. 24, a. 9, et q. 183, a. 2.
(4) 2 Reg. 1, vers. 26.
(5) Hom. 36 in Joan.
(6) Serm. 13 in Psalm. *Qui habitat*, et serm. 89 in Cant.
(7) Serm. de vita spirit., num. 54.

9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

10. Descendi [1] in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.

tu supergressa es universas [2]. Et vero non exiguæ virtutis indicium est, ad eum modum, bonorum omnium calculo laudari. Sed sponsa laudem eam omnem sponso mox transcribit, a quo sibi omnia obvenisse sciebat. *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna* hæc et mirabilia.

Cum his laudibus et gratiarum actione finis epulo factus, et sponsa sponso sociata totam se quærendis, lucrandis, fovendis, promovendisque proximis suis impendebat. Cum stupore perculsæ sodales ejus priores, puta reginæ et concubinæ, exclamant:

℣. 9. *Quæ est ista, quæ* [3] *progreditur*, continuis et ingentibus passibus in omni virtute, tum se, tum alios sibi commissos promovens? Jam pridem socias omnes longissime superavit, in tantum ut videatur omnem illarum conspectum eludere, et vix amplius ab illis agnosci posse: nec tamen cessat continuo seipsam adhuc superando, altius provehi: et ecce, facta omnia omnibus, peccatoribus *quasi aurora consurgit*, post altæ noctis tenebras spondens lucem et solem. Progredientibus, et in virtutum studio proficientibus, *pulcra* est *ut luna* plena, et toto orbe suo lucida, supra stellas omnes reliquas corusca. Perfectis *electa ut sol*, lumine suo stellas omnes obscurans, totum mundum et cælum totum illuminans, exhilarans et exornans: et calore suo omnia inferiora fovens, vivificans, fecundans et inflammans: tam copiose ditata a sponso suo, ut possit et ipsa alios ditare exemplo, prece, instructione et directione suo, etc.: ita S. Gregor. hic. Et, quod omnia excedit, hostibus tum suis, tum gregis sui, *terribilis* est *ut castrorum acies ordinata*, hostibus se fortiter objiciens, eorum irruptiones, insidias et alias machinationes infringens, vires et arma conterens, ipsa perpetuo invicta, immo imperterrita; hinc semper *ordinata*, et optime composita. Quin et ipsi dilecto suo *terribilis* est, ut ex ipsomet jam ante audivimus, vers. 3. Hæc ille.

Quid sponsa jam ab amplexibus sponsi nonnihil avulsa, et horto suo colendo intenta? Neque enim semper epularum, semper deliciarum tempus est.

℣. 10. *Descendi in hortum nucum*; q. d. Vos me spectastis in *colle thuris*, et in amplexibus sponsi, unde me ad sidera, immo super sidera laudibus extulistis: ego vero quanta possum animi demissione et humili depressione in meipsam delapsa sum, et ad oviculas meas curandas me totam abjeci, *descendi* e colle *in* humilem *hortum*, a fragranti thure ad amaras et duras nuces, quæ in extremo horti positæ, ventorum tempestatumque impetus primæ excipiunt, injuriisque plus quam aliæ arbores expositæ sunt. Hæ in animæ meæ horto sunt quinque sensus externi: in horto ovilis mihi commissi, sunt peccatores et mundani secularia tractantes, quorum saluti studere cœperam. Descendi in eumdem hortum, *ut viderem poma convallium*; LXX, *torrentis*. Hæc poma in anima mea sunt fructus appetitus sensitivi utriusque, concupiscibilis et irascibilis: in horto ovilis, sunt recens conversi, neque adhuc e pravorum habituum et malarum consuetudinum torrente aut convallibus educti. Rursus descendi ut *inspicerem si floruisset vinea* mei intellectus et voluntatis, an inde vinum emergeret lætificans Deum et homines, item vinea mihi credita animarum in virtute jam pridem proficentium. Denique an *germinassent mala punica*, virtutum omnium, vel in me, vel in mihi commissis jam perfectis, congeries et copia. Hæc, inquam, omnia ut studioso examine explorarem, et si quid deesset supplerem, *descendi* sollicita et anxia; sed heu! reperi commota, turbata, sursum deorsum versa omnia, pleraque etiam mihi (id est, parti animæ superiori) et sponso meo rebellia, et terribilem aciem adversus me instruentia. Et ego quidem horum omnium antehac

(1) " Vers. 10. *In hortum nucum.* Cave supponas pronomen *meum* pro nomine *nucum* quod quidam. Rom. Corr. "

(2) Prov. 31, v. 29.

(3) Eccli. 50, vers. 6.

11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

℣. 11. *nescivi* quidquam: nam inscia me et clam facta omnia: unde et sine culpa et vitio meo. Ut tamen adverti, *anima mea conturbavit me*, tum dolore præsentium malorum, et metu majorum forsan impendentium; tum zelo et anxietate et cura rursus omnia instaurandi. Præ omnibus vero turbata et anxia fui *propter quadrigas Aminadab* — id est, *populi mei spontanei*, inquit Aponius et alii interpretes, id est, sponte sua et ultro in hæc bella ruentis, nulla in re a me lacessiti, nulla mea culpa, nulla per me data causa. Unde et periculosius bellum, utpote ab hostibus domesticis: et pacis instauratio difficilior, cum non esset in manu mea causam mali, quam nullam dedi, tollere; vel injuriam, quam nulli intuli, compensare. Ipsi interim cæco odio, ira, furore pleni quadrigas suas junctas quadrigis hostium infernalium uno impetu in me agitabant, certi me vel in suas partes trahere, vel perdere. Et vero, permittente divina providentia, sic sæpe accidit personis etiam perfectissimis et sanctissimis. An ideo despondent animum? an arma projiciunt? an hostibus cedunt? minime gentium: sponsam imitantur. Quid illa? memor se *turris* instar esse *Davidicæ*, ex qua *mille pendent clypei* [1], et *omnis armatura fortium*, usque eo pugnam accendit et prorogavit, ut hostes omnes infernales victi, fusi, in fugam fœdissimam agerentur: domestici vero pudore subacti, pœnitentes suæ rebellionis et insaniæ rursus se mihi et sponso meo servos subderent, et quam hostiliter exturbarant, amice jam cum lauro et triumpho ad proprias sedes et regnum revocarent, omnes una simul voce acclamantes mihi:

℣. 12. *Revertere* ad tuos, *revertere* ad tua, non jam amplius *Sunamitis* (ut legerunt multi antiqui Patres), id est, captiva, vel despecta: sed *Sulamitis* (ut habent Biblia correctiora), id est, pacifica, a *Salem* [2], quod *pacem* significat. Et quia quaterni [3] sumus ordines qui a te defleximus, quaterna quoque geminatione vocis *revertere, revertere*, te rursus ad tuos, ad tua jam revocamus. Et ne quis iterum similis inter nos motus exsurgat, mane, quæsumus, assidue nobiscum, *ut intueamur te* perpetuo tuique si non semper amore, certe metu ac terrore in officio contineamur. Felix anima quæ suos hostes sic novit debellare, subigere et refrenare.

(1) Cap. 4, vers 4 hic.

(2) שלם.

(3) Supra vers. 10.

CAPUT VII.

Nova sponsæ encomia a rebus bello præclare gestis, a fecunditate prolis, a studio educandi, promovendi et perficiendi spirituales proles. Modus juvandi incipientes, proficientes, perfectos: et typus denique perfectionis, et epulum a sponsa appositum sponso.

1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Juncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

℣. 1. *Quid videbis in Sulamite?* Reducem e bello et victricem sponsam sponsus suis quoque encomiis exornatam voluit. Quid, inquit, in illa pulcrius, quid jucundius, quid gloriosius, quid visu dignius, quam quod ipsa quanta quanta, sit quidam ordinatissimi *castrorum chori*; terribilis, fortis, spectabilis et admirabilis *sicut castrorum acies ordinata*: dulcis interim et grata omnibus, omnesque oblectans sicut optime compositi et sonori musicorum chori? Stupendum enim

2. Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

jucundissimumque spectaculum anima bene composita, in qua ratio subditur Deo, et rationi ceteræ omnes potentiæ. Nihil tali anima fortius, nihil ornatius, nihil pacatius, nihil suavius, nihil gratius Deo, angelis et hominibus: ita fere S. Ambrosius [1]. Unde et mox exclamat sponsus:

Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, o filia principis! — Regis regum filia, *et Domini dominantium!* Porro pedes egregiis sandaliis calceati designant affectus animi solidis et pretiosis virtutibus ornatos, et sic ad opera sua et ad Deum gradientes. Pulcri etiam gressus indicant modestiam, gravitatem, auctoritatem ac majestatem simul et imperterritum animum gradientis sponsæ, maxime ad bellum, et ad prædam animarum: ita Ambrosius [2], Gregorius et Cassiodorus.

Juncturæ femorum tuorum sunt *sicut monilia, manu* excellentis *artificis fabricata* — id est, lumbos habes non imbecilles, non distortos, sed fortes et aptissime dispositos ad concipiendum et generandum perpetuo novum fetum spiritualem: ita Philo Carpathius, et tres Patres apud Theodoretum. Neque generandis tantum prolibus, sed et educandis, nutriendis, corroborandis et exhilarandis mirifice vales.

℣. 2. *Umbilicus tuus.* Sic honeste vocatur pars illa quæ fetum conceptum in utero materno continet ac fovet, et designat in anima, sui quidem respectu studium fovendi formandique pios conceptus, desideria, proposita: respectu vero proximi, curam et solertiam fovendi, instruendi, formandique recens conversos ad fidem et pietatem. Unde vocatur hic *crater*, qui cibo et potui recipiendo, aliisque præbendo serviat: non rudis, inconcinnus, sordidus et impolitus, ac consequenter ingratus; sed *tornatilis*, id est, torno affabre elaboratus, bene rotundus, concavus, politus et mundus, torno mortificationis et prudentiæ resectis omnibus noxiis et superfluis. Nec vacuus profecto vel inanis *crater*, sed semper plenus, et *numquam indigens poculis*, seu potu vel re potabili; LXX, *non deficiens misto*, id est, numquam carens vino probe diluto, et ad potandum aptato. Nempe hoc misto, his poculis spiritualium deliciarum allicit, fovet, recreat sponsa tenellos animos; *Venite, bibite vinum quod miscui vobis* [3]. Quin et, ne cibus quoque desit, *venter tuus sicut acervus tritici*, subministrans omne genus cibi spiritualis, quo tenellæ adhuc plantulæ nutriri, roborari, crescere possint. Hic *venter* sponsæ dives ingenii illius penu est, quod Christus *thesaurum* vocat, e quo jubet in usum et esum parvulorum depromi *nova et vetera. Et vallatus* est hic venter; non spinis vel sentibus, sed pulcris et odoriferis *liliis* castitatis, temperantiæ, ceterarumque virtutum, quæ cibum hunc spiritualem, utpote delicatissima condimenta, sapidiorem et gratiorem reddunt. *Venite, comedite panem meum* [4], etc. Vide sanctum Ambrosium [5], Gregorium, Anselmum, Cassiodorum et Bedam. Et hæc quidem teneris adhuc fetibus nutriendis formandisque adhibet. At provectis jam nonnihil in virtute exhibes bina *ubera tua* solidioris charitatis Dei et proximi monitis seu lacte referta: de quibus supra cap. 4, vers. 5. Paulo provectioribus exhibes

℣. 4. *collum tuum sicut turrim eburneam*, docens eos fortem et divitem *obedientiam*, de qua c. 4, v. 4. Porro serviunt iisdem, et quidem vel maxime, *oculi tui* limpidi et perspicaces, *sicut piscinæ in Hesebon* urbe Galaad trans Jordanem in tribu Ruben [6]: æque *in porta bath-rabbim* [7], id est, *filiæ mul-*

(1) De obitu Valentiniani.
(2) Sup. et in Isa. 3, v. 16, et serm. 17 in Ps. 118.
(3) Prov. 9, vers. 2 et 5.
(4) Prov. sup.
(5) Serm. 6 in Psalm. 118, vers. 5.
(6) Num. 32, vers. 37, et 1 Paral. 6, vers. 81.
(7) בת רבים.

5. Caput tuum ut Carmelus: et comæ capitis tui [1] sicut purpura regis vincta canalibus.

6. Quam pulcra es, et quam decora, carissima, in deliciis!

titudinis [2], id est, urbis quæ populosa erat. Quarum piscinarum aquæ ut amplæ et copiosæ, ita in extima superficie serenæ, tranquillæ ac pellucidæ, quasi specula crystallina, repræsentabant ad vivum formam vultus et nævos intuentium vel transeuntium: simulque serviebant ad potum, ad lotionem, ad agrorum rigationem. Quæ omnia etiam tu, mea sponsa, tuis oculis nitidissimis, ac perspicacissimis, id est, prudentia et providentia tua, præstas tuis clientibus. Nullos pateris ipsos latere nævos, abluis sordes, potas omnes aqua viva, rigas spirituali unda, subinde etiam lacrymis compassionis, quibus in eis provocas lacrymas compunctionis et amoris.

Denique invigilat quieti et bono illorum *nasus tuus* sublongus, rectus, et acuto præditus olfacto, id est, sagacitas et solertia in detegendis præcavendisque hostium insidiis, incursibus, insultibus. Es enim clientibus tuis pro sublimi et fida specula, *sicut* Judæis erat illa spectabilis *turris* in altissimo monte *Libani* erecta, *quæ respicit contra*, seu versus, *Damascum* regiam Syriorum urbem: in qua turri erant Judæorum perpetui speculatores, qui si quid novarum rerum a Syris Judæorum juratis hostibus tentaretur, extemplo Judæis renuntiabant, et obviari curabant. Vide S. Ambrosium, Chrysost. et Cassianum [3]. Atque hæc in usum progredientium:

Perfectis vero

℣. 5. *Caput tuum*, seu mens et pars animæ superior, est idea et speculum omnis perfectionis, sicut mons *Carmelus*, prope Tyrum, in tribu Issachar, mons amœnus, excelsus, et vinearum ac fructuum [4] omne genus feracissimus, Eliæ et Elisei habitatione, delapsu ignis e cælo, et tot miraculorum patratione celeberrimus: ita Theodoretus. Quidam *Carmelum* non proprie sed appellative accipiunt, ut significat *scientiam circumcisionis*, vel *agnum circumcisum*, q. d. Mens tua est instar *agni* mundissimi, ab omni re fœda, vel noxia, vel inutili undique circumcisi, et callet *scientiam circumcidendi* etiam clientes suos ab omni vanitate, inordinatione, superfluitate et non necessaria multiplicitate. Quæ *circumcisio* si uspiam necessaria personis alioqui perfectis, certe requiritur in capillis a capite defluentibus, id est, in cogitationibus et affectionibus cordis, ne quid in iis inordinatum, vel incompositum, vel superfluum, vel hiulcum appareat: sed instar capillitii sponsæ

comæ capitis tui sint *sicut purpura regis*, tinctæ purpura flavæ et rubicundæ charitatis, et quidem *charitatis regiæ*, id est, eximiæ, heroicæ, et omnium maximæ ac splendidissimæ, qualis est in Rege regum et Domino dominantium Christo. Sint etiam ut *purpura regia*, non qualiscumque, nec trita, nec vetus, sed *vincta canalibus* — id est, recenter tincta, qualis est quæ adhuc in canalibus tinctorum funiculis adstricta cernitur. Vel, ut alii exponunt, sint ut regia purpura, pulcris vittis et fasciis artificiose, in formam canalium discriminata et complicata, fere ut nunc plicatam videmus vestem albam sacerdotum in formam quasi canalium. Per hos *canales* intelligit sanctus Gregorius Scripturas sacras: Rupertus arcana Dei consilia et decreta: alii perfectiones divinas et Christi Domini, quia perfectorum est, ex tribus hisce canalibus cogitationes suas, et clientum suorum, et appetitus omnes derivare, et iisdem ad amussim conformare. Et hoc primum est quod in persona sponsæ hic requiritur a perfectis amicis sponsi. Alterum mox additur:

℣. 6. *Quam pulcra es*, et *quam decora in deliciis!* seu quibus tu frueris, nempe interno gaudio, exultatione, jubilo et torrente voluptatis, ex tua et dilecti tui superexcellenti pulcritudine: seu quibus nos omnes exhilaras ob eximiam pulcritudinem, decorem et suavitatem tuam. Utrasque enim delicias curare debet, quantum in se est, quicumque perfe-

(1) " Vers. 5. *Sicut purpura regis vincta canalibus.* Pro *vincta* quod est participium a vincio non scribas juncta a jungo, multoque minus *tincta* a tingo. Brugens. "

(2) Simile Jerem. 17, vers. 19, et c. 4, v. 11.

(3) Ambr. l. 3 de Virginib.; Jo. Chrys. hom. 39 ad pop.; Cassian. collat. 2, c. 22.

(4) Jerem. 2, vers. 7.

7. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.
8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: et erunt ubera tua sicut botri vineæ: et odor oris tui sicut malorum.

ctioni studet, ut docent S. Ambrosius, Gregorius, Bernardus [1] et alii Patres. Neque desunt hæ deliciæ etiam in mediis ærumnis, tentationibus et ariditatibus, quæ partes inferiores animæ turbare, affligere, contristare possunt: superiorem non possunt, dummodo hæc maneat Deo suo firmiter adstricta et innixa [2]. Quidam volunt, sermonem hic esse etiam de deliciis externis et recreationibus corporalibus, sed honestis, quibus etiam perfecti viri subinde egent, ne spiritus perpetua animi contentione hebetetur vel obruatur, vel ne proximo desimus, aut minus commode adsimus. *Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia* [3]. Magnæ autem virtutis et sanctitatis indicium est, etiam in externis istis animi relaxationibus perpetuam modestiam, gravitatem, veræque devotionis specimen præ se ferre: ita Dionysius Carthusianus, Gregorius et alii supra. Tertium, quo solidam perfectionem tuam testatam facis, et alios doces, est

℣. 7. *Statura tua* ex omnium simul virtutum harmonia consurgens in altum, et *assimilata palmæ*, primo, proceritate et celsitudine, qua reliquas arbores superat; secundo, rectitudine; tertio, robore, fortitudine et invicta constantia adversus tempestates, neque ullis ponderibus succumbere solita, propter quæ et symbolum est victoriæ; quarto, jugi viriditate; quinto, asperitate, et quasi ariditate corticis, et nudo trunco aculeato, et spinis armato in inferioribus partibus, at in superioribus eximia ramorum et foliorum latissime expansorum pulcritudine et amœnitate, inquiunt S. Ambrosius et Beda [4]. Sexto, pari crassitie trunci e terra ad cacumen usque assurgente: ita S. Gregorius [5], Theodoretus, Anselmus et Nyssenus. Septimo, forma foliorum quæ in palma sunt instar gladii, inquit Hugo Carensis [6] et Philo Carpathius, et alii apud Viegam [7]. Octavo, ubertate, dulcedine et præstantia fructuum. Unde addit sponsus: *Ubera tua*, e quibus tamquam perpetuis fontibus promis pastum sodalibus tuis, assimilata sunt *botris*, nempe dactylorum, qui a vertice palmæ dependent: vel etiam botris uvarum vitis, quæ ad radices palmæ plantata, ramis ejusdem quasi fulcris innititur et sustentatur. Solent enim perfecti non propriæ tantum animæ, sed et proximorum suorum quos instruunt, ut onere et cura gravari, sic et fructibus exornari. En ergo vobis, inquit sponsus, plenæ perfectionis symbolum in palma, exemplum in sponsa. Nec surdis dixit. Nam una mox adolescentularum (sed in una plures aliæ comprehenduntur) avida perfectionis, tam nobilis, tam laudati fructus; Ambio, inquit, et ego tam excellens bonum:

℣. 8. *Dixi*, deliberate constitui, firmiter apud me decrevi, quid? *ascendam in palmam* istam, dabo me disciplinæ, regimini et instructioni tam nobilis magistræ: *et apprehendam fructus ejus;* LXX, *tenebo cacumina ejus:* fructus enim palmæ sunt in vertice. Scio enim certo ex relatione cælestis sponsi jam dicta, quod *ubera tua* et liquores, aliique fructus inde promanantes, *erunt* mihi dulcia et salubria *sicut botri* tum dactylorum, tum uvarum, pleni succo nutriente, exhilarante et inebriante: *Et odor oris tui;* LXX, *nasi tui*, erit *sicut* odor *malorum* — id est, observatio et imitatio sanctorum monitorum tuorum, itemque exemplorum et operum, quæ ex ore et naso cordis, seu ex charitate et zelo tuo exhalas et eructas, admodum suavis erit mihi et fragrans, et salubris, id est, mirifice oblectabit, reficiet, roborabit me, sicut solet facere *odor malorum* medicorum, seu pomorum aureorum, de quibus cap. 2, vers. 5; ita tres Patres apud Theodoretum. Rationem addit Rikelius [8]: *Quia ex plenitudine internæ devotionis, divini fervoris, et gratiosæ illuminationis,* nonnisi *dulcissima* quæque et *salu-*

(1) Ambros. serm. 17 in Ps. 118, vers. 5; Greg. lib. 12 Mor., cap. 21; Bern. serm. 5 in Quadrag. in illud Psalm 36, vers. 4 *Delectare in Domino.*
(2) Infra cap. 8, vers. 5, et Job 22, vers. 16, et Prov. 12, vers. 21.
(3) Psalm. 67, vers. 4.
(4) Ambr. lib. 3 Hexamer., cap. 17; Beda lib. 6.
(5) Hic et lib. 19 Mor., cap. 16.
(6) In Psalm. 91.
(7) In Apoc. 7, sect. 8. (8) Art. 23.

9. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.

10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

berrima exhalabis et depromes. Et vero experientia comperi sic omnino rem habere. Nam simulatque in verticem palmæ conscendi, et medullam doctrinæ tuæ degustare cœpi, reipsa et magno meo solatio et bono sensi

℣. 9. *guttur tuum*, id est, doctrinam, institutionem, monita, quæ ex gutture tuo procedunt, esse *sicut vinum optimum*, non corruptum, non acidum, non lymphatum, non turpidum, sed maxime splendidum ac purum, et colore, odore, sapore præstantissimum, quo non nutrior tantum et refocillor, sed et recreor, et roboror, et inebrior. Quid ad has suas laudes sponsa? Tale vinum, inquit, decet et *dignum* est *dilecto meo ad potandum*, neque convenit ut vilius aliquod admoveatur delicatis *labiis et dentibus illius ad ruminandum*, sorbillandum vel degustandum, q. d. Palatum sponsi mei delicatissimum est, non probat, neque admittit nisi optima quæque et præstantissima. Et ideo tam sollicita sum semper, ut

℣. 10. *Ego dilecto meo* plene in eo, ut et in omni alia re complaceam, cujus tam benigna, tam profusa est erga me charitas, ut *ad me* continua sit *conversio ejus*, seu se totum convertat ad vicem mihi rependendam, et me quoque vino suo optimo potandam, et nobilissimis donis suis exhilarandam, ut, sicut ego sum illi; ita per omnia ipse sit mihi: immo tanto erga me profusior sit ipse, quanto me senserit magis propensam ad sibi in omnibus rebus pro gustu et voto suo obsequendum: ita S. Gregorius, Aponius et tres Patres supra citati.

Porro discipularum profectus adeo recrearat sponsam, lætitiaque compleverat, ut diutius differendum non putarit, quo minus sponsum suum, ad sese una secum in illis oblectandum, evocaret: idque eo gratius illi futurum norat, quo constabat fuisse paulo ante magis incompositas, hostiles et rebelles, ut vidimus c. 6, v. 10. Ergo

℣. 11. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum*, seu animæ meæ propriæ, seu animarum aliarum mihi creditarum: nihil istic jam hostile, turbatum nihil. Itaque securi *commoremur in villis* istis et novalibus, in blandis pratis, in lætis pascuis. Peracta jam frigida vitiorum hieme, abacta tristi ignorantiæ nocte, *mane surgamus ad vineas* succrescentium virtutum, et illas præsentia nostra exhilaremus, roboremus et excitemus. *Videamus si floruit vinea, si fructus parturiat.* Reperies profecto, votis tuis fecisse satis. Videamus *si floruerunt mala punica*, id est, an ad maturitatem pervenerint, qui virtutum omnium congerie perfecti esse debebant. Mala enim punica tum perfecta censentur cum in vertice coronam habent in modum floris. Unde Aquila vertit, *videamus si se aperuerunt poma punica:* nam calore hiant, et rimis actis sese aperiunt cum maturescunt. O quam nunc alia facies horum omnium ab ea quæ fuit c. 6, v. 10!

℣. 12. *Ibi dabo tibi ubera mea*, meos amores. Id est, in his hortis, in his vineis, in his agris, ut mihi tu nuper opiparum convivium cap. 5, v. 1, instituisti, sic ego tibi nunc pro meo modulo paravi. Pro *myrrha, lacte et vino*, quæ tanta tunc copia apposuisti, ego, *ubera mea* perfectæ charitatis paternæ et maternæ *dabo* et *tibi* et omnibus parvulis tuis. Pro *aromatibus mandragoras* apponam heroicarum virtutum fragrantes, medicas, soporiferas, amoris et fecunditatis conciliatrices, ut dixi Gen. 30, vers. 14; jam enim *dederunt odorem suum*; id est, maxime fragrant, et virtutem suam exerunt dum maturescunt: ita S. Ambrosius [1], Theodoretus, Cassiodorus, Rupertus et alii apud Pererium [2]. Pro *favo et melle*, apponam *omnia poma*, id est, fructus omne genus, seu opera virtutum externa: nam *in portis nostris* sunt omnia, id est, ex occultis adytis cordis educta sunt in publicum

(1) Serm. 19 in Psalm. 118, vers. 4.
(2) In Gen. 30, v. 14.

13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

per sensus aliasque potentias externas. Denique omnia, quæ seu in meo, seu in meorum hortis, vineis et agris succreverunt ab initio anni usque ad finem, *nova et vetera*, uni et soli *tibi, dilecte mi*, integra et intacta servavi, et nunc tibi tuisque appono, tui unius tuorumque propter te obsequio, et in tui solius honorem, cultum et gloriam offero, dedico, consecro, quidquid pretiosum, jucundum et suave in me, in meis; quidquid a natura, quidquid a gratia est, appono tibi, ut inde tu epuleris, tu jucunderis, tu delicieris, nihil mihi servo, nihil meæ voluptati, meæ gloriæ, meo commodo sepono, tibi omnia servavi, ad tui solius nutum et beneplacitum distribuenda, quia tu solus es dilectus meus, et tibi mille titulis debeo omnia. Felix anima quæ tale instruit cælesti sponso convivium, quæ purissima intentione, ardentissima charitate, et perfectissima executione apponit omnia sua uni sponso suo! Vide Theodoretum et Rikelium [1].

(1) Supra.

CAPUT VIII.

Ardens sponsæ desiderium fruendi continua sponsi præsentia: epulum, quo sponsa sponsum excipit, et somnus inde consecutus: gloria et deliciæ sponsæ: leges perfectæ dilectionis: sollicitudo et zelus sponsæ circa animas suæ curæ commissas; cantus cycnæus et extrema vota sponsæ.

1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?

℣. 1. *Quis mihi det te, fratrem meum?* Ultima cum sponso confabulatione et epulo agresti sic increverat amor sponsæ, ut quasi mandragoræ philtro extra se rapta, optet continuum exinceps sponsi consortium et osculum, etiam foris in publico. *Quis*, exclamans, mihi præstet hoc beneficium, ut non amplius per vices solum et intervalla, nunc in cella vinaria, nunc in secreto thalami, nunc in angulis horti vel agri, jungaris mihi, ut, more amicorum subinde se mutuo revisentium, mihi hactenus junctus fuisti; sed continuo et sine interruptione mihi familiaris adsis, et individuus adhæreas, more *fratris* germani, et adhuc parvuli, qui sugit *ubera* ejusdem *matris meæ, ut* perpetuo et ubique *te* mihi præsentem *inveniam*, etiam *foris* in publico, in omnium conspectu, in medio curarum, occupationum et negotiorum strepitu, et continuo *deosculer te*, et blandiar tibi, et delicier tecum sine interruptione, sine obloquio, sine rubore, ut licitum est sorori ludibundæ dissuaviari fraterculum suum, *et jam nemo* amplius *me despiciat* — Despiciunt enim me, vilipendunt et contemnunt, et jure merito primum Deus optimus maximus, dein angeli et sancti in cælo, denique etiam justi et perfecti in hoc mundo; despiciunt, inquam, me, quod non plene et continuo te fruar unico bono, unicis deliciis meis. Nam etsi per contemplationem non raro mihi jungaris et exhilares me spiritualibus cupediis tuis, et cælesti nectare me inebries: at hoc diuturnum non est; et quantum abest a torrente voluptatis quo potas in tuo palatio filios tuos! quin et dum sic me subinde recreas, cogor tantisper ab omni functione externa muneris mihi commissi cessare, et sic cum Racheli sterili domi tuæ desidere [1]. Mallem jungi perpetuo utrumque in me, Rachelis delicias et Liæ fecunditatem. Jam vel ut sterilem me contemnunt, vel ut lippam rident. Omitto tot nævos, tot errores, tot infirmitates, tot miserias meas, in quas ob absentiam visitationis tuæ, et gratiæ subtractionem vel imminutionem prona sum, dum negotiis vaco; propter quas merito rideor, et omnibus ludibrio sum: quas evaderem si tibi

(1) Gen. 30, vers. 1.

2. Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.

3. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

4. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa su-

perpetuo nexu et complexu et osculo inhærerem, et [1] sicut angeli ac cælestes nuntii tui, non divellerer a facie tua dum servio filiis tuis: ita fere Joannes Mariana et de Ponte. Tres Patres, apud Theodoretum et Arnoldus Catius id exponunt de desiderio mortis et gloriæ cælestis. S. Athanasius, Ambrosius [2], Gregorius, et alii antiqui Patres attribuunt allegorice antiquæ Ecclesiæ, quæ ardentissime optabat adventum et incarnationem Filii Dei.

Audiebat ardentia sponsæ vota cælestis sponsus, nec annuebat tamen, sed nec abnuebat, certus votis dilectæ suæ facere satis, sed suo tempore; interim vult tantilla dilatione geminari et crescere vota. Quo cognito, sponsa, dum differtur, inquit, quod opto, amplectar quod offertur; totis animi viribus, tota mentis contentione

℣. 2. *apprehendam te*, stringam arctissimo tum intellectus, tum voluntatis complexu, alligabo te mihi vinculis Adæ, funibus amorum, *et ducam in domum matris meæ* — id est, in domum meam, in fundum animæ meæ.

Ibi me docebis puram et primam veritatem, summam veritatem, omnem veritatem docebis me non alieno ore, sed proprio tuo: non in proverbiis, sed palam, ibi discipulam magister instrues cælestibus disciplinis. Docebis me, nosse me, nosse te; nosse omnia quæ me nosse voles. *Et ego tibi* vicissim ibi *dabo poculum ex vino condito*, ex vino aromatite, potum suavissimum ex omnium virtutum commixtione conflatum: amoris ambrosiam heroicis exercitiis expressam: *et mustum malorum granatorum meorum*, recentem et primum succum omnium tum internarum, tum externarum virium, operum et votorum meorum. Hic enim succus extreme placet palato cælestis sponsi, sicut solet æstuanti stomacho gratus accidere succus ex malis granatis expressus. Verbo uno, epulabimur ibi et deliciabimur, saltem pro modulo et mensura temporis præsentis: ita tres Patres apud Theod., Petrus Nannius et alii.

℣. 3. *Læva ejus sub capite meo;* q. d. Non tam cito invitaram sponsum modo jam dicto, et me illi plene ac perfecte unitam optaram, quin ipse mox in collum involans meum, mihique blandiens et applaudens, usque eo deliciis complevit, et novis gaudiis inebriavit, ut in jucundissimum soporem ac somnum inducta sim, in ulnis dilecti mei altissima pace et tranquillitate plenissima conquiescens. Et quidem summa sponsi approbatione et plausu, unde et domesticis vetuit, ne quo forsan strepitu inquietarer aut excitarer. Sed hos eosdem versus fusius explicui c. 2, vv. 6 et 7. Abeunte somno (de quo ibidem) jam ad consueta me referebam munia mea, non tamen jam sola, seu sine dilecto meo, ut ante, sed *innixa super dilectum meum*, læva illius me perpetuo sustentante, et dextera me continuis deliciis complexante, non minus in negotiorum progressu, quam ante in mystico somno. Unde et insolita mea gaudia stupentes sodales, et vix me jam præ novitate rei agnoscentes, exclamant:

℣. 5. *Quæ est ista, quæ* tam insolito favore, tam miro splendore, non jam pigra, non jam nigra, sed super nivem *dealbata* (ut legunt LXX) *de deserto* mundi hujus, et sterili natura humana, sursum ad cælestia, ad sinum æterni Patris rectissime, celerrime, jucundissime *ascendit, deliciis affluens* in utroque homine, *innixa super dilectum suum*, qui expansis ulnis humanitatis et divinitatis suæ, quasi vehiculo illam evehit, sustentat, in altum attollit? illa cantillante et jubilante, *cor meum et caro mea*, etiam in mediis laboribus, in æstu curarum et dolorum, *exultaverunt in Deum vivum* [3]. Sed hæc locum maxime habent in ascensu mentis in Deum et raptu mystico, de quo aliquid attigi cap. 2, vers. 6; sed fuse exponunt

(1) Matth. 18, vers. 10.

(2) Athan. in Synopsi; Ambr. lib. 1 de Instit. Virg., cap. 1.

(3) Psalm. 83, vers. 3.

per dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmu-

quos ibidem citavi, et Richardus de S. Victore post S. Dionysium, Gregorium [1], Bernardum, Bonaventuram et alios mysticos Doctores.

Ad eximias has sponsæ laudes, ut ejus securitati certius prospiciat sponsus, et humilitatem altius inculcet, dum simul gradiuntur, immo rapiuntur, Audin', inquit, dilecta mea, quantas de te laudes prædicent? Et vero major adhuc es omni humana laude. Cave interim decerpas tibi vel tantillum de omni laude, quæ omnis mihi soli debetur, a quo solo tibi hæc omnia, ut fatentur et proclamant etiam illæ ipsæ tuæ sodales, dum te sursum ascendentem, et deliciis affluentem, ajunt non tuis viribus, sed meis; non tuis meritis, sed dono et gratia mea; non tua industria, sed mea potentia, sapientia, bonitate; non super te, sed *super me* unum *innixam*. Neque enim adeo dependent radii vel lumen a sole, membra a corpore, corpus ab anima, in conservatione, accretione, operatione sua, quam tu pendeas a me in omnibus et per omnia. Ex te enim nihil habes præter miseriam, malitiam et sordes. Et hanc tui ipsius nihili cognitionem, et meæ simul gratiæ confessionem, pro primo fundamento solidandæ tibi felicitatis, toto animo tibi commendo. Atque ut idipsum tibi altius infigatur, repete frequenter memoria tua primum nostrorum amorum initium, occasionem, loci et personæ qualitatem. *De deserto* te *ascendisse* clamant illæ, et est verissimum: nam si meministi, *sub arbore malo*, seu proprie dicta, de qua c. 2, vers. 3, seu quavis frugifera planta, non in horto meo, vel pomario, sed in loco horroris et vastæ solitudinis, *suscitavi te* de morte ad vitam, de ægritudine ad sanitatem, de miseriis ad delicias, de sordibus ad solium regni. *Ibi*, id est, sub illa arbore, *corrupta est mater tua*, tum propinqua, quæ te lactavit; tum remota, Eva, quæ te in parentibus tuis produxit [2]. Corrupta est, inquam, lethifero serpentis veneno, peccato transgressionis divini præcepti, quo omnes etiam posteri ipsius

inficiuntur, corrumpuntur et enecantur, non solius corporis temporali corruptione et nece, sed et animæ æterna; cui etiamnum obnoxia jaceres, nisi ego providissem, et meo sanguine, mea morte in simili arbore te suscitassem: ita Justus Orgelitanus, Cassiodorus, S. Gregorius, Aponius, Rupertus, Beda et Anselmus: qui ex traditione Græcorum addit, *arborem scientiæ boni et mali*, fuisse proprie dictam malum, e qua delatus sit ramus in Judæam, et ex hoc arborem crucis Christi prognatam. Sed fides sit penes auctores. LXX hic pro *corrupta et violata est*, legunt, *peperit te* mater tua. Et ita etiam sonant Hebræa, nempe *partus* non fit sine *corruptione et violatione*. Quo ipso videtur sponsus in memoriam revocare sponsæ vilitatem generis sui, nempe rusticam esse et filiam pastorum, qui ruri et in desertis locis, ubi regio calidior est, degere, et sub arboribus ad umbras captandas sedere, dormire, et operam liberis dare consueverunt, q. d. Jam cogita, e quam vili et humili loco ad tam sublimem ac splendidum per me sis evecta. Hinc, si sapis,

℣. 6. *Pone me ut signaculum*, id est, instar signaculi seu sigilli, vel alterius signi memorativi, *super cor tuum, et super brachium tuum* — id est, in perpetuam mei memoriam gesta continuo imaginem mei cælatam in bullis ad pectus, et in armillis ad brachia appensis; q. d. Fac omnia cogitata tua, omnes amores et desideria tua, omnia dicta, facta, sic me unum referant, mihi uni tantorum tibi bonorum fonti et auctori dedicentur et approprientur, ac si imago mei, vel sigillum meum me ad vivum referens, singulis impressum esset. Fac item memineris perpetuo mei in omni affectione et operatione tua, perinde ac si figura mei continuo tibi ob oculos versaretur: idque non in sola contemplatione et oratione, sed et in omni opere et conversatione externa, inquit Theodoretus et S. Gregorius [3]. Videtur sponsus alludere ad stigmata quæ vel pecudibus,

(1) Richard. l. 5 de Contempl., c. 6 et 7, 14, etc.; Dionys. de Mystica Theol.; Greg. l. 24 Moral., c. 5.

(2) Genes. 3.

(3) L. 29 Moral., c. 4.

latio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

vel mancipiis inuri solent: vel potius ad morem quarumdam gentium (ut fertur de feminis Saracenis) quæ eorum quos diligunt notas et signa quædam *super cor*, vel *super brachia* inurunt vel insculpunt, quo suum erga eos affectum testentur, ipsosque quasi præsentes sibi habeant, de quibus fuse Lipsius [1]. Petit ergo sponsus a sponsa, ut se totam intus et foris, tamquam ancillam, et jam sponsam, tradat nutui et placito sponsi sui et domini: idque palam quoque coram omnibus hominibus et omnibus creaturis præ se ferat, nempe se totam illius esse, et illius solius, nec quidquam in illa, vel ex illa cernatur, quod alicui creaturæ, vel alteri a Deo sponso suo deferatur. Ludovicus de Ponte vult etiam hic a sponsa exigi, ut ad perfectissimam cum sponso secundum omnia interna et externa similitudinem aspiret, qualis scilicet invenitur inter sigillum et rem sigillatam. Quæ similitudo inchoatur in naturalibus, sed augetur et perficitur per supernaturalia, maxime vero per intimam amoris conjunctionem, et quæ inde promanat, morum per omnia et insignium conformitatem, puta crucis, clavorum, flagellorum, lanceæ, spinarum et probrorum, quæ ut fuerunt Christi, sic optat ut suæ sponsæ sint insignia.

Quia fortis est ut mors dilectio; q. d. Scio me dura et difficilia poscere: sed amanti nihil durum, nihil difficile, nam amoris hæc est natura, conditio et qualitas, quod *fortis* sit sicut *mors*. *Resistitur ignibus*, inquit S. Augustinus [2], *resistitur undis, ferro, regibus, potestatibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Propterea viribus ejus charitas comparatur, quia et ipsa occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus.* Nempe, aufert nobis omnem vitam vitiosam, carnalem et mundanam: tollit peccata: mortificat peccatorum radices, concupiscentias et passiones inordinatas: externa ad peccatum allicientia rejicit: etiam licita, si majoris boni sint impedimenta, rescindit, in gratiam amati si quid occurrat arduum, molestum, tædiosum, exsorbet, superat, devincit, quidvis tentat, ambit, conatur, ut quam si-

(1) Lib. 1 de Militia, dial. 4.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina

millimus fiat amato, quin et seipsum felici morte quasi conficit, dum animum a proprio corpore transfert in alienum, si non re, certe affectu, magis meliusque vivens in amato, quam in amante, ut Plato ajebat. Ergo nec tibi, dilecta mea, durum erit tibi deinceps sic mori, quæ tui jam juris esse desiisti; et mihi uni, cui te totam in omnibus mancipasti, vivere; mihi uni te assimilare et perfecte conformare. *Quia* perfecta *dilectio* sic suadet, sic jubet, sic urget, idem urget etiam *æmulatio*, quæ vel est vehemens amor, aut vehementis amoris actus vel effectus, qui zelus dicitur, et est ingens tristitia seu dolor de damno vel injuria illata rei amatæ, cum impetu et studio illam ulciscendi aut depellendi. Et est *dura* tum in sustinendo, tum in oppugnando, tum in detinendo *sicut infernus*, qui tenacissime retinet quod semel recepit, et durissime torquet animas, nec est ulla vis creata quæ possit illas ex faucibus ejus eruere. Simili tenacitate charitas perfecta, seu æmulatio, Deum quem semel apprehendit, fortissime retinet: et adversus carnem, mundum, dæmonem, ne Deum mente expellant, durissima est et implacabilis hostis, castigans, persequens, conterens omnes: neque est vis ulla creata, quæ possit invitam tanto thesauro spoliare. Quin et in eo quoque similis est inferno æmulatio, quod ardor et ignis utriusque ut vehemens est et continuus et perpetuus, ita etiam sit insatiabilis: et licet omnia inflammet, et in se convertat, sibique assimilet, numquam tamen ab ulteriore ustione desistat. Eadem ergo sit et tuæ charitatis ac zeli conditio, ut in perfecta mei assimilatione numquam lasseris, numquam satieris.

Lampades, seu faces, *ejus*, nempe charitatis, sunt *lampades ignis atque flammarum* — Hebraice, *flammæ Dei*, id est, maxime et vehementissime urentes, calefacientes, lucentes; et tantæ energiæ, ut non modo flammas concupiscentiæ et odii vel amoris mundani superent, sed et incendia inferni et iræ Dei vincant et restinguant.

℣. 7. *Aquæ* tentationum, persecutionum, tribulationum, quantumvis *multæ*, *non*

(2) In illud Psalm. 121 *Fiat pax in virtute tua*, et epist. 29 ad Hieron.

obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

8. Soror nostra parva, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

potuerunt unquam *exstinguere* perfectam *charitatem:* sed *nec* integra *flumina* omnium simul adversitatum *obruent illam*, vel flammam ejus, ipsa nolente, restinguent: *Numquam* enim *excidit charitas*, ut ait S. Paulus [1]. Crescit potius et inclarescit adversis, ut patuit in Josepho, in Jobo, in Christo. Talem, tam fortem, tam constantem, o dilecta mea, decet esse tuam erga me charitatem, ut nullis seu doloribus, seu tormentis, seu terroribus, seu minis frangatur vel exstinguatur. Sed neque donis ullis aut beneficiis deperdi vel enervari decet: potius omnia perdenda, omnia projicienda, quam vel tantilla charitatis jactura facienda.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, seu acquirenda, seu conservanda, seu recuperanda, *quasi nihil despiciet eam* omnem substantiam. Nam *melior est* hic thesaurus *cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari* [2]. Immo *infinitus thesaurus est hominibus*, quippe *qui* eo *usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei* [3], hereditatis Dei et omnium thesaurorum cælestium. Non ergo putes te magnum quid perdidisse, cum omnem substantiam domus tuæ pro charitate tutanda seu perdideris, seu projeceris: *quasi nihil* enim projecisti vel amisisti. Sola charitas thesaurus tuus est, hæc sola te ditabit, et immensum ditabit, et æternum ditabit. Unde nec contristari debes, o dilecta sponsa, si non semper omnibus donis et beneficiis meis extraordinariis te recreem, nec perpetuo et sine interruptione tibi me fraterculi in morem, ut jam optabas, præsentem et te continuis osculis dissuaviantem exhibeam: non est hoc hujus temporis: neque hoc mihi jam placet. Placet magis, ut pro amore mei, renuncies etiam huic substantiæ tuæ et deliciis tuis, quas tibi non idcirco subtraho ad breve tempus, ut minuatur tibi tuus thesaurus, sed in opportunius tempus repono et reservo, ut centuplicato fœnore crescat tibi et augeatur per gloriosam tui ipsius, etiam quoad mea dona, abnegationem et victoriam. Vide de hoc S. Augustinum, Gregorium et Bernardum [4].

Atque hæ sunt conditiones et leges, ut dixi, castissimæ perfectissimæque charitatis, quas ut ego omnes, inquit sponsus, seu ut Deus sum, seu ut homo, erga te omni tempore ad amussim servavi, servaboque æternum; ita et tu, si me perfecte amas, toto vitæ tuæ decursu servabis tum erga me, tum amore mei erga proximos tuos, fratres et filios meos.

Dixerat sponsus, cum sponsa, quæ leges illas omnes cordi suo jam alte impresserat, confisa promissis sponsi, anxiam sui ipsius curam seponit: sed fraternæ charitatis flamma succensa, in proximorum salutem tota rapitur: et quia major ac periculosior est pars imperfectorum, et incipientium servire Deo, de his ante omnia satagens, ait:

℣. 8. *Soror nostra* (hoc suavi nomine designans omnem talium juniorum congeriem) adhuc *parva* est, et debilis et tenella, *et ubera* duplicis charitatis *nondum habet:* vel, si habet demissa, nondum habet intumescentia, et sapientiæ lacte turgida, ut vel seipsam, vel spirituales filios instruere possit. *Cum deberet magistra esse propter tempus*, quod illi instruendæ impendimus, adhuc *indiget ut doceatur* prima *elementa* [5]. Verbo uno, necdum sat instructa est, indiget peritiore magistro, pastore et duce spirituali, qui illam doceat, pascat, regat.

Quid faciemus sorori nostræ? Non est nuda præmeditatio, vel ex sponso interrogatio, vel cum ipso aliisve consultatio, sed et obsecratio tacita et precatio, ut quid faciendum sit inspiret, succurrat et adjuvet. *Neque* enim *qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, nisi simul adsit *qui incrementum dat Deus. Quid* ergo *faciemus sorori nostræ*, ut crescere, ut ubera acquirere possit, ut veram solidamque virtutem ac sapientiam hauriat, qua et ipsa perficiatur, et alii per ipsam: ut prompta sit respon-

(1) 1 ad Cor. 13, v. 8.
(2) Prov. 8, vers. 11.
(3) Sap. 7, vers. 8 et 14.

(4) Aug. tract. 5 in epist. S. Joannis; Greg. hic; Bern. serm. 38 in Cant.
(5) Ad Hebr. 5, vers. 12.

9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

10. Ego murus: et ubera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ

dere *in die qua alloquenda est*, id est, quando de nuptiis interpellanda est? Interpellabis enim tu illam suo tempore, interius illuminando et movendo, ut, rejectis aliis procis, uni tibi se totam devoveat. Interpellabunt illam etiam mundus, caro et dæmon, et singuli ad nuptias secum contrahendas misellam sollicitabunt. Hic consilio, directione, ope nostra eget: ita fere Theodoretus, Honorius, Philo, Carpathius et alii apud Delrium. Quidam apud Ludov. de Ponte id exponunt de *die* judicii, seu particularis cujusque, seu generalis omnium, *quando* veniet sponsus, et omnes alloquetur, et omnibus jus dicet.

℣. 9. *Si murus est*, id est, si virili, firmo et constanti est animo, ita ut sepem faciat quod pro muro et mœnibus servire, et incursus atque insultus inimicorum tum a se, tum ab aliis propulsare possit; *ædificemus super eum* murum *propugnacula argentea*; alii vertunt, *palatium argenteum*, nempe instructum suis propugnaculis, quæ et munitioni sint ipsi et ornamento. Id enim facile mihi et familiare est præstare tum in vita activa, tum in contemplativa, tribuendo singulis panopliam virtutum necessariarum et utilium ad se suosque tutandos, et hostes propulsandos, immo debellandos. Quod si non est murus, et in fragili sexu spes nulla sit tantæ firmitatis et roboris; sed solum *est ostium*, multis pervium, omnibus apertum, vix unius domus suæ custodiam valens sustinere; *compingamus illud* et claudamus divini timoris et prudentiæ *tabulis cedrinis*, non minus fortibus, quam elegantibus: sicque fragilem et ad lapsus facilem præmuniamus, sepiamus, et fugiendi, errandi, vel in hostiles manus labendi occasiones removeamus. Suadet ergo cælestis sponsus, ut in promovenda proximorum salute et perfectione, ingenium cujusque et talentum et robur attendamus, et illi spiritualem instructionem prudenter accommodemus. Vide Rupertum, Honorium, Bernardum.

Audiit sponsa; et mox comprobat exemplo suo consilium sponsi, Nam fui, inquit, aliquando, et sum etiamnum, v. 10, *Ego murus*, in fragili sexu, forti tamen et virili animo: et ecce quam nobilia, quam sublimia nunc in me propugnacula: en *ubera mea*, tenella ceteroquin et mollia, jam *sicut turris* David *ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, teste sponso meo c. 4, v. 4. Hoc porro robore me ipse donavit, *ex quo facta sum coram eo quasi Sulamitis*, id est, *pacem reperiens* — id est, ex quo me assumpsit in sponsam suam, ut a *pacifico* Salomone Sulamitis *pacifica* et dicar et sim: cum quo illius eximio favore cetera quoque bona simul omnia mihi obvenerunt: ita sanctus Ambrosius [1], Cassiodorus, Gregorius, Anselmus et Beda.

℣. 11. *Vinea fuit* Salomoni, id est, *pacifico* regi *in* Baal-hamon [2], quod significat dominum populorum, seu eum *qui habet* sub se *populos*. Est vero nomen loci, seu vineti, haud procul Jerosolyma, qui alias Engaddi dicebatur, et erat vinearum et balsami fertilitate celeberrimus. Hanc suam vineam *tradidit* certis colonis colendam, et *custodibus* custodiendam, mihi vero tamquam præfectæ inter alias plures vineas hanc singulari cura tradidit gubernandam. Hæc magna est et fertilis, et nobilissimi vini ferax: nam *vir*, seu vinitor, qui illam conduxit, *affert* quotannis *pro fructu ejus*, quem inde colligit, *mille argenteos* siclos, seu mille florenos Belgicos: et ultra hos, pendit alios *ducentos* argenteos *his qui custodiunt* vineam. Vinea hæc tam nobilis, tam fertilis; tam cara Salomoni, secundum Theodoretum et Rikelium [3], propria cujusque anima est; secundum alios, animæ pastoribus commissæ, vel Ecclesia Christiana. Si bene colatur, pendit fructum non modo decuplum, qui magnus est; vel centuplum, qui maximus; sed millesimum, qui omnem superat æstimationem. Hæc vinea, inquit sponsa, non contemnetur, nec deseretur, nec negligetur a me, ut nuper illa altera, c. 1,

(1) Serm. 22 in Psalm. 118, et in Apolog. David. cap. 17.

(2) בעל המון. (3) Art. 26.

habet populos : tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12. Vinea mea coram me est. [1] Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

13. Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam.

14. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.

vers. 5, sed semper *coram me est*; LXX, *vinea mihi mea in conspectu meo*, id est, habeo semper illam in oculis, ut curem excoli quam diligentissime. Tota huic operi incumbo, nec ad aliud mentem diverto: oculus præfectæ saginabit fundum, ut uberiores et excellentiores fructus ferat. Velim tamen scias, mi dilecte, me lucri causa, etsi jure et indulto tuo possim, nihil hic agere decrevisse, tui unius et solius amore agam quidquid agam; fructus ergo omnes et integri volo cedant *tibi* (ut est in Hebræo :) *mille* argentei, quos conductor vineæ quotannis pendit, id est, primarius et principalis proventus ad ultimum usque quadrantem, *tui*, o *pacifice* sint, ad tui unius gloriam et laudem; reliqui *ducenti* secundarius et accessorius proventus dentur his qui in colenda custodiendaque vinea me adjuverunt: nullius commodo, nullius laudi, nullius gloriæ quidquam decerptum volo. Mihi nullam deposco aliam mercedem præter te unum, et quod tibi serviam, tibi gratificer, tibi fructificem: hoc unum et gratius et suavius mihi et longe pretiosius omnibus thesauris cæli et terræ, ut ergo tibi uni quam gratissimum faciam, pro posse meo excolam virtutibus animam meam, et animas mihi a te commissas: et excolam non ob aliud, quam ut te recreem et reficiam, qui es unica merces, præmium et beatitudo mea: ita fere Lud. de Ponte ex S. Ambros., Theodoreto et aliis.

Sponsus hoc tam nobili sponsæ studio uni sibi laborandi et placendi, mirum quantum recreatus; Etsi, inquit, uni mihi laborare et placere intendis, hoc ipso tamen pluribus revera, immo omnibus qui in cælo et in terra sunt, places, et omnibus labor tuus percarus et pergratus est. Eja ergo dilecta mea,

℣. 13. *quæ* jam tota *habitas in hortis* spiritualibus, et illis excolendis continuo desudas, perge strenue, promove alacriter; *amici* tui omnes et cælestes et terrestres, una mecum perpetuo *auscultant* num quid ex te novi, inhiant profectui et promotioni tuæ, gaudent de bonis tuis, applaudunt victoriis, spoliis, triumphis tuis. Igitur his auscultantibus, his applaudentibus, *fac me* iterum et sæpius *audire* eamdem *vocem tuam*, quam mox audivi, et multas similes voces tuas dignas te, dignas angelis, dignas Deo; voces purissimæ intentionis, ardentissimi amoris, constantissimæ laudis et gratiarum actionis; voces humillimæ confessionis propriæ miseriæ, paupertatis, et nihili tui; voces instantissimæ precis et supplicationis, pro te, pro proximo, pro toto mundo; voces integerrimæ resignationis in nutum et arbitrium meum: voces diligentissimæ prædicationis verbi Dei, et instructionis proximorum; voces perfectissimæ obedientiæ tum mihi, tum aliis propter me; voces optatissimi consensus in expletionem matrimonii nostri spiritualis in præsentia amicorum pro testibus hic assistentium; denique voces plenissimi gaudii et jubili de infinito bono meo, et bono tuo in me. Vide S. Augustinum et Bernardum [2].

Obedit mox sponsa, et quam potuit gratissimam dulcissimamque vocem petenti sponso reddit, quæ voces omnes jam dictas in se concludit et eminenter complectitur.

℣. 14. *Fuge, dilecte mi*, non me deserendo (qui mea es vita et via, et sine quo nihil possum, nihil etiam volo); sed dona tua extraordinaria mihi subtrahendo, et ad alios deferendo digniores me, ad *montes aromatum*, sublimes, fructiferos et odoriferos; vel, si mavis, una mecum fuge ad locum magis amœnum, secretum, cælis propinquum, orationi et contemplationi idoneum, ad fundum animæ meæ, omnibus montibus sublimiorem, o-

(1) Vers. 12. *Mille tui pacifici*. Non est opus genitivum *pacifici* commutare cum vocativo *pacifice* præsertim cum non suppetant exemplaria. Rom. Corr.

(2) S. Aug. in Psalm. 95; Bern. epist. 113 ad Sophiam.

mnibus aromatibus nobiliorem; ibi me totam totaliter tibi trado, tibi adglutino æternum dilectam dilecto, sponsam sponso. Sed et ad alios quoque greges tuos adcurre, qui in montibus tuis pascuntur, illosque recrea et exhilara præsentia et donis tuis. Et ad illos *fuge* quam celerrime, et iterum ad nos revertere, *instar capreæ hinnulique cervorum*, quod explicui cap. 2, vers. ult., q. d. Gratissimum mihi jucundissimumque accidet, si gratias et favores, quos mihi indignissimæ tam liberaliter impertis, impertias etiam aliis omnibus hominibus, sed ante omnes iis qui meæ curæ a te commissi sunt: ut omnes una mecum tibi perfectissime serviant, obediant et placeant; te perpetuo laudent, benedicant, adorent, glorificent; te unum super omnia quærant, extollant, prædicent toto orbe; a terrenis sordibus divulsi, rebus humanis celsiores, creatis omnibus superiores, in te uno summo et unico bono suo æternum conquiescant; omnes carissimæ tibi columbæ, reginæ, sponsæ, in ulnis tuis, in complexibus tuis continuo inhæreant, immorentur, immoriantur: ita fere Ludovicus de Ponte, qui cum S. Greg. [1] etiam alio modo exponit illud, *Fuge*, ut idem valeat quod, *fugis nos*, seu lates nos; q. d. Tam immensus et incomprehensibilis es, mi dilecte, ut omnes tam angelos quam homines fugias, omnem scientiam creatam vincas, omnem intellectum superes. De quo sane gaudeo et exulto: sed, dum meam vicissim expendo vilitatem et parvitatem, cogit me virtus humilitatis cum piscatore [2] illo exclamare, *Fuge, mi dilecte*, tam vilem, tam sordidam, tam indignam creaturam, recede a me, quia tantos favores nec promereor, nec capio. Et sic proprie usurpatur verbum *fuge*, eo sensu quo sanctus Franciscus Xaverius dicebat, *Satis est, Domine, satis est.* S. Ambrosius [3], Cassiodorus et Bernardus [4] id intelligunt de *fuga* Christi post resurrectionem in cælum. Lyranus et alii quidam de fuga Christi cum anima sancta e terris in cælum, ut fusius dixi cap. 2, vers. ult.

(1) Lib. 17 Mor., cap. 15.
(2) Lucæ 5, vers. 8.
(3) De Bono mortis, c. 5.
(4) Serm. 9 in Psalm. *Qui habitat.*

Habita facultate Auct. Eccles.

INDEX

Liber Judicum . . . . . pag. 5
— Ruth . . . . . » 59
— I. Regum . . . . . » 68
— II. Regum . . . . . » 146
— III. Regum . . . . . » 205
— IV. Regum . . . . . » 275
— I. Paralipomenon . . . . . » 352
— II. Paralipomenon . . . . . » 411
— I. Esdræ . . . . . » 481
— II. Esdræ . . . . . » 503
— Tobiæ . . . . . » 535
— Judith . . . . . » 565
— Esther . . . . . » 599
— Job . . . . . » 631
— Psalmorum . . . . . » 714
— Proverbiorum . . . . . » 924
Ecclesiastes . . . . . » 992
Canticum Canticorum Salomonis . . . . . » 1021

Editor sibi vindicat jus proprietatis adnotationum R. P. J. Brunengo.

220.7
T516

3269

TIRINI, S.J., JACOBUS

AUTHOR

Commentarius in Universam Sanctam

TITLE Scripturam, Tom. II: Judges,
Canticle of Canticles

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - COSA	

3269